Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Digitized by Google

THE LIBRARY OF

PERIODICAL ROOM

CLASS

BOOK

M69

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., J. J. HARTMAN.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN UNDEQUADRAGESIMUM.

39

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1911.

Digitized by Google

UNIVERSITY
MINNESOTA
LIBRARY

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
In memoriam HENRICI VAN HERWERDEN	I—II.
Piae memoriae ISAACI MARINI IOSUAE VALETON	III—IV.
Ad Vespas Aristophanis, scripsit H. VAN HERWERDEN . . .	1—10.
Ad Lexicon Graecum suppletorium et dialecticum, scripsit idem.	10—12.
Homerica (*contin. e Vol. XXXVIII pag. 394*), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F. . . . . XXXVII. De compositione Odysseae.	13—50.
Observatiunculae ad Phaedrum (*contin. e Vol. XXXVIII pag. 277*), scripsit L. RANK	51—67.
Ad Horatii Epl. I, 11, 1, scripsit J. J. H.	67.
Annotationes criticae ad Plutarchi opera (*contin. ex Vol. XXXVIII pag. 448*), scripsit J. J. HARTMAN	68—105.
De agro Tomitano (Ovid. Pont. III, 1, 19 sqq.), scripsit J. J. HARTMAN	106.
Columbae internunciae, scripsit S. A. NAKER	107—112.
Notulae criticae ad Silium Italicum (*contin. e Vol. XXXVIII pag. 126*), scripsit P. H. DAMSTÉ	113—134.
Ad mensas paniceas, scripsit P. H. D.	134.
Varia, scripsit I. VAN WAGENINGEN	135—140.
Ad Iliadis scholia A, scripsit J. v. L.	140.
Donatiana et Terentiana, scripsit H. T. KARSTEN.	141—184.
Ad hymn. Apoll. 402, scripsit J. v. L.	184.
Ad scriptores Historiae Augustae, scripsit P. H. DAMSTÉ . .	185—194.
Ad hymn. Cer. 445, scripsit J. v. L.	194.
Annotationes criticae ad Plutarchi opera (*contin. ex huiusce vol. pag. 105*), scripsit J. J. HARTMAN	195—222.
De Ovidio in exsilium proficiscente Tr. I, 10, 15—20, scripsit J. J. HARTMAN	223—224.

174027

Digitized by Google

Pag.

Ad scriptores Historiae Augustae (*contin. e pag. 194*), scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . . 225—241.

Ad Minucii Felicis Oct. 22. 6, scripsit P. H. D. . . . . 241.

Emendatur Horatius Carm. II. 16. 4, scripsit H. WAGENVOORT H.F. 242.

Adnotationes criticae ad Appiani historiam Romanam, scripsit S. A. NABER . . . . . 243—292.

Cic. pro Rosc. Am. § 136, scripsit J. J. H. . . . . 292.

Annotationes criticae ad Plutarchi opera (*contin. ex huiusce vol. pag. 222*), scripsit J. J. HARTMAN . . . . . 293—329.

De Ovidio in exilium proficiscente, scripsit J. J. H. . . . . 329.

Homerica (*contin. e pag. 50*), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F. . 330—368.

XXXVIII. Locorum Homericorum qui immerito vituperati sunt defensio.

De Tibullo poeta, scripsit J. J. HARTMAN. . . . . 369—411.

Homerica (*contin. e pag. 368*), scripsit J. VAN LEEUWEN J. F. 412—440.

Emendatur Virg. Buc. VI, 33, scripsit J. J. H.. . . . . 440.

Ad locos ex Ovidii Arte Amatoria et Remediis Amoris, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . . 441—446.

Ad Ciceronis Verrinas annotatiuncula, scripsit J. J. HARTMAN. 447—448.

Digitized by Google

AD VESPAS ARISTOPHANIS.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Nuper intenta mente relegi festivissimam comoediam in altera editione quam anno proximo curavit in Sijthoffii officina Leidensi *Ianus van Leeuwen*, adhibita etiam elegantissima versione pedestri Gallica quam debeo *Alfonsii Willemsii*, collegae Bruxellensis, munificentiae.

Nova Leeuwenii editio opus est vastae eruditionis nec vulgaris in interpretando sollertiae, cuius animadversionibus si quid in hac scriptiuncula aut addidero aut modeste fuero adversatus, non moleste eum laturum esse habeo persuasissimum. „Hanc enim veniam damus petimusque vicissim."

Vs. 78. ὀδὶ δέ φησιν Σωσίας κτἑ.

Tacite vL. vituperare videtur veterem meam coniecturam Σωσικλῆς sive Σωκλέης adnotans „nomen loquentis in textum irrepsit „(cf. Ach. 47). Quod vetustum est mendum, nam et olim gram- „maticos id legisse docent scholia; itaque sciri iam nequit quid „dederit poeta."

De Acharnensium loco nimis controverso non disputabo, sed h. l. valde probabile etiam hodie mihi videtur nomen servile, quod veteri librario ἔναυλον erat, ab eo substitutum esse pro genuino aliquo nomine simillimo. *Sciri* sane id nequit, sed vix quidquam *scimus* eorum quae in coniectura sunt posita.

Vs. 104. καὶ ἔπειτ' (cur vL. *certas* crases fugiat me latet)

Digitized by Google

ἐκεῖσ' ἐλθὼν προκαθεύδει πρῳ πάνυ,
ὥσπερ λεπὰς προσεχόμενος τῷ κίονι.

Longa disputatione editor conatur persuadere lectoribus articulum, quem ego probante Willemsio mutavi in pronomen indefinitum, sanum esse, nam significari h. l. columnam non *dicasterii*, ut vulgo putatur, sed *cleroterii* alicuius et quidem eius tribus cuius tribulis esset Philocleon. Frustra, ut arbitror. Nam primum ἐκεῖσε vix alio potest pertinere quam ad locum significatum in antecedentibus itaque ad *dicasterium*, deinde vero, quod gravius, non quotidie, opinor, fiebat iudicum sortitio, sed semel (vid. K. F. Hermann, Lehrb. d. G. A. vol. I p. 540) quotannis, nam in antecedentibus omnibus sermo fit de Philoclis gestis creberrimis. Restat igitur ut dictus sit *adhaerere alicui* (nam procul dubio multis fultum erat) *dicasterii columnae*. Vanam autem duco collegae opinionem hunc pronominis indefiniti usum de rebus esse poëtici tantummodo sermonis, quasi non passim occurrat μικρόν τι χωρίον et similia in oratione pedestri.

Vs. 122. διέπλευσεν εἰς Αἴγιναν, εἶτα ξυλλαβών
νύκτωρ κατέκλινεν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ.

Multum vereor ut doctus editor multis persuadeat contra vulgarem sententiam perhibens non notissimum Epidauri templum esse intellegendum, sed simile in Aegina aedificium. Quod si umquam extitisset, procul dubio fieret de eo apud scriptores mentio, ut neglegam nusquam in insulae solo reperta esse vestigia. Quia vero olim, ut hodie, iter maritimum per Aeginam ducebat Epidaurum, diserta huius oppidi mentio nulli spectatori erat me iudice necessaria. Senex, nisi fallor, nihil mali suspicatus haud invitus filium secutus erat Aeginam, sed ut primum eius consilium perspexit, recalcitrabat, quare Bdelycleon patrem vi correptum (ξυλλαβών) Epidaurum pergere coegit.

Vs. 179 sqq. Nemo, quod quidem sciam, hucusque explicavit quomodo fieri potuerit ut Philocleon, qui inclusus tenebatur in culina, cuius ianuam dorso suo extrinsecus clausam servabat Sosias, nihilominus inde in stabulum veniret asini ventri adhaesurus, priusquam filius eodem penetraret ut bestiam foras protraheret.

Digitized by Google

Non possum rem obscuram aliter expedire quam sumendo Bdelycleonem et Sosiam non cogitasse de brevi quodam meatu, quo via recta e postica culinae parte perveniebatur in stabulum.

Vs. 241. σίμβλον δέ φασι χρημάτων ἔχειν ἅπαντες αὐτόν. Omnino consulenda est *Doelaerii* scriptio in Mitt. d. d. Inst. z. Ath. XXXI p. 231 sqq., ubi ostendit *alvearis* formam interdum rettulisse veterum *thesauros* (spaarbussen). Ceterum observandum Aristophanem in hac fabula hic illic immiscuisse res petitas e vita victuque *apum* iis quae re vera ad *vespas* pertinent. Sic Philocleon vs. 367 ab amicis vocatur μελίττιον, sed imprimis cf. vs. 107 sq. ὥσπερ μέλιττ' ἢ βομβυλιὸς εἰσέρχεται ὑπὸ ταῖς ὄνυξι κηρὸν ἀναπεπλασμένος et locum de *fucis* in Parabasi 1155 sqq., ne alia afferam. Scilicet curabat imprimis aculeum et iram utrisque bestiolis communem.

Vs. 260—265. Egregie hi versus pingunt tam senis ambages quam rustici curam de pluvia in sicca regione praesertim frugibus necessaria.

Vs. 330. ἔστιν ὁπῃ δῆθ' ἥντιν' ἂν οἷός τ' ἐνδόθεν εἶην διαλέξαι
εἶτ' ἐκδῦναι ῥάκεσιν κρυφθεὶς ὥσπερ πολύμητις
['Οδυσσεύς.

Adversus Roemerum fidem habentem veteri scholiastae R., qui haec refert ad carmen cyclicum, ubi narretur Ulixes δι' ὑδρορρόας intrasse Troiam palladium rapturus, disputat editor verba referens ad Odysseam. Reputandum tamen, ni fallor, in cyclico carmine illo paene necessariam fuisse simul mentionem de *pannis*, quibus indutus Ulixes penetraverit per aquaeductum, quo tutius sic iret et rediret. Praeterea autem parum videtur probabile veterem commentatorem tam doctum ut carmen illud cognosceret ignorasse ex Odyssea quod ne pueri quidem olim ignorabant aut hodie ignorant. Quare Roemero adstipulari non dubito.

Vs. 417. Cor.

ταῦτα δῆτ' οὐ δεινὰ καὶ τυραννίς ἐστιν ἐμφανής;
ὦ πόλις καὶ Θε...ώρου θεοισεχθρία
κεί τις ἄλλος προέστηκεν ἡμῶν κόλαξ.

Digitized by Google

Lepide vL. haec sic edidit ut simul intellegatur nota formula *ὦ πόλις καὶ θεοί*. Hoc tamen valde miror coryphaeum Cleonis eiusque amicorum studiosissimum dicere potuisse quae prorsus respondeant Bdelycleonis cogitationibus. *O civitas et dei!* quam misera est conditio nostra, *ubi homines dis invisi, quales sunt Theorus eiusque similes, regunt rem publicam!*

Quod quidem attinet ad melicam formam, coryphaeo etiam hos duos versus metrum assignat, sed quid vetat suspicari malitiosum poetam dedisse eos Bdelycleoni, qui subsanniens ita ridicule expleverit coryphaei sermonem?

Cui sententiae favere etiam videtur responsionum ordo (415—421).

Vs. 421. Bdel.

οἷς γ' ἀπώλεσαν Φίλιππον ἐν δίκῃ τὸν Γοργίου.

Nescio an *ἐν δίκῃ*, quod non solum *in iudicio* sed etiam *iure, merito* significat, ambigue acceptum voluerit poeta. Nam rabularum inimicissimo Bdelycleoni Philippus procul dubio *iure* damnatus videbatur.

Vs. 452. Phil.

ἀλλ' ἀφές με — καὶ σὺ καὶ σύ — πρὶν τὸν υἱὸν ἐκδραμεῖν.

Etiam hic in verbis ultimis est ambiguitas, significare enim possunt: priusquam filius meus *opem vobis ferendi causa* foras prodierit, sed etiam ridiculas minas continere, quasi puer aliquis dicat: *priusquam pater veniat vos castigaturus!* Etiam alibi Philocleon filii et patris partes ludicre confundit. Vid. infra vss. 1352—1357.

Vs. 631

Chor. *οὐπώποθ' οὕτω καθαρῶς*
οὐδενὸς ἠκούσαμεν οὐ-
δὲ ξυνετῶς λέγοντος.
Phil. *οὔκ, ἀλλ' ἐρήμας ᾧεθ' οὕτω ῥᾳδίως τρυγήσειν·*
καλῶς γὰρ ᾔδειν ὡς ἐγὼ ταύτῃ κράτιστός εἰμι.

Willems adnotat: „Le vers 624 soulève une grande difficulté. „Pourquoi Ph. se defenderait il d'avoir parlé avec justesse et

Digitized by Google

„clarté? D'autre part c'est sur ὥστο que doit porter la negation, „ainsi que le prouve clairement le vers suivant. On pourrait „lire avec Bergk ἀλλ' οὐκ. Mais on obtiendrait un sens meilleur, „tout en se rapprochant davantage de la leçon des Msc. en „écrivant οὐ τἄν γ'" etc.

Non quaeram utra coniectura sit lenior et probabilior, quia utramque falsam esse habeo persuasum. Quod ad negationem attinet, procul dubio non *negat* — ne modeste quidem, nam ab omni modestia est alienus — sed *ait* vere chorum neglegentiam suam laudasse, sive e chori verbis supplendum est οὐδενὸς πώποτε ἠκούσατε οὕτω κτἑ., sive, quod malim, homo valde sibi placens quaerendo respondet οὔκ; scil. *nonne* (ita est ut dicitis)?

Verum enimvero, ut olim, hodieque impense miror Philocleonem dicere de filio καλῶς γὰρ ᾔδειν κτἑ., quippe qui nullam umquam filio suo occasionem dederit eloquentiam ipsius cognoscendi nec domi nec in iudiciis, quae hic abominatus fugiebat. Fac vero filium eam tamen cognovisse, quo tandem pacto poterat sperare se patrem dicendo victurum? Expectamus ergo ut Ph. dicat ipsum contrarium: *credebat facile me superaturum, ignorabat enim quam sim disertus.* Qualem sententiam facile nanciscemur scribendo, quod olim proposui, κακῶς γὰρ ᾔδειν κτἑ., modo satis constaret Graece sic dici posse (pro ἀγνοεῖν), ut sane expectes propter opposita εὖ et καλῶς εἰδέναι. Credo quidem me id alicubi legisse, sed ubi non memini. Reputandum autem versum antecedentem nullam admittere mutationem propterea quod id ipsum significat quod a Philocleone dici expectamus. Locus difficilis minime expediri mihi videtur a Leeuwenio in adnotatione.

Vs. 771. ἦν δ' ἐξέχῃ
εἴλῃ κατ' ὄρθρον, ἡλιάσει πρὸς ἥλιον,
ἐὰν δὲ νίφῃ (l. νείφῃ), πρὸς τὸ πῦρ καθήμενος·
ὄντος εἴσει.

Mirabilem illa aetate Atheniensium frigoris patientiam! Parum enim proderat foris sedenti appositus ignis, i. e., ni fallor, carbones ardentes inclusi foco alicui portatorio simili iis qui hodie *braseri* dicti usurpantur in terris meridionalibus. Cf. vs. 811

Digitized by Google

καὶ πῦρ γε τουτί, ubi iudicium de canibus agitur foris quidem sed in vestibulo. — Pluviam molestiorem duci quam nivem nemo mirabitur, qui reputat quam violenta esse soleat in illo climate.

Vs. 897. τίμημα κλῳὸς σύκινος.
Non dubito quin hic locus et vs. 145 contineat frequentissimam illam allusionem ad sycophantas. Poeta, qui procul dubio falsam iudicabat Lachetis accusationem, rabulis eam imputabat. Cf. etiam Willems ad h. l.

Vs. 939. Post h. v. editor: „Prodeunt testes citati, quorum „partes agunt homines ita exornati ut catinum, pistillum, radu„lam, ollam cett. referant." Fieri sane potest, vide tamen ne multos homines sic exornando artifices scenici temere nimis augerent comoediae sumptus iam per se gravissimos. Sufficiebat, opinor, ut singuli homines singula vasa et instrumenta in capite aut ante pectus gestantes producerentur, nec tam fastidiosos veteres Athenienses in talibus fuisse crediderim. Comparanda simplicissima ratio scenae Shakespeariana, qua olim eius fabulae docebantur.

Vs. 1060.

„ὦ πάλαι ποτ' ὄντες ἡμεῖς ἄλκιμοι" μὲν ἐν χοροῖς,
ἄλκιμοι δ' ἐν μάχαις
καὶ κατ' αὐτὸ τοῦτο μόνον ἄνδρες ἀλκιμώτατοι.

Corrigendum suspicor κοὐ κατ' αὐτὸ κτἑ., inserta cum Brunckio vocula δή post τοῦτο, aut ante μόνον cum Bentleio, i. e. *nec hac sola in re* (in pugnando) sed etiam in eo *militiae* genere *fortissimi* „ubi habet sua castra Cupido." Ita scilicet senes moerent non solum quod iam nec saltare possint nec pugnare, sed etiam quod re venerea frui nequeant amplius. Haec verba legenti obversatur mihi Ranarum locus, ubi vs. 738 Aiaco dicenti

γεννάδας ἀνὴρ
ὁ δεσπότης σου

Xanthias respondet

πῶς γὰρ οὐχὶ γεννάδας,
ὅστις γε πίνειν οἶδε καὶ βινεῖν μόνον.

Digitized by Google

Vesparum locum tam funditus corruptum esse quam existimat editor credere nequeo. — Posteaquam haec scripsi, recordatus sum quod effluxerat, iam Madvigium in eandem incidisse coniecturam, sed quia verbo tantum memoravit, scripta non deleo.

Vs. 1117.

τοῦτο δ' ἔστ' ἄλγιστον ἡμῖν, ἤν τις ἀστράτευτος ὢν
ἐκροφῇ τὸν μισθὸν ἡμῶν, τῆσδε τῆς χώρας ὕπερ
μήτε κώπην μήτε λόγχην μήτε Φλύκταιναν λαβών.

Quia κώπης usus remigi facit Φλυκταίνας, expectatur hic verborum ordo: μήτε λόγχην μήτε κώπην, cui ordini etiam favet antecedens ἀστράτευτος. Utrum tamen librario an ipsi poetae ordo illogicus tribuendus sit ignoro.

Vs. 1170. ἰδοῦ θεῶ τὸ σχῆμα, καὶ σκέψας μ' ὅτῳ
μάλιστ' ἔοικα τὴν βάδισιν τῶν πλουσίων.

Haec dicenti Philocleoni filius respondet

ὅτῳ; Δοθιῆνι σκορόδῳ ἠμφιεσμένῳ.

Fortasse minus ἀπροσλόγως παίζει quam scholiastae et Leeuwenio videtur. Suspicarī enim licet illa aetate homines laborantes furunculis solitos fuisse iis imponere allii folia, ut mederentur. Similibus certe remediis aeque inutilibus atque innocuis nostra etiam aetate plebecula praesertim uti solet.

Vs. 1216. ὕδωρ κατὰ χειρός.

Quia formula ὕδωρ κατὰ χειρῶν non nisi in seriore comoedia occurrit, facilis est suspicio antiquiore tempore satis esse habitum, si ante coenam soli *dextrae*, qua cibus sumebatur, aqua infunderetur, postea vero aucta victus elegantia, simul purgari solitam esse *sinistram*, quippe qua interdum ossa praerodentibus foret opus.

Vs. 1245. „χρήματα καὶ βίον
Κλειταγόρᾳ τε καὶ ἐ-
μοὶ κατὰ Θετταλῶν."

Sic canenti Aeschini Philocleon ex alio procul dubio scolio ἀντᾴδει

„πολλὰ δὴ διεκόμπασας σὺ κἀγώ."

Digitized by Google

Recte quidem sic edi videtur e scholio pro codicum lectione διεκόμισας, nam homo *ventosus* erat Aeschines, sed quia tale verbum in scolio non expectatur, nescio an poeta id substituerit pro genuina scolii lectione διεκώμασας. Cf. nota antiqui scolii verba καὶ τὸ τέταρτον ἠβᾶν μετὰ τῶν φίλων.

Vs. 1453. ἕτερα δὲ νῦν ἀντιμαθὼν
ἢ μέγα τι μεταπεσεῖται
ἐπὶ τὸ τρυφῶν καὶ μαλακόν.
τάχα δ' ἂν ἴσως οὐκ ἐθέλοι·
τὸ γὰρ ἀποστῆναι χαλεπὸν
φύσεως, ἣν ἔχοι τις ἀεί.

Emendandum arbitror οὐκέτ' ἔχοι, i. e. δύναιτο. Nam in disputatione a filio Philocleon et magis etiam convictus infelici litis caninae exitu totum Bdelycleoni se dederat, neque igitur dubia iam erat eius *voluntas*, sed prorsus dubia *potestas* propter causam a choro significatam. Correctio lenis etiam lenior, si sumimus in archetypo fuisse ΟΥΚΘΘΕΧΟΙ, ut passim in titulis vetustis verbum ἔχειν contra usum vulgarem scribitur cum spiritu aspero (cf. ἕξω).

Vs. 1306.
ἐνήλλετ', ἐσκίρτα, 'πεπόρδει, κατεγέλα,
κἄτυπτεν ἐμὲ νεανικῶς „παῖ, παῖ" καλῶν.

Adnotat editor „Idem iocus qui supra vs. 1279 sq.
[τί δ' ἔστιν, ὦ παῖ; παῖδα γάρ, κἂν ᾖ γέρων,
καλεῖν δίκαιον ὅστις ἂν πληγὰς λάβῃ]."

Multum dubito, nam parum facetum est praesertim post breve intervallum eundem repetere iocum, quare explico: *Verberabat me ad se vocatum verbis παῖ παῖ*, quibus noto usu servi solent compellari. — Si qui subsit iocus, potius hic sit, quod ipse *pedens* verberabat servum, quasi hic id faceret.

Vs. 1310. κλητῆρί τ' εἰς ἀχυρμὸν ἀποδεδρακότι.

Num hic quoque, ut collegae videtur, ludatur in vocis κλητήρ ambiguitate dubito; quia *testis* vix satis aptam continet allusionem ad emeritum iudicem Philocleonem.

Digitized by Google

Vs. 1365. *ποθεῖν ἐρᾶν τ' ἔοικας ὡραίας σορόν.*
Adnotatur *ποθεῖν* R] *ποθεῖς* V, *ποῖ θεῖς*; Kock delens *τ'*. Me iam a 1869 in Studiis Thucydideis (cf. Mnem. XXIV p. 297), itaque ante Kockium, Verisim. p. 203 idem proposuisse nisi quod *τ'* mutabam in *γ'* scire poterat ex *Vindiciis Aristophaneis* p. 52, ad quem libellum p. 44—54, quia nescio cur identidem de meis coniecturis silet collega, nec repetere mihi lubet, criticos relego, compluria enim insunt quae hodieque probabilia existimo.

Vs. 1372. *ἀλλ' ἐν ἀγορᾷ τοῖν θεοῖν δᾳς κάεται.*
Haec verba idoneo sensu carent, nisi sumimus Bdelycleonis aedes *in foro* fuisse cogitandas esse.

Vs. 1389. *ὀδὶ γὰρ ἀνὴρ ἐστιν ὅς μ' ἀπώλεσε*
τῇ δᾳδὶ παίων, κἀξέβαλεν ἐντευθενί,
ἄρτους δέκ' ὀβολῶν κἀπιθήκην τέτταρας.
De gravi ultimi vs. corruptela non cogitaverim, sed sufficit mihi Dobraei correctio *τεττάρων*. Unica quaestio est quid h. l. significet *ἐπιθήκη*, quod significare posse *superpondium, mantissam* cum Leeuwenio valde dubito. Potius crediderim idem valere quod *ἐπίθημα, operculum* aliquod e fragili materie factum, quod panibus pulveris causa impositum a Philocleone una cum illis incerniculo eiectum fractumque sit, quamvis huius notionis non possim afferre antiquius exemplum eo quod ex Africani Cest. c. 1 p. 278 citat Thesaurus.

Vs. 1414. *Ἰνοῖ κρεμαμένῃ πρὸς ποδῶν Εὐριπίδου.*
Hunc vs., quem depravatum ducit editor, optime A. Willems cum antecedenti Gallice sic vertit: „Quant à toi, Chaerephon, „tu m'as bien la mine qui convient au témoin d'une femme „au teint de thapsie, à l'Ino se trainant à genoux ... d'Euri„pide." Ex eius nota ad h. l. affero verba: „Pour moi, je suis „tenté à croire qu'on la voyait suspendue aux genoux de son „époux. Ce serait par malice qu'Aristophane aurait construit sa „phrase de manière à lui faire signifier à la fois: l'Ino d'Euri„pide se trainant à genoux ou bien: Ino se trainant à genoux „d'Euripide." Quae interpretatio aeque vera ac ingeniosa videtur.

Digitized by Google

De hoc verbi *κρέμασθαι* usu cf. v. c. Eurip. H. F. 520 *ὦ παῖδες, ἐκκρμήνασθε πατρῴων πέπλων.*

Vs. 1498. *κλητῆρ' ἔχουσα Χαιρεφῶντα τουτονί.*
Socratis discipulum Chaerephontem *vespertilionem* et *Noctis filium* dictum esse satis constare mihi videtur non propter nocturnam nescio quam philosophiam, de qua nihil constat, sed ob fuscum colorem (cf. 1413) et extremam corporis maciem. Panum venditricem intempesta nocte ambulare per urbem non est verisimilius quam obvium ei venire Chaerephontem, sed talia poetae non curant. Haec igitur causa est cur Leeuwenii suspicio in nota ad h. vs. mihi quidem neutiquam persuaserit.

AD LEXICON MEUM GRAECUM SUPPLETORIUM ET DIALECTICUM, ED. II.

P. 295 ΒΥΦΡΑΙΟΝ *μ' ἀνέθεκε τἀθάναι.* Meo, sive potius eius qui mecum communicavit errore sic scriptum est pro *Εὔφραιος κτἑ.*, quod se legisse mihi affirmat van Hillen.

Utar hac occasione ut simul in aliis quibusdam inscriptionibus, quas citavi quales praebebant mei fontes, revocem vocabula verborumque formas, quae iterata lapidum lectione inventa esse nunc demum mihi compertum est.

P. 125 s. v. ΑΝΕΘΕΑΝ. Pro *ἀνεθείκαιν* l. *ἀνεθείκαεν.* Cf. Glotta II 4, p. 317.

P. 157 s. v. ΑΠΑΛΕΞΙΚΑΚΩΣ. Minoae titulus habere videtur *ἀπαλαξίκακος.*

P. 340 s. v. ΔΕΙΜΕΝΕ. Phalangae tit. GD 1332 (sic), 8 sq. sec. Glottam II 4, p. 317 habet: *ἐν τᾶ τοῖ Πλούτωνος καὶ [τᾶς Φ]ε[ρσε]φόνας χούρα τᾶ λεῖμε[ν] . . . . . αρατιον καὶ λεῖμεν ἐπὶ χο[υραν].* Quid sit *λεῖμεν* ignoratur.

P. 1039 s. v. ΟΝΑΛΟΣ. Non *ὄναλον* habet titulus, sed miram formam *ὀβελλόν = ὀβελόν.* Glotta II 4, 317.

Digitized by Google

Inserenda lexico:

P. 174. ΑΠΟΘΗΡΕΤΤΗΣ, vas quoddam = *φιάλη θηρευτή* (BCH XXIX 515). Schurzhof BCH XXXII, 62.

P. 262. Ad ΒΑΛΛΙΖΕΙΝ. Cf. Leo in Herme 43, 309.

P. 272. ΒΕΛΛΟΤΝΘΕΙΝ = *βούλωνται*. Larisae tit. 513 IG IX, 2. Βέλλεσθαι thessalicum = boeoticum *βείλεσθαι*.

P. 297. ΓΑΒΙΝΑ· *ὀξυβάφια, ἤτοι τρυβλία*. Fick, Hesychglossen IV KZ 42, 147.

P. 301. ΓΑΟΡΓΕΙΜΕΝ = *γεωργεῖν*. Phalannae tit. GD 1332, l. 17 *βελλομένου γαοργεῖμεν*.

P. 382. Ad ΔΙΖΑ. Cf. Fick, Hesychglossen IV. KZ 42, 148.

P. 504. ΕΝΟΙΚΟΔΟΜΙΑ. Theangelae tit. l. 4 *τὴν τοῦ Φρέατος — ἐνοικοδομίαν, Ausmauerung*. Wilhelm, Jahresb. d. Oest. Arch. Inst. XI 63.

P. 522. ΕΞΟΜΜΕΙΝΟΝ iuxta *ἐξομεινον* = *ἔκμηνον*. Larisae tit. 506. IG IX 2.

P. 647. ΗΡΑΚΛΑΤΟΣ = *Ἡρακλέους*. IG XII 7, 339.

P. 751. ΚΑΡΟΜΕΜΦΙΤΗΣ, *colonus e Caria Memphin habitans*. *Ἀρβανιτόπουλος, Θεσσαλικὰ μναμεῖα*. Tom. I n° 89. Cf. *Λιβύφοινιξ* etc. Woch. d. kl. Phil. 1910, 39.

P. 845. Ad ΚΡΟΤΕΙΝ. Sensu obscoeno tit. Amorgi IG XII 7, 414 *Ἔρασίς με ἐκρότει*. Cf. Eur. Cycl. 179. W. Schulze KZ 42, 130.

P. 895. Ad ΛΟΓΕΤΕΙΝ. Boissevain, collega Groninganus, mihi indicat Eunapii fr. 52, p. 87 Boiss. et Polyb. 31, 25 (170), 2.

P. 917. ΜΑΡΓΙΤΗΣ. Radermacher in mus. Rhen. 63, 444 sqq. comparat *Θερσίτης, λεσχηνίτης, μηνίτης*, alia.

Digitized by Google

P. 977. ΜΩ, littera M, ut apud Democritum, in Deli titulo BCH XXIX 483.

P. 985. ΝΕΑΝΙΟΙΣ (sic) pro *νεανίαις*. Inscr. Melitiae in Achaia Phthiotide n° 205 IG IX 2.

P. 1028. ΟΚΟΣΣΟΝ = *ὅπωσον* in tit. aeolico: *ὄκοσσον [ἐργ]ανοῖσι ἐν Ὀλύμπηι ἔριον, ὄττι κε ἦι, μὴ ἐργάζεσθαι*. Glotta II 4, p. 321.

P. 1093. ΠΑΜΠΑΝΟΝ· *ἡ Δημήτηρ ἐν Ἡρακλείᾳ*. H. Nomen messapicum ducit Rozwadowsky, Eos XIII 127—134.

P. 1101. Ad ΠΑΡΑ. De *παρά* praepositionis vi apud Euripidem in compositione verborum dissertationem academicam composuit P. A. van der Laan, Amstelodami a. 1907.

P. 1166. ΠΕΡΡΑΤΕΙ = *πειρᾶται*. Larisae tit. 512. IG IX, 2.

P. 1291. ΡΤΖΕΙΝ· *ὑλακτεῖν*. H. Fick KZ 42, 149 comparat latinum *rudere*.

P. 1326. ΣΚΑΝΔΑΛΑΡΙΟΣ, *scandalarius, Schindeldecker*. Tit. Asiae minoris, Denkschr. d. Wiener Ak. 53, 2 n° 137 et 139.

P. 1344. ΣΟΦΟΣ. Hinc saec. XIV Arabes derivarunt *soufis* sive *sofis, sapientes*. Cf. Revue de Paris XVII, 1. Sept. 1910, p. 62 (note).

P. 1482. ΤΡΟΠΑΙΚΙΑΙΟΣ (sic) = *τροπαῖος*. Asiae minoris tit. in Denkschr. d. Wiener Ak. 53, 2.

(*Continuabitur*).

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e Vol. XXXVIII pag.* 394).

XXXVII.

DE COMPOSITIONE ODYSSEAE [1]).

> Die Frage, wie das Epos entstanden sei, darf nicht vermengt werden mit der vielleicht noch interessanteren und sicher noch schwierigeren, wie die Namen und Begriffe entstanden sind, die ihm zur Voraussetzung dienen.
>
> CAUER Grundfragen[2] 326.

Ad Odysseam iam venimus. De cuius carminis poeta diximus nonnulla in commentatione priore, uni poetae id nos tribuere sic professi. Argumentum autem sui carminis hic poeta non tam claris verbis significavit quam is qui *Iram Achillis* cantavit et cantaturum se primo versu dixit. Odysseae poeta *virum versutum* post alios [2]) celebraturus est *capta Troia oberrantem*. Diuturnos igitur herois errores carminis materiem praebituros qui audierit, facile expectet carmen cuius compositio quam dissimillima sit compositioni Iliadis; huius enim carminis poeta materiem intra breve temporis spatium contractam — nam ira

1) In hanc commentationem nonnulla, quae singula hic indicare inutile videtur, recepi ex opere quod anno 1904 edidi patrio sermone conscriptum: *de Boogschutter en de Weefster.*

2) „καὶ ἡμῖν" α 10.

Digitized by Google

furor brevis est — circa firmum atque immobile quoddam centrum disposuit et cum centro illo singula ita coniunxit ut „ira" illa finita ipsum carmen ad exitum properaret.

Sed fallax verborum allatorum est species. Nam revera Odysseae poeta materiem sui carminis haud alia ratione construxit atque constructa est Ilias. Callidi herois errores varios, longinquos, per annos complures protractos enarraturum se dixit et revera enarravit, non ita tamen enarravit ut ipsam narrationem ab initio longae illius annorum seriei ordiretur; sed herois *reditum* sive *errorum* illorum *finem* fecit argumentum carminis, quod intra pauciorum etiam dierum orbem, quam sunt Iliadis, inclusit, clarius igitur quam fecit consilium suum indicaturus si ab huiuscemodi versu:

νόστον Ὀδυσσῆός μοι ἀγακλύτου ἔννεπε, Μοῦσα

carmen incepisset.

Dignus profecto qui carmine celebraretur fuit huius herois reditus. Et alii reges e bello Troiano domum redierunt, nullus autem clarior quam Agamemnon Mycenaeus, cunctorum princeps, — at idem ceteris cunctis infelicior; qui cum ex hostium telis et e maris fluctibus incolumis evasisset, in ipsa terra natali invenit letum, ab aemulo invido et sua ipsius uxore sibi paratum. Quanto magis laudanda fuit sors regis Ithacae, qui per multos sane annos post Troiam captam patria caruit, sed cum tandem aliquando illuc rediisset et multa — ut Agamemnon — domi mutata comperisset, uxorem certe invenit eundem quem olim animum erga se servantem, mox profligatis adversariis ceteram vitam beatam et tranquillam cum ea transegit usque ad obitum serum et lenem [1]). Cum Agamemnon tum Ulixes absens bonis est exutus; at ille, qui hostium urbe vastata victor rediit cum exercitu, ab uno inimico huiusque satellitibus in insidiis est oppressus: hic, qui cunctis navibus et militibus amissis post errores diuturnos vix tandem solus et navi aliena in patriam est reductus, adversarios plus centum callido dolo circumventos interemit [2]).

Reditum Ulixis poeta noster cecinit; quem reditum prius pa-

---

1) Cf. λ 134—137.

2) Agamemnonis caedes compluribus locis Odysseae commemoratur et sorti Ulixis opponitur; cf. praesertim α 29 sqq. γ 232 sqq. λ 444.

Digitized by Google

ravit, dein celebravit. Singulas partes carminis in honorem τοῦ πολυτρόπου ἀνδρός compositi in hunc finem vergere fecit, πολυτροπώτατος ipse. *Reditum* autem — quorsum? In patriam videlicet, ad suos, praesertim ad fidelem *uxorem*, quae mariti in regionibus remotissimis degentis nunquam est oblita. *Reditum Ulixis ad Penelopen* cum dicimus carminis argumentum, vel potius *herois sagittarii ad uxorem texendi peritissimam*, propriis nominibus omissis et epithetis e prisca poesi desumtis coniuges ornantes [1]), *reditum* autem intellegentes non *iter* herois redeuntis, sed eum temporis articulum quo iuncti sunt denuo qui sorte immiti diu separati fuissent coniuges, id quod poeta voluit verbis includimus [2]).

Diu autem heroem oberrasse antiquiora illa carmina ferebant, unde sui carminis materiem duxit noster poeta. Non dicimus nunc opera priscorum illorum vatum, qui *Solem* olim cecinerunt initium cursus annui cum uxore *Luna* facientem primo post brumam novilunio [3]); nam mythi huius solaris licet vestigia

---

1) *Telam Penelopes*, ut *arcum Ulixis*, e mythis antiquissimis esse desumtam cum alia testantur tum verba poetae nostri de *Circe*, quae

μέγαν ἱστὸν ἐποιχομένη λίγ' ἄειδε (κ 254)

et de *Calypso*, quae

ἱστὸν ἐποιχομένη χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινε (ε 62).

Quid quod ipsum *Circae* sive *Cercae* nomen *Textricem* significare videtur, cum verbo κρέκειν et vocibus κερκίς, κροκή cohaerens (sic Schrader).

2) Ita cum vocem νόστον interpretamur, ipsum poetam sequimur: Ulixes per decennium circumvagatus est et apud Calypso denique delituit, iamque caelites initio carminis (α 87) decernunt

νόστον Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος, ὥς κε νέηται.

In eandem sententiam disputarunt vWilamowitz et Müllenhoff; cf. etiam Seeck Quellen d. Od. 66. Aliter vero vocem νόστον multi philologi usurparunt; e quorum numero honoris causa nominatim nunc indicatus esto Kirchhoff. Hic enim priorem partem Odysseae (α—ν 184) sive ea quae νόστον quem nos dicimus antecesserunt „priscum Ulixis Reditum" vocavit, alteram (ν 185—ω) a poeta recentiore subiunctam, utramque autem additamentis postmodo interpolatam ratus. Item e. g. Ed. Meyer Herm. 1895, 253: „die Irrfahrt macht das eigentliche Wesen des Odysseusmythus aus", E. Drerup Homer, 1904, 131: „Grundlage der Odysseusepopöe ist eine Schiffersage".

3) *Nomen* quodnam marito, quodnam uxori in vetusto illo mytho fuerit inditum nescimus. *Penelopes* nomen si recte refertur ad πήνην sive πῆνος *telam* et πηνίον *subtemen*, inde ab initio id huic mytho proprium fuisse satis certum videtur; sed obscura sic manet nominis pars posterior, prior autem pars etiam a *Pane* Arcadum deo potest repeti, quem filium Penelopae, deae in Peloponneso cultae, posteriores certe fecerunt (cf. Herodot. II 145, Pindarus apud Serv. ad Verg. Georg. I 16,

Digitized by Google

plurima in Odyssea deprehendantur aperta et minime contemnenda [1]), ab ipsa tamen Odyssea et a poetae consiliis talia sunt aliena, nec non aliena fuerunt a carmine unde sua ille duxit; nam in hoc quoque celebratus fuit *heros mortalis*, *Troiae victor*, non *deus* procul ab hominibus degens. „Vitae humanae speculum est Odyssea" [2]).

In huius igitur herois patria multa mutari necesse fuit per tempora belli diuturni — nam diuturnum fuisse bellum Troianum iam credebatur [3]) — et errorum longinquorum. Et filius Ulixi erat, uxorem enim heros prius duxit quam in bellum est profectus: de illo igitur puero quid interim factum? Uxor autem quomodo vitam solitariam transegit? Qualem rerum statum rex Ithacae invenit domi, cum tandem ad suos rediit?

Has et cognatas quaestiones quin poetae moveret argumentum, quod elaborandum sibi elegisset, fieri non potuit. Et fabulae vetustae, unde sua ducebat, ei partim certe praebebant quae responderet: uxorem herois absentis a procis compluribus in matrimonium esse petitam, illum cum rediisset sagittis eos peremisse.

Apollodor. Epit., al.), alia autem Penelopes nomina „vetustiora" undecunque ducta *Arneam* sive *Arnaciam* et *Amiracen* olim protulit Didymus (cf. schol. Pind. Ol. IX 85 schol. δ 797 Eust. 1422, 7 sqq. Tzetz. ad Lycophr. 772). Ab *anatis* (πηνέλοπος) nomine non multi, ut opinor, Penelopes nomen sunt ducturi cum ipso Didymo, licet Altenburg (cf. Roscher Lex. Myth. III 1911) et Gruppe (Myth. 619, 1) ei fuerint assensi. — In *Ulixis* autem nomen duo nomina confluxisse, quorum alterum alteri sono esset subsimile, ut suspicemur ipsa huius nominis forma varia et instabilis Ὀδυ(σ)σεύς — Ὀλυσσεύς — Ὀλλυτεύς — Ὀλισσεύς — *Ulixes* cogere nos videtur. Nam primae syllabae forma duplex vel triplex Ὀδ- Ὀλ- *Ul-* ut possit conferri cum graecolatinis ὀδωδέναι — *olere*, δαϝήρ — *levir*, δάκρυα — *lacrima*, at etiam secunda nominis syllaba duplicem stirpis formam -υσ- et -υκ- (-*ic*-) ostendit. *Deum infensum* et *deum solarem Lyctium* — numen Arcadicum cum Cretensi — coniunctos fuisse suspicor (cf. pag. 44 sq.), Ὀδυσσῆα et Λύκτιόν τινα. Sed aliorsum fortasse ducit nomen *Autolyci*, qui Ulixis fuit avus; sic enim ad λύκον potius Apollini sacrum et ad ipsum Apollinem λύκειον pervenimus, recordamur autem Apollinis irati illius, ad quem Chryses „τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι" est precatus, quae etiam a Penelope ad Ulixem dici potuissent verba. Quicquid id est, hac de re disputantibus non est neglegenda vis verbi ὀδύσσασθαι, quod solorum *deorum* est in lingua epica, excepto uno illo Odysseae loco, ubi Ulixis nomen inde repetitur (τ 407—409).

1) De his cf. praesertim vWilamowitz Hom. Unters. 112 sqq. Seeck Quellen d. Od. 267 sqq. Roscher Selene 140—143.

2) Sic Alcidamas apud Aristot. Rhet. III 3 § 4.

3) Cf. quae hac de re disputavimus in volumine priore, pag. 374 sq., 380 sq., 384.

Digitized by Google

Uberrima sic affluebat materies. Procorum impudentia reginam et ipsum cum ea regnum appetentium erat pingenda. Unus autem multis oppositus heros qui poterat vincere, nisi caute et per dolum eos aggrederetur, vaferrimo ingenio usus, πολύμητις πολύφρων πολύτροπος πολυμήχανος? Non palam igitur ex itinere diuturno redibit Ulixes, ut miser ille Agamemnon, qui Troia eversa in patriam redux leto inglorio est datus ab uxoris moecho, sed clam et omnibus ignotus, specie sumta minime regali, mendicus pannis squalidis vix satis tectus, qui metum vel suspicionem nulli possit movere. Cuncta sic explorare prius poterit quam uxoris procos in ipsius aedibus petulanter se gerentes adoriatur. Filii autem, per annos viginti quos pater afuit adulti, quae erunt partes? Huic quoque quae agat a poeta dabuntur, ut tali patre dignissimum se possit praestare.

Sed et errores, qui per annos complures protracti tantarum aerumnarum causa cum ipsi heroi fuerunt, tum eius uxori, maritum desideratissimum domi oppertae, largam narrandi materiem poetae praebuerunt. Quam sperneretne, ne longius ab argumento quod tractabat abriperetur cavens? Neque hoc voluit neque vero res magno spatio temporis atque locorum inter se disiunctas et nexu causali vix satis cohaerentes ita enarrando persequi ut in carminum aliquam seriem materies dilaberetur potius quam unum carmen bene compactum bene rotundum inde evaderet. Itaque artificio usus felicissimo quaecunque heros ante reditum expertus est e tempore praeterlapso in ipsum illius reditus tempus veluti transtulit, ab heroe ea enarrari fingendo. Etiam aliorum heroum reditum in patriam et ceteram sortem referendi, partim etiam ipsis auditoribus ostendendi occasionem ei praebuit iter Telemachi, quem finxit iisdem diebus, quibus ipse Ulixes Calypsus insulam post longam captivitatem reliquit, a dis in Peloponnesum esse missum ad Nestorem et Menelaum de patris fato interrogandos.

Sic νόστον Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος inde a primo carminis versu usque ad ultimum poeta Odysseae canens permulta tamen, quae cum reditu illo aut laxius aut prorsus non cohaererent, narrationi inserere potuit. Qua facultate liberrime est usus, nihilo festinantius quam poeta Iliadis ad eventum tendens, sed identidem, ut ille, rerum quas referebat decursum sistens, ut fertili ingenio

Digitized by Google

exornaret aliquod episodium, quod potuisset omittere, si ad finem propositum quam celerrime pervenire voluisset. Narravit quaecunque narrare habuit, quippe qui sciret singula grata fore aurem praebentibus, dummodo venuste narrarentur.

Aptum specimen huius artis, ut firmo sic lento gressu procedentis et quoties lubeat in itinere subsistentis, praebet carminis pars postrema. Pervenit Ulixes in suam regiam, uni Telemacho notus, quem iussit celare quis esset; ceteris est senex mendicus, cui olim melius fuerit. Iamque in ipsum megarum admissus sera vespera solus soli reginae, maritum absentem numquam non lugenti, exadversus sedet prope focum, loco honorifico. Etiamne perget uxorem suam fallere? Poteritne, etiamsi velit? Ad hospitem egenum priusquam cubitum eat lavandum Penelope iubet afferri pelluvium, ipse autem Ulixes ut anus aliqua sibi ministret petit, a iunioribus enim ancillis, quas erga senem squalidum malevolas modo expertus est, lavari non vult. Ecce autem accedit ea ipsa quam sperabat, nutrix eius grandaeva Euryclea, — — et nunc demum heros recordatur vulneris olim in femore accepti, cuius hactenus fuit immemor, tot annis interlapsis videlicet et animo adeo iam commoto. Huius igitur vulneris cicatricem ut Eurycleam celet, e foci lumine recedit; attamen statim illa, ut crura ei nudavit, signum olim sibi notissimum adspicit et adspectum agnoscit... Nunc igitur quid fiet? Anxii expectamus an futurum sit ut heros intempestive sic a nutrice agnitus, propterea quod per temporis articulum brevissimum eum defecerit cauta illa sollertia, qua unus omnium inter mortales maxime excellat, etiam ab uxore ceterisque iam agnoscatur? Consiliumne igitur quod cepit sit mutaturus, procos autem quomodo superaturus? Cuncta denique quorsum sint evasura? Et ipsa verba, quibus poeta hanc narrationis partem inclusit, exquisita arte electa ad animum audientibus commovendum multum valent; nam Penelope cum anum sic alloquitur: „*quin igitur, Euryclea, lava domini tui* ...", per temporis spatium exiguum mente supplemus „*pedes*", statim tamen ipsi nos reprehensuri, qui nihil eiusmodi a Penelope dici potuisse fuerimus obliti; et addit illa: „*aequalem*". Nutrix autem alumnum suum desideratissimum („τέκνον"), cuius imago post Penelopes verba solito etiam vividior eius menti obver-

Digitized by Google

satur, tanquam praesentem etiam prius alloquitur quam intellexit ipsum Ulixem se adspicere in patriam reversum.

Intentissimo igitur animo ex ore poetae sublegimus verba proxime sequentia: — ille vero quid? Nunc quoque interrupto narrationis decursu, lectoribus hodiernis fortasse minus probantibus, sed maxima cum voluptate eorum, qui aurem olim praebuerunt canenti, veluti otiosus subsistit, ut vulnus illud quando et quomodo Ulixes acceperit ... paucisne verbis indicet? Immo ut fuse et tam venuste quam cetera omnia enarret.

Sic igitur poeta iuvenile quoddam herois facinus carmini, quo virum maturum celebrabat, occasione oblata aptissime inseruit, ab Aristotele ob componendi eam artem merito laudatus [1]). Similibus autem artificiis effecit ut reditum Nestoris, Menelai, Agamemnonis et alia multa, praesertim ipsius Ulixis varios errores enarrare posset, ne semel quidem transgressus orbem illum sive temporis sive locorum, intra quem carminis quod pangebat argumentum contineri iubebat ars poetica.

Multa autem sua fecit e carminibus ipso antiquioribus desumta, utque inter se congruerent quae inde desumsisset plurimam dedit operam. Hac tamen a parte res ei, ut poetae Iliadis, minus feliciter cessit quam in suis ipsius inventis elaborandis. Efficere enim non potuit ut concinerent quae alia alibi alioque tempore primitus cantata sonos discrepantes praeberent cum inter se coniungerentur. Exploremus singula.

Regibus qui Troiam vastarunt *Iovem* inimicum fuisse ferebant fabulae priscae, neque nos fugit huius irae causa; nam deum Idaeum, qui urbem suam ab Achivis tutari aliquantisper frustra est conatus, hos tum, cum victores fuerunt, nihilo leniore odio persecutum esse quam ante urbem vastatam, fert ratio. Sed illum deum Achivis infestum neque Iliadis poeta agnoscere potuit [2]), neque post eum potuit poeta Odysseae. Itaque hic cum Ulixis errores enarraret, certam aliquam causam indicandam putavit, ob quam in Ulixem patriam repetentem saeviisset Iuppiter: causam autem probabilem praebuerunt boves Solis ab

1) De Aristotelis verbis disputavi Mnemos. 1906 p. 407—409.
2) Cf. voluminis prioris p. 392 sq.

Digitized by Google

herois comitibus caesi. Quam fabulam cum prisco mytho solari cohaerentem — nam per caeli templa, non in insula terrestri, solis armenta, quorum etiam in fabula quae fuit de Augia fit mentio, primitus sunt pasta, et inter *nubes* eorum insula, ut insula Aeoli ventorum arbitri, quaerenda fuit, — primusne ipse inter Ulixis errores receperit an, quod veri videtur similius, ab aliis illuc invenerit receptam, pro certo non iam potest effici. At cur etiam ante sacros illos boves mactatos Ulixi ceterisque heroibus Ζεὺς λυγρὸν ἐνὶ Φρεσὶ μήδετο νόστον, ἐπεὶ Πριάμοιο πόλιν διέπερσαν [1])? Cur Minerva iis fuit infensa? Ad has quaestiones ut posset responderi, novas causas fingi necesse fuit.

Sed et *Neptunum* Ulixi adversatum praebebant carmina vetusta. Quemnam autem — vel potius, qualem — Neptunum? Non eum quem Odysseae poeta — ut poeta Iliadis — solum habuit cognitum, *maris deum* caelibem, — aut si quis mavult, maritum Amphitrites [2]), — tridente fluctus excitantem, sed deum terrestrem vel subterraneum, *Terrae Matris maritum* [3]). Et duas huius odii causas, quarum altera alteri erat dissimillima, praebuerunt priscae fabulae. Nam Neptunus is, qui Troiae olim moenia struxit, a deo Idaeo vix seiungendus [4]), ut non minus quam ipse Iuppiter Idaeus succenseret Achivis, praesertim autem illi heroi, qui callido dolo effecisset ut urbs caperetur, res tulit. Sed is quoque Neptunus γαιήοχος, qui in Peloponneso per multas etiam hominum aetates post natam Odysseam est cultus, Ulixi inimicus necessario fuit primitus, non ei tamen Ulixi, qui *Troiam* vastavit, sed heroi — an deus lucifer nunc vocandus est potius, quoniam in ipsis harum fabularum primordiis iam versamur? — qui cum *monstris* antra inhospitalia et tenebras occidentales incolentibus pugnavit, a nullo superatus. Ipsum Cyclopem, Neptuni filium, Phorcynis — qui alter quidam Neptunus in-

---

1) Cf. γ 131 sq., 152, 160, 288, ι 38 al.

2) Sic Pindarus (Ol. VI 104) alii.

3) Id quod ipsum dei nomen Ποσι-δάων significat; cf. Mnem. 1906 p. 304 (item nunc Kretschmer Glott. I 28). Praeierat vWilamowitz „Gatte der Erdmutter" hunc deum vocando.

4) Cf. praesertim genealogia regum Troianorum Υ 215–241. Nam Erichthonius *Trois* pater idem est qui Ποσειδάων ἐνοσίχθων, et nomine magis quam ipsa re olim a *Dardani* patre Iove (Idaeo) fuit discretus.

Digitized by Google

fernus fuit olim — nepotem, hic heros mutilavit: certum igitur exinde ei stetit Neptuni dei inferni odium.

Ecce igitur dei quatuor — vel, si quis mavult, duo — Ulixi infesti: *Iuppiter Troianus* ob urbem captam, *Iuppiter Achivus* ob caesa Solis armenta, *Neptunus Troianus* ob urbem captam, *Neptunus Achivus* ob Polyphemum occaecatum. Quas fabulas poeta Odysseae ita inter se coniunxit ut Iovem patrem cum post captam Troiam [1]) tum post caesa Solis armenta [2]), Neptunum autem propter Cyclopem occaecatum [3]) sed annis aliquot intermissis in heroem saeviisse fingeret. Sic autem effecit ut heros ille, qui cum navibus duodecim in bellum esset profectus, post varios casus ὀλέσας ἅπο πάντας ἑταίρους in patriam tandem talis rediret qualem olim illuc reduxerat fabula antiquissima, cui *Sol* erat Ulixes, non miles mortalis Troiae victor, — *solus* igitur, non *littore Troiano* relicto sed *antro Calypsus* sive ipsius caliginis deae.

Et uberem materiem priscus ille mythus solaris praebuit nostro poetae, vel potius poetis antiquioribus, e quorum carminibus noster sua duxit. Sol per caliginem nocturnam ex occidentali caeli parte per septentrionalem in orientalem rediens cum itineris, quo heros per Lotophagorum [4]) Cyclopum Laestrygonum

---

1) Cf. ι 38, 67 sqq.

2) Cf. μ 405 sqq.

3) Cf. ε 282 sqq.

4) De Lotophagorum fabula disputantibus inutile est quaerere cuiusmodi nomen hodie habeat herba vel arbor, cuius floribus illi vescerentur; nulli enim mortales floribus satiati sunt unquam aut satiari potuerunt, sed pingitur gens fabulosa cibo fabuloso vescens, et conferenda sunt quae de *hortis Hesperidum* et quae de *insulis beatorum* veteres sunt fabulati. Id quoque quam maxime huc pertinet quod in fabula, quae est de raptu Proserpinae, traditum accepimus, virginem illam, cum mali punici partem *a rege mortuorum sibi praebitam* comedisset, ad vivos redire non potuisse (h. Cer. 372). Nam *a Lotophagis* — ut *a Sirenibus* — *non redire*, id est *apud mortuos manere*; Oceano, non Nilo proximam regionem Lotophagorum cogitarunt poetae quos is qui Odysseam fecit secutus est, et ipse cogitasse videtur. Optime autem concinit quod paucioribus quam vellemus verbis traditum accepimus apud Stephanum Byzantium (s. v. Γέρμαρα), Lotophagos per alteram anni partem somno indulsisse (id quod de gente ad septentrionem habitanti rettulit Herodotus IV 25); nam similis est sors *Proserpinae* per tertiam anni partem in Ditis aedibus latitantis (h. Cer. 446 sq.). Etiam *Cimmeriorum* mentionem nunc fieri oportet, et faciunt huc quae de *Circes* venenis magicis narrantur. Quod autem ἄνθινον εἶδαρ ἔδειν sive *florum suco vesci* Lotophagi dicuntur, *ut apes*, quis non recordatur τοῦ λειμῶνος, per quem αἱ

Digitized by Google

regiones inhospitales usque ad Circes insulam vectus est, argumentum praebuit, tum itineris quo e sedibus mortuorum in ultimi occidentis tenebris latitantium ad Circen rediit. Quae itinera ut in Odysseam recipi possent ambo, poeta noster finxit heroem bis ad Circes insulam pervenisse. Haud sane admodum probabiliter; nam Circe dea, quae ventum secundum, perinde atque Calypso, ei praebuit, poterat etiam in patriam eum mittere actutum, si vellet, neque necessarium fuit eum prius in sedes umbrarum proficisci, ubi disceret quomodo domum redire et Neptunum exorare posset. Et aliquam quidem probabilitatis speciem narratis poeta addidit vaticinio Tiresiae inserto, quod vaticinium Circae ignotum fuisse fingere ei licebat, sed posteriorem herois vitam id spectat et de felici huius vitae exitu certiores nos facit, non supervacuum quidem, alienum tamen ab orbe rerum in ipsa Odyssea tractatarum, ita ut acrius intuentibus luculenter appareat poetam diversa in unum coegisse.

Sed et tertium Ulixis iter praebuit mythus solaris. Nam sol caligine relicta sedes lucis recuperans factus est heros, quem alto somno sopitum et veluti mortuum Phaeaces sive Furvi mortuorum portitores noctu reduxerunt in patriam. Poeta cum Ulixem exhibet ex antro Phorcynis emergentem, ubi a Phaeacibus collocatum eum narravit, in novam formam effingit — aut ab aliis effictam refert — materiem, qua tum quoque est usus cum ex antro Cyclopis et ex antro Calypsus redeuntem eum ostendit, ut de aliis fabulis, quae item huius sunt argumenti, nunc taceamus; nam solem terris redditum haec omnia significarunt primitus, sive quotidianus solis ortus cogitabatur, sive sol novi anni initio post torporem brumalem veluti reviviscens.

Quartum denique et quintum Ulixis itinera hic mythus praebuit. Nam sol deus postquam abiit in heroem Achivum, aut *in patriam suam rediisse* hic heros poterat dici, sic autem non

---

ψυχαί volitare dicuntur (cf. λ 539 μ 45 al.), et ipsius vocis ψυχῆς *papiliones* postea certe significantis, ita ut *bestiolae floribus vescentes* et *umbrae defunctorum* eodem nomine designatae fuerint. Denique recordemur nunc oportet artae necessitudinis quae fuit inter notiones *mellis* et *ambrosiae*. Quae cum ita sint, nihil obstare videtur quominus poetae, qui Lotophagos cecinerunt, herbam illam vulgarem cogitaverint, cuius mentio fit δ 603 alibi, fragrantissimam et apibus dilectam.

Digitized by Google

in oriente sed in ipsorum Achivorum regione illa patria erat quaerenda, nata igitur est ea fabula, quam poeta Odysseae celebravit, de rege Ithacae capta Troia ad Penelopen reverso; — aut, neglecta notione *patriae*, servata vero quam mythus solaris praebebat notione *orientis*, heros fiebat iuvenis longinquas regiones appetens, ubi famam opes amorem inveniret. Huiuscemodi fabulae fuerunt de Iasone et de Achille, et similis aliquando fabula facta est de Ulixe, cuius echo quaedam, saepius quidem fracta et repercussa, talis tamen ut ipsa vox in imagine etiam agnoscatur, ibi percipitur ubi commemoratur *Persepolis* filius *Telemachi* e *Nausicaa* natus; nam collatis quae alibi de *Ulixis* e *Penelope* filio *Ptoliportho* sunt tradita [1]), apparet „Telemachum" sive „*eminus* (non: *in regione longinqua*) *pugnantem*", ut „Ptoliporthum" sive „Persepolin", i. e. „*Troiae expugnatorem*", ipsius herois epitheton fuisse primitus: heroem suum ipsius filium et nepotem — ut ita loquamur — in fabulis sensim esse factum; *ὁ μὲν πολύτλας τὸν τηλέμαχον ἐγέννησεν, οὗτος δὲ τὸν πτολίπορθον ἢ περτέπολιν.*

Odysseae autem poeta suos in usus etiam hanc, quam diximus, de Ulixe orientem adeunti fabulam convertere voluit. At quomodo poterat? Quomodo coniungere et inter se conciliare diversissima? Quomodo heroem, quem in patriam et ad uxorem reversum celebrabat, etiam patria relicta in longinquo oriente uxorem invenisse poterat perhibere?

Ita enuntiata haec adeo inter se discrepant ut ridiculus videatur qui in unum carmen coniungere ea velit. Et tamen iunxit poeta noster. Quod autem iunxit, non potest non improbare qui totius carminis structuram mente complectitur; eam vero carminis partem solam considerantibus, quam peperit carmen antiquius de heroe in regione longinqua matrimonium ineunti compositum, maxima laude dignus et prorsus admirabilis videtur poeta, qui fabulam tam venustam tanta arte enarraverit et pro re mutatam carmini suo tam concinne adaptarit ut non nimis acriter intuentibus ex ipso huius carminis argumento prognata videri posset. Felici huic audaciae poetae incongrua componentis, orientem occidenti, vivos mortuis com-

1) Cf. pag. 28, 2.

Digitized by Google

miscentis et ipsum temporis decursum veluti retroflectentis, — iuvenem enim e viro maturiore heroem ante nostros oculos videmus fieri, — debemus Alcinoi aedes splendore orientali coruscas, debemus Phaeacum ex umbrarum tristibus portitoribus in Scheriae incolas beatissimos mutatorum epulas et ludos, debemus Nausicaam illam, quam quis non didicit diligere, quis non per totam vitam recordatus est, cui contigisset cognoscere suavissimum Odysseae episodium, quod est de Ulixe in Scheriae insulae littore virgini regiae primum obviam facto. Placuit id nobis pueris, placet adultis, ut plurimis olim placuit hominum aetatibus, tempori autem iudici omnium longe incorruptissimo probatum a nobis sero natis lectoribus etiam laudari minime est opus. Ut tamen prorsus placere possit, qualem exitum sit habiturum non rogemus necesse est, sed contextu neglecto ita legamus ut Iliadis eas partes, quae habent Glauci cum Diomede colloquium vel certamen Aiacis cum Hectore. Nam puellae formosissimae imago postquam tam splendidis coloribus ad vitam est depicta ut ante ipsos oculos versari nobis videatur, postquam vidimus ludentem et audivimus lepide atque ingenue multa cum parentibus, cum sodalibus, cum ipso heroe confabulatam, ad carminis cursum promovendum haec regum dis carorum filia decora nihil habet quod agat nisi ... ut heroi naufrago praebeat vestimentorum olei cibi aliquid et ad patris aedes viam indicet, quam primus quisque puerulus ei monstraturus erat et revera mox monstravit dea Minerva. Haec etiam sine virginis regiae ope alumnum suum ad Alcinoi urbem deducere poterat et vires interim ei sustentare, — si poetae id libuisset. Ne iumenta quidem Nausicaae Ulixi quicquam profuerunt, non enim plostro vectus est in urbem, sed pedibus illuc iter fecit. *Inutilis* igitur in Odyssea est Nausicaa; poetae non profuit puella, quamvis pulcra et amabilis, carmen ad eventum deducenti, nedum necessaria ei fuerit.

— „Iniqua haec: poeta sic extollere voluit herois constantiam, „qui cum regis ditissimi ipsisque dis cognati filiam formosissi„mam in matrimonium posset accipere, patriam et uxorem repe„tere maluerit."

Aliquid sane dicit qui sic loquitur, et cum heroem oculis Nausicaae intuiti „caelitibus similem" vocamus, beatam simul

Digitized by Google

praedicamus Penelopen illam, ad quam talis maritus mox sit rediturus. Cum tamen reputamus a deabus Circe et Calypso eundem esse amatum, anticlimacem potius efficere videntur Nausicaae et Alcinoi verba hospitem laudibus extollentium, neque admodum magnum videntur spretae nuptiae opesque regales, postquam Calypsus amorem et ipsam immortalitatem heros sprevit ut ad Penelopen posset reverti [1]). Haec igitur causa poetam non potuit permovere ut Nausicaam in carmen suum reciperet.

Si vero nullo alio consilio illuc eam recepisset nisi ut Ulixes eius ope in aedes Alcinoi introduceretur, paucioribus verbis usus haec sola cecinisset: „Ulixi in sinu placido e mari „egresso occurrit puella, quae fontem vicinum adibat, unde ci„ves aquam petebant; erat haec regis filia, quae interrogata „quis in illa regione regnaret patris aedes ei significavit. Has „ingressus heros invenit reginam, quae maritum suum advocavit." Sic ipse Ulixes [2]) narravit quomodo filia regis obviam sit facta — non ipsi quidem, sed eius legatis, neque in insula Phaeacum, sed in gigantum ferorum illa regione, ubi Phaeaces antea vixissent [3]). Antiphates, non Alcinous, regi iam est nomen, et aliter illic atque Scheriae heros est acceptus: solum tamen caput rei si spectamus, simillimum utraque narratio habet initium.

At solvamus contextum, ex Odyssea episodium quod est de Nausicaa eximamus, et fingamus nos nescire quis sit heros ille, qui alto somno sopitus inter virgulta littoralia iaceat quaeve sors eum maneat: — quam venusta, quam lepida fiunt subito quaecunque modo videbantur supervacua! Quanta singulis verbis iam accedit vis!

„Dormiebat virgo" — sic poeta post breve silentium denuo infit — „in regia patris Alcinoi." Dein virginis huius stirpem et ipsius gentis originem fuse exponit [4]). Expectamus rerum mox enarrandarum magnam partem fore puellam, in cuius origine celebranda poeta tam multus sit.

Minerva dea adit lectum puellae in aedium paternarum pene-

1) Cf. ε 206—220.
2) Cf. κ 87—115.
3) Cf. ζ 4—6 ν 58—60.
4) Ad quam rem etiam rediit ν l.l.

Digitized by Google

tralibus dormientis et specie sumta mortali „surge" ait „Nau-„sicaa: littus pete ad vestimenta lavanda; non enim procul etiam „abest dies tuarum nuptiarum" [1]). Sunt autem vana somnia plurima, sed carminis materiem ea sola praebere possunt, quae ad carminis argumentum aliqua ratione pertineant; cetera a contextu arcenda sunt potius, ne inepta molitus poeta videatur. Sentimus igitur, nisi virgo a Minerva misere decipiatur, ut olim Agamemnon a Iove est deceptus Troiae excidium ei per somnum promittenti, revera mox adfore qui Alcinoi filiam uxorem ducat.

In littus abitura Nausicaa plostrum a patre petit, sed causam fictam interserit, de somnio et de matrimonio tacens pudibunda; quod autem tacet, penitus in animum suum verba per somnum audita penetrasse innocenter testatur.

Iamque in maris oram pervenit et officiis domesticis perfuncta capite nudo prope fontem ludit cum ancillis, Dianae forma haud cedens, — et experrectus eam cernit heros. Emergit hic ex silvae umbra, ferae quam homini similior, capillis horridis et spuma obsitus marina, multis etiam foliis aridis adhaerentibus e strue, qua a frigore nocturno se protexit. Adit virginem et deamne an mulierem mortalem videat ambigens: „si mortalis es," exclamat, „bis terque beatus est is qui uxorem te sit duc-„turus, tibi autem utinam obtingat vir te dignus!"

Diffugiunt ministrae, adspectu insolito perterritae, nam non facile in beatam illam insulam pervenitur; at ipsa regis filia supplicem nihil reformidans comiter accipit, bono animo esse iubet, vestimenta et oleum ad corpus inunguendum ei praebet. Qui postquam sordibus purgatus et veste honesta indutus ad eam rediit, talis ei apparet qualem maritum mente sibi fingere vix unquam fuit ausa. Deus iam ei videtur, non homo: e naufrago squalido et aerumnis fracto veluti miraculo aliquo factus est iuvenis decorus, cui flava coma inaurat tempora [2]), — ut

---

1) Sic etiam ad *Io* virginem regiam in somno dictum est: „surge et exi ex aedibus paternis: non diu etiam virgo manebis," — deus enim cum ea erat congressurus (Aesch. Prom. 645—654).

2) Cf. ζ 231 sq. et ν 399, 431. *Hyacinthum* igitur a poeta non *nigrum* sed *flavum* aliquem florem dici apparet. *Nigri* sunt capilli herois, quem cecinit poeta Odysseae (π 175 sq.), sed *flavos* ei tribuit Minerva quamdiu Scheriae est commoratus, et olim

Digitized by Google

Iasoni [1]) vel Theseo [2]) vel Achilli [3]), — fulgent oculi, florida est facies, brachia valida, latum pectus. Tum pari admiratione virgo abrepta „o talis vir utinam in matrimonium me sit petiturus!" exclamat [4]), secum collocuta et solis ancillis audientibus.

At puella casta et modesta quo magis admiratur virum, quem coniugem suum fore sperat et animo praesagit, eo anxius admirationem et amorem nascentem celans comitante illo in urbem redire non vult: „virginem non decet insciis parentibus cum „viris prius versari quam in matrimonium palam petatur." Senem decrepitum plostro devectura erat, iuvenem robustum aliquantisper expectare iubet, donec ipsa abierit, dein peditem urbem adire, ne forte cives citius aequo veri quid suspicati verbis malignis ambos carpere possint: „undenam istum advenam „Nausicaa petivit? Procumne e littore sibi sublegit? Nostrine „igitur iuvenes ei sordent omnes?" — Iuvenis hic, qui casu felici vel ipso numine duce Scheriam delatus est, Nausicaae parentes prius adeat oportet quam coram civibus cum ipsa confabuletur, ut rite et decore fiant omnia.

Pervenit heros quo fata vocabant et a regina ipsoque rege benevolentissime acceptus sedet in regiae megaro prope focum, hospes honoratus: „utinam gener meus fieri velis! Libentissime „tibi filiam meam uxorem tribuam" ait Alcinous.

Quorsum tendunt haec omnia? Nonne eo quo ipsa natura tendere iussit iuvenes floridos et puellas formosas, — in amorem et matrimonium? [5]). Ipsa dea in unum locum deduxit iuvenem

---

heroi iuveni tribuerat prisca fabula, quam poeta noster in suos usus convertit. Unde efficitur spurios esse ψ 158 et vicinos, quos versui 156 adiungi grammatica ne sinit quidem.

1) Cf. Pind. Pyth. IV 145 sq.

2) Cf. Bacchyl. XVIII 51.

3) Cf. A 197.

4) Etiam apertius apud Alcmanem fr. 23: „o Iuppiter, utinam *hic* mihi obtingat maritus."

5) Ante me hoc dixit Müllenhoff, cuius verba cum referret Seeck Quellen d. Od. 302, negavit extitisse umquam fabulam in qua Nausicaa obtineret locum Calypsus vel Circes. Et optimo sane iure id negavit, veri tamen non nisi alteram partem indicans; non enim *Calypsus* vel *Circes*, sed *Penelopes* locum Nausicaa olim obtinuisse dicenda est, vel potius: carmini quod Penelopen nullam nosset primitus fuisse propria. Cuius mythi vetusti echo quaedam quamvis tenuis percipitur η 225, ubi Ulixem „sola bona et ministros" desiderantem ita post alios carpsit Kirchhoff: „meinem Gefühle

Digitized by Google

cui favet et virginem quam ei destinavit coniugem. Alteri Iasoni altera Medea obviam est facta [1]) et coram marito futuro capitis velamentum posuit; perplacet iuveni, ille virgini et huius parentibus: proximas expectamus nuptias laetosque hymenaeos. Quae nuptiae etiamnunc nobis veluti eminus ostentantur, cum Ulixes Nausithoum quendam — nomen Phaeacium — genuisse fertur, vel cum Nausicaae filius Persepolis et Ulixis filius Ptoliporthus commemorantur: varie videlicet inter se iuncta sunt nomina quae prisci mythi praebebant propria [2]). Praeterea solis nominibus discrepat fabula quae fuit de Ulixe in *Thesprotia Callidicen* puellam regiam uxorem ducenti et *Euryalum* — item nomen Phaeacium! — ex ea gignenti [3]); clara denique luce iam illustratur fabula parallela, — non enim de Ulixe sed de Iasone narratur, — qua usus Apollonius Rhodius heroem, qui orientem longinquum petivisset, nuptias cum Medea solis nepte *apud Alcinoum et Areten* inire fecit [4]).

Sed Odysseae poeta puellam, cuius imaginem cura sollicita et velut ipse amore correptus exornavit, heroi suo uxorem dare non potuit, quippe cui uxor esset iamdudum, ad quam mox ipse eum reducturus esset. Itaque ab Alcinoo haec verba addi fecit: „si tamen ad tuos redire mavis, per me id licet," dein reditum ei parari. Quae autem proximo die Alcinous instituit certamina iuvenum, in prisca quidem fabula fuerunt utilissima et vere necessaria, cunctis enim aemulis superatis heros peregrinus dignum se praestitit qui regis fieret gener [5]), non *sagit-*

„nach würde er richtiger ... an Weib und Kind gedacht haben," — non sane immerito, nisi non maritum Penelopes et patrem Telemachi cogitamus, sed heroem iuvenem, cui nondum sit uxor.

1) In annotatione certe indicatus esto *aries*, quem item Odyssea cum Argonautarum fabula habet communem: aries Ulixem e caverna monstri hominibus infesti evexit in lucem, aries Phrixum tulit in lucis regionem orientalem, in regnum fratris Circes.

2) Cf. Hes. Theog. in fine et fr. 17, Suid. s. v. Ἀνδοκίδης, Aristoteles apud Eust. 1796, 39 sqq.

3) Cf. pag. 44, 6. Euryalum quendam principem Scherium Ulixis aemulum ex Odyssea optime novimus.

4) Cf. Ap. Rh. IV 982—1167 et infra pag. 46, 2.

5) Huius rei indicium manifestum praebet Odyssea θ 22b sq.; qui versus in huius carminis contextu molesti sunt, certe miros nos habent, quoniam non „multis certaminibus" sed uno disci iactu Ulixes vicit:

(Minerva Ulixem) μακρότερον καὶ πάσσονα θῆκε τιδέσθαι,

Digitized by Google

tandi quidem specimine edito, quale fuit illud quo Ulixes noster Penelopen denuo suam fecit, sed *disco* viribus maioribus quam sunt mortalium iacto, telo igitur eo *Solis dei* usus, quo interemtus olim est *Hyacinthus*. Dein institutae sunt epulae opulentae, et cantore accinente nuptiae rite celebratae sunt laeta saltatione [1]). Sed a nostro poeta immutari haec omnia — quoniam omittere noluit — necesse fuit. Finxit igitur certamina non ad explorandam hospitis virtutem sed in eius honorem esse habita, cuiusmodi nihil aliud habent veterum carmina. Certamina habebantur in *funeribus* ad honorandum principem vita functum, etiam inter *procos* haud raro vel potius semper habebantur, nam aut opibus patri puellae optatae oblatis hi certabant, ut in ipsa vita, aut pedibus manibusque, ut in fabulis multis, et sic in ipsa Odyssea inter Penelopes procos *arcus certamen* instituitur, olim autem Ulixi, cum *cursu* vicisset, Penelopen virtutis praemium ab Icario in matrimonium esse datam prisca fama fuit [2]); sed *animi* tantum *causa* certamina inita a priscis moribus et a prisca arte fuerunt aliena [3]). Honor autem haud magnopere appetendus in Odyssea sic fit heroi, cui succenseant et maledicant competitores! Etiam lautas epulas civibus ab Alcinoo sine iusta causa strui Odysseae poeta finxit, et hymnum Martis et Veneris non ad nuptias celebrandas sed ad delectandum tantum hospitem a Demodoco cantari, iuvenibus selectis interim saltationem artificiosam rite peragentibus, similem ei qua in aedibus Menelai celebratae sunt nuptiae eius liberorum [4]), similem ei qua *ἱερὸς γάμος* deae Ariadnae sive sanctissimae (Ἐρι-άγνης) Cnosi olim

---

ὣς κεν Φαιήκεσσι φίλος πάντεσσι γένοιτο
δεινός τ' αἰδοῖός τε καὶ ἐκτελέσειεν ἀέθλους
πολλούς, τοὺς Φαίηκες ἐπειρήσαντ' Ὀδυσῆος.

1) Miri igitur videri nequeunt *Phaeaces saltantes* et *Demodocus cantans* exculpti in throno *dei Amyclaei* (cf. Pausan. III 18 § 7), qui deus prope *sepulcrum Hyacinthi* pie colebatur. Nam in honorem nuptiarum a deo Amyclaeo initarum haec saltatio primitus fuit celebrata.

2) Etiam labores difficillimi, qui Bellerophonti, Iasoni, Herculi, Theseo mandati sunt, nunc sunt commemorandi; nam ἄεθλοι et hi fuerunt, licet non ad puellam aliquam in matrimonium accipiendam inirentur.

3) Non huc facere Δ 389, ubi non de hospite neque de ludis, sed de peregrino cives audacter in certamen provocante fit sermo (cf. E 807), id hic dici vix est opus.

4) Cf. δ 17—19.

Digitized by Google

celebratus fuit in orchestra splendide ornata [1]). Dein heros reliquit Nausicaam, ut Circen et Calypso reliquerat, et ad Penelopen suam rediit. Vana fuit „nuptiarum" illa vox in Scheriae littore et in ipsa Alcinoi regia identidem audita [2]).

Carminis fontes qui dici solent inventu sunt difficillimi; verum autem fontem poesis nulla habet nisi in ipso ingenio poetae, et materie congesta aliter Musa poetam epicum uti iubet, aliter historiarum scriptorem. Huic verum anquirere, repertum fideliter servare, ne fictis adulteretur sancte cavere maximum est studium et officium, quae testes locupletes praebuerint apte iunxisse, lucide exposuisse, gravi sermone enarrasse summa laus; poetis vero aliae artis leges sunt scriptae: non vera sed pulcra ab iis expectantur, neque quanta iis sit fides quaeritur sed quantum et quale ingenium. Itaque inepte agat qui de Iliadis vel de Odysseae fontibus simili ratione velit disputare atque de fontibus Thucydidis vel Diodori. Id quoque ineptum fere videtur, signis et litteris indicare velle quomodo e variis „fontibus" — ut nos quoque hoc vocabulo ambiguo et fallaci utamur — ducta fuerint quae poetae nostro praebuerint Odysseae argumentum et materiem. Fortasse tamen quae modo disputavimus quadamtenus poterunt illustrari diagrammate quod subiuncturi sumus; periculum certe videtur faciendum an fabularum aliquod stemma, quod non nimis sit absurdum, possit cŏmponi:

---

1) Cf. Σ 591 sq.

2) Itaque eam opinionem, quam protulit Seeck (Quellen d. Od. 369): „priscum carmen, quod erat de *arcus* certamine, nihil habuisse de Ulixe regionem Phaeacum visenti, sed poetae qui heroem procos *hasta* adortum cecinerit hanc Odysseae partem deberi," ita mutatam nostram facimus, ut statuamus eum poetam, qui sagittario non solum arcum et sagittas sed etiam hastam et ensem et socios tribuit propterea, quod ad adversarios plus centum confodiendos pharetra herois mortalis non haberet tela satis multa (cf. χ 116—121), — *Odysseae poetam* dicimus, — in orbem carminis de Ulixis Reditu compositi etiam Nausicaam recepisse primum.

Digitized by Google



Ulixes cum Troia capta *Ithacam* reverteretur, tempestate procul e cursu quem tenebat eiectus in marium longinquorum oris visit *Lotophagos*, *Cyclopes*, *Laestrygones*, *Circen*. Ab hac iussus adiit *sedes mortuorum*; dein, postquam varia pericula vix vita salva effugit, solus et naufragus delatus est in insulam *Calypsus*. Inde post longum temporis spatium patriam repetiit rate vectus, qua procellae vi disiecta naufragus denuo excidit in littore *Scheriae* insulae orientalis, ubi a filia regis et huius parentibus benevolentissime est acceptus. Hinc a *Phaeacibus* in Ithacae cavernam *Phorcyni* sacram reductus mox procos *Penelopen* uxorem in matrimonium sibi poscentes sagittis interfecit.

Digitized by Google

A brevi hoc conspectu absunt nonnulla, quae laxius cum argumento cohaerentia a poeta sunt inserta. Omisimus igitur *iter Telemachi* et omnino de Telemacho patris adiutore tacuimus [1]), nec non de *Eumaeo*. Neque *Aeoli, Planctarum, Scyllae et Charybdis, Sirenum* nomina recepimus. Neque conati sumus lineamentis aliquibus indicare quomodo sit factum ut *boves solis* necati esse dicerentur a comitibus herois, qui ipse pridem sol fuisset [2]).

Ad *Circen* quod attinet, ea quam Odysseae poeta celebravit, vivit in insula ortui Solis et Aurorae sedibus proxima, ipsius Solis filia. Aedes tamen, quam habitat in nemoris penetralibus, caverna primitus fuisse videtur, a Calypsus caverna nomine magis quam re distincta, in ultimo igitur occidente potius quaerenda, ita ut ipsa Circe Calypso altera vocari possit. Utraque fuit *αὐδήεσσα* sive *canora, ἀοιδιάουσ' ὀπὶ καλῇ* [3]), perinde atque *Sirenes* sive mortuorum numina; utriusque potestati — ut rerum varie enarratarum caput paucis verbis indicemus — Ulixem eripuit Mercurius *ψυχοπομπός*.

Similem molestiam habent nomina *Phaeacum* et *Scheriae*. Nam Phaeaces, mortuorum portitores, nisi in caligine occidentali vel septentrionali, ubi etiam Cyclopibus et Gigantibus et Laestrygonibus suus est locus, habitare non potuerunt; Scheriam autem insulam beatam poeta collocavit in orbis terrarum parte illa, laetae spei plena, unde lux et ipsa vita mortalibus venit quotidie: et tamen Phaeaces Scheriae habitare fecit! „E Gigantum et Cyclopum videlicet regione Scheriam eos migrasse" finxit [4]),

---

1) Cauer Grundfr.[2] 475 statuit inter carmina vetusta, quae Odysseae poetae essent cognita, unum aliquod fuisse quo celebraretur vir post annos viginti, cum filius adolevisset, eo ipso die quo uxor novas nuptias initura esset ad eam reversus (cf. *σ* 267—271), illum autem virum non Ulixem fuisse neque uxoris procos dein interfecisse; cuius fabulae argumentum a poeta nostro receptum esse in suum de Ulixis Reditu carmen. Credibilia haec neque veris dissimilia; fortasse tamen sola ratio chronologica illa, quam supra (pag. 16) indicavimus, poetae praebuit personam Telemachi.

2) Fabulae quae sequuntur videntur confluxisse: 1) sacra armenta caeduntur a naufragis, 2) Solis armenta in insula remota pascuntur, 3) Solis armenta caeduntur a furibus (= armenta Ulixis a procis caesa). Hae inter se coniunctae praebuerunt armenta Solis a comitibus herois, qui Sol fuisset olim, occisa in insula remota, cum illuc procella delati essent.

3) Cf. *ε* 61 *κ* 227, 254.

4) Cf. *ζ* 4—8 *η* 56—66. — Sic poeta Iliadis, ut Diomedem heroem Aetolum in

Digitized by Google

audacter sic diversissima in unum confundens. Nam heros *iuvenis caelebs*, qui visit *Solis filiam* et insulam in qua *Solis armenta* pascebantur, tandem pervenit in insulam gentis dis proximae et beatissime viventis, ubi regis filiam uxorem duxit; qui vero ex ultimo occidente et ipsa mortis caligine *ad uxorem* textricem *rediit* heros sagittarius, is postquam visit regna furvae Proserpinae, a *Phaeacibus* reductus est *in patriam*.

Insignem autem locum — ipsa enim victoria heroi ibi paratur — in nostro carmine obtinent quae de arcus certamine narrantur. Nusquam autem clarius apparet poetam suis inventis non sua intermiscuisse, nusquam clarius apparet quibus finibus circumscripta fuerit poetarum epicorum libertas. Suo nimirum carmini poeta Odysseae adaptavit quae adeo nota praeberent carmina antiquiora ut audientibus haud invitis ab ipso omitti non possent. „Sagittis heros adversarios peremerat": e mytho solari hoc desumtum — nam in sagittis quis non agnoscit solis radios? [1]) — penitus increverat fabulae et a poetis servari necesse fuit. Ergo operam dedit poeta noster ut heroi suo, qui ante Troiam hasta et gladio, ut reges ceteri fere omnes, pugnasset armatus, non veles sagittarius [2]), praeberet arcum eumque haud vulgarem. Apollo igitur Euryto Herculis aequali arcum olim dederat, ut Pandaro et Teucro, moriens autem Eurytus illum arcum reliquerat Iphito filio, hic Ulixi dono dederat; et sic Ulixes, postquam heros mortalis factus est, recuperavit arcum caelestem, quem suo iure olim tenuerat, cum deus esset lucifer. Iamque Apollinis illo arcu usurus est ad inimicos die festo Apollinis confodiendos.

Hactenus apta et veri similia sunt omnia. Felicissimo dein

Peloponneso collocare posset, eius patrem Tydeum illuc migrasse aut ipse finxit aut post alios narravit Ξ 119.

1) Eadem notio subest fabulae quae est de Polyphemo ignea teli cuspide ab Ulixe caecato. Etiam sagitta qua Apollo Cyclopes fulminis ministros peremit hic est commemoranda, nec non Hercules Regem caliginis (Ε 395 sqq.) vel Gigantes (Eur. Herc. 177 sqq. al.) sagittis feriens.

2) Ulixes ὁ δουρὶ κλυτὸς cum ad expeditionem nocturnam proficiscens arcum requireret, ut Troianos circa ignes excubantes eminus petere posset, ipse in caligine latitans, a Merione sibi petivit, ipsi enim nullus erat (cf. Κ 260).

Digitized by Google

invento poeta effecit ut arcus ille pretiosissimus, quem Ulixes tum, cum in bellum proficisceretur, domi reliquisset, eo ipso tempore quo heroi opus esset ex thesauro, ubi cum ceteris regis absentis opibus asservaretur, expromptus perveniret in manus senis mendici, quem omnes putabant. Quam carminis partem praestantissimam et cuivis notissimam a nobis nunc enarrari minime est opus. Suus hic est poeta et egregia arte ita ministravit singula ut ad finem optatum tenderent. Una tamen res miros nos habet, quam non ab ipso poeta excogitatam sed — quod iam diximus — e fabula antiquiore repetitam sentimus. Hanc iam indicaturi sumus.

Unum igitur, quo reditum ad patrem Icarium et novas nuptias etiam differret, regina misera, quam urgent omnes, hoc invenit ut procis superbis et molestis proponat arcus certamen, quippe quae speret atque confidat inter eos nullum esse qui pristinum suum maritum arte iaculandi aequare possit. Sed artis sagittariae specimen illud, quod Penelope a procis poposcit, a poeta eiusmodi verbis describitur ut claram rei imaginem huius menti non esse obversatam appareat. *Roboris* periculum significant verba „ὃς ῥηΐτατα [1]) ἐντανύσῃ", et mox procos frustra desudantes videbimus, dum arcum ingentem intendere frustra conantur; sic rex Scytharum is olim est factus, qui ad Herculis patris arcum intendendum satis se valere probavit [2]), et Cambysae postea rex Aethiopum misit arcum, quem si posset intenderet [3]). Itaque verba „διοϊστεύειν σιδήρου" [4]) quivis ita intellegat ut Ulixes per ferreas aliquot laminas sagittam adigere dicatur fuisse solitus, et verba „πελέκεων οὐκ ἤμβροτε [5]) πάντων

1) *Multi* quoniam rei periculum sunt facturi, sic indicatur quem regina ceteris sit praelatura. Sed quis facilius, quis difficilius arcum intenderet, quomodo poterat dignosci? Sequens autem verbum διοϊστεύειν eiusmodi additamento caret et carere debuit necessario. Arcum intendere aut potest quis aut nequit, dein si intenderit, sagittam per secures aut recte traicit aut impingit; sed comparationem haec vix admittunt. — Quod vero regina non addit quid sit futurum si plures iussum perficiant, id minus est molestum; nam *nullum* e procis victorem fore illa sperat et tantum non certo scit, nullum enim inter eos esse qui marito suo possit aequiparari.

2) Cf. Herodot. IV 9 sq.

3) Cf. ibidem III 21 sq.

4) Sic constanter: τ 587 φ (3, 61, 81), 97, 114, 127, 328 ω (168), 177.

5) Cf. φ 421. Est οὐχ ἁμαρτεῖν id quod τυχεῖν sive *assequi*, *ferire* igitur, non *vitare*.

Digitized by Google

πρώτης στειλειῆς" [1]) vertat: *cunctarum securium summa capita Ulixes perforavit*, neque aliter ea verba interpretari sinere videtur ipsa lingua [2]). Sed id si voluit poeta, procis propositum est certamen quod victoriae spem nullam haberet; non enim humanarum est virium, uno ictu perforare secures duodecim, sed divinarum [3]). Et *deus* Ulixes fuit primitus, *securium* autem mentio quin ad dei caelestis cultum antiquissimum sit referenda non videtur dubium; qui cultus his praesertim annis ex aedium vetustissimarum ruderibus in Creta effossis melius quam antea innotuit, et recordamur quam multus sit ipse noster poeta in Creta commemoranda [4]). Videtur igitur solis radios fulminum et nubium victores primitus significasse prisca fabula, et duodecim secures propterea commemorari quod duodecim sint anni menses; sed nihil eiusmodi cogitasse poetam Odysseae, id addi vix est opus, negari autem nequit obscurius enarrata esse quae ad certamen illud pertineant. Nempe e carmine, quod erat de Ulixis reditu, omitti non potuit sagittandi certamen vel iactus per secures, in antiquioribus enim carminibus haec per multas hominum aetates tradita omnibus innotuerant; itaque poeta noster, qui sagittandi neque curiosus fuit neque peritus, et auditoribus cecinit illam venatorum artem aspernatis, — inter milites enim arcus non iam in honore erat [5]), — prisco hoc mytho ita fere ut aliquot saeculis postea Euripides duplicibus Dionysi natalibus aliisque priscis fabulis θεκὼν ἀθέκοντί γε θυμῷ est usus, carmini igitur, quod erat de rege mortali, adaptare

---

1) Quoniam στειλειόν ε 236 est *securis manubrium*, ratio fert ut στειλειή — quam *ferri* partem esse contextus docet, nam „διὰ σιδήρου" iactus fieri debet, — sit *fistula ferrea* inter bipennis alas media, cui manubrium sit insertum.

2) Ingeniosissimum interpretandi conamen mecum communicavit Naber vir doctus, Naberi τοῦ πάνυ filius: deorsum necessario vergere tela quaelibet, gravitate pressa, sed quanto maior iis sit celeritas, tanto tardius superiorem fieri vim gravitatis; itaque si modo celeritas sagittae sit multo maior quam viribus humanis ei possit tribui, fieri posse ut vel per seriem rectam foraminum exiguorum acta non impingat, sed per cuncta transvolet. — Utinam credere possem poetam nostrum id ipsum et voluisse et dixisse! Hoc fortasse possum, eiusmodi quid voluisse antiquiorem illum poetam, quem noster in hac narrationis parte est secutus.

3) Heroem solarem arcu ingenti sagittam *per aliquot arbores* transmittentem benevole e fabulis Indicis mihi indicat Speyer collega optimus.

4) Cf. infra pag. 44.

5) Satis nunc est indicasse vilipendentis illud „τοξότα λωβητήρ" Λ 385.

Digitized by Google

frustra conatus quae de deo olim cantata fuissent credibilia, quoniam τὰ ἀδύνατα παρ' ἀνθρώποις δυνατὰ παρὰ θεῷ. Egregie sane pinxit procos arcum ingentem frustra diu tractantes, dein ira et pudore suffusos, cum nimis clare apparuisset certamini impares esse. Contemtus autem ille erro cum nervum sine ullo labore et veluti ludens intendit, ut qui citharae verticillo fidem iniciunt, et nos afficimur gaudio illo dulcissimo, quod olim pertentavit animos eorum qui carmen immortale ex ipsius poetae labris exceperunt primi. Nervus digito herois sollicitatus resonat: audimus sonum voci hirundinis similem, victoriae praesagum, et quanta arcus sit vis sonus ille stridulus clare nobis dicit. Dein is, quem nequam senem omnes hactenus duxerunt, sumit sagittam et scopum petit, sic temere, ne assurgens quidem e sedili. Cernimus ea omnia: — at ut etiam id quod deinde factum est cerneremus poeta efficere non potuit, quippe qui ne ipse quidem mentis oculis id satis clarum viderit.

Subsimile quid accidit ei qui Iliadi inseruit versus Ψ 850—883. Quo loco item habetur certamen sagittandi, praemium autem certaminis dicitur id quod nostro loco est certaminis instrumentum; nam victori ibi decem bipennes proponuntur praemium, ei qui secundus fuerit secures decem simplices, victor autem erit is qui columbam tenui funiculo alligatam ferierit, secundus qui ipsum funiculum, „minoris enim id esse artis". Tum Teucri sagitta columbam petentis casu infelici ita aberravit ut secaret funiculum, Meriones autem arcu cito correpto avem liberatam et rapidissimo volatu sursum enitentem prius transfixit quam in altum effugere posset. Apparet igitur illo quoque loco duas narrationes esse permixtas, quarum altera esset de sagittario qui vel filum sagitta posset ferire, altera de sagittario qui vel avem sub nubibus volantem posset assequi; coniunctim autem enarrando haec ita mutavit cantor ut vix etiam agnoscantur et fabulam admodum absurdam praebeant. Cum in Iliade tum in Odyssea secures aliquot ancipites et admirabile quoddam specimen sagittandi coniunctim commemorantur, Iliadis autem loco ad bipennes accesserunt totidem secures simplices: duas quae eiusdem argumenti essent fabulas in unum confluxisse sic quoque apparet.

Quod autem notatu est dignissimum, etiam tertius quidam

Digitized by Google

locus Homericus, ubi arcus commemoratur, habet molesti quid. Nam Δ 105—116 poeta quin putaverit duo cornua ibicis vel caprae aegragri πήχει aereo (vel aureo) coniuncta arcum ingentem effecisse non videtur dubium, sed monuerunt viri qui harum rerum sunt periti arcum, qui quidem alicuius utilitatis futurus esset, ita fieri non potuisse: *laminas* potius *corneas* agglutinandas fuisse lento ligno; sic hodie arcus artificio difficili et diuturno revera fabricari inter gentes Asiaticas [1]).

Vicit heros et Ulixem se esse vincendo ita probavit ut ea de re dubitare vix possit qui sanae sit mentis. Etiam ante arcus certamen initum et caedem procorum agnoverunt eum nutrix, subulcus, bubulcus; certissimum enim indicium praebebat vulneris olim accepti cicatrix. Et filio Telemacho est cognitus. Una uxor etiam nescit qui sit miser ille mendicus, quem despicatui omnes hactenus habuerunt. Credere diu haec recusat id quod spe maius tandem contigit, ut maritum adspiceret, neque suis ipsius oculis confidit. Ipsi rerum naturae hoc consentaneum, et in hac praesertim carminis parte admiramur poetam non iam materie priscarum fabularum onustum, sed ipsos cordis humani varios affectus verbis pingentem. Vix minus nos commovet Penelope maritum desideratissimum post longos annos tandem rediisse non credens, quam in Iliade Andromache marito, quem vivum ut iam mortuum deflevit, caeso balneum parans utpote e pugna superstiti. Diu speravit Penelope, iam sperare dedidicit, non vult etiam sperare. Maritum brevi adfore audivit: non credidit; adesse eum et procos peremisse audit: non credit; eum adspicit et ex ipsius Telemachi ore audit patrem optatissimum tandem rediisse: non credit, quia credere non audet. Nam nunc decipi, id plane non foret ferendum, sed ipsa morte gravius [2]). Penelopae ut persuadeatur plus requiritur quam ut Eumaeo vel Philoetio.

1) Cf. Fellner Zschr. f. öst. Gymn. 1895, 193 sqq., G. Schmid in Comment. Min. Publ. Petrop. 1901, vLuschan in Festschrift-Benndorf 189 sqq., Leaf Iliad. I² 584 sq. — Ceterum fortasse ne hi quidem versus ipsi Iliadis poetae debentur, sed postmodo sunt inserti (τόξον — αὐτὰρ ὅ); nam Pandarum, cum in acie adstaret, arcum involucro tectum habuisse, id est quod miremur, et ab Apolline arcum accepisse dicitur B 827 O 441.

2) Cf. ψ 215—217.

Digitized by Google

Egregia haec et magno poeta dignissima. Sed cum pervenimus ad versus quibus poeta narravit quomodo igitur viri callidi uxor callida tali coniuge dignam se praestans tandem ipsa sibi persuaserit, haeremus. Et primum quidem haeremus in ipsis verbis textus traditi. Nam cum regina viro, qui Ulixem esse se perhibeat, lectum sternere ministras iubet

ἐκτὸς ἐϋσταθέος θαλάμου τόν ῥ' αὐτὸς ἐποίει,
ἔνθα τοι ἐκθεῖσαι πυκινὸν λέχος ἐμβάλετ' εὐνήν,

non congruunt verba Ulixis:

τίς δέ μοι ἄλλοσ' ἔθηκε λέχος;

exclamantis et his sequentibusque verbis Penelopae probans se revera eius maritum esse. Nam lectum aliorsum translatum Ulixes mirari nequit, si ex ipso eo cubiculo, ubi olim eum collocaverit, afferre nunc iubeantur ancillae. Itaque ἐντὸς pro ἐκτὸς legendum esse apparet, item ἐνθεῖσαι pro ἐκθεῖσαι, nisi — quae Hartmani est sententia — praepositione omnino deleta scribendum sit ἔνθ' ἄρα τοι θεῖσαι. Ulixi *in cubiculo*, quod ipse olim sibi parasset, lectum collocari iubet regina, dein rex: „ergone *ex „illo cubiculo* lectus effractus et aliorsum translatus est?"

Sed his vitiis e textu tradito remotis cum perpendimus verba, quibus Ulixes enarrat rem non nisi sibi et Penelopae cognitam, non possumus non mirari torum modo perquam insolito, ne plus dicamus, ab eo tum constructum cum uxorem ducturus proprium cubiculum in aedibus paternis sibi paravit, ut Hector vel Protesilaus [1]). Arborem ingentem inclusit cubiculi parietibus et tecto, dein folia, ramos, truncum, totam denique arborem recidit, solo pede relicto, ut torum genialem ex hoc pede sibi fabricaret:

θάμνος ἔφυ τανύφυλλος ἐλαίης ἕρκεος ἐντός,
ἀκμηνὸς θαλέθων· πάχετος δ' ἔεν ἠύτε κίων·
τῷ δ' ἐγὼ ἀμφιβαλὼν θάλαμον ἐδέμον, ὄφρ' ἐτέλεσσα,
πυκνῇσι λιθάδεσσι καὶ εὖ καθύπερθεν ἔρεψα,
κολλητὰς δ' ἐπέθηκα θύρας πυκινῶς ἀραρυίας.
καὶ τότ' ἔπειτ' ἀπέκοψα κόμην τανυφύλλου ἐλαίης,
κορμὸν δ' ἐκ ῥίζης προταμὼν ἀμφέξεσα χαλκῷ κτέ.

Haec ioci potius causa dicta quam serio narrata viderentur,

1) Cf. B 701 Z 244 sqq. I 147, 582 ζ 63 κ 5—12 al.

Digitized by Google

si iocis in hac carminis parte esset locus; nam Margiten potius illum, qui πολλὰ μὲν ἔργα ἐπίστατο, κακῶς δὲ πάντα, καὶ πάσης ἡμάρτανε τέχνης, quam Minervae alumnum τὸν Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον huius cubiculi architectam fuisse dixerit quispiam. Quis enim nisi desipiens non prius amoturus erat arborem recisam, dein trunci partem imam cubiculo inclusurus, si tori operosa eiusmodi structura placebat. Nunc computatio simplicissima docet truncum arboris procerae in medio cubiculo stantis, columnae similis, decem certe metris non minoris, deici non potuisse nisi aut metrorum quadratorum ducentum ad minimum esset solum cubiculi, aut perfringeretur paries modo structus:



— „At potuit truncus frustatim recidi, vel erectus in cubilis angulum transferri, dein deici."

Vera haec, et alia quae sunt huiuscemodi licet comminisci, sed supra quam dici potest sunt inepta neque quicquam quod eo tendat in ipso carmine legitur.

— „Sed non veluti ad amussim haec sunt exigenda: poetae, non Vitruvii opus legimus; non structoris haec sunt verba structoribus scribentis!"

Quadamtenus assentior sane, si modo concedatur non esse haec poetae libere fingentis, non esse enarrantis quae ipse mentis oculis viderit, nimis enim longe recedere ab ea ratione, quam cuivis, etiamsi artis aedificandi sit imperitissimus, commendet mens sana; poetam nunc quoque, ut saepe, priscam fabulam carmini suo inserere et utcunque adaptare. Nam, ut cetera mittamus et credibile ducamus heroem thalamum tam vastum, tam alte eductum ut turri quam cubiculo esset similior, solum scilicet sibi struxisse [1]): *cur* tandem torum sibi fecit ex olivae

1) Admodum infeliciter hoc loco usus est Helbig ad demonstrandum artem aedes lapideas struendi tum cum nata sit Odyssea ultra prima rudimenta vix fuisse progressam. Cuius verba haec sunt: „es wirft ein bedenkliches Licht auf das Niveau der „damaligen Mauer-, Zimmer- und Tischlerarbeit, dass sich damit ... auch Laien „befassen" (Hom. Epos[1] 11 et 69 sq.). Odysseae hunc locum cum perlegimus, non est quod suspicemur fabrorum mortalium illorum, qui aetate poetae vixerint, exiguam fuisse artem, sed Minervae alumnum Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον, cui etiam artium variarum, cum opus esset, plurimam peritiam dea praeberet, cubiculum ratione adeo operosa et praepostera sibi struxisse, hoc est quod miramur.

Digitized by Google

pede solo inhaerenti? Cavebatne ne ὑπὸ Ποσειδῶνος τοῦ σεισίχθονος ἐνοσιγαίου aliquando inde eiceretur, quemadmodum Alcibiadem terrae motu e reginae Lacaenae cubili excussum postea tulit fama maligna [1])?

— „Apage facetias inficetas! Firmum et stabile coniugium sic significatur."

Haec si cui placet interpretandi ratio, τοῖς ἐμοῖς μὴ χαιρέτω! Sed non multis eam hodie probari arbitror [2]): aut nusquam aut hoc loco per verba poetae pellucent vestigia aevi vetustioris.

Nam tectum thalami deme, arboris autem ramis parce luxuriantibus, securim trunco ne admove: quid habemus? *Arborem sacram*, quales multas praebent Ilias et Odyssea:

τὰς δ' οὔ τι βροτοὶ κείρουσι σιδήρῳ! [3])

Habemus

θάμνον τανύφυλλον ἐλαίης ἕρκεος ἐντός,
ἄκμηνον θαλέθοντα,

ut iterum ipsis poetae nostri verbis utamur: *olivam sacram peribolo* sive σηκῷ *cinctam*, quo a vicinia secernatur [4]); habemus ναὸν οὐκ ἔχοντα ὄροφον, talem igitur ναὸν quales solos cognitos habuit poeta [5]), cuiusmodi et postea fuit delubrum illud Matris deorum Arcadicum, quod descripsit Pausanias [6]); cuiusmodi delubrum in quibuslibet aedibus privatis semper fuit Iovis ἑρκείου, cuius ara stare solebat μέσῳ ἕρκεϊ αὐλῆς, ut loquitur Homerus [7]); et recordamur loci Iliadis, ubi celebratur pater caelestis cum uxore in Idae cacumine sub celsa arbore congressus [8]). Cavernam, in quam Ulixes a *Calypso* est receptus, inumbrabat vitis; cavernam, in qua a *Polyphemo* est inclusus, circumdabant lauri; caverna *Charybdis*, quam vita vix salva reliquit, sub ingenti caprifico erat abdita [9]); cavernae *Phorcynis* sive Nympharum, unde Ulixes

1) Cf. Xen. Hell. III 3 § 2 et de illo loco Hartman Anal. Xen. I 322 sqq.

2) Huiuscemodi quid si cogitasset poeta, aliqua ratione significasset; cf. e. g. A 234 sqq. vel Γ 300.

3) Cf. h. Ven. 268.

4) Ipsa vox λιθάδες ψ 193 huic interpretandi rationi favet.

5) Cf. Mnem. 1906 p. 181—193.

6) Cf. Paus. VIII 44 § 3.

7) Cf. Π 231 Λ 774.

8) Cf. Ξ 287 sqq.

9) Neque vitis neque laurorum alibi apud Homerum fit mentio, neque caprifici nisi in Iliade, ubi commemoratur sacra quaedam caprificus tumulo Ili vicina.

Digitized by Google

tum emersit cum solum patrium pedibus primum pressit e longo itinere tandem redux, sacra oliva praeminebat, nec non ex olivae umbra heros prodiit cum in *Nausicaae* conspectum venit primum: etiam locum ubi Ulixes cum *Penelope* vel potius — ut omissis nominibus propriis caput rei solum indicemus, non enim de Odyssea sed de mythis vetustis nunc loquimur, — ubi *deus sagittarius* cum *dea textrice* coniunctus est, oliva procera inumbravit. Arbore deae Textrici sacra, intacta, pervetusta insignis fuit locus ubi *ἱερὸς γάμος* fuit celebratus. Sub illa arbore — non in pede trunci recisi! — coniugibus stratus fuit torus; illic

χθὼν δῖα 'Φύεν νεοθηλέα ποίην,
λωτὸν ἐερσήεντα ἰδὲ κροκὸν ἠδ' ὑάκινθον
πυκνὸν καὶ μαλακόν [1]),

admurmurante fortasse fonte iugis aquae, ut in cavernis Calypsus [2]) et Phorcynis [3]); similis igitur fuit Ithacae ille locus, ubi Ithacus insulae eponymus aram olim struxit Nymphis [4]).

Olivae autem quod eo de quo disputamus loco [5]) fit mentio, ipsi deae, quae in Ithacae reginam abiit, olivam sacram fuisse inde efficitur. Neque mirum est, illi deae, quae propter telam certis vicibus et crescentem et decrescentem fuit celebrata [6]), in prisco ritu et in priscis carminibus sacram fuisse eandem arborem atque *Ἀθηνᾷ Πανδρόσῳ καὶ Ἐργάνῃ*, quam in urbis suae arce primam olivam in lucem evocasse gloriati sunt Athenienses, cuius antiquissimum *βρέτας* ex olivae ligno caelatum fuit.

Ipsa arbor, de qua tam multa locuti sumus, stabat Athenis in delubro Erechthei, in aula prisca regiae Cecropiae sive *ἐν τῷ τεμένει Ἀθηνᾶς Πανδρόσου*, almae deae, quae agrorum sitim rore suo — Lunae dono — restinguit et homines docuit artes nendi atque texendi; cui quinto quoque anno Athenienses pompa sollemni pallam offerebant, telam textrici.

---

1) Cf. Ξ 347 sqq. — Etiam multis saeculis post simile fuit cubile Adonidis et Veneris. De hoc aliisque Graecorum et Romanorum *lectisterniis* cf. Marquardt Handb. de. röm. Alterth. VI 45 sqq.

2) Cf. ε 70.

3) Cf. ν 109.

4) Cf. ρ 205—211.

5) Ut ν 102.

6) Cf. β 93 sqq. τ 138 sqq. ω 129 sqq.

Digitized by Google

Altera quaedam Minerva fieri sic videtur Penelope; deae, quae heroem cura sollicita semper prosecuta et ab ira Neptuni tutata est, admodum similis fit uxor, quae fidelissimam ei se praestitit [1]). Quod autem in orbem mythorum *Atticorum* sic incurrimus, id non est quod nos deterreat; recordamur enim ipsam deam, quae Ulixi adeo favit, „Atheniensem" proprio nomine esse vocatam et Athenis Neptuno superiorem tum evasisse cum olivam in lucem protulit; post cultum autem *Minervae Virginis* veluti latitasse cultum antiquiorem *deae uxoris* et matris, cui Erechtheus non alumnus terra editus tribueretur [2]), sed verus filius [3]); *Icarium* Penelopes patrem demi Attici Icariae — unde vitis et tragoediae origo repetebatur — esse eponymum, et *Maronem* sacerdotem, qui vino fragrantissimo Ulixem donavit, eponymum esse Maroneae, ubi Atheniensibus fuerunt argenti fodinae; *Nausithoum* et *Phaeacem* in fabula Attica, quae erat de Theseo, fuisse commemoratos [4]), ut *Andociden* a Persepolide Nausicaae et Telemachi filio gentem repetentem [5]) et *Pisistratum* nunc mittamus; *Daedalum* — demi Attici Daedalidarum eponymum — deae Cretensi illi, quae cum Atheniensium dea Minerva Pandroso sit conferenda, struxisse orchestram Atheniensi similem [6]); *Eleusinium* delubrum perantiquum [7]) et *Eleusinia* ludos omnium antiquissimos [8]) Athenis fuisse eius deae, cuius antrum Cretense Ulixes dicatur visisse [9]); inter Athenienses

---

1) Quamdiu *deus* fuit Sagittarius ille τηλέμαχος καὶ Διὶ μῆτιν ἀτάλαντος, quem Ulixem vocare consuevimus, deae alicuius auxilio ei non fuit opus, nedum filii vel subulci opera fuerit usus; satis enim ad protegendum se et ad hostes confodiendos valebat ipse.

2) Sic iam Iliadis poeta, B 548.

3) Minerva Vulcani socia Athenis colebatur (cf. Plat. Criti. 109*c* Paus. I 26 § 6 al., Preller-Robert Myth. I⁴ 180, 1); cui sacra pervetusta ferebant puellae Ersephori (Paus. I 27 § 4; cf. etiam 24 § 3).

4) Cf. Plut. Thes. 17.

5) Cf. Suid. s. v. Ἀνδοκίδης.

6) Cf. Σ 592. — In annotatione certe laudanda nunc sunt Useneri (Archiv f. Religionswiss. 1904, 313) verba: „ich zweifle nicht dass der Wettkampf (ἀγών) ... der „alten Attischen Komödie ... ursprünglich der stehende Kampf des Winter- und des „Sommergottes war."

7) Cf. Andocid. de Myst. § 111 al.

8) Cf. [Aristot.] Rep. Ath. 54 § 7.

9) Cf. τ 188 et infra pag. 45, 3.

Digitized by Google

denique valuisse morem *nuptias* tempore interlunii ineundi, ad exemplum *τῆς συνόδου solis* et *lunae*, quam *θεογαμίαν* etiam sacris ferendis celebrare solerent [1]).

At cur tandem proceram et decoram illam olivam poeta Odysseae aut is quem ille secutus est intactam manere non sivit?

Causa rei haud obscura est. Alius enim mythus ferebat *τὸν ἱερὸν γάμον* — nam sic Sagittarii et Textricis coniunctio vocanda est de priscae fabulae origine disputantibus — celebratum esse in loco qui non nisi *arbore sacra* inumbraretur, ut fuit locus ille ubi Iuppiter cum Iunone in montibus Troianis congressus est: alius vero mythus in latebris *cavernae* sacra oliva protectae, Phorcynis igitur illi cavernae quam novimus simillimae, ut de Calypsus Cyclopis Charybdis cavernis nunc taceamus [2]). Sic et de Iovis cum Europa matrimonio duplex fuit fama; quos alii [3]) in caverna Dictaea, alii [4]) sub sacra arbore convenisse ferebant. Quae imagines cum in unam confluxissent et in ipsam cavernam recepta esset oliva, deus autem in heroem mortalem abiisset, *caverna* illa abiit in herois *cubiculum*, *arbor* autem, quae „columnae instar erat", foliis et ramis amissis in veram *columnam* abiisset [5]), nisi plus valuisset vetusta illa fabula de arbore *cubile* coniugum protegenti; itaque ipsum cubile ex sacra illa oliva factum est, musis non sane faventibus, sed ne hanc ob causam reiciamus rei quam protulimus explicationem, cum alia dehortantur tum *nummi Gortynii*, ipsam rem veluti ad oculos demonstrantes, qui mulierem ostendunt in arbore sub corporis pondere incurvata necdum tamen foliis carenti sedentem.

Et sic antiquis Curetum allabimur oris. In *Cretam* pervenimus, ubi olim cultum esse numen cui sacra esset *bipennis*, adeo constat post effossa illic vetustarum regiarum rudera, ut in

1) Cf. Proclus ad Hes. Op. 780 Roscher Lex. Myth. II 3159 sqq.

2) Etiam tum cum Aethonem quendam Cnosium, Minois filium, Iovis nepotem esse se fingeret Ulixes, ad *sacram* quandam Cretae *cavernam* pervenisse se perhibuit; cf. τ 172 – 195 (supra pag. 42, 9).

3) Cf. Lucian. IX 15 § 4.

4) Cf. Theophr. H. Plant. I 9 § 5.

5) E cultu *arborum sacrarum* natum esse cultum illum vetustum *sacrarum columnarum*, de quo plurima sunt disputata ex quo archaeologi indefessa industria perscrutati sunt rudera priscarum aedium Cretensium, id hic dici vix est opus.

Digitized by Google

communem iam hominum sermonem abierit res, quam antehac suspicari tantum poteramus. Nemo autem nescit plurimam variamque passim per Odysseam mentionem fieri Cretae, quam insulam cum *saltationum sacrarum* tum *sagittariorum* veluti patriam Graeci inde ab Homero dixerunt [1]), et Ulixem tum cum falsa veris remixta narraret pastori quem putabat Ithacensi et Eumaeo et Penelopae, Creta oriundum et ex Iove prognatum se perhibuisse constanter [2]), quin et ex Aetolo quodam Eumaeum olim audivisse Ulixem in regia Idomenei Cretensis esse versatum [3]). Quae inter se collata luculenter testantur extitisse olim mythum quo Ulixes revera in Creta collocaretur et Iovi Minoi Idomeneo fieret cognatus, vel potius — ut altius etiam adscendamus per mythologiae semitas arduas salebrosas obscuras — in Creta cultum olim fuisse numen illud solare, quod saeculis volventibus post multa rerum pericula tandem abiit in Ulixem illum Troiae victorem, quem novimus ex Iliade et ex Odyssea.

Nam ita mentiri solent heroes, cum ψεύδεα πολλὰ ἐτύμοισιν ὁμοῖα proferunt. Sic poeta Atticus, qui hymnum Cereris fecit, mythum priscum, qui fuit de mysteriorum Eleusiniorum origine *Cretensi*, non abiecit, licet argumento sui carminis, quod Cererem *Eleusinem* receptam celebrabat, non conveniret, sed ita inseruit ut mythus ille Cretensis abiret in narratiunculam ab ipsa dea fictam ad auditores decipiendos [4]); extare illum mythum poeta negare non potuit, sed falsum esse sic veluti ipsius deae ore asseveravit. Haud aliter poeta noster Ulixem etiam de *Thesprotio* itinere „mentiri" quaedam fecit, quae e fabula ab argumento Odysseae aliena sunt desumta [5]); nam in Thesprotiam Ulixem revera venisse, Callidicen ibi uxorem duxisse, ex ea — aut ex alia virgine — genuisse Euryalum, priscae quaedam fabulae tulerunt [6]).

Quo autem potissimum Cretae loco illud quod dicimus numen

---

1) Cf. Σ 591 sq. et Κ 260 Ψ 870.

2) Cf. ν 256 sqq. ξ 199 sqq. (π 62 ρ 522 sqq.) τ 172 sqq.

3) Cf. ξ 382 sq.

4) Cf. h. Cer. 123 sqq. cum Diodor. Sic. V 77.

5) Cf. ξ 315—333 π 65 ρ 526 τ 271—299.

6) Cf. quae de Telegonia et de Euryalo Sophocleo sunt tradita, v Wilamowitz Hom. Unt. 187 sqq., Ed. Meyer Herm. 1895, 260 sqq., Gruppe Myth. 625, 10, 716.

Digitized by Google

olim fuit cultum? Ecquid *Amnisi* — haud procul a Cnoso — in caverna illa, quam *Ilithyiae* sive *Eleuthyiae* [1] τῇ εὐλίνῳ θεῷ [2], *deae textrici*, sacram fuisse dixit poeta Odysseae [3]? An in caverna *Dictaea* Lycto vicina, quae et olim inter Graecos clarissima fuit propter Iovis cultum vetustissimum et his annis sedule explorata nobis qui nunc vivimus melius innotuit [4]? Ibine in latebris cavernae plurimis *bipennium* imaginibus exiguis etiamnunc refertae, cuius sola pars *septentrionalis* ab *hominibus* deum pie colentibus adibatur, pars *meridionalis adytum* efficiens [5] et lento aquarum superne stillantium labore *varie ornata* [6] Iovis infantis ab *apibus* [7] nutriti cunas habuisse ferebatur, quaerenda sunt primordia fabulae quae fuit de Ulixis reditu? Odysseae sane poeta illam cavernam non celebravit, fortasse ne cognitam quidem habuit neque in Cretam venit unquam; attamen decora illa Phorcynis caverna imaginem cavernae Dictaeae quadamtenus refert. Etiam tertia quaedam caverna Cretensis cum fabula, quae fuit de Ulixe, coniungitur notitia vetusta, sed breviore quam vellemus: „Ἀρκέσιον ἄντρον τῆς Κρητικῆς Ἴδης [8]; nam *Arcesius* in Odyssea dicitur avus Ulixis. Ipsumne autem Ulixis nomen a Lycti sive Lytti urbis nomine est repetendum? [9])

Iuppiter Carius, — i. e. caeli numen in Graecia ante adventum Achivorum passim cultum, — qui securi fulgida nubes findit [10]), in Cretae saltibus colebatur tripudiis Curetum, eius uxor saltationibus perplexis labyrinthi [11]). *Nomina* autem nu-

---

1) De Ilithyia sive Eleuthyia cf. Rutgers v. d. Loeff de ludis Eleusiniis; qui p. 70 haec scripsit: „deam, cui ante Cereris adventum Eleusis sacra erat, ex Creta oriundam conieceris."

2) Sic Olen in prisco hymno apud Paus. VIII 21 § 3.

3) Cf. τ 188.

4) Cf. Hogarth British School Annual 1899, 94—116, Karo Archiv f. Religionswissensch. 1904.

5) Cf. ν 109—112.

6) Cf. ν 105—108.

7) Cf. ν 106. Ab eiusmodi caverna, qualem pinxit poeta Odysseae, mari obversa, apes sunt alieniores.

8) Cf. Et. M. s. v.

9) Cf. p. 15 sq., 3.

10) Aevi antiquissimi memoriam etiam postea servarunt *securiculae ancipites aureae*, infantium Graecorum crepundia ἀποτρόπαια, quorum apud Menandrum et Plautum fit mentio (Men. Disc. 169 Plaut. Rud. 389 sq., 1154—1171).

11) Voces λαβύρινθος — sive *orchestrae* sive ipsius *saltationis* hoc nomen fuit (cf. χοροῦ vocis usus duplex) — et λάβρυς, quod *securis ancipitis* fuit nomen rituale sive

Digitized by Google

minum omisisse nunc praestat; nam sive *Iovem* et *Europam* dicimus, sive *Minoem* et *Pasiphaën*, sive *Dionysum* et *Ariadnen*, matrimonium „reginae" Atheniensis cum Dionyso quotannis pio cultu celebratum conferentes [1]), eodem fere redit res, licet mariti caelestis matrimonium a variis gentibus Cretae τῆς ἑκατομπόλεως variis nominibus fuerit significatum.

Herois nostri *cubiculum* primitus fuisse *sacram cavernam* satis iam perspeximus, et melius quam antehac intellegimus cur Apollonius Rhodius sui carminis heroem cum Medea *in caverna* primum esse iunctum aut finxerit aut post alios cecinerit [2]).

Confirmatur autem nostra opinio nomine *mulieris*, cui cubiculum illud, vel potius — ut Graeco nomine utamur — cui thalamus Ulixis concreditus fuisse dicitur. Praestat sic loqui, quia *duo* vel etiam *tria* Ulixis conclavia in Odyssea commemorantur. Quorum primum id est, cuius curam habuit *Euryclea*: vinum, oleum, aliae copiae domesticae ibi asservabantur [3]). In secundo aurum aes ferrum alias res pretiosissimas seclusa tenuit ipsa regis uxor *Penelope* [4]). De tertio, in quo collocatus fuit torus genialis, modo disputavimus, hoc autem custodivit *Eurynome*. Tres autem hos, quos carmen nostrum praebet, thalamos ex uno mytho procrevisse ipsa harum mulierum nomina inter se collata luculenter testantur, cum praesertim quarta adiungi possit ministra illa, quae cubiculo Nausicaae — sive Penelopes alterius, si ita loqui licet [5]), — fuit praeposita. Huic θαλαμηπόλῳ nomen fuit *Eurymedusa* [6]), quod nomini *Eurynomes* cum sono tum vi tantum

---

antiquissimum, quin inter se cohaereant non videtur dubium. Cf. M. Mayer apud Roscherum in Lex. Myth. II 1782, et de labyrinthi saltatione Benndorf apud Reichelium Hom. Waffen[1] 133—139. Labyrinthi figuram antiquissimam nummi Cnosii exhibent *swasticam* (cf. Cook Class. Review 1903, 410, 1904, 326).

1) Cf. [Arist.] Rep. Ath. 3 § 5 [Demosth.] Neaer. § 74—78.

2) Cf. supra p. 28, 4. — Item postea Virgilius Aeneam cum Didone in antro congressum cecinit.

3) Cf. β 337 sqq.

4) Cf. φ 8 sqq.: θάλαμος ἔσχατος sive *cella interior* haec fuit. Quod autem β 338 etiam in illo conclavi, cui praefuit *Euryclea*, asservata esse dicuntur regis *aes* et *aurum*, aut non est urgendum discrimen hoc levissimum, aut librorum β et φ hi loci ita inter se sunt conciliandi ut ἔσχατον interpretemur cellae ab ancilla custoditae partem separatim clausam, in quam sola regina pervenire potuerit.

5) Cf. supra p. 27, 5.

6) Cf. η 7 sqq.

Digitized by Google

non consimile est, — conferri possunt e. g. Achillis aurigae *Alcimedon* et *Automedon*, — utrumvis autem nomen quam male conveniat aniculae curam cellae vel cubiculi solam habenti, demonstrari non est opus, non enim ancillarum est *late imperare*, sed reginarum potentium; est dearum, est *deae Eurynomes* Oceani filiae, quam et aliunde novimus et ex ipso Homero [1]). Neque *Eurycleae* nomen aptum est humili officio ancillae quae vinum tantum et oleum vel lodices et culcitas sibi habeat concredita; quod autem poeta narrat virginem illam nobilem, — nam patris et avi nomina commemorantur, — quam magno pretio Laertes emisset, eius uxorem quidem non fuisse, sed uxoris instar ab eo fuisse honoratam [2]), *Anticlea* altera — quod nomen uxori Laertae, matri Ulixis in Odyssea tribuitur — veluti ante oculos nostros fieri sic videtur, non ministra sed regina, quam πέδνοισι more solito a patre emerit maritus, non pretio dominus a venditore. Utque inter se haec omnia coniungeremus, si non cogeret ipse nominum quae attulimus sonus, haec quibus poeta sub carminis finem usus est verba coegissent:

Εὐρυνόμη τε ἰδὲ τροφὸς ἤντυον εὐνήν [3]).

Nam aut nusquam aut hic cernitur quid sit contaminare fabulas. Primitus autem — id est ante multas hominum aetates quam Odysseae poeta est natus — ea, quae *per dicionem immensam late imperare* et *fama late celebrari* dicta est, fuit dea, cui caverna quam diximus sacra fuit, *Opis* illa sive Ὦπος θυγατήρ, ut Odysseae poeta locutus est [4]), cuius „sepulcrum" sive caverna celebrabatur Deli [5]), *Terra Mater*, ex cuius gremio obscuro prodiit quicquid vivit, in cuius gremium redeunt omnia et omnes qui vixerunt [6]).

---

1) Cf. Σ 398 sqq.

2) Cf. α 428—433.

3) Cf. ψ 289.

4) Cf. α 429 β 347 υ 148.

5) Cf. Herodot. IV 34 sq.; Opis, quae „Dianae famula" vel „nutrix" vocatur, primitus fuit „alma dea terrestris" (S. Wide).

6) Etiam *Eurydice*, quae Orphei sive regis tenebrarum fuit uxor, huius deae est nomen paene consimile. Praeterea in annotatione certe indicandae nunc sunt *Hathor* „sycomori dea" Aegyptia, de qua cf. Roscher Lex. Myth. I 1850—1854, et *Adrastea* sive *ea quam nemo effugit*, — veluti Adrastus sive Dis quaedam femina, — quae Iovem infantem in caverna Cretensi educavit (Call. h. Iov. 47, Apoll. Rh. III 133).

Digitized by Google

Vita e morte, lux e caligine prodiens, sol tenebris occidentaibus quotidie haustus, a parte orientis denuo mox emersurus [1]), sol post languorem brumalem suas vires recuperans et terram ex torpore excitans, matrimonium Sagittarii caelestis cum Textrice telam identidem resolventi, haec omnia, quae nominibus *Circes*, *Calypsus*, *Penelopes* breviter significari nunc possunt, in carminibus vetustissimis celebrata praebuerunt partem materiei, e qua structa est Odyssea; sed ita praebuerunt ut non nisi pauca quaedam veteris aevi vestigia, ut certa, sic tenuia, ipso poeta inscio hic illic remanserint, lectoribus hodiernis non nisi acerrime oculos intentantibus deprehendenda.

De Odysseae *chronologia* denique, re saepe et a multis tractata, pauca quaedam sunt addenda.

Anno igitur post eum quo bellum Troianum est initum undevigesimo ad finem vergente Odyssea incipit.

Die I (α) Ulixem ex insula Calypsus tandem in patriam redire Iovi ceterisque caelitibus placuit petente Minerva, quae ipsa Telemachum Ithacae visit utque virum adultum se praestaret hortata est.

Die II (β) Telemachus cum in concione Ithacensium de procorum impudentia frustra esset conquestus, iter in Peloponnesum suscepit, ut Nestorem et Menelaum, qui e bello dudum rediissent incolumes, de patris sorte interrogaret.

Die III (γ 1—403) Telemachus visit Nestorem, qui certi dicere nihil habuit.

Die IV (γ 404—490) Telemachus iter Pylo Spartam iniit.

---

1) Ita loqui non Odysseae potissimum argumentum nos iubet, in qua ἡ νέκυια quaeque eiusdem sunt generis antecedunt τὸν νόστον, sed ipse veterum mos cursum temporis in νυχθήμερα sive νύκτας τε καὶ ἤματα — non ἤματα καὶ νύκτας — dirimendi, qui et aliunde et ex ipso Homero (e. g. Α 424 „χθιζός") est cognitus. Computandi initium sic non *ortus* solis praebet, sed eius *occasus*, vel potius κνέφας ἐπερχόμενον, νὺξ οὐρανόθεν ὀρινομένη: diem nox non sequitur, sed antecedit, νὺξ ἀναριζομένη τίκτει ἦλιον, ut verbis Sophocleis utamur. In melius igitur, non in deterius tendere rerum natura sic videtur: non singulis diebus ad finem vergentibus novo luctu opprimi ob lucem mersam, sed sub singularum noctium exitum nova lucis mox emersurae spe erigi. Sic series syllabarum brevium et longarum, alternis vicibus collocatarum, prouti in iambos aut in trochaeos dividitur, aut laeto impetu assurgere aut tristius decurrere videtur. Quas res fusius hic exponi neque necessarium videtur neque sinit spatium.

Digitized by Google

Die V (γ 491—δ 305) Telemachus pervenit ad Menelaum.

Die VI (δ 306 sqq.) Menelaus Telemachum docuit se e Proteo maris deo ante annos aliquot audivisse, Ulixem in insula Calypsus vivere. Proci autem cum audivissent Telemachum in Peloponnesum abiisse, insidias ei pararunt, ut redeuntem interficerent.

Die VII (ε 1—227) a Mercurio Iovis nuntio Calypso iussa est Ulixem abire sinere.

Diebus VIII—XI (ε 228—262) Ulixes ratem sibi struxit.

Diebus XII—XXVIII (ε 263—278) per mare iter fecit.

Diebus XXIX—XXXI (ε 279—389) procella correptus et rate fracta cum fluctibus est luctatus.

Die XXXII (ε 390 sqq.) in littore Scheriae insulae excidit.

Die XXXIII (ζ, η) a Nausicaa Alcinoi regis filia, dein ab ipso Alcinoo benevole est exceptus.

Die XXXIV (θ—ν 17) Alcinous in hospitis honorem ludos habuit; dein Ulixes ei et convivis casus suos enarravit.

Die XXXV (ν 18—187) Ulixes a Phaeacibus Ithacam est reductus.

Die XXXVI (ν 188—ο 188) a Minerva in senem mendicum mutatus Eumaeum subulcum adiit, apud quem noctem transegit. Telemachus autem Sparta rediit Pheras.

Die XXXVII (ο 189—494) Telemachus Pheris Pylum, inde per noctem Ithacam iter fecit, procos in insidiis se expectantes latens. Ulixes apud Eumaeum remansit.

Die XXXVIII (ο 495 sqq. et π) Telemachus ab itinere redux visit Eumaeum, apud quem invenit patrem, qui ei soli agnoscendum se praebuit.

Die XXXIX (ρ—υ 90) Ulixes mendici partes agens adiit regiam, ubi a procis contumeliose habitus, dein cum regina confabulatus, noctem transegit.

Die XL, qui fuit novi anni primus (υ 91—ψ 343), Penelope procis sagittandi certamen proposuit, dein Ulixes procos peremit et uxori agnoscendum se praebuit.

Die XLI (ψ 344 sqq. et ω) Ulixes visit Laertem patrem, dein procorum caesorum agnatos profligavit.

Inter se iuncta igitur haec, quae poeta de temporis decursu hic illic cecinit, seriem dierum plus quadraginta praebent. Sed

Digitized by Google

multum abest ut menti ipsius poetae hoc temporis spatium perpetuo fuerit obversatum. Qui si accuratam temporis rationem inde a carminis exordio instituisset, Telemachum non ante, quam Ulixes e Calypsus insula profectus est, iter iniisse finxisset, sed vigesimo demum die post. Nunc bis haeret rerum decursus; nam neque liquet cur Mercurius septimo demum die, postquam Minerva a Iove petiit ut ad Calypso eum mitteret, revera illuc sit missus [1]), neque cur Telemachus mensem integrum Spartae nihil agendo transegerit.

Itaque dierum hanc seriem postquam descripsimus, neglegamus oportet dum Odysseam perlegimus, ne iniuria fiat poetae in his rebus neglegentiori. Qui si melius consuluisset chronologiae, ipsi suo carmini minus bene consuluisset. Sic enim inde a carminis initio Ulixis reditus ex insula Calypsus ei fuisset enarrandus; nunc vero in libris α—δ sorte misera Penelopes atque Telemachi et impudentia procorum ante oculos audientium positis animum nostrum veluti dramatis prologo praeparavit antequam eum qui primarum esset partium in scenam induceret. Dein autem numerum dierum non anxie computavit, sed Telemachum die tertio postquam Menelaum visit ab eo abiisse, octavo igitur itineris die Ithacam rediisse sumsit [2]), procos autem non per dies triginta duos, sed per triduum eius reditum in insidiis expectasse.

Quo errore chronologico carmen contaminatum argui multi statuerunt. Mihi secus videtur. Nam qui opera aliena refingunt vel inter se coniungunt, cavere solent ne singulae partes operis musivi, eae praesertim quae numerandi et computandi periculo sint obnoxiae, nimis aperte inter se discrepent; ipsorum potius poetarum est temporum rationes minus anxie exigere. Poetam nostrum quod fugit vitium et fugere facillime potuit, id manu interpolantium non deprehendi vix et ne vix quidem potuisset, nedum ab iis in textum potuerit invehi. Nam statim apparet illud quod diximus vitium ei qui rerum in Odyssea enarratarum summam totam simul mente complectitur: non apparet ei qui aurem praebet ipsi poetae singulas res deinceps fuse enarranti.

1) Cf. α 84 sq. cum ε 28.
Congruit β 373 sq.: *intra decem dies* iter perfecturum se confidit Telemachus.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE AD PHAEDRUM.

SCRIPSIT

L. RANK.

(*Continuantur e Vol. XXXVIII pag.* 277.)

Antequam rerum ordine ductus quarti iam et quinti libri fabularum locis quibusdam recensendis operam impendam, ad notissimum locum illius prologi sat longi, quo tertium suum librum commendat Phaedrus, recurrere mihi liceat. Plus semel enim quasi sponte ad locum illum revertebar, dum posteriorum librorum fabellas singulas perlustro. Ceterum, ut exspectari poterat, dum sedulo hanc illamve posteriorum fabellarum ad prologi, quem volo, locum adhibeo, nihil sum lucratus, quo aut prologum aut fabellam melius cognoscere possem. Nihilominus certissimam mihi super hac prologi parte informavi opinionem, aut, ut verecundius loquar, libenter sum astipulatus paucorum quorundam virorum doctorum interpretationi, quae nunc, quod sciam, relicta paene iacet.

Versiculi, quos integros exscribam, hi sunt (Lib. III Prol.):

Nunc, fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quia quae volebat non audebat dicere,
Adfectus proprios in fabellas transtulit
Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego porro illius semita feci viam.
Et cogitavi plura quam reliquerat.
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quod si accusator alius Seiano foret,

Digitized by Google

Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suspicione si quis errabit sua
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam,
Huic excusatum me velim nihilo minus:
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.

Praecipua interpretatorum cura versata est in explicandis versibus quadragesimo et quadragesimo quarto, quos literis dedi inclinatis. Atque ut statim utrorumque sententias illustrem lucideque inter se opponam, libet quam brevissime repetere, quid olim dixerint Nisard [1]) et Hervieux [2]), quorum uterque in hac re profecto πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Haec igitur Nisard:

Phèdre nous dit brièvement, qu'il ne se trouva pas bien d'avoir traité certains sujets:

In calamitatem deligens quaedam meam.

Mox haec:

Tant mieux, si au sein de réalités pénibles, il a été bercé quelquefois par ces espérances plus nobles que modestes, s'il a moins souffert alors de ces chagrins, comme il le dit lui-même:

Nec his dolorem delenirem remediis.

Hervieux contra quadragesimo versu laudato addit:

„D'où il faut nécessairement conclure, que c'est son adversité, qui lui inspira ses fables et non ses fables, qui lui valurent son adversité."

Mox:

„Car il indique lui même le double motif de sa détermination, qui a été en premier lieu d'écrire sous la forme la moins dangereuse possible:

Calumniamque fictis elusit iocis

et ensuite d'employer ses écrits a se consoler des misères, que Sejan lui suscitait." Phaedri versum non addit, sed nemo non sponte id faciet.

---

1) Oeuvres complètes d'Horace, de Juvénal etc (Paris-Didot) p. 692, 694.
2) Les fabulistes latins. Tom. I p. 16, 18.

Digitized by Google

En controversia exposita. Οὐκ εὔκριτον τὸ κρῖμα declaranti tibi, lector, libenter assentiar. Nam cum olim Hartmanus nostras strenue et sagaciter contra Schwabium priorem illam Nisardi interpretationem impugnavisset, hanc alteram, quam iam ante eum protulerat Hervieux, propriis novisque argumentis commendasset [1]), haud cunctanter ei oblocutus est vir summae hac in re auctoritatis, Lucianus Mueller [2]). Post hunc, quod sciam, alterius interpretationis defensor novus exstitit nullus, priori et vetustiori astipulati sunt multi [3]).

Minime igitur ἐπὶ τὸν εὐτυχῆ πηδῶν interpretationem, quam dederunt Hervieux et Hartman, iterum commendare conabor.

Incipiam a loci paraphrasi secundum interpretationem nunc vulgo acceptam:

Servus Aesopus olim, quae cogitabat quaeque experiebatur fabellis descripsit et ita calumniam elusit. Ego Aesopum sum secutus, quin etiam plura excogitavi, *fabulis nonnullis compositis ipse mihi calamitatem contrahens.* At si non a nequam illo Seiano sed ab alio quodam accusatus et damnatus essem, aequo animo calamitatem meam ferrem, *nec fabulis conscribendis dolorem levare conarer.* Quisquis autem putaverit, se potissimum fabella aliqua carpi, se ipse accusabit. Nam singulos notare nolo, hominum mores tantum et vitam describere cupio.

Quam egregie tota haec ratiocinatio mihi displicet! Nonne importunissimus est nuntius ille subito quasi e latebris prosiliens, ut nos necopinantes de Phaedri malis certiores faciat? Mirum hercle, quam sedulo vitaverit poeta, ne lectores suos moneret, quam diversa fuerit Aesopi sors, quippe qui calumniam semper elusisset, a fato imitatoris, quem fabulae pessumdedissent. Mira porro, ne dicam absurda mihi videtur ista querela: „si non a Seiano damnatus essem (ob fabellas nimirum), malum meum ferrem nec levare id conarer ..... fabulis conscribendis.

---

1) Commentatio de Phaedri Fabulis p. 4 sqq.

2) Berliner Philol Wochenschr. 1890 Sp. 1302.

3) Martin Schanz (Gesch. der röm Lit. II² 2 p. 29). Nisard (Les poètes latins de la décadence Tom. I p. 11). L Havet (Phaedri Fabulae Aesopiae p. 262 § 158). Speyer (in fabularum editione sua ad locum nostrum). Otto Ribbeck (Gesch. der röm. Dichtk. III p. 22). Dubitasse videtur Teuffel (Gesch. der röm. Lit. 6ste Auflage, neu bearbeitet von Kroll und Skutsch Tom. III p. 210)

Digitized by Google

Denique minime sane est absurdum, poetam aliquem iam semel ob versus suos damnatum lectores monere „ne rapiant ad se, quod erit commune omnium", vix tamen in re tam dubia ex illis poetae verbis argumentum mihi fingere ausim, quo demonstrem eum iam semel ob versus fuisse condemnatum. Insuper equidem vix dubitaverim, quin Phaedrus noster, si iam ob carmina afflictus esset, huic suae admonitioni, si non plura, vocabulum *iterum* saltem additurus fuerit [1]).

Nunc audiamus Muellerum:

„Hier zeigt schon des Phaedrus Behauptung, die Fabel sei von Aesop erfunden um unter täuschender Maske die Wahrheit sagen zu dürfen, er aber sei diesem Beispiel gefolgt und habe zum alten Bestand noch Neues gefügt, dass die Worte: in calamitatem e. q. s. *nur* erklärt werden können, wie es in der Regel geschieht durch: „zu meinem Unglück manche Stoffe wählend", nicht wie einige Gelehrten thun, denen Hartman folgt: „nonnulla applicans ad mala, quae passus sum". Ratiocinationem vel potius asseverationem non concoquo. Dicit Ph.: Aesopus fictis iocis enuntiavit, quod palam dicere reformidavit. Ego *τὸν σοφὸν* secutus sum, quin etiam nonnulla de meo addidi. Quare nunc potius addendum fuerit poetae: id mihi cladi ac damno fuit, quam: id feci ut hic illic propriam calamitatem illustrarem, id non perspicio neque, ut opinor, unquam perspiciam.

Persequamur Muelleri argumenta:

Es ist sehr wahrscheinlich dass hinter Vs. 40 *eine grössere Lücke ist*, worin mitgeteilt wurde, welches Unglück den Dichter betroffen, vielleicht auch näheres über den Grund der Anklage. *Denn sonst hat Vs.* 49*: nec his e. q. s. keinen Sinn.* Man *darf* „his remediis" nicht von der Poesie des Ph. verstehen, da er ja schon vorher (Vs. 21, 22) seine unbezwingliche Begeisterung für die Musen *gehörig* betont hatte. Sat audacter haec sunt dicta. Argumentorum *πειθανάγκην* examinemus: „Cave" inquit Mueller „ne versum:

Nec his dolorem delenirem remediis

1) Ultima contra Speyerum v. cl. praesertim disputavi, siquidem ille putat vs. 45 sqq. Nisardi interpretationem „quam maxime confirmari".

Digitized by Google

de Musa Phaedriana malorum consolatrice dictum accipias. Nam sat multus iam fuit noster in praecedentibus de Musis atque de poesi sua. Quam debile hoc sit argumentum, pluribus demonstrare supersedere possum. Lacunam igitur sat magnam statuit Mueller post vs. 40, quam sibi Phaedri querelis impletam fingit, ut deinde versu nostro poetam ad proprias querelas respicientem inducat. Quantopere hac explicatione versiculi vis imminuatur, evanescat verborum color proprius, sentire magis quam demonstrare valeo. *Gravissimum illud accedit, quod versiculo ita explicato, illa quae statim sequuntur nullo prorsus cogitationis vinculo cum praecedentibus cohaerent.* Quapropter totam Muelleri interpretationem reicio. Ceteroquin minime obliviscendum, *antiquae interpretationis dimidiam tantum partem a Muellero defendi.*

Atque haec de quaestionis forma, ut ita dicam, satis sunt disputata. Nunc res videamus, quibus Nisardi explicationem fulcire possimus. Desunt, opinor. Nam quidquid cognitum habemus de Phaedro ob carmina lege maiestatis subverso, id omne e prologi nostri interpretatione, quam tractamus, originem ducit. Notissima, decantata paene dixerim sunt illa, quae viri docti protulerunt de primi libri fabulis secunda et sexta in Tiberium et Seianum conscriptis. Optimo iure iam olim Nisard temeraria illa commenta refutavit, dum rogat, cur de splendida illa Phaedri audacia nusquam alibi mentio sit facta. Ex asse astipulor verbis eius: „Tout cela est une belle histoire, ou plutôt serait le thème d'une belle histoire" [1]). Atque equidem rogare ausim, num credibile sit, impudentem illum plebeium Phaedrum, si re vera tam gravi inquinasset Seianum contumelia, post fabellas cognitas per unum diem vivere potuisse.

At nihilo minus Nisard scripsit: A la verité il faut *toujours* (i. e. opinor: omnibus testimoniis deficientibus) supposer que Phèdre fut maltraité pour des allusions contre Séjan et Tibère [2]), atque vix dubitat Mueller, quin Phaedrus lege maiestatis sit condemnatus [3]). Quin etiam de poena, qua miser poeta est af-

1) Les poètes latins de la décadence Tom. I p. 10.
2) Ibid. p. 11.
3) In disputatione supra laudata.

Digitized by Google

fectus, vix dubitare nos sinit Havet, qui in versu septimo prologi nostri cum Grunero *exitium* in *exilium* mutavit. Hic vero aliquanto periculosius videtur mihi credere quam non credere. Credant igitur viri illi, tam bene de Phaedro meriti, poetam ob carmina damnatum esse, ego non credo.

Alteram nunc interpretationem videamus. Atque nova documenta vel argumenta, quibus eam lectoribus commendem, post illa quae protulerunt Hervieux et Hartman non habeo. Neque dum atra premitur nocte quidquid iniuriarum Phaedrus perpessus est, novi quicquam opinor proferetur. Ceterum idcirco praesertim commendatam velim iterum hanc alteram loci explicationem, quod miror eam se ipsam tot viris doctissimis commendari non potuisse.

Optimum igitur videtur et nunc loci paraphrasin praemittere, subinde paucissimis absolvere, dum expono quibus iam molestiis simus liberati.

Servus Aesopus olim, quae cogitabat, quaeque experiebatur fabellis descripsit et ita calumniam elusit. Ego Aesopum sum secutus, quin etiam plura excogitavi, atque in his nonnulla sunt, *quibus* ⟨*sicut Phryx ille*⟩ *propriae vitae aerumnas et calamitates illustravi.* ⟨Quid enim?⟩ Si non a nequam illo Seiano sed ab alio quodam accusatus et damnatus essem, aequo animo calamitatem meam ferrem, *nec fabulis conscribendis dolorem levare conarer.* Quisquis autem putaverit, se potissimum fabella aliqua carpi, se ipse accusabit. Singulos enim notare non studui, verum ⟨*illic etiam, ubi de propriis infortuniis sermonem faciam*⟩ vitam humanam illustrare propositum mihi erit.

Quam apte nunc post Aesopi illos *affectus proprios in fabellas translatos,* post *calumniam fictis iocis elusam* mentio fit de fabulis nonnullis ab ipso Phaedro *in calamitatem* suam *delectis.* Mihi quidem melius haec placent quam ἀποσδόκητον illud Phaedri malum ex eius carminibus ortum. Quam commode porro atque simpliciter cum proxime praecedentibus nunc cohaerent illa:

Nec his dolorem delenirem remediis.

Nunc demum, si quid sapio, verba suam sibi habent vim, nunc, si quid sentio, versiculi color paene Ovidianus apparet. Prae simplici ac lucida hac sententia, quam ipsa Phaedri verba

Digitized by Google

quasi sponte praebent, sordere mihi videtur Nisardi interpretatio, ne loquar de remedio quo Mueller locum sanare conatus est. Aptissima nunc denique ultima Phaedri admonitio videtur. Praesertim attendamus versus:

Stulte nudabit *animi conscientiam.*
Huic excusatum me velim *nihilo minus.*

Nonne verba *animi conscientiam nudare* optime a Phaedro dicuntur in eos, qui eum Seiano adiutore malo affecerunt? Nonne in priore illa loci interpretatione languida et supervacua sunt vocabula *nihilo minus*, quibus in hac posteriore utcunque opus est ad illustrandam hanc Phaedri sententiam: Ne illos quidem, qui mihi nocuerunt, fabellis meis notare volo. Quapropter vel iis, qui culpae probe sibi sunt conscii quique ut perstringantur dignissimi sunt, *nihilo minus* me excusatum velim.

Promissis suis male stetisse poetam, et ipsius viri indoles et ipsa fabularum conscribendarum ratio perquam reddit verisimile. Atque equidem vix dubitaverim, quin una alterave tertii libri fabella, acerbius fortasse quam ipse voluerit, adversarios quosdam perstrinxerit Phaedrus [1]). In libri epilogo leguntur hi versiculi:

Excedit animus quem proposuit terminum,
Sed difficulter continetur spiritus.

Ecquid his verbis sat obscuris nimiae acerbitatis ipse quadamtenus paenitentiam agit poeta? Sequuntur haec:

Integritatis qui sincerae conscius
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint, requires; apparebunt tempore.

„Noxii" illi fortasse Phaedri aequalibus innotuerunt, fortasse iam cum poeta versiculos suos conscriberet nonnullis, qui scire cuperent, noti erant. Nos autem latent atque opinor latebunt. Optimo tamen iure Hartman in prologi interpretatione sua versus, quos laudavi, ad argumentationem suam stabiliendam attulit. Atque aptissime, hercle, ut hoc unum addam, Phaedri animus *integritatis sincerae conscius* opponitur illorum improborum menti, qui quasi sponte *animi conscientiam nudant.*

1) Quoniam omnia hic sunt incerta, meris suspicionibus proferendis operam et oleum perdere nolui. Quid e. g. cogitandum est de III 4. 6?

Digitized by Google

Ceteroquin epilogo hoc sat singulari omnino opus non esse ad prologum, quatenus quidem fieri possit, recte interpretandum, praecedentibus demonstrasse mihi videor.

Disputatiunculae meae hoc corollarium additum velim. In notissima sua „Romanarum literarum historia" Martin Schanz [1]) de versu:

Quodsi accusator alius Seiano *foret*

haec scripsit:

„Diese Worte können grammatisch nur so verstanden werden, wenn sie zu Lebzeiten Seians geschrieben wurden" e. q. s.

Quae si vera essent, novis in hac re molestiis iisque sat gravibus implicaremur. At nihil omnino obstat, quominus *foret* pro *fuisset* dictum accipiamus. Iam olim complura huiuscemodi „libertatis" exempla contulit J. Fr. Gronovius ad Liv. XXXIV 11.

Lib. IV 2. 5:

Non semper ea sunt, quae videntur; decipit
Frons prima multos, rara mens intellegit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus *sine mercede* existimer,
Fabellam adiciam de mustela et muribus.

Quaeritur adhuc, quid significent verba simplicissima *sine mercede*. En vera crux interpretum. Veterum commenta varia est videre in Burmanni editione neque opinor opus est repetere, quomodo complures ad hunc locum allegaverint Plinii verba: assem para et accipe auream fabellam. Merae hae sunt nugae.

Ad Lucani illa:

scelera ipsa, nefasque
Hac mercede placent. (Pharsal. I 37 sq.)

olim annotavit Burmannus: „Merces hic notat fructum, utilitatem, quae ex tanto malo rediret, si Neroni per haec scelera via ad imperium pararetur." Verissime hoc sane est dictum. Breviter addidit optimus ille philologus: „vid. ad Phaedr. IV 1". Atque duobus his locis collisis potius quam collatis mihi certe fumus et caligo oboriuntur, lux nulla affulget. Nam, si quid

1) Gesch. der röm. Lit. II², 2, p. 30.

Digitized by Google

sapio, a fabella bona praeceptum morale tamquam fructus decerpitur, minime contra fabella praecepti cuiusdam fructus dici potest. Atque plura equidem locis collatis extundere non valeo. Vix enim crediderim Burmannum ita locum Phaedrianum explicare voluisse: praeceptum morale vel sententia quaedam generalis ferri non potest, nisi fabella lepida „mali" sit praemium.

Ceterae explicationes tam veterum quam recentiorum, quotquot mihi innotuerunt, displicuerunt omnes vixque dignae videntur, quas retractem aut redarguam.

Nam ut hoc ultimum interpretationis exemplum afferam, quid faciamus explicatione, quam praebet Siebelis:

„Der Dichter, gewohnt seine Lehren nur in Verbindung mit einer Fabel vorzutragen, betrachtet die nun folgende, welche zur Bestätigung der eben ausgesprochenen Wahrheit dienen soll, *gleichsam als den Lohn* für die seiner Belehrung geschenkte Aufmerksamkeit." *Equidem censeo praeceptoribus esse cavendum, ne pueri talia credant.*

Non multum igitur afuit, quin ex asse astipularer Hartmano ingenue confitenti: quid significent vocabula *sine mercede* iuxta cum ignarissimis ignoro. (Comment. p. 117).

Dubitanter nunc sed omnibus rebus etiam etiamque perpensis curas meas sum prolaturus. Atque arcanam quandam vim hucusque in misellis illis voculis latentem a me nunc denique quasi revelatum iri, quis exspectaverit? Interpretatio, quam dabo, in promptu est.

Pulcherrimus est locus Senecae, qui legitur in libro de tranquillitate animi, ubi in hunc modum loquitur philosophus ille Phaedri aequalis: ⟨Sapiens⟩ se ipsum inter precaria numerat, vivitque ut commodatus sibi et reposcentibus sine tristitia redditurus. Nec ideo est vilis sibi, quia scit se suum non esse, sed omnia tam diligenter faciet, tam circumspecte, quam religiosus homo sanctusque solet tueri fidei commissa. Quandocunque autem reddere iubebitur, non queretur cum fortuna, sed dicet: Gratias ago pro eo, quod possedi habuique. *Magna* quidem *mercede* tuas res colui, sed quia imperas, cedo gratus libensque.

Hoc loco quid significent verba: *magna mercede* neminem fugit. Idem nimirum valent quod *magna mea impensa et cura.*

Ipsam illam *mercedis* significationem libenter arreptam adhibebo

Digitized by Google

ad locum nostrum interpretandum, atque minime inepta hic mihi videtur λιτότης illa: *non sine mercede.* Iam Phaedri verba in hunc modum explico:

Plerique homines rerum specie decipiuntur. ⟨Ita vulgo loquuntur, sed mihi fabularum scriptori non licet cum ceteris sic nude generales sententias repetere. Mihi talia fabella qualicunque sunt illustranda.⟩ Ergo ne me putes *nulla impensa facta nullaque cura adhibita* haec atque talia proloqui, fabellam adiciam.

Rogabit fortasse aliquis, cur hoc tantum loco tali ratiocinationi indulserit poeta, quippe cui ubique fere simile quid proloqui licuerit. Id profecto nescio. Fortasse et in hac re id cogitavit, quod postea de ipsis suis fabulis scripsit: immodica offendunt. Attamen unum Phaedri locum mihi deprendisse visus sum, ubi eum prorsus eadem mente calamum sumpsisse persuasissimum habeo. Libri tertii tertiam fabellam ita incipit noster narrare:

Usu peritus hariolo veracior (velocior l. tr.)
Vulgo esse fertur, causa sed non dicitur,
Notescet quae nunc primum fabella mea.

Verba longe differunt, sed ecce idem ille agnoscitur status mentis, Phaedro inprimis, si quid sapio, dignissimus.

IV 2. 10. Iam de initio fabulae proxime insequentis, illius nimirum, quae nobis „mercedem" ut nonnulli putant, est allatura, pauca monenda videntur. Nam lectio tradita:

Mustela *cum annis et* senecta debilis
Mures veloces non valeret assequi e. q. s.

Haveto displicuit ita ut emendaverit:

Mustela *cum anus ex* senecta debilis e. q. s.

cuius emendationis commendationem miram cognoscere operae pretium videtur. Nam insolentiore, quin etiam nusquam alibi apud Phaedrum obvio, hic conflictamur hiatu: *cúm — anus.* Apparent sane, rarissimi ceteroquin nantes in gurgite vasto, hiatus tales apud bonos poetas. „Ergo et Phaedrum", inquit vir doctus Francogallus „tali ditemus hiatu". Hic ne iocari intempestive videar in re seria, viri tam bene de Phaedro meriti integram super hac re proferamus ratiocinationem [1]):

„Apud multos poetas, sed in paucis plerumque locis, per

1) Phaedri Fab. Aesop. recensuit L. Havet p. 162 § 27.

Digitized by Google

hiatum fieri potest semipes ex vocula et syllaba brevi. Sic *quĭ ămat* Plautus Merc. 20, *quĭ ămant* Terentius Andr. 191 et Vergilius Buc. VIII 108, *quăm hŏmo* Lucilius, *cŭm ŏdore* Lucretius II 681, *tĕ ĭn* Catullus LV 4, *nŭm ădest* Horatius S. II 2, 28. Equidem vix dubito quin talem hiatum apud Phaedrum quoque recte restituerim, quamquam deest apud Senecam".

Hactenus Havet. Haec addita velim. In locis Vergilii, Catulli, Lucretii, Horatii hiatus ille insolentior legitur *in thesi*. Restant igitur unus locus Plautinus, unus Terentianus, unus fortasse Lucilianus. Praeterea repetere mihi liceat: *apud Senecam exemplum invenitur nullum*. Quae cum ita sint equidem vehementer dubitaverim eius generis hiatum Phaedro obtrudere, sed alii viderint.

Nunc quantocius ad lectionem recurramus traditam. Quodnam vitium in illa deprehenditur? Quidnam in textu tradito reprehendat Havet, id nos divinare quam scire maluisse videtur, nam ne uno verbo quidem in hac re nos certiores facit. Suspicor ergo viro docto displicuisse pleonasmum *annis et senecta debilis*, nam aliud gravamen reperire equidem non possum. Vix autem pleonasmus emendatione *cum anus ex senecta debilis* evanescit. Ceteroquin ipsa illa sermonis abundantia in describenda senectute et apta est et usitatissima. Hic ne pluribus exemplis proferendis iusto latius divagemur est periculum. Non potest tamen omitti in hac re locus notissimus eiusdem Phaedri, ubi de leone sene ita narrare incipit:

Defectus annis et desertus viribus
Leo cum iaceret e. q. s.

„At", fortasse respondebit unus et alter, „pleonasmo non offendor, sed molestus mihi est pleonasmus ineptus ita, ut duo substantiva prorsus idem significantia atque artissime insuper inter se nexa importune pro uno ponantur". At ne Ovidium quidem ipsa illa „inutilis" sermonis abundantia male habuit. Pueris enim, opinor, noti sunt Philemon et Baucis, qui

annis aevoque soluti
Ante gradus sacros cum starent forte locique
Narrarent casus [1])

1) Adhuc in recentissima editione Teubneriana stereotypa infelix illud Merkeli commentum *locique navarent curas* viris doctis puerisque vertendum traditur. Lectionem vulgatam Crotone saniorem esse iam ante viginti annos docuit Hartman

Digitized by Google

in arbores sunt mutati. Unico hoc, opinor, loco Phaedri nostri pleonasmus defenditur affatim.

Libenter concedo, locutionem illam *mustela anus* Phaedro dignam esse. At ubi textus traditus sanus est, vel sagacissimis commentis locus nullus.

Lib. IV 4.

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes iratus fero
Auxilium petiit hominis, quem dorso levans
Redit ad hostem *lętus iactis* hunc telis eques
Postquam interfecit, sic locutus traditur:
„Laetor tulisse auxilium me precibus tuis,
Nam praedam cepi et didici quam sis utilis";
Atque ita coëgit frenos *invitum* pati.

Molestias praebet versus quintus, quem olim Bentleius ita dedit:

It in hostem laetus. Iactis hunc telis eques.

Putabat vir summus vocabulum *laetus* sine damno sententiae abesse non posse, nec non multo aptius huic loco esse verbum

---

(Mnem. Vol. XVIII. 1890. p. 192). Anno 1885 Korn edidit: *locique narrarent curas*, de qua lectione tacere satius est. Anno 1898 demum Ehwald in iterata Korniana editione vulgatam restituit. Pauca quaedam de lectione altera *inciperent casus*, de qua nihil olim Hartman, addenda videntur. Nam et hic Merkel multisque ante annis Burmannus summus errasse mihi videntur. Haec igitur Merkel (in editionis suae praefatione): „Poterat edi quod M. habet: *narrarent casus*. Sed id manum poetae si usquam his paginis tersam atque argutam non referre ipsi interpolatores senserunt qui comptius (sic!) *inciperent* dederunt." Atque olim Burmannus: „In septem scriptis offenditur *inciperent*, quod recepi, quia respicitur ad morem, quo aeditui templorum peregrinos edocebant de templorum origine, sacris et aliis, quae venerationem inculerent." Non comptius sed ineptius dictum istud *inciperent*. Nimirum παραδιόρθωσις profecta est ex illorum mente, qui non intellegerent, Philemonem et Baucida placide pieque inter se confabulantes, non curiosorum turbam quandam edocentes a venusto poeta hic induci. Quod si cui ex ipsa narratione apparere non potuerit, mecum aspiciat lectionem istam *narrassent* pro *narrarent* in duobus ut aiunt codicibus obviam. Sed quid multa? Nonne audis, lector, fabellulam suavissime susurranti voce ad finem properantem, inepto isto vocabulo *inciperent*, repente importunissimo mirantium strepitu repletam pessumdari? Hic si parva componere magnis fas est, valet splendidum illud et ingens Euripideum οὐ σῖγα σῖγα. Atque tale quid vel Burmannum aliquem fugere potuisse!

Digitized by Google

ire quam *redire*. Immo prorsus contra est ac dicit. Sonipes iratus non statim fit laetus opinor. Aptissimum, quin etiam necessarium porro mihi videtur redeundi verbum. Nimirum verbis „sonipes iratus fero auxilium petit hominis" lectori attento atque acuto equus ab apro recedens quasi ob oculos depingitur. Iure igitur vulgo edunt:

Redit ad hostem. Iactis hunc telis eques

Unde illud *laetus*? Nam abicere quae molesta sunt cuiusvis est. Dubitanter illa quae suspicor proferam, nam Phaedri manum me restituturum esse vix confidere ausim. Suspicor igitur in textu olim fuisse participium *iaculatus*, idque sive socordia sive inscitia divulsum in *iactus latus* vel tale quid abiisse. Quam saepe porro *latus* et *laetus* in libris manuscriptis confusa sint, quis nescit? Infelicis huius, quam volo, διχοτομίας, forte fortuna hic viciniae invenimus duo exempla luculentissima. Nam *illiteratum plausum* (IV Prolog. 20), in *in literarum plausum* abiit, atque vox ignotior sane *retorridus* (IV 2. 16) in *re territus* mutata est a librariis. Fortasse ergo Phaedrus dedit:

Redit ad hostem. *Iaculatus* telo hunc eques

Male porro me habet in versu nono putida illa sermonis abundantia: *coegit invitum pati*. Lenissima sane mutatione pro *invitum* legere possis *invictum*. Sed iusto audacior haec est correctio. Nam *invictus equus* quid sit nemo non intellegit, ceterum huius locutionis exempla desunt. Notissimi contra sunt *equi indomiti*, *iuvenci indomiti*, *muli indomiti*. Dubitanter igitur viris doctis *indomitum* propono. Ita languidum illud *invitum* in alterum sonipedis epitheton aptissimum vereque Phaedrianum mutatur (cf. Babr. 37. 7: μόσχος ἀδμής).

IV 6. Quo longius fabellis Phaedrianis perlegendis, explicandis, pro virili castigandis operam navo, eo plus nugarum illarum nativo lepore delector. De gustibus autem disputare, id opus videtur periculosum semper, ingratum haud raro. Nam corruptum, emendandum, emendatum denique esse versiculum quendam, id ratione et oratione probaveris, illic vero ubi pulchri sensu mero et sonum et sensum et rhythmum verborum pro se quisque trutinatur, Πειθώ vel Periclea vulgo fatiscit. Solent autem hic ob minima et in minimis potissimum oriri maximae

Digitized by Google

discordiae, ita ut illi, quos communi admiratione parique etsi non simili stupore devincit ingens ille Homerus, de Vergilio iam inter se dissentiant, in Aristophane se invicem „non intellegant", ob Phaedrum aliquem si usu venerit, paene rixentur. At ne porro verbis grandisonis tiro philologus indulgeam, simulque propositi ordinem exsequar, exemplum proferam. Hartmanus, magister aestumatissimus olim de Phaedriana fabula, quae inscribitur: Canum legati ad Iovem, haec scripsit [1]): „nihil unquam spurcius ineptiusque scriptum est". Inepta procul dubio est fabella, sicut nunc exstat, at nihilo minus nonnullis eius narrationis versiculis vehementer delector:

Profecti sunt legati non celeri pede
Dum naribus scrutantur escam in stercore.

Versiculi mihi videntur vel Brederodio quodam digni, quos ut vernaculo sermone reddam sponte hortatur animus. Poetam artificem equidem agnosco, plebeium κατ' ἐξοχήν sed artificem. Sed de his non plura. Ad ipsam fabellam infra redibo.

Nunc ad fabulam quam indicavi transeamus. Totam dabo:

Pugna murium et mustelarum.
Cum victi mures mustelarum exercitu
(Historia quorum in tabernis pingitur)
Fugerent et artos circum trepidarent cavos,
Aegre recepti tamen evaserunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant ut conspicuum in proelio
Haberent signum, quod sequerentur milites,
Haesere in portis suntque capti ab hostibus.
Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi mersit tartareo specu.
Quemcunque populum tristis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum;
Minuta plebes facili praesidio latet.

In versu primo pro *exercitu exercitum* edidit Bentleius, quem nonnulli, inter quos est Havet, sunt secuti. De hac quaestiuncula ita olim Hartman [2]): „Sive retines *exercitu* sive cum

1) Comment. p. 37.
2) Comment. p. 106 sq.

Digitized by Google

Bentleio legis *exercitum*, ineptissimus est versus primus. Animo enim tibi finge lector, mures victos a mustelis nimirum. Necesse est *ergo* [1]) eos re vera congressos esse et proelium commisisse. Nunquam vidi iniquius certationem comparatam [2]); exanimes enim semianimesque mures quomodo *fugere* immo *evadere* potuerint non video. Sed initium non est ineptius quam reliqua fabula" e. q. s. Fuit olim, cum viri docti verbis ex parte saltem astipulari cogerer. Nam etsi tota fabula depravata mihi minime videbatur, eius initium misere corruptum esse, penitus sentire mihi videbar. Emendare igitur versiculum primum sedulo sed frustra sum conatus. Collata porro Babrii narratiuncula [3]), Phaedrianam fabellam decurtatam, *ἀκέφαλον* ad nos pervenisse sat diu suspicatus sum. Haesi ergo, nec quid porro hic cogitarem excogitaremve habui. Molestus etiam mihi erat versus secundus. Nimirum illud

Historia quorum in tabernis pingitur

glossema vel potius scioli additamentum putavi [4]). At meliora me docuere opinor *αἱ δεύτεραι Φροντίδες*, quibus inductus sum, ut nunc fabulam sanam, integram, sat lepidam existimem.

Nimirum ipsum illud „emblema" fabellae est initium verum et quasi cardo [5]). Vidit poeta in taberna vel in tabernis opus

---

1) Typis cursivis dedi ego.

2) At ipsa illa iniqua certatione depingenda egregie delectatus fuisse videtur lepidissimus ille Fontanius (IV 6):

La victoire balança:
Plus d'un guéret s'engraissa
Du sang de plus d'une bande.
Mais la perte la plus grande
Tomba presque en tous endroits
Sur le peuple souriquois.

Operae pretium videtur ad quaestiunculam nostram illustrandam unum aliud exemplum e Phaedrianis fabulis afferre. Nonne rectae rationi ineptissimi mortalium dicendi sunt illi agricolae (III 2), qui pantherae fovea captae primum miserentur, deinde animali feroci „*panem* mittunt", postremo securi abeunt, „quasi inventuri mortuam postridie"? Displiceat igitur Phaedrus, displiceat per me licet vel Fontanius, dummodo concedamus, illos viros sic voluisse.

3) Babrius fab. 31.

4) Hartm. ll. versiculum omittit.

5) Egregie id perspexit Nisard: (Etudes sur les poètes latins de la décadence I p. 24.) „Il voit sur les murs *d'un* cabaret (? in tabern*is*) charbonné de mains d'ivrogne (unde haec rescivit vir summus?) un combat entre les belettes et les rats" e. q s.

Digitized by Google

tectorium et „continuo narrare coepit". Quamnam imaginem aspexerit, quis quaerat? Aspexit mures nonnullos „trepidantes circum cavos", unum procul dubio alterumve dimidia iam ex parte elapsum ex oculis, hic illic porro „ducem" aliquem miserum a mustela captum. Ecquis negaverit, *victos* esse illos mures, *victos* optimo iure appellari posse? Non opinor. Persae apud Cunaxam πρὶν τόξευμα ἐξικνεῖσθαι insano metu perculsi terga verterunt. Victos eos tum fuisse, quis dubitaverit? Ut uno verbo rem absolvam: *ergo* illud Hartmani falsum est.

Ad fabellam nostram redeamus. At cur tandem fusius de illa disputabo? Vide sis, ut agilis, rerum ordine lepidissime inverso properet brevis narratiuncula ad „moralitatem". Aliter profecto enarrari potuit, (cf. Babrii praelongam fabulam) at omnino non debuit.

Restat ut secundum versiculum leni correctione emendemus. Una deest syllaba, una addita vocula non solum τὸ τοῦ ῥυθμοῦ κεχηνός curatur, ut nunc vulgo fit, cum editur

Historia quorum ⟨*et*⟩ in tabernis pingitur,

sed simul aptissimo et artissimo vinculo inter se coniunguntur fabulae primus secundus tertius versus. Legamus confidenter:

Cum victi mures mustelarum exercitu,
Historia quorum ⟨*ut*⟩ in tabernis pingitur,
Fugerent e. q. s.

IV 8. In officinam fabri venit vipera.
Haec cum temptaret, siqua res esset cibi,
Limam momordit.

Immo *limam admomordit* sive *ammomordit* [1]). Confer locum notissimum Propertii (IV 10. 53 in edit. Muelleri)

Bracchia spectavi sacris *admorsa* colubris.

Optime porro *admordendi* verbo illustratur fabulae promythium:

Mordaciorem qui improbo dente *ap*petit e. q. s.

Semel iterumque μεταφορικῶς admordendi verbo usus est Plautus vi τοῦ damnum afferre. Quin ipsum perfectum *admemordit* Plauto vindicat Gellius VI 9.

---

1) „*Rodere* coepit limam" Romulus.

Digitized by Google

IV 9. 12. Dolosa vulpes evadit e puteo, nixa stolidi hirci altis cornibus

Hircumque *clauso* liquit *haerentem* vado.

Corruptus est versus, nam *clauso vado* sensu cassum est, ut iam Hartman monuit (Comment. p. 118). Vadum non clauditur sed ipse hircus clauditur, sicut modo vulpes „claudebatur altiore margine". Porro equidem in fine fabulae aegre desidero vocabulum, quo illustretur hirci decepti dolor. (cf. tua calamitas I 3, 16; deploras I 9, 10; o me infelicem I 12, 13; deceptus stupor ingemuit I 13, 12; merito iaces I 27, 9; merito plectimur I 31, 13; tristi nece II 6, 17; tum maestus ille IV 11, 10; pari dolore deflesset App. 17, 8; fata deflebo mea App. 19, 9.)

Proponere ausim:

Hircumque *clausum* liquit *maerentem* vado.

(*Continuabuntur*).

AD HORATII EPL. I, 11, 1.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos.

Quod semper fit in locis corruptis, ea quae ad istud *nota* defendendum afferunt viri traditorum tenaces luce clarius demonstrant hoc loco vocem illam *nullo modo* ferri posse. Referre ista piget; statim potius dicam quid legendum mihi videatur. Sequitur:

Quid concinna Samos?

Istud adiectivum, quamvis fortasse hoc solo loco de *regione* dictum inveniatur, tamen quid sibi velit minime est obscurum. Reputemus modo cuiusmodi *homo* ab Horatio „concinnus amicis" dicatur: is, ut opinor, qui non est morosus querulusve, sed lenis comisque. Regio ergo concinna ea est ubi satis iucunde commodeque vivi possit. Cum illa qualis regio recte componitur? Nulla rectius, me iudice, quam ea quae non iucundam solum sed etiam *lautam* vitam polliceatur. Legamus ergo *lautaque Lesbos.*

J. J. H.

Digitized by Google

ANNOTATIONES CRITICAE AD PLUTARCHI OPERA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex Vol. XXXVIII pag.* 448).

Philopoemen c. XIX Cum Philopoemen vinctus in acerbissimi hostis sui, Dinocratis Messenii, venisset potestatem, pauci erant qui, ut Dinocrati gratificarentur, torquendum necandumque eum censerent

ὡς βαρὺν πολέμιον αὐτῷ τε Δεινοκράτει φοβερώτερον, εἰ διαφύγοι καθυβρισμένος ὑπ' αὐτοῦ καὶ γεγονὼς αἰχμάλωτος.

Immo φοβερώτατον. Omnino gravis erat hostis Philopoemen, sed post illam contumeliam ipsi Dinocrati vel maxime metuendus.

C. XXI Ad ulciscendum Philopoemenem Achaei duce Lycorta impetum in Messeniam faciunt agrumque vastant

ἄχρι οὗ συμφρονήσαντες ἐδέξαντο τοὺς Ἀχαιούς.

Neque *consentire* συμφρονεῖν hic significare potest, non enim sermo fit de hominibus antea inter se dissentientibus, neque „perspiciendi" sensu est accipiendum, non enim *quid* perspiciant apparet. Legendum censeo σωφρονήσαντες: feroces illi Achaeorum hostes ad sanam mentem redeunt et γιγνώσκειν ἑαυτούς incipiunt.

Tum et poenas dignas dederunt alii et qui torquendum Philopoemenem censuerant eos Lycortes comprehendit ἐπ' αἰκίαις ποιούμενος.

Vocabula Graeca nemo intellexit unquam vel probabiliter emendavit. Fortasse deleto ποιούμενος locus in integrum restituitur: *ad tormenta* illos ipsos comprehendit servavitque.

Digitized by Google

Flamininus c. II Mirum est quod inter magistratus, quos Flamininus praeterit tamquam *συνήθεις τοῖς νέοις*, etiam *aedilitas* atque adeo *praetura* nominatur.

ib. *κλήρῳ δὲ λαγχάνει τὸν πρὸς Φίλιππον καὶ Μακεδόνας πόλεμον, εὐτυχίᾳ τινὶ τῶν Ῥωμαίων συλλαχὼν πράγμασι καὶ ἀνθρώποις κτέ.* (sequuntur quaedam quibus rerum hominumque illorum natura describitur).

Legendum suspicor *συντυχών*, non quod non possit eodem sensu *συλλαχών* dici, sed quia istud *λαγχάνει ... συλλαχών* nimis durum videtur: brevissimo enim spatio idem verbum et quotidianam vim habet et metaphoricam.

C. IV Quid est *περισπᾶν τοῖς ἀκροβολισμοῖς τοὺς πολεμίους*? Didotiana habet ‚lacessere'. Equidem malim vertere: „occupatos tenere et defetigare". Sub finem capitis VIII eiusdem verbi recurrit passivum, sed sensu a nostro loco alieno: *ὥστε ταχὺ καὶ τοὺς νικῶντας περισπᾶσθαι καὶ φεύγειν.*

Quae paulo post sequuntur sic distinguenda sunt:

ὅ τε ἥλιος ἀνέσχε, καὶ καπνὸς οὐ βέβαιος, ἀλλ' οἷον ὄρειος ὀμίχλη, πόρρωθεν ἀνατέλλων καὶ διαφαινόμενος, τοὺς μὲν πολεμίους ἐλάνθανε κτέ.

In quibus *διαφαινόμενος* nubem significat per quam penetrant solis radii. Denique notetur locutio *τὴν ἐλπίδα πρὸς τὸ βουλόμενον λαμβάνειν*, idem fere significans quod vernaculum: „gelooven wat men hoopt".

C. V Philippo fugiente et sua regione ultro cedente, Flamininus milites suos iubet raptu abstinere quoniam ipsorum iam esset terra illa:

καὶ μέντοι καὶ παρεῖχεν αὐτοῖς τὰ γινόμενα τῆς εὐταξίας αἴσθησιν εὐθύς.

Paulo liberius hic illud *αἴσθησιν* positum est, licet aliquatenus conferri possit quod legitur *Arist.* c. VI: *πασῶν δὲ τῶν περὶ αὐτὸν ἀρετῶν ἡ δικαιοσύνη μάλιστα τοῖς πολλοῖς αἴσθησιν παρεῖχε*, h. e. „Aristidis virtutum iustitia maxime se hominibus dabat *sentiendam*", ita tamen ut *sentiendi* verbum in bonam partem accipiatur, quo facto haec fere fit sententia: „nulla illarum

Digitized by Google

virtutum plures *ferebat* reipublicae quam iustitia *fructus*". Et nostro loco: „ea quae evenerunt statim iis praemium fructumque illius praebebant modestiae", sive: „ea quae evenerunt statim iis facultatem dabant sentiendi experiendique quam bona res modestia esset".

ib. in verbis τὰς πόλεις ἐνεπίμπλασαν εὐνοίας τῆς πρὸς αὐτὸν ὡς ἐχούσας ἡγεμόνα τῆς ἐλευθερίας legendum esse ἐχούσης demonstravi Mnem. 1904 p. 48.

C. VII Flamininus milites suos ad virtutem adhortabatur

ὡς ἐν τῷ καλλίστῳ θεάτρῳ τῇ Ἑλλάδι μέλλοντας ἀγωνίζεσθαι πρὸς τοὺς ἀρίστους τῶν ἀνταγωνιστῶν.

Non, ut opinor, Graece loqui nesciebat Plutarchus; non ergo istud τῷ ipse addidit. At Philippus contionis militaris habendae causa altum quoddam conscendit ... sepulcrum

εἴτε ἀπὸ τύχης εἴτε ὑπὸ σπουδῆς παρὰ τὸν καιρὸν ἀγνοήσας.

In his prave abundare mihi ἀγνοήσας videtur.

C. VIII Soluta dispersaque phalange Macedonica, etiam singuli milites minus quam antea valent ét alias ob causas ét

ὅτι (ἕκαστος) παντὸς ὅλου τοῖς παρ' ἀλλήλων μέρεσι μᾶλλον ἢ δι' αὑτὸν ἰσχύει.

Corruptissima haec; viri docti fere istud παντὸς ὅλου solum sollicitant tamquam si sana essent cetera omnia. Equidem praesertim in μέρεσι haereo. Requiritur fere: παντὸς ὅλου μέρος ὢν μᾶλλον ἢ δι' αὑτὸν ἰσχύει: singuli militēs non suis valent viribus sed quod summae totius quisque pars est.

C. X Cum in eo Flamininus esset ut de decem legatorum sententia ceteram Graeciam liberaret, sed tres urbes praesidio obtineret

ἐνταῦθα δὴ ταῖς κατηγορίαις λαμπροὶ λαμπρῶς τὰς πόλεις ἀνερρήγνυσαν Αἰτωλοί.

Verbum ἀναρρηγνύναι huius loci non est. Lege ἀνερρίπισαν.

ib. Postquam exposuit qui fieri potuerit ut ingentis multitudinis clamore corvi de caelo deciderent, novam hanc profert coniecturam

Digitized by Google

δύναται δὲ καὶ περιδίνησις εἶναι τοῦ ἀέρος, οἷον ἐλιγμὸν ἐν πελάγει καὶ πάλιν ῥύμην τοῦ σάλου διὰ μέγεθος λαμβάνοντος.

Hinc me non expedio. Didotiana habet: „potest etiam hoc fieri turbine quodam aeris, quum maris ille instar ob clamoris magnitudinem involvatur rursumque cum impetu sese explicet." Sed neque unde „clamoris" istud habeat apparet, neque quo iure ῥύμην accipiat tamquam ἐλιγμῷ contrarium. Nihil enim ea vox habet quod nobis suggerat imaginem turbinis sese evolventis.

C. XII Postquam narravit nulla re gloriatum magis esse Flamininum quam quod Graeciae reddidisset libertatem, eiusque rei argumenta attulit versus Graecos ab ipso Flaminino compositos, sic Plutarchus pergit:

τῇ γοῦν Κορινθίων πόλει πρὸς τοὺς Ἕλληνας τὸ αὐτὸ δὶς ἤδη συμβέβηκε.

Haud dubie δ' οὖν legendum. Non enim praecedentium hic ratio redditur, sed narrationem *abrumpit* scriptor et ita loquitur: „sed quomodocunque se ea res habet, Corinthus bis ea felicitate usus est ut communis patriae libertas ibi proclamaretur", et deinde addit quae ipse Neronem ibi audivit declamantem.

C. XV Longa protasi (ἐπεὶ δὲ κτέ.) describitur periculum in quod respublica Romana pervenerit Antiocho cum magna classe Graeciam petente Aetolisque defectionem atque adeo apertum bellum parantibus. Tum sic pergit:

καὶ σφόδρα δείσαντες οἱ Ῥωμαῖοι ... στρατηγὸν μὲν ὕπατον τοῦ πολέμου Μάνιον Ἀκίλιον κατέπεμψαν κτέ.

A σφόδρα incipere debet apodosis. Deleatur ergo καί.

Cum eo et ipse Flamininus est profectus, Graecorum maxime causa

ὧν τοὺς μὲν εὐθὺς ὀφθεὶς ἐποίησε βεβαιοτέρους, τοὺς δὲ ἀρχομένους νοσεῖν ὥσπερ τις ἐν καιρῷ Φάρμακον ἐνδιδοὺς τὴν πρὸς αὐτὸν εὔνοιαν ἔστησε καὶ διεκώλυσεν ἐξαμαρτεῖν.

Utique τις eximendum. Pulchre Flamininus dicitur amore Graecorum erga ipsum tanquam remedio discordiae usus.

C. XVI Carminis quod in honorem Romanorum et Flaminini etiamnunc cantant Chalcidenses, ultimam partem servavit Plu-

Digitized by Google

tarchus, sed quos versus primos citat, eorum neque caput neque pedes constant:

πίστιν δὲ Ῥωμαίων σέβομεν
τὰν μεγαλευκτοτάταν ὅρκοις φυλάσσειν.

Ecquid θέλομεν?

C. XVII Rogatus aliquid a Dinocrate Messenio Flamininus ταῦτα μὲν ἔφη σκέψεσθαι.

Sintenisius de more σκέψασθαι retinuit.

ib. Achaeos copias Antiochi, ab eius legatis enumeratas, metuentes lepide erexit Flamininus monendo omnes illos milites, quamvis variis ornentur nominibus, Syros esse, homines ignavissimos, remque iocosa illustrat narratiuncula „cum quondam" ait „apud hospitem cenarem eumque non sine admiratione quadam vituperarem quod tam multas apponeret carnes, respondit ille: suillae sunt omnes, sed variis modis paratae conditaeque". Haec, ut opinor, Flamininus dixit audivitque παρά τῳ ξένῳ, non, quemadmodum nunc legitur παρὰ τῷ ξένῳ. Ad nullum enim certum Flaminini hospitem ea referri verba possunt.

C. XVIII In notissima narratiuncula de Lucio Flaminino eiusque amasio hic se, quamvis nunquam hominem occidi vidisset, tamen illius causa gladiatorum pugnam neglexisse ait

τὸ πρὸς ἐκεῖνον ἡδὺ τοῦ πρὸς αὐτὸν ἐν πλείονι λόγῳ θέμενος.

Mire dicta haec hoc sensu: „pluris faciens quod illi quam quod sibi iucundum esset." Sic enim vertere malim quam cum Didotiana: „voluptati illius sua ipsius voluptate postposita."

C. XIX Hunc Lucium senatu movit Cato, atque ob eam causam Titus Flamininus gravissimas in Catonem suscepit inimicitias ita ut omnibus eius consiliis adversaretur

οὐκ οἶδ' ὅπως εὖ καὶ πολιτικῶς καὶ πρὸς ἄρχοντα νόμιμον καὶ πολίτην ἄριστον ... ἀνήκεστον ἔχθραν ἀράμενος.

Caecutiat oportet editor qui Schaeferi emendationem καί (quod ante πρός legitur) delentis commemoret sed non recipiat in textum. Hoc quoque notatu dignum quod οὐκ οἶδ' ὅπως hic vim habet *negativam*.

Digitized by Google

C. XX Flamininus novos usque appetebat honores, eaque res iudice Plutarcho ipsi honori erat quamdiu bellum etiam gerere poterat:

καὶ γὰρ ἐχιλιάρχησεν αὖθις μετὰ τὴν ὑπατείαν.

„Sed quod etiam aetate confectus undique gloriolam quamvis inanem consectabatur hoc iure ei vitio dabant homines". Et exempli causa affertur Hannibal, sine ulla idonea causa, sed ut Hannibalis interfector dici posset, ab eo ad mortem adactus. De ea re in sequenti capite pulcherrima haec leguntur:

οὐκ ὀλίγοις ἐπαχθὴς ἔδοξεν ὁ Τίτος καὶ περιττὸς ἄγαν καὶ ὠμὸς ὥσπερ ὑπὸ γήρως ἀπτῆνα καὶ κόλουρον ἀφειμένον ζῆν χειροήθη τὸν Ἀννίβαν ἀποκτείνας, οὐδενὸς ἐπείγοντος, ἀλλὰ διὰ δόξαν, ὡς ἐπώνυμος τοῦ θανάτου γένοιτο.

In quibus omnia egregie sunt enuntiata et iure suum sibi obtinent locum. Sed minime ferendum quod vocabula *οὐδενὸς ἐπείγοντος*, quae hic singulare habent acumen, etiam in capite XX post vocabula citata *καὶ γὰρ ... μετὰ τὴν ὑπατείαν* sunt posita: ibi enim de iis agitur rebus in quibus illud gloriae studium iustam habuit causam et egregios tulit fructus. Quam saepe Plutarchi textus eiusmodi repetitionibus atque adeo *προλήψεσι* est commaculatus!

ib. Quod Midas quoque, item ut Themistocles, dicitur *αἷμα ταύρειον πιεῖν* novum mihi est.

Comparatio Philopoemenis et Flaminini c. II „Quod Philopoemen bellum cum Graecis gessit triste quidem fuit sed facultatem ei praebuit egregiam suae virtutis demonstrandae: gessit enim cum Spartanis fortissimis, Cretensibus versutissimis Graecorum."

Egregie haec cohaerent sed ineptissime divelluntur interposita sententiola aut sensu cassa aut certe inanissima:

οἷς γὰρ ὅμοια τἄλλα τῷ προὔχειν ἀρετῇ κρατοῦσι.

C. III *γενναῖα μὲν οὖν Τίτου τὰ πρὸς τοὺς Ἕλληνας ἐπιεικῆ καὶ φιλάνθρωπα, γενναιότερα δὲ Φιλοποίμενος τὰ πρὸς τοὺς Ῥωμαίους ὀχυρὰ καὶ φιλελεύθερα· ῥᾷον γὰρ χαρίζεσθαι τοῖς δεομένοις ἢ λυπεῖν ἀντιτείνοντα τοὺς δυνατωτέρους.*

Hic Naberus ante *λυπεῖν* inserit *μή*, iniuria si quid ego video.

Digitized by Google

Haec enim est sententia: „morem gerere iis qui aliquid a te petunt facilius est et minus molestum, quam potentes irritare obsistendo eorum voluntati; atqui qui facit quod minus est molestum minore laude dignus quam qui molestiorem rem peragit, ergo maior Philopoemenis quam Flaminini laus".

Pyrrhus c. VI Pyrrhus multa magnaque mente agitans sed spe tantummodo proxima quaeque arripiens

εὗρεν ἐμφῦναι τοῖς Μακεδόνων πράγμασιν ἐκ τοιᾶσδε τινος προφάσεως.

Excidit substantivum unde infinitivus ἐμφῦναι pendebat („facultatem" vel tale aliquid). Didotiana: „ut se Macedonicis negotiis immisceret hanc nactus est ansam", tamquam si τοιάνδε τινὰ πρόφασιν esset traditum.

C. VII Demetrius et Pyrrhus iam antea inimicitias inter se gerebant

ἐπεὶ δὲ καὶ κατασχόντες ἀμφότεροι Μακεδονίας συνέπιπτον εἰς τὸ αὐτό.

Unde pendet genitivus Μακεδονίας? Si a τὸ αὐτό, quid sibi vult nudum istud κατασχόντες?

C. XI Demetrii milites ducem suum relinquere cupientes Pyrrhum quaerebant et ubi ille esset rogitabant

ἔτυχε γὰρ ἀφῃρημένος τὸ κράνος ἄχρι οὗ πάλιν συμφρονήσας καὶ περιθέμενος ἐγνώσθη.

Haud dubie πάλιν transponendum est ut cum περιθέμενος iungatur: „donec intellecto (cur frustra quaereretnr) denuo imposita capiti galea a militibus agnosceretur".

C. XIV Cineas quoniam etiam Demosthenem audiverat

ἐδόκει μόνος εὖ μάλιστα τῶν τότε λεγόντων οἷον ἐν εἰκόνι τῆς ἐκείνου δυνάμεως καὶ δεινότητος ἀναμιμνήσκειν τοὺς ἀκούοντας.

Saepe, ut et hic, μόνος superlativi habet vim: „omnium illius temporis oratorum maxime". Removeatur ergo istud εὖ μάλιστα explicandi gratia in margine adscriptum.

ib. Rogante Cinea quo modo Macedones, si Romanos vicissent, sua usuri essent victoria, Pyrrhus

Digitized by Google

ἐρωτᾷς, εἶπεν, ὦ Κινέα, πρᾶγμα Φαινόμενον.

Mire et insolite sic *res perspicua manifestaque* significatur.

C. VI Ut Tarentinos ad gravitatem modestiamque redigeret

ἀπέκλεισε μὲν τὰ γυμνάσια καὶ τοὺς περιπάτους, ἐν οἷς ἀλυόντες ὑπὲρ τῶν πραγμάτων λόγῳ διεστρατήγουν.

Quid sit ἀλύειν ὑπὲρ τῶν πραγμάτων nescio ; λόγῳ plane abundat, nam τὸ διαστρατηγεῖν semper fit oratione.

ib. Impetum facit in hostes Pyrrhus

αὐτόθεν τε περίοπτος ὢν ὅπλων κάλλει καὶ λαμπρότητι κεκοσμένων περιττῶς, καὶ τὴν δόξαν ἐπιδεικνύμενος ἔργοις οὐκ ἀποδέουσαν τῆς ἀρετῆς.

Immo vero τῆς δόξης ... τὴν ἀρετήν. Haec enim sententia requiritur: rebus ipsis Pyrrhus ostendebat virtutem suam non esse infra famam.

C. XVIII Nemo e senatoribus Romanis Pyrrhi dona accepit

καίπερ ἄνδρας τε τοὺς ἡλωκότας ἐν τῇ μάχῃ δίχα λύτρων ἀφιέντος αὐτοῖς τοῦ Πύρρου καὶ συγκατεργάσασθαι τὴν Ἰταλίαν ἐπαγγελλομένου.

Donec docuerint nos Sintenisii promitti ea quae peracta iam sunt, hic συγκατεργάσεσθαι legemus.

C. XIX ἄχθομαι ait Appius Claudius in celebri illa oratione

πρὸς τῷ τυφλὸς εἶναι μὴ καὶ κωφὸς ὢν ἀλλ' ἀκούω αἰσχρὰ βουλεύματα κτἑ.

Ut vitetur hiatus simulque bene decurrens restituatur sententia, pro ἀκούω cum „deterioribus" est legendum ἀκούων.

ib. λέγεται δὲ Κινέαν, ἐν ᾧ ταῦτ' ἔπραττεν ἅμα ποιησάμενον ἔργον καὶ σπουδάσαντα τῶν τε βίων γενέσθαι θεατήν κτἑ.

Deleatur καὶ σπουδάσαντα, manifestum interpretamentum praecedentis ποιησάμενον ἔργον.

C. XXI Vehementem in Pyrrhi hoplitas impetum faciunt Romani

τὸ τρῶσαι καὶ καταβαλεῖν ὁρῶντες, τὸ δὲ παθεῖν εἰς οὐδὲν τιθέμενοι.

Digitized by Google

Pro ὁρῶντες requiritur verbum quod *studendi cupiendique* vim habeat.

ib. Pyrrhus vincit vi beluarum

τῶν Ῥωμαίων . . . οἷον ἐφόδῳ κυμάτων . . . οἰομένων δεῖν ἐξίστασθαι μηδὲ ὑπομένειν ἀπράκτους ἀποθνήσκειν ἐν τῷ μηδὲν ὠφελεῖν πάντα πάσχοντας τὰ χαλεπώτατα.

Non bene ὑπομένειν et ἀπράκτους ἀποθνήσκειν inter se iunguntur; deleto ὑπομένειν et sanus sensus et sententiae structura restituitur.

C. XXII εἰς ἐλπίδας ἀνέπεσε.

Immo vero ἐνέπεσε.

ib. Dubius haeret Pyrrhus quorsum se primum convertat, in Siciliam an in Graeciam.

εἶτα τοῖς Σικελικοῖς μειζόνων ὑποκεῖσθαι πραγμάτων δοκούντων, Λιβύης ἐγγὺς εἶναι δοκούσης, ἐπὶ ταῦτα τρέψας Κινέαν μὲν ἐνθὺς ἐξέπεμψε κτέ.

Quae sit ista Pyrrhi deliberatio me quidem fugit, et propter ineptam verbi δοκεῖν repetitionem Plutarchi verba labem contraxisse suspicor. Quid quod Africa vicina Siciliae *est*, non *videtur*.

ib. In Erycis arce oppugnanda terribilis aspectu hostibus fuit Pyrrhus

καὶ τὸν Ὅμηρον ἔδειξεν ὀρθῶς καὶ μετ' ἐμπειρίας ἀποφαίνοντα τῶν ἀρετῶν μόνην τὴν ἀνδρείαν Φορὰς πολλάκις ἐνθουσιώδεις καὶ μανικὰς φερομένην.

Obscura haec; ultimum vocabulum corruptum videtur.

C. XXIII Carthaginiensibus, si foedus fieret pecuniam classemque offerentibus Pyrrhus

ἀπεκρίνατο μίαν εἶναι διάλυσιν καὶ φιλίαν πρὸς αὐτούς, εἰ πᾶσαν ἐκλιπόντες Σικελίαν ὅρῳ χρῶνται τῇ Λιβυκῇ θαλάσσῃ πρὸς τοὺς Ἕλληνας.

Superbi reponsi vim infregit sciolus intempestive post ἀπεκρίνατο inserens πλειόνων ἐφιέμενος, quae verba ei suppeditavit id quod proxime sequitur πρώτης δὲ Λιβύης ἐφιέμενος. Sic repetitio vere intolerabilis nascitur.

Digitized by Google

C. XXVII Pyrrho copias suas Spartam ducente Spartani vallum facere decreverunt quod fodiendum cum senibus in se receperunt feminae; eos qui aetate militari erant quiescere iusserunt

καὶ λαβοῦσαι μέτρον αὐταὶ καθ' αὑτὰς ἐξειργάσαντο τῆς τάφρου τὸ τρίτον μέρος.

Pro *μέτρον* instrumentum quo foditur exspectes.

C. XXVIII In proelio cum Pyrrhi militibus strenue pugnantem Acrotatum iuvenem, quem Chilonis regina deperibat, Spartani admirabantur:

ἐπεὶ δὲ ἀπῄει πάλιν διὰ τῆς πόλεως ἐπὶ τὴν αὑτοῦ τάξιν αἵματος κατάπλεως καὶ γαῦρος ὑπὸ τῆς νίκης ἐπηρμένος [καὶ] μείζων ἔδοξε γεγονέναι καὶ καλλίων ταῖς Λακαίναις καὶ τὴν Χιλωνίδα τοῦ ἔρωτος ἐζήλουν.

Inclusi particulam *καί*, quia a *μείζων* incipit apodosis, et Graecum est *μείζων καὶ καλλίων*, non *καὶ μείζων καὶ καλλίων*.

ib. Egregium se inter Pyrrhi comites bellatorem praestitit Phyllius quidam, qui, cum vulneribus se confectum sentiret, in locum suum recepit commilitonem pone stantem, quo facto

ἔπεσεν ἐντὸς τῶν ὅπλων ὥστε μὴ γενέσθαι τὸν νεκρὸν ὑπὸ τοῖς πολεμίοις.

Immo vero *ἐπί*: corpus suum in manus hostium venire noluit Cf. c. XXVII: Chilonis restim paratam habebat *ὅπως ἐπὶ τῷ* Κλεωνύμῳ *μὴ γένοιτο τῆς πόλεως ἁλούσης.*

C. XXIX Pyrrhus cum in somnio Spartam de coelo tactam vidisset, simul atque experrectus est laetus speique plenus omnia ad oppugnationem parare iussit duces suos, amicis vero et somnium illud narravit:

οἱ μὲν οὖν ἄλλοι θαυμασίως ἐπείθοντο, Λυσιμάχῳ δ' οὐκ ἤρεσκεν ἡ ὄψις κτέ.

Optimae est Latinitatis quod dat interpres Didotianus: „quum id reliquis *mirifice* probaretur", sed Graecum adverbium *θαυμασίως* sic ut hic cum verbo *πείθεσθαι* iunctum corruptelae mihi movet suspicionem. Possit aliquis ad Platonicum illud *θαυμασίως ὡς* provocare, sed specie quam revera firmior ea sit defensio.

Sed fortiter Pyrrhi impetum sustinuerunt Spartani iisque

Digitized by Google

strenue operam Spartanae navaverunt. Et praeterea in tempore adfuerunt subsidia militum diu exspectata. Tum vero

αἵ τε δὴ γυναῖκες εὐθὺς ἐπὶ τὰς οἰκίας ἐσκεδάσθησαν οὐδὲν ἔτι πολυπραγμονεῖν ἀξιοῦσαι τῶν πολεμικῶν.

Non placet *ἀξιοῦσαι*, praestaret certe: „necessarium iudicantes".

C. XXX Iam abundante copiis urbe, quam se nullo negotio expugnaturum speraverat

τόν τε Πύρρον ἔσχε μέν τις ἀλκὴ καὶ Φιλοτιμία μᾶλλον διὰ τοὺς προσγεγονότας κρατῆσαι τῆς πόλεως.

Quae illa bellatoris acerrimi fuerit *Φιλοτιμία* res ipsa clamat: auctae hostium copiae stimulos ei subiiciebant honoris. Sed *ἀλκή* non est huius loci: exspectamus aliquid quod *ardorem* et pugnandi studium significet.

ib. Sparta Argos castra moventem Pyrrhum subsequuntur Spartani eiusque agmini negotia facessunt; ex angustiis milites suos educit Pyrrhus filiumque Ptolemaeum ex ultimo agmine ad se vocat. In illum patris imperio parentem vehementem faciunt impetum Spartani, et cum ab hoste confossus concidisset comitesque eius se in fugam dedissent

οἱ Λακεδαιμόνιοι διώκοντες καὶ κρατοῦντες ἔλαθον εἰς τὸ πεδίον συμβαλόντες καὶ ἀπολῃφθέντες ὑπὸ τῶν ὁπλιτῶν.

Lacunam in textu relictam hic mallem, sponte enim intelligeremus quid actum esset: persequendi ardore abrepti Spartani in apertum campum, qui maxime iis fuerat vitandus, deveniunt, ibi enim equitatu suo in eos uti Pyrrhus potest, id quod palam fit verbis quae statim sequuntur:

ἐφ' οὓς ὁ Πύρρος ... ἐπέστρεψε τοὺς ἱππεῖς τῶν Μολοσσῶν.

In verbis vero traditis primum corruptum est *συμβαλόντες*. Sed id quidem leni medicina sanari potest: legendum enim est *ἐμβαλόντες*. At istis *ἀπολῃφθέντες ὑπὸ τῶν ὁπλιτῶν* quid faciam prorsus me latet: non ab hoplitis sed ab equitibus Spartani *includuntur* et *reditu arcentur*: haec enim insunt in isto *ἀπολῃφθέντες*, quod prave accipit interpres Didotianus „a gravis armaturae militibus *avulsi*" vertens. Quodsi illi morem gerentes *ἀπό* pro *ὑπό* legeremus et *ἀπολαμβάνειν* „avellendi" sensu positum concederemus, tota perturbaretur narratio: hoplitae ipsi

Digitized by Google

illi Spartani sunt, de quibus hic agitur, sunt enim *ἐπίλεκτοι Λακεδαιμόνιοι*.

Dum ergo filium ulciscens in miseros illos Spartanos Pyrrhus irruit a latere adstans dux illorum Eualcus parum abfuit quin gladio ei manum amputaret; habenas vero praecidit:

ὁ δὲ Πύρρος ἅμα τῇ πληγῇ τοῦ δόρατος διελάσας ἐκεῖνον ἀπερρύη τοῦ ἵππου.

Immo vero *τῷ δόρατι*: eodem temporis momento quo dux Spartanus habenas illas praecidit (*ἅμα τῇ πληγῇ*), Pyrrhus illum hasta sua transfixit, deinde ipse de equo suo se leniter in terram dedit et rem ad pedestre revocavit proelium.

C. XXXII Stabat Argis in foro lupus aeneus taurusque iamiam certamen inituri. De quo monumento hanc incolae narrant historiam:

Δαναῷ ... εἰς Ἄργος πορευομένῳ λύκον Φανῆναι ταύρῳ μαχόμενον. Θέμενον δὲ τὸν Δαναὸν, ὡς ὁ λύκος εἴη πρὸς αὐτοῦ, ξένον γὰρ ὄντα τοῖς ἐπιχωρίοις ἐπιτίθεσθαι καθάπερ αὐτὸν, ἐφορᾶν τὴν μάχην.

Haud una causa est cur istud *θέμενον* suspectum habeam: primum *θέσθαι* insolite sic est positum ut significet: „omen interpretari"; deinde ingratissime sonat *μαχόμενον, θέμενον*. Postremo paulo post iterum idem legitur verbum (in *ἐπιθέσθαι*). Pro vero vocabulo (quid illud fuerit non definio) ab oscitante librario *θέμενον* scriptum opinor qui vocabulorum *μαχόμενον* et *ἐπιτίθεσθαι* sonum haberet in auribus.

C. XXXIV Tegula a muliere Argiva in caput eius coniecta concidit Pyrrhus *ὑπὸ τῶν πολλῶν ἀγνοούμενος*. At agnoscunt eum Zopyrus et duo tresve alii ex Antigoni comitibus, iamque ab ictu colligentem vires in quoddam trahunt vestibulum. Ibi quamvis tremens et consternatus terribili Pyrrhi aspectu Zopyrus caput ei amputat:

ἤδη δὲ σύνδηλον ἦν τὸ γεγονὸς πλείοσι καὶ προσδραμὼν ὁ Ἀλκυονεὺς (Antigoni filius) *ᾔτησε τὴν κεφαλὴν ὡς ἂν κατανοήσων* acceptumque caput patri cum amicis epulanti proiicit.

Quantocius hinc vocabula *ὡς ἂν κατανοήσων* facessant. Nam primo quidem tempore, ut vidimus, ignorabatur *a vulgo*, quis

Digitized by Google

ille homo esset a muliere percussus. Sed statim eum agnoscunt Zopyrus paucique alii regis comites, pauloque post complures. Ergo non erat cur regis filius iam experireretur agnosceretne mortuum (*ὡς ἂν κατανοήσων*). Et nisi certo scivisset Pyrrhum illum esse, quae causa erat cur putaret laetaturum patrem suum cum caput illud vidisset?

Marius c. V Herennii cliens Marius dici nolebat

ὡς, ὅτε πρῶτον· ἄρχων ἀνηγορεύθη, τὸν πελάτην ἐκβεβηκώς.

Nihili est istud ultimum vocabulum; scripsit Plutarchus venustissima usitatissimaque metaphora *ἐκδεδυκώς.*

„At" ita scriptor pergit „non verum fuit argumentum, quo se clientem negavit Marius:

ἀρχὴ γὰρ οὐ πᾶσα τοῦ νέμειν προστάτην ἀπαλλάσσει.

Ignota mihi est locutio *νέμειν προστάτην.* Ecquid *ἔχειν* scripsit Plutarchus? Non enim obstare videtur huic coniecturae hiatus qui est in *τοῦ ἔχειν.*

C. XI De Cimbrorum origine et nomine et alia tradit Plutarchus et hoc:

ἄλλοι δέ Φασι Κιμμερίων τὸ μὲν πρῶτον ὑΦ' Ἑλλήνων τῶν πάλαι γνωσθέντων οὐ μέγα γενέσθαι τοῦ παντὸς μόριον ... τὸ δὲ πλεῖστον αὐτῶν κτἑ.

Quis adspicere haec vel obiter potest quin statim sentiat quae hic inter se opponantur? Parva, ut opinor, pars quaedam et reliquum totum quod erat maximum. Parva autem pars illa fuit ea quae primum antiquis innotuit Graecis. Lege ergo *γνωσθέν* pro *γνωσθέντων.* Tradita lectio omnem fugit interpretationem.

C. XIV In contione Saturninus Marium consulem esse creandum clamat, Marius se honorem illum recusare simulat; proditorem patriae eum tribunus appellat

καὶ Φανερὸς μὲν ἦν ἀπιθάνως συνυποκρινόμενος τὸ προσποίημα τῷ Μαρίῳ

tamen populus strenuo in tanto discrimine opus esse duce intelligens Marium consulem creabat.

Istud *ἀπιθάνως* quid sibi vult? Intelligebant homines cum

Digitized by Google

simulante Mario colludere tribunum. Hoc satis est: *imperite* vero vel inscite simulasse tribunum e cetera narratione minime apparet. Potius dixerim aptissimam fuisse et callidissimam simulationem quae id effecerit quod simulator voluerit. Non tamen auctor sum ut istud ἀπιθάνως deleamus: leniori medicina loco subveniam ut ex ineptissimo lepidissimus fiat. Addo enim negationem: colludere cum Mario tribunum, licet id scite callideque faceret, sentiebant cives; tamen tempore coacti Marium consulem creaverunt

C. XVII De vulturibus Marii victorias praemonstrantibus haec legimus

δύο γὰρ (γῦπες) ἐφαίνοντο πρὸ τῶν κατορθωμάτων ἀεὶ περὶ τὰς στρατείας καὶ παρηκολούθουν.

Pro περί Haitingerus coniecit παρά. Sed non *temporis* requiritur indicium (in πρὸ τῶν κατορθωμάτων iam inest illud) verum loci. Legendum est στρατιάς (exercitus, castra). Propter huius vocabuli usum cf. Them. VII: ἐξήγαγε πολλὴν στρατιὰν πρὸς τὰ Τέμπη.

C. XXV Quid sibi voluerit Marius quod e pilo eximeret alterum clavum ferreum et pro eo ligneum fragilem insereret sic describitur:

προσπεσόντα τὸν ὑσσὸν τῷ θυρεῷ τοῦ πολεμίου μὴ μένειν ὀρθὸν, ἀλλὰ τοῦ ξυλίνου κλασθέντος ἥλου καμπὴν γενέσθαι περὶ τὸν σίδηρον.

Non *ferrum* et *claves ligneus* eleganter inter se opponuntur, sed, id quod dedit Plutarchus: clavus ferreus et clavus ligneus: ὁ ξύλινος καὶ ὁ σιδηροῦς ἧλος.

Lege ergo περὶ τὸν σιδηροῦν.

C. XXVIII Postquam narravit Marium Saturnini et Glauciae ope sextum obtinuisse consulatum, haec addit:

ὡς δὲ Ῥούτιλιος ἱστορεῖ, τὰ μὲν ἄλλα Φιλαλήθης ἀνὴρ καὶ χρηστὸς, ἰδίᾳ δὲ τῷ Μαρίῳ προσκεκρουκώς, [φησὶν, ὡς] καὶ τῆς ἕκτης ἔτυχεν ὑπατείας ἀργύριον εἰς τὰς Φύλας καταβαλὼν πολὺ καὶ πριάμενος τὸν Μέτελλον ἐκκροῦσαι τῆς ἀρχῆς, Οὐαλλέριον δὲ Φλάκκον ὑπηρέτην μᾶλλον ἢ συνάρχοντα τῆς ὑπατείας λαβεῖν.

Deleantur cum Reiskio inclusa; sequentes infinitivi ἐκκροῦσαι

Digitized by Google

et λαβεῖν pendent a πριάμενος, neque opus est cum Reiskio ante ἐκκροῦσαι inserere τό. Cum omni genere verborum Plutarchus infinitivos iungere amat et etiam accusativos cum infinitivis. Ut ex innumeris exemplis unum afferam, modo haec legimus (c. 25): τεχνάζων ... τὸν ὑσσὸν μὴ μένειν ὀρθόν.

C. XXIX De agro dividendo legem tulit Saturninus addiditque: darent iusiurandum senatores se huic legi obtemperaturos. Iuraturum se Marius in senatu negavit hoc solum spectans ut Metellum in plebis adduceret odium. Nam cum eius exemplo motus idem Metellus promisisset et paucos post dies in contione Saturninus senatores iurare iuberet, Marius

μακρὰ χαίρειν ἐάσας τοῖς ἐν τῇ βουλῇ νεανιευθεῖσιν ἀπὸ φωνῆς

callide praefatus quaedam iuraturum se dixit.

Hic ego quid sibi istud ἀπὸ φωνῆς velit haudquaquam intelligo, neque quidquam me docet Wyttenbachius in lexico illa verba sic illustrans: „non animo". Etenim *simulasse* in senatu Marium ex ipso narrationis contextu egregie apparet, quam elegantissime a Plutarcho enuntiatam eiusmodi explicationibus corrumpi equidem non fero. Ergo ista ἀπὸ φωνῆς unde pedem huc intulerint quamvis ignorem, e textu censeo removenda.

Sequitur: ὁ μὲν οὖν δῆμος ἡσθεὶς ὀμόσαντος ἀνεκρότησε καὶ κατευφήμησε.

Vidimus non dedisse iusiurandum Marium sed se daturum dixisse. Hoc tamen promisso contentus fuit populus. Lege ergo: ὡς ὀμόσαντος. Sic et sententiae et structurae consultum erit.

C. XXX Obnoxium semet ipsum Saturnino rempublicam pervertenti reddiderat Marius ita ut ne turpissimas quidem fraudes fallaciasque pudori haberet. Cum enim primarii viri nocte ad eum venissent petituri ut Saturnini consiliis obviam iret

ἑτέραις θύραις ἐκεῖνον ὑπεδέξατο τούτων ἀγνούντων· εἶτα πρόφασιν λέγων πρὸς ἀμφοτέρους κοιλίας διάρροιαν, νῦν μὲν ὡς τοῦτον, νῦν δὲ ὡς ἐκεῖνον ἐπὶ τῆς οἰκίας ἀνὰ μέρος διατρέχων συνέκρουε καὶ παρώξυνε.

Nihili est ἐπὶ τῆς οἰκίας, neque dubito quin διὰ τῆς οἰκίας sit legendum: per totas aedes currebat Marium, modo ad hunc modo ad hunc modo ad illos.

Digitized by Google

C. XXXVI Cum Metellus ab exilio rediisset, Marius in Orientem abiit, specie ut Matri deorum votum solveret sed revera alias res mente agitans

ἤλπιζε γὰρ τοὺς βασιλεῖς συνταράξας καὶ Μιθριδάτην ἐπίδοξον ὄντα πολεμήσειν ἀναστήσας καὶ παροξύνας εὐθὺς ἐπ' αὐτὸν ἡγεμὼν αἱρεθήσεσθαι.

Hic primum pro εὐθὺς legendum esse αὖθις apparet e sequentibus καὶ νέων μὲν τὴν πόλιν θριάμβων ... ἐμπλήσειν. Deinde nimis lene verbum ἀναστήσας videtur. Didotianus interpres quid requiratur docet versione sua: „Mithridate *irritato*". Sed ipsum verbum non praesto.

C. XXXIV Senex iam Marius, novi honoris bellici cupidus, ridiculum in modum arma tractabat et corpus exercebat, absurdissimo usus praetexto:

ἔφη γὰρ ἐθέλειν τὸν υἱὸν ἀσκῆσαι παρὼν αὐτὸς ἐπὶ στρατείας.

Vitio solito, quod etiam c. XVII notavimus, hic στρατείας legitur pro στρατιᾶς. Nondum se exercitus Marii dederat in viam; sed adesse se *in castris* velle simulabat Marius ut filii exercitationibus praeesset.

C. XXXV Sulpicius, turbulentus ille tribunus plebis

διὰ τἄλλα πάντα θαυμάζων καὶ ζηλῶν τὸν Σατορνῖνον

nimis lentum eum timidumque vocabat.

Istud διά utique abesse debet; praesertim verbum ζηλοῦν illam respuit praepositionem. Recte interpres Didotianus: „cetera Saturnini laudans atque imitans".

ib. Sulla consul Sulpicii satellites fugiens forte in Marii aedes incidit a quo per aversam ianuam dimittitur

αὐτὸς δὲ Σύλλας ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν οὗ φησι καταφυγεῖν πρὸς τὸν Μάριον, ἀλλ' ἀπαλλαχθῆναι βουλευσόμενος ὑπὲρ ὧν Σουλπίκιος ἠνάγκαζεν αὐτὸν ἄκοντα ψηφίσασθαι περισχὼν ἐν κύκλῳ ξίφεσι γυμνοῖς καὶ συνελάσας πρὸς τὸν Μάριον, ἄχρι οὗ προελθὼν ἐκεῖθεν εἰς ἀγορὰν, ὡς ἠξίουν ἐκεῖνοι, τὰς ἀπραξίας ἔλυσε.

Nihil horum intelligo, in mentemque mihi hic venit Aristophanei ioci: μῶν οὐ κέκλοφχς ἀλλ' ἥρπακας; Non enim video quid inter Sullae ipsius narrationem et praecedentem intersit.

Digitized by Google

Narrat Plutarchus *confugisse* ad Marium Sulla. „Immo vero" ait Sulla in commentariis „non *confugi* sed *recessi* (*ἀπηλλάχθην*) ad Marium: eo enim me Sulpicius compulit (*ἀπελάσας*). Atque inde prodii in forum et quod postulabant adversarii feci ut iustitium solverem". En virum fortem qui iure graviter ferat se *confugisse* ad Marium dici! Neque quidquam praesidii in Appiano, qui primum habet, quae eodem redeunt quo verba a Plutarcho e Sullae commentariis citata, *ὡς βουλευσόμενος ὑπεχώρει* (= *ἀπαλλαχθῆναι βουλευσόμενος*), deinde, paucis interiectis: *καὶ ὁ Σύλλας ἐπελθὼν ἐβάστασε τὴν ἀργίαν*. Quae verba sensu cassa esse video, emendationem non praesto. Nam constat quidem pro *ἐπελθών* legendum esse *ἐπανελθών*: reversus (a fuga illa ad Marium, quam *recessum* vel *abitum* ipse Sulla vocabat) in forum (inde enim aufugerat vel pulsus erat); sed quid absurdo illo *ἐβάστασε* faciam non video. Nihil aliud huc quadrat nisi *ἔλυσε*, sed id quidem quo modo in *ἐβάστασε* abire potuit?

ib. Sulla milites suos Romam duxit

τοὺς δὲ χιλιάρχους οὓς ἐπέπεμψε Μάριος, προσπεσόντες οἱ στρατιῶται διέφθειρον.

Illud *ἐπέπεμψε* e typothetae errore natum putabam, sed video in Didotiana quoque legi. Haud dubie tamen *ἐξέπεμψε* legendum; vide supra: *ὁ Μάριος ... δύο χιλιάρχους ἐξέπεμψε παραληψομένους τὸ Σύλλα στράτευμα.*

ib. Vela dat Ostia Marius, filio relicto ad commeatum parandum. Qui cum non sine multis periculis eam rem perfecisset

ἐπὶ θάλασσαν ἦκε καὶ νεὼς ἐπιβὰς εἰς Λιβύην πλεούσης ἀπεπέρασεν.

Mirum, hercle, compositum! Non est dubium quin *διεπέρασεν* sit legendum neque latet causa corruptelae. Iuvenis enim ille in proxime praecedentibus dictus est commeatum petisse e Mucii praedio, sed non latuisse adversarios qui eodem equites miserint ad eum comprehendendum. At hortulanus eos viderat accedentes, iuvenem absconderat in plaustro leguminum pleno, boves plaustro iunxerat

Digitized by Google

οὕτω δὲ πρὸς τὴν οἰκίαν τῆς γυναικὸς διακομισθεὶς ... νεὼς ἐπιβὰς ... ἀπεπέρασε.

Quis non videt eum qui *clam*, in plaustro abditus, domum suam ducatur, abducatur, reducatur, absurde διακομίζεσθαι sed aptissime ἀποκομίζεσθαι dici? Pro διακομισθεὶς — ἀπεπέρασε legendum est ἀποκομισθείς — διεπέρασε. Sexcenties eiusmodi permutationibus corruptus est Plutarchi textus. Cf. praeterea c. 40 διαπεράσας τὸ πέλαγος.

C. XXXVII Fugientes per litus Italiae Mariani

ὁρῶσιν ἱππέων ἴλην πρόσωθεν ἐλαύνοντας ἐπ' αὐτοὺς καὶ κατὰ τύχην ὁλκάδας δύο Φερομένας.

Nihili est ultimum vocabulum; requiritur Graece quod est in versione Didotiana: „duas onerarias naves *prope litus*". Legatur ergo παραΦερομένας.

In illarum alteram Marium senem comites inferunt, iubentibusque equitibus aut appellere navem aut Marium eiicere

ἀπεκρίναντο μὴ προέσθαι τὸν Μάριον.

Itane vero! „nolite Marium prodere" equitibus respondent nautae qui Marium in navem suam receperunt. Aut Graece permiscere et conturbare licet omnia, aut προήσεσθαι legendum est: „non prodituri sumus Marium" nautae clamarunt.

ib. Abditus in herba Minturnensi iacet Marius et

πορρωτάτω τοῦ μέλλοντος εἶχε τὴν διάνοιαν.

Non intellexisse haec videtur interpres Didotianus sensu cassa haecce praebens: „quam longissime ab eo quod eventurum erat cogitationibus abductis". Plutarchus hoc voluit: „omnia alia eventura exspectans potius quam id quod revera accidit". Nautae enim, equitum illorum minas veriti Mario persuaserant ut ibi aliquantisper requiesceret donec ventus flaret secundus: tum se statim vela daturos. At vixdum ibi Marium deposuerant cum sublatis ancoris fugerunt Cf. Lys. XI: apud Aegos flumen milites Athenienses ἠγόραζον, ἐπλανῶντο περὶ τὴν χώραν, ἐκάθευδον ὑπὸ ταῖς σκηναῖς, ἠριστοποιοῦντο, πορρωτάτω τοῦ μέλλοντος ἀπειρίᾳ τῶν ἡγουμένων ὄντες.

C. XXXVIII In sexto Marii consulatu Fanniae cuiusdam

Digitized by Google

maritus uxorem adulterii accusaverat. Causam Marius cognoscit; illum dotis causa scientem duxisse uxorem impudicam intelligit; ergo dotem reddere eum iubet

τῆς δὲ γυναικὸς ἀτιμίας ἕνεκα τῇ καταδίκῃ χαλκοῦς τέσσαρας προσετίμησεν.

Includantur verba *ἀτιμίας ἕνεκα τῇ καταδίκῃ* et pro *τῆς γυναικός* legatur: *τῇ γυναικί*. Mulieri quatuor assium multam dixit: ignominiae causa id eum fecisse monendi non sumus, et istud *τῇ καταδίκῃ* prorsus supervacuum est.

C. XL Marium iuvenem comitesque eius Iampsas rex detinet insidias in eum struens

οὐ μὴν ἀλλὰ συμβαίνει τι τῶν εἰκότων αὐτοῖς πρὸς σωτηρίαν.

Id quod accidit huiuscemodi fuit: formosi iuvenis primum misericordia movetur quaedam e regiis ancillis, deinde e misericordia amor nascitur: illa ergo ei quaecunque ad fugam opus essent praebet. *Inexspectata*, ut opinor, ea fuit salus. Lege ergo *τι τῶν ἀπεικότων.*

C. XLI *ταῦτα τῷ Μαρίῳ πυνθανομένῳ πλεῦσαι τὴν ταχίστην ἐφαίνετο.*

Satis insolite hic *ἐφαίνετο* pro *ἔδοξε* positum est.

ib. Squalidus barbaque promissa Marius in urbem rediit

βουλόμενος μὲν ἐλεεινὸς εἶναι τῷ δὲ οἴκτῳ συνεμέμικτο πλέον τὸ φοβερόν.

Elegantissime enuntiata haec sed venustatem sermonis corrupit sciolus post *συνεμέμικτο* addens *τὸ οἰκεῖον τῆς ὄψεως*, quod verissimum quidem est, sed quae vera non usquequaque sunt inculcanda.

C. XLII Proditione Ostiam Marius capit, multos incolas occidit

καὶ γεφυρώσας τὸν ποταμὸν ἀπέκοψε κομιδῇ τὰς ἐκ θαλάσσης εὐπορίας τῶν πολεμίων.

Possuntne sic Marii adversarii, *quos ille oppugnat*, appellari an *πολιτῶν* legendum? Nam quod e. c. equites qui Marium iuvenem *persequuntur* (c. XXXV) *πολέμιοι* dicuntur, id quidem minus me movet.

Digitized by Google

C XLII Laudatur Octavius consul tamquam vir

τὸ πρόσχημα τῆς ὑπατείας ἀκολάκευτον ἐπὶ τῶν πατρίων ἐῶν καὶ νόμων ὥσπερ διαγραμμάτων ἀμεταβόλων διαφυλάξας.

Fundamentorum hic potius quam *figurarum* exspectes imaginem, et fundamenta ἀμετάβολα quae sint novimus omnes, sed nihili videtur διαγράμματα ἀμετάβολα. Hoc tamen maxime movet suspicionem quod paulo post ipsa illa vox διάγραμμα suo sibi sensu redit — et iam satis cognitam habemus illam in textu Plutarchi vitiorum originem. Dicitur enim idem ille Octavius paulo fuisse infirmior, afferturque eius rei hoc argumentum: cum a militibus, quos Marius praemiserat, raptus a tribunali et occisus esset λέγεται διάγραμμα Χαλδαϊκὸν ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ φονευθέντος εὑρεθῆναι. Iam mihi relegat aliquis totum locum, non poterit non sentire istud διαγραμμάτων ... διαφυλάξας ... διάγραμμα certum esse erroris indicium. Sed quid pro διαγραμμάτων sit legendum quis dicat?

C. XLIII Κίννας μὲν εἰσῄει δορυφορούμενος, Μάριος δὲ παρὰ ταῖς πύλαις ὑποστὰς εἰρωνεύετο πρὸς ὀργὴν φυγὰς εἶναι λέγων.

Abiiciantur ista πρὸς ὀργήν quo melius sentiamus iocum illum fuisse hominis iamiam ad dirissima quaeque transituri.

ib. οὓς Βαρδυαίους προσηγόρευσεν.

Ipsene Marius hoc nomen servis illis dedit an vulgo sic appellabantur? Equidem προσηγόρευον lego. (Exstat varia lectio προσηγόρευεν).

In caede illa Cinnana pauci erant

οἱ μὴ προδόντες τοὺς παρὰ σφᾶς καταφυγόντας.

Non est huius loci praepositio παρά, sed legendum πρός. Neque hic latet unde natum sit vitium. Praecedit enim:

ἠλέγχετο δὲ καὶ ξενίας καὶ φιλίας πίστις οὐδὲν ἔχουσα παρὰ τὰς τύχας βέβαιον.

C. XLV ἐν δὲ τούτῳ ὥσπερ τροπαίας τινος ἀμειβούσης undique de Sullae victoriis afferebantur nuntii. Mira haec structura, neque suspicionis expers.

Intelligebat ergo Marius mox sibi certamen fore cum bella-

Digitized by Google

tore egregio qui antea ipsum fugasset et nunc Mithridatem in suum repulisset regnum. Perturbabatur ergo animo

ὑπὸ τοιούτων θραυόμενος λογισμῶν καὶ τὴν μακρὰν ἄλην αὐτοῦ καὶ φυγὰς καὶ κινδύνους διὰ γῆς καὶ θαλάττης ἐλαυνομένου λαμβάνων πρὸ ὀφθαλμῶν.

αὐτοῦ: cuius, obsecro? Sullaene? Immo ipsius. Lege ergo *αὐτοῦ*.

Paulo post haec legimus:

τέλος δὲ ὡς ἦκε τις ἀπαγγέλλων ἀπὸ θαλάσσης ...

ἀπαγγελλων quid? Excidisse hic quaedam videntur, cum praesertim in sequentibus *νέοι προσπίπτοντες αὐτῷ φόβοι ... εἰς νόσον κατηνέχθη πλευρῖτιν* durissimum sit anacoluthum.

C. XLVI *Πλάτων μὲν οὖν ... ὕμνει τὸν αὐτοῦ δαίμονα καὶ τὴν τύχην ὅτι πρῶτον μὲν ἄνθρωπος, εἶτα Ἕλλην [οὐ βάρβαρος οὐδὲ ἄλογον τῇ Φύσει θηρίον] γένοιτο κτἑ.*

Inclusa delere malim quam cum Schaefero maiorem eorum transponere partem.

Lysander c. IV E pecunia, quam a Cyro accepit, Lysander *ἐπιμετρήσας τὸν ὀβολὸν τοῖς ναύταις καὶ λαμπρυνάμενος ὀλίγῳ χρόνῳ τὰς ναῦς τῶν πολεμίων κενὰς ἐποίησε.*

Nullus istis *καὶ λαμπρυνάμενος* locus hic est. Neque opus Lysandrum ea re gloriari: vel sic permanat ad hostes rumor meliorem esse Spartanorum militum conditionem quam suam. Sed unde ista vocabula invecta sint non video.

C. V *ὥστε προσέχειν ἅπαντας αὐτῷ καὶ χαρίζεσθαι καὶ ποθεῖν ἐλπίζοντας οὐδενὸς ἀτυχήσειν τῶν μεγίστων ἐκείνου κρατοῦντος.*

Desiderio (*ποθεῖν*) in sequentibus demum locus, ubi legimus successorem Lysandro missum Callicratidam. Neque recte habere videtur *κρατοῦντος*, quod est *νικῶντος*, non, quod hic requiritur, *ἄρχοντος*.

C. VII Quid est (quod Lysander facere quibusdam videbatur) *τὸ δίκαιον μεγαλύνειν ἐπὶ τῷ λυσιτελοῦντι*?

An: „iustitiam laudare (magni facere) sed *ea conditione* si lucrum afferret"? Errat interpres Didotianus vertens: iustitiam *utilitati coniunctam* magni faciens.

Digitized by Google

C. VIII *οἷς πρώτοις ἐπιτύχοι τῶν νεωτεριζόντων ἐχαλέπαινε τῇ φωνῇ καὶ προσῆγε τραχυνόμενος.*

Quam vim hic habeat verbum *προσάγειν* me latet et *τῇ φωνῇ* coniunctum malim cum *τραχυνόμενος* quam cum *ἐχαλέπαινε*. Plutarchum dedisse suspicor: *τῇ φωνῇ προσήει τραχυνόμενος* et illa *ἐχαλέπαινε* et *καὶ* addita esse ab eo qui insolitam, sed vere Plutarcheam, vocabulorum dispositionem non ferret.

ib. Periuria Lysandri ita ab auctore nostro reprehenduntur ut dicatur non esse

Λακωνικὸν τὸ χρῆσθαι τοῖς θεοῖς ὥσπερ τοῖς πολεμίοις, μᾶλλον δὲ ὑβριστικώτερον

„nam qui periuriis ad fallendum utitur, hostes (inimicos) a se metui, sed deos contemni agnoscit".

Hic ut *τοῖς πολεμίοις* sanum sit metuo.

C. XIV In ceteris civitatibus multos cives occidens et in exilium pellens Lysander oligarchiam instituit

Σαμίους δὲ πάντας ἐκβαλὼν παρέδωκε τοῖς Φυγάσι τὰς πόλεις. Immo *τὴν πόλιν*: nolo enim hic de pluribus unius insulae cogitare oppidis; omnia unam *πόλιν* efficiunt.

C. XV *εἶτα μέντοι συνουσίας γενομένης τῶν ἡγεμόνων παρὰ πότον καί τινος Φωκέως ἄσαντος ἐκ τῆς Εὐριπίδου Ἠλέκτρας τὴν πάροδον ...*

Utique transponendum *παρὰ πότον* ita ut inter *Φωκέως* et *ἄσαντος* legatur.

C. XVII E Lysandri lege reipublicae aurum argentumque habere licebat, privato non licebat; at sic tamen irrepsit avaritia

τῆς χρείας ἀξίαν προσλαμβανούσης καὶ ζῆλον.

Pro *προσλαμβανούσης* legendum est *προσβαλλούσης*: usus auro argentoque pretium dedit et ut a civibus cuperetur effecit. E tradita lectione nullum unquam extundes sensum.

C. XIX. Quid illud sit quod Lysandri *Φιλοτιμία* dicatur fuisse *τοῖς πρώτοις καὶ ἰσοτίμοις ἐπαχθὴς μόνον* vel qua ratione

Digitized by Google

illud sequentibus, ubi item de viris primariis sermo est, opponatur me fugit.

Paulo post notetur *συναμφοτέρους* pro *σύμπαντας* positum.

ib. In scytales descriptione: magistratus, ad quem secretae literae mittebantur, lorum istud suo circumvolvebat baculo

ὥστε τῆς ἕλικος εἰς τάξιν ὁμοίως ἀποκαθισταμένης ἐπιβάλλοντα τοῖς πρώτοις τὰ δεύτερα κύκλῳ τὴν ὄψιν ἐπάγειν τὸ συνεχὲς ἀνευρίσκουσαν.

Sanane haec sint an *ἀνευρίσκοντα* legendum subdubito.

C. XXIII Civitates Asiae Lysandro monente Spartam miserunt legatos petentes ut dux belli Agesilaus mitteretur

ὃ δοκεῖ τῆς βασιλείας οὐκ ἔλαττον Ἀγησιλάῳ καλὸν ὑπάρξαι διὰ Λυσάνδρον.

Ecquid *διὰ Λυσάνδρου*, „Lysandri opera"?

C. XXIV Postquam narratum est Lysandrum, quamquam ab Agesilao a bello fuerit remotus et in Hellespontum missus, tamen utilem navasse operam Agesilao (effecit enim ut Spithridates cum suis copiis ad eum transiret), haec sequuntur:

ἄλλο δὲ οὐδὲν ἐχρήσατο αὐτῷ πρὸς τὸν πόλεμον.

Obscurus est horum verborum sensus, non enim sic possunt accipi ut subiectum fiat Agesilaus, non Lysander, quoniam sequitur: *ἀλλὰ τοῦ χρόνου διελθόντος ἀπέπλευσεν εἰς τὴν Σπάρτην ἀτίμως, ὀργιζόμενος μὲν τῷ Ἀγησιλάῳ κτἑ.* Interpres Didotianus haec praebet: „nihil aliud eo in bello perfecit", ad incitas, ut opinor, redactus.

ib. „In magno illo Heraclidarum numero duae" ait „tantummodo gentes regem praebebant Spartae, ceteri omnes e nobilitate generis nullum habebant emolumentum"

αἱ δ' ἀπ' ἀρετῆς τιμαὶ πᾶσι προὔκειντο τοῖς δυναμένοις.

Obscura haec quoque, praesertim in *δυναμένοις* haereo. Merae libidinis est cum Didotiano interprete sic locum vertere: „virtutis praemia, omnibus, *qui ea poterant adipisci*, communia erant".

ib. Omnibus Spartiatis ad regiam dignitatem dare aditum volebat Lysander

Digitized by Google

ἤλπιζε δὲ τῆς βασιλείας οὕτω δικαζομένης οὐδένα πρὸ αὐτοῦ Σπαρτιάτην ἂν αἱρεθήσεσθαι.

Immanem soloecismum ingeniose sustulit Naberus pro ἂν αἱρεθήσεσθαι legens ἀναρρηθήσεσθαι. Restat δικαζομένης quod quo modo emendem nescio, sanum non esse certo scio. Requiritur aliquid quod significet id quod praebet interpres Didotianus: „si ea lege reges *designarentur*".

C. XXV Quae Lysander sit molitus ut, lege de regibus creandis mutata, ipse ad summam perveniret potestatem narraturus sic incipit Plutarchus ut promittat se expositurum totam

ἐπιβουλὴν καὶ σκευωρίαν τοῦ πλάσματος οὐ φαύλην οὖσαν οὐδ' ἀφ' ὧν ἔτυχεν ἀρξαμένην, ἀλλὰ πολλὰς καὶ μεγάλας ὑποθέσεις, ὥσπερ ἐν διαγράμματι μαθηματικῷ, προσλαβοῦσαν καὶ διὰ λημμάτων χαλεπῶν καὶ δυσπορίστων ἐπὶ τὸ συμπέρασμα προιοῦσαν.

Lepidam comparationem unum vocabulum pessumdat προσλαβοῦσαν, pro quo haud dubie προλαβοῦσαν est legendum: demonstratio enim mathematica *primum* sumit ὑπόθεσιν. Cf. c. XXVI: ταύτην λαβὼν ἀρχὴν τὰ λοιπὰ παρ' ἑαυτοῦ προσετεκταίνετο.

C. XXVIII ἤδη δὲ παντάπασι χαλεπὸς ὢν ὀργὴν διὰ τὴν μελαγχολίαν ἐπιτείνουσαν εἰς γῆρας κτέ.

Sana haec esse non credo, sed legendum suspicor: εἰς μελ. ἐπ. διὰ τὸ γῆρας. Senectus efficiebat ut iracundia in melancholiam transiret.

ib. Quid illud sit quod Lysander, cum primum ad Haliartum Pausaniam exspectare decrevisset, morae impatiens

λαβὼν τὰ ὅπλα καὶ τοὺς συμμάχους παρορμήσας ὀρθίῳ τῇ Φάλαγγι παρὰ τὴν ὁδὸν ἦγε πρὸς τὸ τεῖχος

me fugit. Ecquid κατὰ τὴν ὁδὸν legendum? Signum profectionis dedit, deinde *in ipso itinere* urbem est aggressus.

Sulla c. II In initio huius capitis legitur aliquid quod nescio an a doctis archaeologis negligatur:

τοῦ δὲ σώματος αὐτοῦ τὸ μὲν ἄλλο εἶδος ἐπὶ τῶν ἀνδριάντων φαίνεται, τὴν δὲ τῶν ὀμμάτων γλαυκότητα κτέ.

Opponuntur hic inter se ea quae *cernantur* et quae *non cer-*

Digitized by Google

nantur in statuis. *Non* cernitur color oculorum, ergo *non* solebant pingi oculi ... et fortasse neque capilli neque supercilia ceteraque ex hoc genere.

C. III Bocchus insidias Iugurthae struens Sullam advocabat
δι' ἐκείνου μάλιστα βουλόμενος τὴν σύλληψιν καὶ παράδοσιν τοῦ Ἰογόρθα γενέσθαι ἢ δι' αὐτοῦ.
Istud *μάλιστα* vitio natum e *μᾶλλον* suspicor.

C. V Pro *στρατείαν* legendum esse *σατραπείαν* demonstravi Mnem. 1903 p. 294.

C. VI Bocchus in Capitolio signa collocanda curavit Iugurthae a se Romanis Sullaeque dediti
τόν τε δῆμον ἅμα θεραπεύων ἐν Ῥώμῃ καὶ τῷ Σύλλᾳ χαριζόμενος.
Nimis stupidos sibi finxit lectores, qui istud *ἐν Ῥώμῃ* addidit. Et addidit inepto loco!

ib. (versus finem) *ἀποδειχθῆναι στρατηγὸς ἐπὶ Μιθριδάτην ἐθεράπευε τὴν ὑΦ' ἑαυτῷ στρατιάν.*
Frustra huiusce structurae rationem quaeras defensionemve. Post *ἐπὶ Μιδριδάτην* excidisse suspicor *ἐπιθυμῶν*. Causa erroris in aperto est.

C. VII Marius senex appetens Mithridatici belli gloriam nobis depingitur tamquam
ἀνὴρ τῷ τε σώματι βαρὺς καὶ ταῖς ἐναγχος ἀπειρηκὼς στρατείαις διὰ γῆρας ἐκδήμων καὶ διαποντίων πολέμων ἐΦιέμενος.
Multi, sat scio, haec eodem modo quo interpres Didotianus accipient, qui sic vertit: „gravi vir corpore et qui nuper aetatis causa bellicis laboribus succubuisset e. q. s." Sed dubium non est quin vocabula *ταῖς ἐναγχος στρατείαις* contineant aliquid quod verbis *ἐκδήμων καὶ διαποντίων πολέμων* sit *oppositum*, et si *ἀπειρηκώς* hic eam vim haberet quam interpres putat, istud „expeditionibus confectus propter aetatem" verbositatis esset non ferendae. *Loci*, non temporis hic est adverbium *ἐναγχος*, et admonemur eorum quae in vita Marii c. 33 s. f. leguntur: *ἀΦῆκε τὴν στρατηγίαν ὡς ἐξαδυνατῶν τῷ σώματι διὰ τὴν ἀσθένειαν.* Le-

Digitized by Google

gendum ergo est τὰς ἔναγχος ἀπειρηκὼς στρατείας, ut ἀπειρηκώς fere idem sit quod ἀφεικώς. Cum bellum in ipsa esset gerendum Italia, Marius aetatem excusavit.

C. XII Obsidet Athenas Sulla, et nisi Romam redire festinasset παρῆν ἀκινδύνως ἑλεῖν τὴν ἄνω πόλιν [ὑπὸ λιμοῦ] συνηγμένην ἤδη τῇ χρείᾳ τῶν ἀναγκαίων εἰς τὸν ἔσχατον καιρόν.

Dele importunum emblema. Quis enim tam brevi spatio bis eandem rem significari ferat, primum simpliciter (fame), deinde ornate (inopia rerum necessariarum)?

C. XIV κατελήφθη μὲν οὖν ἡ πόλις ἐκεῖθεν ὡς Ἀθηναίων οἱ πρεσβύτατοι διεμνημόνευον.

Sic haec verba accipienda puto ut Plutarchus puer Lampriam avum narrantem audiverit de rebus quas ille cognoverit ab Atheniensibus grandaevis, Sullae aequalibus. Mira res, sed non plane incredibilis.

C. XIX Mire dictum τρόπαιον τοῦ Θουρίου κατὰ κορυφὴν βεβηκός, pro ἑστηκός.

C. XXIX In proelio ad portam Collinam ipse Sulla candido vehebatur equo: agnoscebatur ergo a duobus adolescentibus in adversariorum excercitu, qui hastas in eum coniecerunt αὐτὸς μὲν οὖν οὐ προενόησε, τοῦ δὲ ἱπποκόμου μαστίξαντος τὸν ἵππον ἔφθη παρενεχθεὶς τοσοῦτον ὅσον περὶ τὴν οὐρὰν τοῦ ἵππου τὰς αἰχμὰς συμπεσούσας εἰς τὴν γῆν παγῆναι.

Miraculum hic nobis narratur non minus absurdum quam quod quondam ad cives placandos commentus dicitur rex facetus: θαῦμα ἂν ἦν εἰ ἡ κλεὶς περὶ τὸν ὄφιν εἵλικτο. Pro περὶ τὴν οὐράν quantocius παρά repone.

C. XXXI De Sullae proscriptione et alia legimus et haec: λέγειν ἐπῄει τοῖς κολάζουσιν ὡς τόνδε μὲν ἀνῃρήκει οἰκία μεγάλη, τόνδε δὲ κῆπος κτέ.

Pro κολάζουσιν aliud quid exspectes. Ut iam concedam ea voce *percussores* significari, non credo Sullae ministros sic de caede ab illo iussa disputasse. Aliorum illud est, qui ipsi totius

Digitized by Google

negotii sint expertes. Scripsit *ἀκούουσι* vel eiusmodi aliquid Plutarchus.

C. XXXIII Reprehenduntur Sullae largitiones infimis mortalium

ἐθνῶν [χώρας] καὶ πόλεων χαριζομένου προσόδους.

Deleatur inclusum vocabulum: populorum urbiumque reditus Sulla largiebatur.

C. XXXIV Pro *καλόν* legendum esse *κάλλιον* demonstravi Mnem. 1903 p. 317.

C. XXXV pro *οὐσίας* legendum esse *λείας* demonstravi Mnem. 1903 p. 320. Hic addo haudquaquam illam emendationem refutari iis quae leguntur in vita *Crassi* c. II *παρὰ τὴν ὑπατείαν ἀποθύσας τῷ Ἡρακλεῖ τὴν δεκάτην.* Nam de Sullae hic agitur triumpho rebusque ad triumphum pertinentibus.

ib. In uxoris exsequiis Sulla omnibus modis leges a se de luxu cohibendo latas neglexit

πότοις καὶ συνδείπνοις ... παρηγορῶν τὸ πένθος.

Unde praepositio ista huc pervenerit nescio, pellendam censeo.

C. XXXVII *πρὸ μιᾶς δὲ ἡμέρας πυθόμενος τὸν ἄρχοντα Γράνιον, ὡς ὀφείλων δημόσιον χρέος οὐκ ἀποδίδωσιν ἀλλ' ἀναμένει τὴν αὐτοῦ τελευτήν, μετεπέμψατο τὸν ἄνθρωπον εἰς τὸ δωμάτιον, καὶ περιστήσας τοὺς ὑπηρέτας ἐκέλευσε πνίγειν.*

Si revera magistratum eo tempore gessisset Granius, praetorem eum vel aedilem vel quaestorem appellasset Plutarchus. Sed permulta alia hic locus habet quae minime in populi Romani magistratum conveniant: de plebe homine ita utitur tyrannus, de plebe hominem *τὸν ἄνθρωπον* dicit qui Graece scit. Puto de iocoso illo *praecone* Granio hic agi cuius facetias multas in libris de Oratore commemorat Cicero. Amicus ille fuit Crassi, sed nihil obstat quominus duodecim post Crassi mortem annis etiam in vivis fuerit. Aut ergo *κήρυκα* legendum aut aliud vocabulum idem officium significans.

Digitized by Google

Comp. Lycurgi et Sullae c. II Sulla et in alios multos fuit iniquissimus amicos et

Λουκρήτιον Ὀφέλλαν ἀντὶ πολλῶν καὶ μεγάλων ὑπατείαν μνώμενον ... ἀποσφάξαι προσέταξε.

Post μεγάλων substantivum aliquod excidit, fortasse ὑπουργιῶν, quod sequente ὑπατείαν facile a librario potuit omitti.

C. III In publica auctione Sulla amico cuidam parvo pretio bona addicere volebat

ἑτέρου δὲ τὴν τιμὴν ὑπερβαλλομένου καὶ τοῦ κήρυκος τὸ προστεθὲν ἀγορεύσαντος διηγανάκτησε.

Praeconis est *clara voce proclamare*. Lege ergo ἀναγορεύσαντος.

C. IV In victoriarum comparatione magis refert quos victor habuerit adversarios,

τρυφὴν γὰρ οἶμαι καὶ παιδιὰν πρὸς Ἀντίοχον διαναυμαχεῖν τὸν Ἀλκιβιάδου κυβερνήτην

sed arduum et grave fuit negotium Marium, Mithridatem, Telesinum vincere.

Sententia verborum certa est, requiritur enim decantatum illud *ludus iocusque*. Sed recte *ludi* sensu τρυφήν dici vix credo.

Cimon c. II Maiores nostri Lucullo statuam posuerunt, at nos

ἀναληψόμεθα τῇ γραφῇ τῶν παραλλήλων βίων τὰς πράξεις τοῦ ἀνδρός.

Ista non intelligo; haereo in verbo ἀναληψόμεθα, pro quo exspecto fere *inseremus*. Videntur autem viri docti e vulgata scriptura effecisse ab hac vita vitarum suarum scribendarum initium fecisse Plutarchum (v. Gréard).

ib. ἐν τοῖς καλοῖς ἀναπληρωτέον ὥσπερ ὁμοιότητα τὴν ἀλήθειαν.

Verba ὥσπερ ὁμοιότητα equidem deleverim, ut reliqua significent: „in virtutibus describendis veritate opus est plena, non imminuta". Sequitur enim fere hoc: „de vitiis vero verecunde est narrandum". Mire autem ibi iunguntur ἁμαρτίας καὶ κῆρας.

C. VIII Coronam petente Miltiade Lachares vocem misit

οὐκ εὐγνώμονα μὲν ἀρέσασαν δὲ τῷ δήμῳ τότε.

Digitized by Google

Transpone: τῷ τότε δήμῳ: populo qui tunc erat, rudi scilicet et subrustico, sententia illa durior placebat.

C. X Ἤδη δὲ εὐπορῶν ὁ Κίμων ἐφόδια τῆς στρατιᾶς ἃ καλῶς ὑπὸ τῶν πολεμίων ἔδοξεν ὠφελῆσθαι κάλλιον ἀνήλισκεν εἰς τοὺς πολίτας.

In verbis εὐπορῶν ἐφόδια τῆς στρατιᾶς haereo, neque quidquam varia lectio ἐφοδίων prodesse videtur. In praecedentibus autem narratum est in praeda dividenda Athenienses auctore Cimone sibi elegisse captivos, ornatum eorum, quamvis splendidum, reliquisse sociis, neque spem eum fefellisse, nam mox illorum cognatos multo pluris eos redemisse quam quanti ornamenta illa essent, ita ut statim in quatuor menses victum praebere copiis posset. Itaque sine ullo damno immo cum magno emolumento ista ἐφόδια τῆς στρατιᾶς abiiciemus; adscripsit aliquis ad pronomen ἅ explicandum; annotatione in textum recepta periit venustissima oppositio ἃ καλῶς ὑπὸ τῶν πολεμίων ἔδοξεν ὠφελῆσθαι κάλλιον ἀνήλισκεν εἰς τοὺς πολεμίους.

C. XIII verba ἐπηγωνίσατο ταῖς νίκαις sic accipere viri docti videntur: „statim post victorias illas novum adiit certamen". Certe interpres Didotianus haec praebet: „certamen aliud quasi additamentum victoriis et tropaeum quaerens subiit". Insolite tamen dictum illud.

C. XIV In iudicium vocatur Cimon quod pecunia ab Alexandro accepta nullam in Macedoniam fecerit incursionem.

ἀπολογούμενος δὲ πρὸς τοὺς δικαστὰς οὐκ Ἰώνων ἔφη προξενεῖν οὐδὲ Θεσσαλῶν, πλουσίων ὄντων, ὥσπερ ἑτέρους, ἵνα θεραπεύωνται καὶ λαμβάνωσιν, ἀλλὰ Λακεδαιμονίων, μιμούμενος καὶ ἀγαπῶν τὴν παρ' αὐτοῖς εὐτέλειαν καὶ σωφροσύνην, ἧς οὐδένα προτιμᾶν πλοῦτον, ἀλλὰ πλουτίζων ἀπὸ τῶν πολεμίων ἀγάλλεσθαι.

Haec parum apte decurrit sententia. Excidisse quaedam crediderim.

C. XV Quamdiu aderat Cimon cohibuit hominum popularium ardorem. Sed cum iterum ad classem esset profectus

τελέως ἀνεθέντες οἱ πολλοὶ καὶ συγχέαντες τὸν καθεστῶτα τῆς

Digitized by Google

πολιτείας κόσμον τά τε πάτρια νόμιμα, οἷς ἐχρῶντο πρότερον, Ἐφιάλτου προεστῶτος ἀφείλοντο τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς τὰς κρίσεις πλὴν ὀλίγων ἁπάσας.

Istud τε Schaeferus addidit. Sed ne sic quidem locus sarcitur. Fortasse totum istud τὰ πάτρια .... πρότερον tamquam interpretamentum eius quod praecedit τὸν καθεστῶτα τῆς πολιτείας κόσμον est eiiciendum.

Sic demagogi isti

εἰς ἄκρατον δημοκρατίαν ἐνέβαλον τὴν πόλιν, ἤδη καὶ Περικλέους δυναμένου καὶ τὰ τῶν πολλῶν Φρονοῦντος.

Haec quoque suspecta. Certe istud δυναμένου suum sibi μέγα flagitat. Sed scioli annotationem olet totum istud ἤδη — Φρονοῦντος.

C. XVI Pro πόλεις legendum esse ἐπαύλεις demonstravi Mnem. 1903 p. 317. Haud mediocriter hoc invento gaudeo.

C. XVIII μετὰ δὲ ταύτην τὴν ὄψιν αὐτοῦ τῷ Διονύσῳ θύσαντος ὁ μὲν μάντις ἀπέτεμε τὸ ἱερεῖον.

Immo vero ἀνέτεμε, quod solemne est verbum de haruspice exta consulente.

Lucullus c. 1 ἐδόκει δὲ καὶ ἄλλως αὐτοῖς ἄνευ προφάσεως οὐκ ἀγεννὲς εἶναι τὸ τῆς κατηγορίας ἔργον.

Admodum suspecta mihi sunt vocabula ἄνευ προφάσεως quibus sine ullo detrimento hic carere possimus. Interpretamentum videtur vocabuli ἄλλως „vel sic", quod fere idem est ac *sine certa causa*.

Et Latine et Graece facundus erat orator Lucullus

ὥστε καὶ Σύλλας τὰς αὑτοῦ πράξεις ἀναγράφων ἐκείνῳ προσεφώνησεν.

Ultimum vocabulum quo sensu dictum sit me latet. Vertunt „ei inscripserit"; sed quomodo, obsecro, illud cum iis quae continuo sequuntur ὡς συνταξομένῳ καὶ διαθήσοντι τὴν ἱστορίαν ἄμεινον cohaeret? Non, ut opinor, librum alicui „dedicantes" illum nobis melius argumenta disponere declaramus.

C. II Non ab omni parte perspicuum mihi est quod περὶ τοῦ Λουκολλείου νομίσματος narratur:

Digitized by Google

διετέλεσεν ἐπὶ πλεῖστον ὑπὸ τῶν στρατιωτικῶν χρειῶν ἐν τῷ πολέμῳ λαμβάνον ἀμοιβὴν ταχεῖαν.

Melius intelligerem si λαβόν scriptum esset: milites illos nummos mutando sparserunt per provincias, et sic in usu esse illi perstiterunt.

ib. λέγεται δὲ μήτ' εἰς Μέμφιν ἀναβῆναι μήτ' ἄλλο τῶν θαυμαζομένων ἐν Αἰγύπτῳ καὶ περιβοήτων ἱστορῆσαι.

Immo vero λέγει: ipse hoc Lucullus in suis commentariis dicit, quod luce clarius apparet ex iis quae continuo sequuntur: σχολάζοντος γὰρ εἶναι ταῦτα θεατοῦ καὶ τρυφῶντος, οὐχ, ὡς αὐτὸς, ἐν ὑπαίθρῳ τὸν αὐτοκράτορα σκηνοῦντα παρὰ ταῖς ἐπάλξεσι τῶν πολεμίων ἀπολελοιπότος. Mirum et vix credibile eiusmodi aliquid per tot saecula viros doctos latere potuisse!

Ex eodem genere vitium mihi deprehendisse videor apud Flavium Iosephum A. I. 19, 14. Describens spectaculum, in quo Caligula interfectus est, et alia et haec narrat:

πολλῆς δὲ ὀπώρας ἐπιχεομένης τοῖς θεωροῖς καὶ πολλῶν ὀρνέων ὀπόσα τῷ σπανίῳ τίμια τοῖς κτωμένοις, ὁ Γάιος ἡδονῇ τὰς περὶ αὐτοῖς ἐθεώρει μάχας καὶ διαρπαγὰς εἰκειουμένων αὐτὰ τῶν θεωρῶν. ἔνθα δὲ καὶ σημεῖα μανθάνει δύο γενέσθαι· καὶ γὰρ μῖμος εἰσάγεται, καθ' ὃν σταυροῦται λῃστῶν ἡγεμών, ὅ τε ὀρχηστὴς δρᾶμα εἰσάγει Κινύραν, ἐν ᾧ αὐτός τ' ἐκτείνετο καὶ ἡ θυγάτηρ Μύρρα, αἱμά τ' ἦν τεχνητὸν πολύ.

Haec *spectat* Caligula, verum *facta ea esse* et Caligulae illa oblata omina quis μανθάνει? Ut opinor, is qui haec scripsit. Dedit ergo μανθάνω i. e. „apud auctores meos invenio". Paulo post sequitur quod est eiusdem generis:

ὁμολογεῖται δὲ καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην γενέσθαι ἐν ᾗ Φίλιππον τὸν Ἀμύντου Μακεδόνων βασιλέα κτείνει Παυσανίας.

i. e. de hac re consentiunt auctores mei. Omnino Iosephus libenter suarum disquisitionum facit mentionem.

C. IV In bello civili neutris partibus se adiunxit Lucullus, neque tamen ob eam causam minoris eum faciebat Sulla

ἀλλὰ τήν τε γραφὴν, ὡς εἴρηται, τῶν ὑπομνημάτων ἐκείνῳ δι' εὔνοιαν ἀνέθηκε ...

ὡς εἴρηται, ubi? In mentem nobis venit loci in c. I de quo

Digitized by Google

modo agebamus, quamquam ibi haudquaquam idem dicitur quod hic: *τὰς αὐτοῦ πράξεις ἀναγράφων ἐκείνῳ προσεφώνησε*, hoc est: ipse Sulla commentarios suos conscripsit, sed eos Lucullo ... quid? „Inscripsit" ait interpres Didotianus, quod eodem redit ac pervulgatum illud „dedicavit". Ut faciamus *προσφωνεῖν* eam vim habere, carmen aliquod, orationem, librum denique aliquem arte limatum in fronte gerere nomen eius, quem poeta, orator, historicus insigni velit afficere honore intelligimus, nudos aridosque commentarios non intelligimus, cum praesertim ipse eorum auctor se scribendi artem parum callere fateatur. Deinde quo modo haec procedit disputatio: „Lucullus tam Graece quam Latine facundus erat, ergo Sulla honoris causa suos commentarios illius ornavit nomine, utpote qui melius eos dispositurus compositurusque esset"? Hinc quoque aliquem extundas sensum: ubi nunc ante c. IV Plutarchus Sullam dixit commentarios suos *perscribendos mandasse* Lucullo? Nusquam, ut opinor, et tamen *τὴν γραφὴν τῶν ὑπομνημάτων ἐκείνῳ ἀνέθηκε* quid possit significare aliud non video. Suspicor ergo in c. I a Plutarcho scriptum fuisse *τὰς αὐτοῦ πράξεις ἀναγράφειν ἐκείνῳ προσέταξεν*. Dixeris ne sic quidem quae capitibus I et IV narrentur inter se concinere: duae res ibi traduntur, sed eae minime diversae, immo quam maxime inter se cognatae. Qui alii suos commentarios perscribendos mandat primum insigne ei dat amoris benevolentiaeque documentum, deinde eum tamquam scribendi artificem insigni afficit honore.

C. VI Praecia meretricula viris, quibuscum rem habere solebat, utebatur

πρὸς τὰς ὑπὲρ τῶν Φίλων σπουδὰς καὶ πολιτείας.

Ultimum vocabulum sanum esse non credo utpote quod nullo modo cum praepositione *ὑπέρ* iungi possit. Adscripsitne aliquis *καὶ πολιτείας* ad significandum illa Praeciae studia ad rempublicam pertinuisse?

C. VII In eam venerat respublica conditionem ut fieri posset nihil

Κεθήγου μὴ σπουδάζοντος οὐδὲ Πραικίας μὴ κελευούσης παρὰ Κεθήγῳ.

Digitized by Google

Nihili istud videtur. Legendum:

Κεθήγου μὴ κελεύοντος οὐδὲ Πραικίας μὴ σπουδαζούσης παρὰ Κεθήγῳ.

Nunc demum recte et ordine, simulque facete, dicta sunt omnia: Cethegus tribunus non iam *vetabat* sed *iubebat* et sua apud eum, tamquam si consul vel praetor esset, gratia utebatur ... meretrix.

C. IX Castra ponit Lucullus

ἐν τόπῳ κατὰ τῶν ὁδῶν ἄριστα πεφυκότι καὶ τῶν χωρίων, ἀφ' ὧν καὶ δι' ὧν ἀναγκαῖον ἦν τοῖς Μιθριδατικοῖς τὰ ἐπιτήδεια φοιτᾶν.

Immo vero *καὶ τῶν ὁδῶν ... καὶ τῶν χωρίων*. Optimus ille erat castrorum locus ét quod pertinebat ad vias, quibus ad hostes commeatus advehebatur ét quod ad agros unde frumentari illi solebant. Venustissimus est chiasmus:

καὶ τῶν ὁδῶν . . . . . καὶ τῶν χωρίων

ἀφ' ὧν . . . . . δι' ὧν.

Ad genitivos illos quod attinet, quamquam minime rarus ille usus, adscribere tamen locum e Platone iuvat, qui mirifice huc quadrat: Leg. p. 705 C. *ναυπηγησίμης ὕλης ὁ τόπος ἡμῖν τῆς χώρας πῶς ἔχει;*

C. XIII In myoparonem transiit Mithridates

τῆς ὁλκάδος, ἐφ' ἧς ἔπλει, μήτε πρὸς τὴν γῆν εὐπαρακομίστου διὰ μέγεθος ἐν σάλῳ μεγάλῳ καὶ κύματι τυφλῷ παρισταμένης τοῖς κυβερνήταις κτέ.

Si sana haec, iungenda inter se sunt *εὐπαρακομίστου παρισταμένης* ita ut prius vocabulum secundi sit praedicatum et *ἡ ναῦς πρὸς τὴν γῆν εὐπαράκομιστος παρίσταται τοῖς κυβερνήταις* significet: navis se docilem praebet gubernatoribus ita ut facile in terram possit dirigi.

C. XIV „Cur hostem nobis" Lucullus milites desidiam non ferentes rogat „Tigranem ultro faciamus"

πάλαι μὲν αἰτίας δεόμενον ἐφ' ἡμᾶς, εὐπρεπεστέραν δὲ οὐκ ἂν λαβόντα τῆς ὑπὲρ ἀνδρὸς οἰκείου καὶ βασιλέως ἀναγκασθέντος ὑπουργεῖν αὐτῷ;

Digitized by Google

Corrupta haec neque sanantur Schaeferi coniectura *ἀναγκασθέντα*, qua et hiatus nascitur. Et illam tamen probat strenuus ille traditarum lectionum propugnator Sintenisius! Nulla est vera medicina qua non efficiatur ut articulus *τῆς* suum sibi substantivum nanciscatur. Ecquid *τῆς ὑ. ἀ. οἱ. κ. β. ἀναγκασθείσης ὑπουργίας*? Nullum unquam habebit speciosius belli praetextum Tigranes quam *si cogetur* cognato regi *opem ferre* (pulcherrimum erit praetextum coacta i. e. necessaria, quam regi cognato praebet, opera).

Etiam ea quae statim sequuntur:

τί οὖν δεῖ τοῦθ' ἡμᾶς ἐξεργάσασθαι καὶ διδάξαι Μιθριδάτην ἀγνοοῦντα, μεθ' ὧν ἐστὶν αὐτῷ πολεμητέον, καὶ μὴ βουλόμενον ἀλλ' ἀδοξοῦντα συνελαύνειν εἰς τὰς Τιγράνου χεῖρας;

corrupta videntur. Non enim video quid hic isto *ἀδοξοῦντα* faciam. Quod si ita agere liceret ut egit Didotianus interpres, qui *μὴ βουλόμενον ἀλλ' ἀδοξοῦντα* vertit: nolentem et *dedecori sibi ducentem*, nullum iam in Graecis libris esset obstaculum: quodvis vocabulum significare quidvis posset. Sed *ἀδοξεῖν* et semper fuit et nunc est „in nullo honore esse". Legendum *ἀμφιδοξοῦντα* censeo: ad Tigranem confugere non *vult* Mithridates, neque tamen *plane nolle* eum dixerim, cogitat de ea re et dubius haeret. Eum ne impellamus! *θέλει μέν, ἐχθαίρει δέ, βούλεται δ' ὅμως.*

C. XVI *ὁ Μενέδημος εἰπὼν μηδὲν ἀναγκαιότερον τοῦ σώζεσθαι Λούκουλλον κτέ.*

Post *ἀναγκαιότερον* insere *εἶναι*, non enim Latina haec sed Graeca.

C. XVII Notabilis quaedam loquendi brevitas hic observatur. Mithridates se parem Romanis non esse intelligens castra movet, persequitur eum Luculli exercitus et parum abest quin ipse rex in manus incidat hostium, sed salutem ei affert persequentium avaritia:

ἦν μὲν γὰρ ἐν ἐφικτῷ τῆς διώξεως ὁ ὑπεκφέρων τὸν ἄνδρα ἵππος, ἡμιόνου δὲ τῶν τὸ χρυσίον κομιζόντων μεταξὺ τοῦ βασιλέως εἶτ' ἀπὸ ταὐτομάτου παρεισπεσόντος εἴτε τοῦ βασιλέως ἐπίτηδες ἐμβαλόντος αὐτὸν εἰς τοὺς διώκοντας

Digitized by Google

eo se Romani converterunt et dum aurum rapiunt effugit Mithridates.

Hic post μεταξὺ τοῦ βασιλέως alterum membrum καὶ τῶν διωκόντων est omissum, neque ulla est damni illati suspicio. Fortasse hac luce illustrari potest locus ille in Aristophanis Acharnensibus saepe frustra tentatus — quem velim norunt periti

Ceterum obnoxium fuisse hoc caput videtur legentis importunitati, qui se continere non potuerit quin ad οὐ τοσαύτην οὖσαν adscriberet ἀλλὰ μικράν et τάχει μὲν οὐκ ἀπελείποντο τοῦ λαβεῖν verbis ἀλλ' ἦλθον ἔγγιστα τούτου illustraret.

C. XX τὴν ἐπαρχίαν ἄρρητοι καὶ ἄπιστοι δυστυχίαι κατεῖχον ὑπὸ τῶν τελωνῶν καὶ τῶν δανειστῶν πορθουμένην καὶ ἀνδραποδιζομένην, πιπράσκειν ἰδίᾳ μὲν υἱοὺς εὐπρεπεῖς θυγατέρας τε παρθένους, δημοσίᾳ δ' ἀναθήματα, γραφὰς, ἱεροὺς ἀνδριάντας ἀναγκαζόντων.

Sic scripsit Plutarchus, sed librarius praecedentibus illis *passivi* participiis in errorem inductus pro ἀναγκαζόντων dedit ἀναγκαζομένων et sic locum pulcherrime structum corrupit.

ib. Tandem aliquando miseri provinciales addicti serviebant servitutem, sed ipsa servitute duriora erant ea quae praecedebant

σχοινισμοὶ καὶ κιγκλίδες καὶ ἵπποι καὶ στάσεις ὕπαιθροι.

Vocabula καὶ ἵπποι omisit interpres Didotianus, neque quisquam mortalium quid sibi *hic* velint explicabit. Unde tamen pedem intulerint non est obscurum. Nempe σχοινισμῶν et κιγκλίδων quae sit ratio is demum novit qui unquam forum vidit ubi venales prostarent boves ovesque sed praesertim equi. In margine ergo annotavit aliquis ἱπ.. ad significandum equorum instar tractatos miseros illos fuisse homines, inde postea istud textus dehonestamentum καὶ ἵπποι natum est.

C. XXI Appius Claudius civitatibus, quae in manus pervenerunt Tigranis, libertatem promittebat per Lucullum obtinendam

ἣν γὰρ οὐκ ἀνασχετὸς ἡ τῶν Ἀρμενίων ἀρχὴ τοῖς Ἕλλησιν [ἀλλὰ χαλεπή].

Unquamne vidisti turpius additamentum?

Digitized by Google

C. XXIV De sacris Dianae Persicae bobus haec narrantur:

χρῶνται ταῖς βουσὶ πρὸς θυσίαν μόνον, ἄλλως δὲ πλάζονται κατὰ τὴν χώραν ἄφετοι χαράγματα φέρουσαι τῆς θεοῦ λαμπάδα, καὶ λαβεῖν ἐξ αὐτῶν, ὅταν δεηθῶσιν, οὐ πάνυ ῥᾴδιον ἐστιν οὐδὲ μικρᾶς πραγματείας.

Lege *λαβεῖν τιν' αὐτῶν.*

C. XXVI Si quis ex uno exemplo cognoscere vult quanto artificio Plutarchus periodos struere possit quae aures impleant et parum absint a carminum suavitate, legat mihi locum, a verbis *ἐπεὶ δὲ παναστρατιᾷ* incipientem, quo exponitur quid Tigranem permoverit ut ad Tigranocerta impetum faceret in Romanos.

C. XXVII Lucullus ad locum fluminis, qui facillime posset transiri, procedens speciem fugientis praebebat Armeniis. At iam gloriantem iocantemque Tigranem Taxilas, vir prudentissimus, sic corripuit: „vellem ita se res haberet"

ἀλλ' οὔτ' ἐσθῆτα λαμπρὰν οἱ ἄνδρες λαμβάνουσιν ὁδοιποροῦντες οὔτε θυρεοῖς ἐκκεκαθαρμένοις χρῶνται καὶ κράνεσι γυμνοῖς.

Hic utique delendus articulus *οἱ*, quoniam in universum dicta haec sunt, non de solis Luculli militibus.

C. XXVIII Cum iam se victorem esse intellexisset Lucullus, milites iussit

μηδὲν ἔτι χρῆσθαι τοῖς ὑσσοῖς, ἀλλ' ἐκ χειρὸς ἕκαστον διαλαβόντα παίειν τῶν πολεμίων κνήμας τε καὶ μηρούς.

Verbi *διαλαβόντα* quae vis sit nescio. Interpres Didotianus dat: „ne pilis uterentur, sed *statim gladiis* femora et tibias ferirent", ad sensum rectissime, sed in Graeco exemplari ista *statim* et *gladiis* desiderantur et aegre quidem. Latere in *διαλαβόντα* suspicor.

C. XXXIII Post multas magnasque res feliciter gestas tandem aliquando fortuna adversari Lucullo coepit; quidquid porro tentabat nullam ei gloriam gratiamve afferebat

ἀλλὰ καὶ τὴν προϋπάρχουσαν (δόξαν) ἐγγὺς ἦλθε δυσπραγῶν καὶ διαφερόμενος μάτην ἀποβαλεῖν.

Digitized by Google

Quo sensu hic διαφερόμενος dictum sit me latet. Neque similis mihi noster locus illi in vita Marii videtur (c. XXVI), ubi Marium legimus ἀστοχῆσαι τῶν πολεμίων καὶ παρενεχθέντα τῆς φάλαγγος ἐν τῷ πεδίῳ διαφέρεσθαι πολὺν χρόνον. Ibi enim additum ἐν τῷ πεδίῳ monet διαφέρεσθαι *oberrandi* sensu esse accipiendum. Nihil tale nostro loco et vereor ut cum δυσπραγῶν recte aliud iungatur participium *oberrantem* significans.

C. XXXIV Publius Clodius

κατὰ τοῦ Λουκούλλου λόγους χρηστοὺς εἰς οὐκ ἄκοντας οὐδ' ἀηθεῖς τοῦ δημαγωγεῖσθαι

spargebat. Pro χρηστούς aliud requiritur adiectivum quod „blandos, auditu iucundos" significet, vel „gratos", quod interpres Didotianus dat de suo, immo de nihilo.

C. XLI In suavissima illa narratione de cena lauta opiparaque quam Ciceroni et Pompeio invitis parandam curavit Lucullus et alia et haec legimus „hodie" Cicero inquit „apud te cenare cupimus sed ea conditione ne quidquam extra ordinem nostra causa apponas". Sequitur:

θρυπτομένου δὲ Λουκούλλου καὶ μεταλαβεῖν ἡμέραν ἀξιοῦντος κτἑ.

Admodum insolite dictum istud μεταλαβεῖν ἡμέραν quod sic reddit interpres Didotianus: „in alium diem differre".

Comparatio Cimonis et Luculli c. I τὸ δ' ἐφ' ἡδονὴν, ὡς τέλος, καταστρέψαντα τὰς καλὰς πράξεις ἤδη λοιπὸν Ἀφροδίσια τῶν πολέμων καὶ στρατηγιῶν ἄγοντα παίζειν καὶ τρυφᾶν οὐκ ἄξια τῆς καλῆς Ἀκαδημίας.

Istud ἄξια errore, qui paratam habet excusationem, scriptum pro ἄξιον. De ἤδη λοιπόν, quod interpres Didotianus negligit, subdubito, sed videtur ἠθικῶς positum hoc sensu „iam posthac" (Belg. *nu voortaan*).

Tum haec Luculli cum Cimone infertur comparatio:

ὃ καὶ θαυμαστόν ἐστιν· ὑπεναντίως γὰρ ἡ νεότης τοῦ μὲν ἐπίψογος καὶ ἀκόλαστος γεγονέναι δοκεῖ, τοῦ δὲ πεπαιδευμένη καὶ σώφρων..

Arena sine calce! Lege: ὃ δὲ θαυμαστόν ἐστιν, ὑπεναντίως ἡ νεότης (deleto γάρ) κτἑ.

Digitized by Google

ib. *αἱ δ' ἐπὶ τὰς πράξεις καὶ τοὺς ἀγῶνας κατορθώσεις ἡδονὰς ἑτέρας ἔχουσαι κτἑ.*

Aut *κατορθώσεις* corruptum est, aut pro *ἐπί* alia praepositio (*κατά*?) requiritur.

C. II *εἰ τοίνυν μέγιστον ἔργον ἡγεμόνος εὐπείθειαν ἐργάσασθαι δι' εὔνοιαν κτἑ.*

Rarus usus hic praepositionis *διά* cum accusativo. Sic tamen Plutarchus scripsisse videtur: iungendum enim *εὐπείθειαν δι' εὔνοιαν*: „obedientiam quae propter benevolentiam praestatur", quod fere idem est ac „obedientiam e benevolentia natam". Non necesse ergo videtur cum Coraë verbo *ἐργάσασθαι* praefigere praepositionem *ἐν*.

ib. *τὸν δ'* (Lucullum) *οὐ παντελῶς ἄν τις ἐξέλοιτο τῆς παρ' αὐτὸν αἰτίας.*

Obscurissima haec. Ecquid pro *παρ'* legendum *εἰς* (vel *ἐπ'* vel *πρός*) ut *ἡ εἰς αὐτὸν αἰτία* sit: „crimen quo petitur ab iis qui de eo censuram agunt"?

ib. Mire Lucullus dicitur *εἰς τηλικαύτας ἀπεχθείας προελθεῖν* (in tam graves incidisse inimicitias). Vulgo ipsae inimicitiae dicuntur ad aliquem *προιέναι* vehementiae gradum.

C. III *πολὺ δ' ὁ Λούκουλλος προῆλθε.*

Aut corrupta haec sunt aut sic accipienda: „Lucullus multo longius (quam Cimon) bello est progressus" ut *τεκμήριον δὲ μέγα κτἑ.*, quod aliquanto post legitur, habeat quo referatur.

ib. *τὸ δαιμόνιον ἀμφοτέροις ἔοικεν εὐμενὲς γενέσθαι, τῷ μὲν ἃ χρὴ κατορθοῦν, τῷ δ' ἃ φυλάττεσθαι χρὴ προμηνῦον.*

Sua sibi Plutarcho reddatur venustas deleto posteriore *χρή*.

Continuabuntur.

Digitized by Google

DE AGRO TOMITANO

(Ovid. Pont. III, 1, 19 sqq.).

In diario Germanico c. t. *Archiv für Philol. u. Paedag.* Vol. XIX fasc. 3 p. 14 sqq. Beckerus quidam, vir nobilis, qui ab imperatore Austriae in terras Danubii ostiis adiacentes eo tempore legatus fuerat, multa ex Ovidii Tristibus Epistolisque Ponticis collegit ad demonstrandum antiquorum Tomorum, hodiernae Constantiae (Köstendje), regionem ibi egregie et ipsi veritati convenienter describi. Cetera omnia sunt eiusmodi ut nihil ibi dicat poeta quod non quivis de quavis regione, quam oderit contemnatque, dicere possit. Una tantum res commemoratur quae illius agri propria videatur: absinthium. „Nihil enim" Beckerus ait „magis toti regioni suum sibi praebet aspectum quam immensi illi campi absinthio consiti." Nunc ipsum Ovidii locum aspiciamus:

Rara neque haec felix in apertis eminet arvis
Arbor, et in terra est altera forma maris.
Non avis obloquitur, nisi silvis siqua remotis
Aequoreas rauco gutture potat aquas.
Tristia per vacuos horrent absinthia campos.

Omittamus vss. 22 sq. qui, nisi pro *remotis* satis audacem Burmanni coniecturam *relictis* recipimus, ne intelligi quidem possunt, et vel sic declamantis potius sunt quam pingentis. Restant tria quae imperito pictae tabulae instar videri debeant et pictae ab artifice fideliter referente ea quae ante oculos habeat: 1 arborum absentia, 2 planities mari similis, 3 agri absinthio consiti. Sed quis adeo hospes est in nostris literis, quin de hac trium illarum rerum enumeratione paulisper reputans in risum erumpat memor eorum quae iam puer legit in ... Xenophontis Anabasi (I, 5, 1): *ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ἦν μὲν ἡ γῆ πεδίον ἅπαν ὁμαλὸν ὥσπερ θάλαττα, ἀψινθίου δὲ πλήρης, δένδρον δ' οὐδὲν ἐνῆν.*

J. J. Hartman.

Digitized by Google

COLUMBAE INTERNUNCIAE.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Anno 1574 per maiorem anni partem Leidenses obsidionem obfirmatis animis toleraverunt, donec tandem immisso Oceano et circumiacentibus agris submersis Boisotus, quem princeps Arausionensis classis praefectum constituerat, Hispanis fusis fugatisque, salutem attulit miseris mortalibus, qui propemodum fame enecti et ad desperationem adacti, post breve intervallum consilii inopes Harlemensium exemplum magis secuturi videbantur quam Alcmariensium, quibus singulari fortunae beneficio ex obsidione exemtis, tandem Victoria Gueusios respicere coepit. Ad hunc usque diem omnes grato animo recordantur incredibili modo oppidum suum ab interitu fuisse servatum. Quo die primum salus affulsit — est autem dies tertius m. Oct. — omne virile ac muliebre secus agit festum diem. Nec desunt studiosi iuvenes, qui gloriantur quod quadamtenus in societatem partae virtutis adsciscuntur, cum praesertim meminerint Arausionensem, ut Leidam venerit, ne summae constantiae suum praemium deesset, haud sine quadam acerba ironia Philippi Regis nomen obtegentem, afflictae civitati insigne tribuisse beneficium et condidisse Academiam Lugduno-Batavam d. 8 m. Febr. 1575, qui festus dies imprimis Professorum est et Studiosorum iuvenum, sicuti mense Octobri reliqui cives magis in partem veniunt communis laetitiae. Quam multi anni elapsi sunt ex quo non nisi mente ac cogitatione interesse possum celeberrimo coetui

Digitized by Google

meritissimorum virorum, qui tunc in Auditorium Maius congregari solent!

Quorsum haec omnia? Scilicet nemo mirabitur quod in municipali museo et alibi pie conservatur si quod post tria saecula monumentum superest exantlati laboris. Quin et hospitibus ipsa domus commonstratur, unde d. 26 m. Sept. speculator secum tulit sex columbas, quae ibi nidificarant. Est ea domus sita ad Canalem grandem, exadversum fossam, per quam classiarii octo diebus post famelicae hominum nationi „halecem" apportarunt et „panem candidum". Ex columbis autem post paucas horas duae vel tres ad nidum suum deinceps devolarunt cum annexis epistoliis tum Boisoti, tum Arausionensis principis, ut oppidanis qui iam de salute desperabant, animos adderent et significarent, quum primum Auster coepisset flare, se cum navibus affore, quibus iamdudum per brevia iter esset praeclusum. Itaque spe celerius rerum facies conversa fuit tandemque illorum malorum requiem nacti sunt.

Hucusque quod narravi, ab omnibus traditur; quod dicturus sum, fortasse non aeque notum est. Nimirum anno ante, qui annus fuit 1573, Harlemenses obsidione pressi et ipsi eodem artificio non semel usi sunt, nec tamen hodie praeter historiarum scriptores huius rei quisquam meminit: certe quum ipse per novem annos de numero civium Harlemensium essem, numquam quenquam audivi, qui, quum Hasselaeriam laudibus in coelum efferret, etiam columbarum tabellariarum mentionem iniiceret. Dices fortasse longinquitate temporis rei memoriam intermortuam fuisse? Ita est; sed etiam paucis annis post expugnatam urbem iam eadem erat omnium oblivio. Dicam quod comperi.

Primus omnium Frutersius est, qui anno 1577 de Leidae obsidione scripsit additque, quod etiam aliunde abunde novimus, Leidenses cum ad columbas internuncias recurrerent, secutos fuisse Harlemensium exemplum. Praeterea docet in ea re Hollandos imitatos fuisse artificium quod Romani iam monstrassent et diserte provocat ad Frontini testimonium. Hunc ipsum audiamus, locus legitur Strategem. III 13. 8: „Hirtius consul columbis, quas inclusas ante tenebris et fame adfecerat, epistolas seta ad collum religabat easque a propinquo, in quantum poterat,

Digitized by Google

moenibus loco emittebat. Illae lucis cibique avidae altissima aedificiorum petentes excipiebantur a Bruto, qui eo modo de omnibus rebus certior fiebat: utique postquam disposito quibusdam locis cibo columbas illuc devolare instituerat". Credo bonum Frontinum nescire quid dicat; nimium certe ineptum est quod commentus est.

Quod contendo illum columbarum usum in hac Europae parte saeculo sexto decimo fere omnibus incognitum fuisse, luculenter probatur Casauboni testimonio qui in Animadversionibus ad Athenaeum p. 677 ita disputat: „Versiculo e Pherecratis Pistoribus ἀπόπεμψον ἀγγέλλοντα τὸν περιστερόν, tangitur mos antiquorum, utentium saepe columbis internunciis, sicuti Romae fieri solitum in Theatris [1]). Sed in historia seria invenies huius rei exempla: ut apud Plinium libro decimo c. 38. Vide etiam Aelianum libro nono Ποικίλ. c. 2. *Nostra quoque memoria idem factitatum in obsessa quadam Belgii urbe et audivi saepius et legi.*" Haec leguntur in priore Athenaei editione quae a. 1600 prodiit; deinde adscripsit Casaubonus quae post eius mortem a. 1621 locum invenerunt in altera editione: „Arnoldus Abbas Lubecensis in Historia Slavorum: „Volens rex Antiochiae suos praescire quid factum esset, dimisit columbam. Solent enim exeuntes ad quaelibet negotia secum asportare columbas, quae domi pullos habent noviter creatos: et si in via forte volunt accelerare nuntium, scriptas litteras sub umbilicos columbae subtiliter ponunt et eam avolare permittunt: quae cum ad suos foetus properat, celeriter amicis desideratum nuncium apportat." Iacobus Vitriacensis de historia Orientali: „Sunt praeterea columbae quae nunciorum fungentes officio, litteras dominorum sub alis deportant, hora aut tempore modico multa terrarum spatia transeuntes; sunt autem valde utiles, maxime quando per terras inimicorum alii inimici transire non audent." Luculentus hic locus est: etiamsi non pro certo dicere ausim utrum de Harlemo an de Leida Casaubonus locutus sit — malim tamen hanc potissimum urbem intelligere — hoc tamen apparet — sive haec scripta fuere in Monte Pessulano sive Lutetiae — Gallos tunc

1) Hartmannus mihi indicavit Martialis Epigramma VIII. 32, sed nondum indagare potui, quos locos Casaubonus praeterea cogitarit.

Digitized by Google

temporis rem usu optime cognovisse. Ceterum Causaubonus respicit Plinii locum H. N. X. 37. 53: „Quin et internuntiae in rebus magnis fuere, epistolas annexas earum pedibus in obsidione Mutinensi in castra consulum Decimo Bruto mittente." Quod ad Aelianum attinet, is narrat Taurosthenem Ὀλυμπιονίκην — qui fere floruisse videtur inter Olymp. XC usque ad XCV — eodem die nunciasse victoriam patri Aeginetae per columbam ἀπαυθημερίζουσαν. Sed conficitur id quod probare institi Hugonis Grotii diserto testimonio, qui de columbis Harlemensibus tacet, sed eloquenter de Leida exsequitur quod non describere gravabor: „Itaque morbis belloque consumtos, et nihil non experta(?) [1]) fame, post longae spei commercia, ad Mutinense exemplum avibus internuntiis, perfossi aggeres, aperta amnium septa et terris immissum mare, attollente fluctus pleno Lunae orbe, ad hoc ventis mire obsecundantibus, servaverunt: quin et moenium ruina, ultimum urbibus malum, tunc fuit salutare, obiecta auribus eruptionis imagine, quae hostem decepit et terruit." Obiter addo, quamquam ea res plane non pertineat ad meas columbas, verum id quidem esse quod Grotius tradidit de moenium ruina ad Portam Vaccinam, sed, quod impense miror, Fruinius noster in relatione de Leidae obsidione memorabilem rem ne uno quidem verbulo dignam censuit.

Apparuit nobis maiores olim Frontinum contulisse, Plinium, Aelianum; potuissent etiam Anacreonteum carmen ad partes vocare, quod carmen nobis certe Hollandis omnibus notum est propter Petrum Nieuwlandum, qui elegantissime vertit quod Belgice scriptum longe magis placere debet quam id quod misellus poeta invita Minerva barbaro sermone consarcinavit:

Ἐρασμίη πέλεια,
πόθεν πόθεν πέτασσαι;

cui columba:

Ἀνακρέων μ' ἔπεμψε
πρὸς παῖδα, πρὸς Βάθυλλον,
. . . . . .
καὶ νῦν ὁρᾷς ἐκείνου
ἐπιστολὰς κομίζω.

1) Annalium Editio, quae Amstelodami prodiit a. 1657, negligenter facta est et scatet vitiis.

Digitized by Google

Nunc sciendum est distingui debere inter columbam (-um) = περιστερόν (-όν) et palumbem (-um, -am) = πέλειαν vel πελειάδα. Columbae candidae sunt, λευκαὶ περιστεραί, ac proinde palumbes nigrae dicuntur, μέλαιναι. Vide modo Aristotelem Hist. Anim. V 13, qui hoc quoque addit neminem alere palumbes; solae enim columbae cicurantur indeque iam antiquis temporibus Aegyptus sua habebat ingenti numero columbaria, περιστερῶνας. Nidificat autem palumbes in arborum summitatibus, quod columba numquam facit. Facit hoc ad Horatii locum:

Piscium summa genus haesit ulmo,
Nota quae sedes fuerat *columbis*.

Ludicra imago quam maxime displicet in seria descriptione, nec minus offensioni est aperta imitatio eorum quae Ovidius habet Metam. I 296:

Hic summa piscem deprendit in ulmo.

Hinc etiam interpretes qui non nisi paucissimas in Horatio interpolationes agnoscunt, illam tamen strophen obelo solent notare et fatendum est verba dedecere reliquam odarii gravitatem. Sed praeterea sciendum est exstare variam lectionem *palumbis* eaque etiam Bentleio minime displicuit, nam columbarum nidos in summa ulmo frustra quaeras. Virgilius multo accuratius Aen. V 214:

Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans.

Verum hoc misso quod minus facit ad id quod ago, video in extremo Oriente, apud Assyrios et Babylonios innumeros columbarum greges fuisse habitos, credo propter fimum, quo agri optime stercorantur; deinde procedente tempore occidentem versus migrarunt et, quemadmodum hodie apud Venetos, sic olim apud Syros columba insigni honore colebatur, quae res etiam tironibus nota est ex Xenophontis Anabasi. Persae contra, sicuti Herodotus docet I 138, hoc avium genus oderant, sed causam minime perspicio estque lacuna eo loco in codicibus. Sed plurimum me advertit quod apud Athenaeum legitur IX 394 E: Χάρων δὲ ὁ Λαμψακηνὸς ἐν τοῖς Περσικοῖς περὶ Μαρδονίου ἱερῶν καὶ τοῦ διαφθαρέντος στρατοῦ Περσικοῦ περὶ τὸν Ἄθω γράφει καὶ ταῦτα· καὶ λευκαὶ περιστεραὶ τότε πρῶτον εἰς Ἕλληνας ἐφά-

Digitized by Google

νησαν, πρότερον οὐ γιγνόμεναι. Cur ea res Charoni digna visa est quam memoriae proderet? Nondum vidi qui responderet, nec certe sequar Victorem Hehnium: „Da die Perser nach Herodot. I 138 die assyrisch-babylonischen περιστερὰς als der Sonne feindlich verabscheuten und in ihrem Lande nicht duldeten, so werden es phönizische, cyprische, cilicische Schiffer gewesen sein, die mit Idolen ihrer Göttin auch die Tauben derselben mit sich führten." Hanc rationem ne ipsi quidem Hehnio multum placuisse credo et alia via est insistendum. Persae, uti coniicio, secum attulerant columbas tabellarias, quas postquam accolae ceperunt earumque usum cognoverunt, mox ea res per totam Graeciam percrebruit, nam utilitas adverterat omnes.

Ceterum plurimum dubito rectene viri docti perhibeant propter Charonis testimonium, ante tempora bellorum Persicorum nullas Graecos cognovisse columbas. Homerus quidem πέλειαν appellat et πελειάδας, non appellat περιστεράς, quod nomen vix locum habere potest in hexametro metro; cecinit tamen Il. Φ 493:

δακρυόεσσα δ' ὑπαιθα θεὰ Φύγεν, ὥστε πέλεια,
ἥ ῥά θ' ὑπ' ἴρηκος κοίλην εἰσέπτατο πέτρην,
χηραμόν· οὐδ' ἄρα τῇγε ἀλώμεναι αἴσιμον ἦεν.

Nempe quod modo apud Virgilium vidimus, in cava rupe sunt columbis latebrae, non palumbis. Rem commendo iis qui historiam animalium pertractant. Ceterum hodie, quod in vulgus notum est, columbarum et palumbium species miris modis permixtae sunt. De columbarum imaginibus in vetustissimis Graecorum monumentis conferri poterit Schraderus apud Hehnium p. 348 edit. septimae.

ADDENDUM.

Hanc dum plagulam corrigo, affertur docta disputatiuncula Ioannis Moelleri, qui (*in der Berliner Philologischen Wochenschrift* XXX 9 *p.* 287 *sq.*), haud paucos veterum locos de columbis internunciis in unum contulit. Non sinit concessum spatium plura excerpere itaque lectores illuc ablegare satis habeo.

Digitized by Google

NOTULAE CRITICAE AD SILIUM ITALICUM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(*Continuantur e Vol. XXXVIII pag.* 126).

IX. 8. Libro nono ineunte de Varronis proeliandi cupiditate nimia agitur.

Nec minor in Poeno properi certaminis ardor.
Erumpunt vallo, fortuna urgente sinistra,
Consertaeque manus; nam sparsi ad pabula campis
Vicinis raptanda Macae fudere volucrem
Telorum nubem.

Versibus igitur huius libri prioribus decem de Romanis sermo omnis est excepto uno versu octavo (*Nec minor in Poeno* e. q. s.), nam verbum *erumpunt* (vs. 9) de Romanorum militibus intellegendum esse verba, quae sequuntur, *fortuna urgente sinistra* satis comprobant. Versu demum decimo verbis *nam sparsi* e. q. s. hostes in scenam inducuntur.

Quoniam igitur Hannibalis ardor sane importune hic memoratur atque versus *Nec minor* e. q. s. narrationis cursum male interrumpit, eum utpote loco nostro quam alienissimum delendum esse censeo.

96: Nec longum celerarat iter, cum *tendere* in armis
Aggere Sidonio venientem conspicit hostem.

Ad verbum *tendere*, si revera a poeta positum est, nimirum mente est supplendum obiectum quale est *gressus* vel *vestigia*, sed dubito, nam nusquam, quantum scio, noster id omittere

Digitized by Google

solet. Utique maluerim: cum *fulgere* in armis, cl. Verg. Aen. VI. 827:

Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis.

Cf. vs. 107 huius libri: et notis fulsit lux tristis ab armis, XII. 233: casside nota fulgentem.

103: *Tyriam*que sequentum
Satricus esse manum et Sidonia vulnera credens,
Auctorem caeci trepidus circumspicit ictus.

Corrigendum puto: *Tyriúm*que, quae forma contracta in Punicis et alibi legitur et VII. 714 (Poenum), 723 (Tyrium), VIII. 202, IX. 503, XI. 26 (Italum), VIII. 300 (Ausonium). Vocabulum *manus* catervam significare manifestum est; sin bracchium interpretari velis, verba sequentia *Sidonia vulnera* ad additamentum redigentur frigidissimum.

229: subiere leves, quos horrida misit
Pyrene, populi varioque *auxere* tumultu
Flumineum latus.

In codicibus mss. scripturae discrepantia est: *auxere*, *anxere*, *ausere*, unde Heinsius: *et vario cinxere* coniecit, quod Van Veen probat. At praestare opinor Summersii propositum: *clausere*, cl. I. 52 et VI. 707:

et Thrasymenni litora Tusci
Clausa cadaveribus,

quem locum in Mnem. Vol. XXXVIII pag. 122 pluribus exemplis allatis a virorum doctorum coniecturis defendi. Nunc moneo, contrarium esse IX. 557: laxatusque deo campus, et XVII. 123: ripas spumanti gurgite laxat.

258: tum triste *movebat*
Augurium et similes defuncto in corpore vultus.

Immo: *movebant*, quia res duae significantur prorsus diversae. Augurium enim est monitum illud: „Fuge proelia, Varro!" quod, sanguine in clipeo a Solimo pictum, vs. 261 designatur verbis *arma vetantia pugnam*, similes vero vultus sunt Solimi atque Satrici.

Digitized by Google

263: Namque illum, cui *femineo* stant corde timores,
Moverit ista manus, e. q. s.

Vix dubito quin reponendum sit: *feminei*, quod Van Veen iam in Mnem. Vol. XXI pag. 265 proposuit cl. XIII. 17 et Senec. Med. 42.

267: *Tum* minitans propere describit munera pugnae.

At vero in acie instruenda Varro nihil omnino minitatur, verum minatus est cum modo Paulo pugnam vetanti responderet, qua de causa pro *Tum* scribendum esse arbitror: *Haec* vel *Sic*.

305. Copiae, quae proelium iam iam initurae sunt, clamorem tollunt,

Phlegraeis quantas effudit ad aethera voces
Terrigena in campis exercitus.

An: *Phlegraeis in campis*? Silii non est, praepositionem in talibus addere, quare rogo ut mecum scribas: *Terrigenûm* campis exercitus. Cf. Val. Fl. II. 17:

immania monstra
Terrigenum caelo quondam adversata gigantum.

314: *Acrius* insanus dextra qua ducitur ensis,
Bellantum pars magna iacet.

Hic locus varie sollicitatus est. Summers Gronovii coniecturam sane ingeniosam recepit: *Ac prius — quam* spretis Heinsii propositis quae sunt: *Acri ast* et *Ast acri*. Schrader voluerat: *Ac prior* atque Owen nuper versum aliter tentavit scribendo: Acrius *in stragem* dextra qua ducitur ensis. Mihi quidem magis placet:

Artius, insanus dextra qua ducitur ensis,
Bellantum pars magna iacet.

Nempe modo dictum est, magna telorum vi effusa hinc atque hinc milites cecidisse. Consentaneum igitur est sequi, qua parte res comminus gesta sit (cf. vs. 378: qua dextera concita Poeni limitem agit), homines artius concidisse, quin etiam affirmatur vs. 321:

nec morte peracta
Artatis cecidisse licet,

atque tota hac narrationis parte (inde a vs. 314) de acie conferta imprimis sermo est.

Digitized by Google

372. De Scaevola:

nec tanta vitam iam strage volebat,
Sed dignum proavo letum et *sub nomine* mortem.

Cf. XVII. 60: terribilem magno sub nomine molem, 374: venietque pari sub nomine ductor.

403. De Mario et Capro, adulescentibus intima familiaritate iunctis, dicitur:

Lucis idem auspicium ac patrium *et* commune duobus
Paupertas:

Barthii lectione *aes patrium* iure damnata Heinsius *ac patriae* legendum putat, nisi *patrium* πατρῷον interpreteris. At, hercle, ita interpretandum est! Sed aliud vitium locum inquinat: tollendum enim est illud *et*. Poeta festive dicit, patrimonium quoque adulescentibus commune fuisse, paupertatem sc. Librarios eiusmodi locutiones, cum non intellegerent, frequentissime corrupisse et solemni effugio fatale illud suum *et* ubique infulsisse Drakenborch ad vs. 329 huius libri monuit.

434. Scipio et Hannibal

Stabant educti diversis orbis in oris,
Quantos non alios vidit concurrere tellus,
Marte viri dextraque pares, sed cetera ductor
Anteibat Latius, melior pietate fideque.

Virgulam, quam post *tellus* posui, olim perperam post *Marte* collocatam esse atque *Marte* cum *pares* iungendum Van Veen primus vidit, quem Summers secutus est. Non tamen omnia recte iam procedere videntur. In copulatione enim *Marte dextraque*, qua Van Veen virtutem bellicam denotari credit, mihi tautologia nimia inesse videtur, ita ut pro *Marte* fortasse scribendum sit: *Arte*. Quod si legimus, viri pares fuisse dicuntur tam pugnandi arte quam viribus. Cf. X. 188: quos — hanc ipsam pugnae rector formarat ad artem.

491: Cum ventis positus custos, cui flamina carcer
Imperio compressa tenet caelumque ruentes
Eurique et Boreae parent Corique Notique,

Digitized by Google

Iunonis precibus, promissa haud parva ferentis,
Regnantem Aeoliis Vulturnum in proelia campis
Effrenat.

In Georgii lexico s. v. *effreno* versus 495 redditur: „lässt zügellos (entfesselt) brausen über des Schlachtfelds Ebene", quod non est verba poetae explicare, sed adumbrare. Ut nunc locus legitur, iungere oportet verba *regnantem Aeoliis campis*, quod nihil est, sed non magis placet Heinsii coniectura: regnantem *Aetolis* campis, quae ab editoribus recentioribus recepta est. Quam coniecturam qui comprobant, nimirum interpretantur: qui regnare solet in campis Aetolis, sed ea qualiscumque mentio huic loco minime accommodata videtur, cum praesertim Vulturnus cum ceteris ventis hucusque clausus fuisset. Nescio an scriptum fuerit: *Praegnantem*, cl. vs. 497 sq. huius libri, ubi de eodem vento:

Qui, se postquam Aetnae mersit candente barathro
Concepitque ignes et flammea protulit ora e. q. s.

Quod *Aeolias rupes* et *Aeolium antrum* se compertum habere Heinsius dicit, non *Aeolios campos*, id vetare non videtur quominus hoc loco ita poeta scripserit.

567: Atque *inde* superbis
Hasta comes dictis murali turbine pectus
Transforat et voces venturas occupat ictu.

Nonne praestat: *ipsa*?

572: Nam, praevectus equo, moderantem cuspide Lucas
Maurum in bella boves stimulis maioribus *ire*
Ac raptare iubet Libycarum armenta ferarum.
Immane stridens *agitur* crebroque coacta
Vulnere bellatrix properos fert belua gressus.

Pro *ire* plurimum arridet: *uti*. Versu autem 575 editores coniecturas Livinei (*immani*) et Blassii (*immanis*) iure reiecerunt. Alia tamen mutatione exigua opus esse credo, qua et tautologia *agitur — fert gressus* tollatur et totius sententiae structura evadat concinnior; est enim corrigendum: *igitur*. Cf. XII. 441: Inclusas igitur — claustris maris extulit astu (carinas sc.).

Digitized by Google

615: Vicini tandem se fluminis undis
Praecipitem dedit et tenui decepta liquore
Stagnantis per plana vadi tulit incita *longis*
Extantem ripis flammam.

Scribendum est: *longe*; prorsus requiro adverbium ad *extantem*, ad *ripis* vero epitheton *longis* moleste abundat.

X. 134. Hannibal Abarim alloquitur,

namque una hic armiger *ira*
Flammabat Martem atque omnis comes ibat in actus.

Vocabulum *ira* iam Heinsio mendosum visum est, qui proposuit: *huic armiger acrem*, quamquam interpretari posse addit: *una ira*, pari ira et prorsus eadem qua dominus. Ista tamen explicatio probabilis non est, nam tempora imperfecta *flammabat* et *ibat* demonstrant, consuetudinem armigeri significari, atque illud *omnis comes ibat in actus* me inducit ut cetera verba peculiare quoddam munus eiusdem viri designare credam. Quae cum ita sint, pro *ira* substituere velim: *aere*, quo recepto sensus erit: Namque hic armiger simul aere, h. e. tuba, Martem flammabat, simul nusquam non ducem suum comitabatur.

164: ceu fulmine celsa
Aesculus aut proavis ab origine cognita quercus
Cum fumat percussa *Iovi*, sacrosque per aevum
Aetherio ramos populantur sulphure flammae, cet.

Corrige: *Iovis*, quod nomen cum *fulmine* est iungendum.

173: iacet ingens Phorcys ab antris
Herculeae Calpes, caelatus Gorgone parmam,
Unde genus tristique deae manabat origo.

Gorgoni scilicet origo a Calpe Herculea deducitur, ubi una cum sororibus olim regnarat. Versus igitur 175, quo ea origo commemoratur, nimirum pendet a verbis *antra Herculeae Calpes*, a quibus nunc verbis *caelatus Gorgone parmam* male separatur. Multi sane locum corruptum esse ante me viderunt: Thilo inter versus 174 et 175 versum unum excidisse putat atque Summers cruce vocabulo *tristique* praefixa coniecturam protulit: *tristique*

Digitized by Google

dea, qua quid proficiamus me latere profiteor. Aut fallor aut ordo versuum turbatus est atque ita restituendus:

173 iacet ingens Phorcys ab antris,
175 Unde genus tristique deae manabat origo,
174 Herculeae Calpes, caelatus Gorgone parmam.

180. Paulus Phorcyn ense ferit
tergo qua balteus imo
Sinuatur coxaque sedet munimen *utrique*.

Altera lectio est: *utraque*. Ex Heinsii emendatione ab editoribus recensetur: *coxaeque — utrique*, sed verum esse suspicor: *utrimque* servata lectione tradita *coxaque*.

247: Tum vero incumbunt Libyes *super* ipse citato
Ductor equo, qua flatus agit, qua pervius ensis,
Qua sonipes, qua belligero fera belua dente.

Versum 247 alii aliter interpungunt, cum post *super* plerique, nonnulli ante hoc vocabulum virgulam ponere soleant. Summers post vs. 249 versum excidisse credit verbum continentem quo *ductor* referretur, atque sane sententia tale verbum flagitat, sed simplicius videtur pro *super*, quod nunc abundat, corrigere: *subit*.

270. Lentulus Paulum iam iam moriturum alloquitur:
Testor caelicolas, inquit, ni damna gubernas
Crudelis belli vivisque in turbine tanto
Invitus, plus, Paule, (dolor verba aspera dictat)
Plus Varrone noces.

Moneo adiectivum *invitus*, quod editores nunc interpunctione sua supra expressa ad verba *gubernas* et *vivis* referunt, multo melius ad verbum *noces* esse referendum, qua de causa virgulam, quae nunc fere post *invitus* collocari solet, traiciendam esse iudico post *tanto*.

279. Paulus et alia ei respondet et haec:
calcaribus aufer,
Qua vulnus permittit, equum atque *hinc* ocius urbis
Claudantur portae, ruet haec ad moenia pestis,
Dic, oro;

Digitized by Google

Varie haec edita iam sunt, cum nonnulli post vs. 281 plene distinguant, Drakenborch post *equum* — Bauer post *atque hinc* colon posuerit, Summers denique verba *ruet* — *pestis* cancellis incluserit. Heinsii atque Summersii interpunctionem maxime probabilem existimo, sed pro *hinc* legendum credo: *huic* (i. e. Poeno), ut etiam in vs. 375 huius libri codices alii *hinc*, alii *huic* exhibent. Scribendum igitur videtur:

atque huic ocius urbis
Claudantur portaè (ruet haec ad moenia pestis)
Dic, oro.

360. Somnium Hannibalis narratur.

Ipse refulgebat Tarpeiae culmine rupis
Elata torquens flagrantia fulmina dextra
Iuppiter, et *lati* fumabant sulphure campi.

Heinsius *Latii* proposuit, sed malim adverbium *late* ad *fumabant*. Cf. X. 168, XII. 5, 145 (Torreri late campos), XVII. 423, 493, 508.

382. Verba Magonis sunt ad Hannibalem:

Tanta mole, inquit, non Roma, ut credidit ipsa,
Sed Varro est victus. *quonam* tam prospera Martis
Munera destituis fato patriamque moraris?
Mecum exsultet eques; iuro hoc caput e. q. s.

In libris mss. traditum est: *quenam*, unde nonnulli *quaenam* olim legere solebant, vulgo tamen *quonam* editur. Bauer, qui ipse quoque *quaenam* recensuit, ascripsit Thilonem *quonam* postea recte defendisse, sed nescio an praestet:

quoniam tam prospera Martis
Munera destituis fato patriamque moraris,
Mecum exsultet eques:

395: Clamor saepe repens et saepe silentia fixis
In *tellurem* oculis.

Immo vero: *In tellure.*

398: Saucius omnis *eques*; galeis carpsere superbum
Cristarum decus et damnarunt Martis honores.

Blass, cui Van Veen assentitur, scribendum censuit: *equus*,

Digitized by Google

quod fortasse recte eum coniecisse Summers putat, quadrare enim id vocabulum cum *clipeo, enses, galeis* et ceteris. Attamen mihi non persuaserunt, quandoquidem Silium alibi quoque eques pro equo posuisse memini, ut alii poetae facere solent. Cf. XII. 542: Et ripas tremefecit eques. Iam Ennius apud Gellium XVIII. 5: quadrupes eques, Verg. Georg. III. 46, Bell. Hisp. 3. 8, Macrob. Sat. VI. 1. 22, Min. Fel. Octav. 7. 3. Ceterum vid. Woelfflini Arch. f. Lat. Lex. X p. 286, 452 et XI. 275, R. Ellis Journ. of Phil. XXVI p. 197.

459. Cloelii equus, dominum agnoscens,
sternit tellure Bagesum,
Quem tum captivo portabat *in agmina* dorso.

Poetam scripsisse credo: *in agmine*, eorum scilicet qui Hannibalem, campum Cannensem postridie lustrantem, comitabantur.

461. Idem autem equus
per lubrica *pingui*
Stante cruore soli et *mulcata* cadavera caede
Evolat.

Ita Bauer post Drakenborchium locum edidit, Summers de suo *tumulata* scripsit cl. V. 665. Codices mss. praebent: *mulctata c. caedi* vel *multata*, quorum scripturae multi iam conati sunt salutem afferre, conicientes: *caedis* vel *mactata caedi* (Heinsius), *cumulata c. caede* (Bentley, cui astipulati sunt Baehrens et Van Veen), *mutilata* (Thilo), *maculata* (Blass).

Poetae restituendum puto: *mutata*, quod a manu secunda in uno codice exaratum fuisse Summers annotavit, qui conferri iubet Ov. M. XI. 659: An mea mutata est facies nece? Ego legentem praeterea revoco ad ea, quae ad I. 336 (Mnem. Vol. XXXVII p. 326) et ad V. 490 (Mnem. Vol. XXXVIII p. 117) a me exposita sunt.

Insuper moneo, pro *pingui* reponendum esse: *pinguis*, quod veteres editores recensebant: equus evolat per lubrica soli, quod pingue erat stante cruore.

470. De eodem equo:
dum rapta *volucris*
Transigeret cursu sonipes certamina campi.

Digitized by Google

Heinsii sententiae accedo, bene editionem Parmensem *volucri — cursu* habere affirmantis, quod item in Romana principe et Mediolana editione fuisse Drakenborch addit, qui conferri iubet XIII. 194:

Forma ex his Numitor, cursu plantaque volucri
Praestabat Laurens.

530: hinc ornus et altae
Populus alba comae, validis accisa lacertis,
Scinditur, hinc ilex, proavorum *condita* saeclo.

Heinsius vel sine veterum librorum auctoritate *consita* corrigendum esse contendit, quod idem pro *cognita* substituere voluit in huius libri vs. 166:

ceu fulmine celsa
Aesculus aut, proavis ab origine *cognita*, quercus
Cum fumat percussa Iovi.

Hic vero Drakenborch lectionem traditam recte vindicavit et Heinsii coniecturam refellendam esse demonstravit, unde loco nostro idem propositum ei placuisse magnopere miror. Licet enim *consita* hic quidem bonum sensum praebeat, lectio *condita* satis bona videtur. Si quid mutandum esset, equidem hic quoque: proavorum *cognita* saeclo praeferrem, h. e. iam cognita proavis, ergo: quercus antiquissima.

537. Milites pyris congerendis operam dabant,
Donec anhelantis stagna in Tartessia Phoebus
Mersit equos, *fugiens*que polo Titania caecam
Orbita nigranti traxit caligine noctem.

Si quid video, emendandum est: *surgens*que; nempe sol occidens demum labori finem imposuit, i. e. tempus illud, quo Luna surgens noctem induxit.

551. Hannibal post victoriam Gradivum in vota ciet.
Primitias pugnae et laeti libamina belli
Hannibal Ausonio cremat haec de nomine victor,
Et tibi, Mars genitor, votorum haud surde meorum,
Arma electa dicat spirantum *turba* virorum.

Horum versuum tres priores cum versus quarti parte dimidia

Digitized by Google

(verba *Primitias — dicat*) nullam omnino difficultatem praebent, sed verba *spirantum turba virorum* totam orationem impeditam reddunt ac salebrosam neque quicquam iuvat Heinsii coniectura *superantum* (= victorum). Ecquis credet, Silium scripsisse: Hannibal tibi pugnae primitias cremat et turba meorum militum, qui adhuc vivunt (vel: qui victores sunt), arma electa tibi dicat? Immo Hannibal graviter ac sollemniter locutus est: 'Hannibal tibi pugnae primitias cremat et arma electa tibi dicat', et *primitiae pugnae, laeti libamina belli, arma electa* non sunt res diversae, sed omnia sunt nomina, quibus spolia caesorum denotantur. Sequitur igitur, verba *spirantum turba virorum* aliquid continuisse quo Latini significarentur, pertinentia ad *arma electa*, atque corruptelam latere in *turba*, non in *spirantum*. Suspicio me tenet poetam scripsisse: spirantum *torva* virorum; dicit enim Hannibal arma electa hostium fortissimorum, qui acriter pugnantes occubuerunt quosque idem vs. 572 appellat „superbas virtute et factis animas." Cf. XV. 411: fratris spirans ingentia facta, XVII. 397: patrui spirantis proelia dira effigies, et Homericum: μένεα πνείοντες Ἀχαιοί.

608. De Varronis e proelio Cannensi reditu
Haud secus ac, fractae rector si forte carinae
Litoribus solus *vacuis* ex aequore sospes
Adnatet, incerti trepidant, tendantne negentne
Iactato dextras, ipsamque odere salutem
Unius amissa superantis puppe magistri.

Vix intellego interpretes aequo animo ferre potuisse epitheton *vacuis*: si Varro cum naufrago conferretur, qui litori vacuo sive deserto appulsus esset, tota comparatio claudicaret, nam Varro ex acie — rector navis e naufragio servatus hac in re similes dicuntur, quod civibus suis redditi non cari exoptatique redeunt, propterea quod ille exercitu, hic navigio amisso solus incolumis evasit. Locus igitur flagitat ut pro *vacuis* reponamus: *patriis*. Sic Varro dicitur vs. 632: deiectum attollere vultum Ac patriam aspicere et luctus renovare pigebat.

XI. 5. Post Cannensem victoriam
adiungere dextras
Certavere palam *rumpenti* foedera Poeno.

Digitized by Google

Coniecturam Blassii *rumpentes* redarguit versus 161 huius libri, ubi Decius cives suos compellat:

Itis, ait, cives violanda ad iura parentum?
Damnatumque caput temerati foederis aris
Iungitis hospitio?

Sed fas id Celtis, fas impia bella referre
Boiorum fuerit populis: Capuaene furorem,
Quem Senonum genti, placuisse, et Dardana ab ortu
Moenia barbarico Nomadum sociata tyranno
Quisnam mutato tantum nunc tempore credat?

Gronovius versum 32, qui sibi languor et sopor ipse esse atque enervem reddere iratam admirationem videretur, ὑποβολιμαῖον et insiticium putabat, quo inducto tota oratio fieret admirantis, quae per verbum infinitivum proferri solet. Suspicatus est librarios, cum id genus constructionis non intellegerent, explendo, ut putabant, sensui addidisse versum subditicium. Quod iure Gronovium sensisse Summers affirmat neque ego dissentio: versus Silio sine dubio abiudicandus atque uncinis iam includendus est.

Praeterea autem locum nostrum alio vitio inquinatum esse credo, quod nunc aperiam.

In huius libri initio gentes Italicae enumerantur, quae post Cannas arma Hannibali iunxerunt: Samnites, Bruttii, Apuli dicuntur vs. 8—10, deinde haec sequuntur vs. 11 sqq.:

Tum gens Hirpini vana indocilisque quieti
Et rupisse indigna fidem — ceu dira per omnis
Manarent populos foedi contagia morbi.

Post hanc observationem, quam totam seriem potius clausisse exspectaveris, continuo, hercle, instauratur aliarum gentium enumeratio atque Atella, Calatia, Tarentum, Croton, Locri, Celtae deinceps commemorantur!

Versus igitur 12 et 13 accuratius consideremus.

Quivis iam agnoscet, verba *ceu dira — morbi*, quamvis per se satis perspicua, huic loco importunissima esse atque narrationis cursum male interrumpere, sed rogo quid sibi velint verba *Et rupisse indigna fidem*? Discere velim quare gens vana ac turbulenta sit indigna quae fidem rumpat. Nonne contra evenire

Digitized by Google

solet? Bentley id probe intellexit, cum *Nec rupisse i. f.* proponeret, verum verba non corruptela laborant, sed versus de suo loco migrarunt. Si versus 12 et 13 post versum 31 reposueris atque Gronovio obsecutus versum 32 induxeris, omnia bene procedent:

28 Sed fas id Celtis, fas impia bella referre
29 Boiorum fuerit populis: Capuaene furorem,
30 Quem Senonum genti, placuisse, et Dardana ab ortu
31 Moenia barbarico Nomadum sociata tyranno
32 [Quisnam mutato tantum nunc tempore credat?]
12 Et rupisse indigna fidem — ceu dira per omnis
13 Manarent populos foedi contagia morbi.
33 Luxus et insanis nutrita ignavia lustris cet.

Ita si versus restitueris, èt verba *Et rupisse indigna fidem* bonam interpretationem iam admittere videbis èt enumerationem gentium post vs. 11 iusto iam tenore procedere èt versus 12 sq. suo loco vere redditos esse, cum versus multi, qui sequuntur (33—54), *dira* illa *contagia foedi morbi* plurimis exemplis illustrent.

48. In urbe Capua luxu corrupta
Nec, quos vile genus despectaque lucis origo
Foedabat, sperare sibi et deposcere *primi*
Deerant imperia ac patriae pereuntis habenas.

Potius crediderim poetam scripsisse: *prima*. Cf. vs. 94 huius libri:

an tua, Virri,
Prima atque ante alias sors, concedente senatu,
Te citat ac nostris aequat iam purpura Brutis?

55: Has astu aggressus quo verteret acrius aegras
Ad Tyrios mentes, quae nulla sorte daturam
Certus erat Romam — neque *enim* impetrata volebat —
Pacuvio fuit haud obscurum *crimine* nomen —
Hortatur e. q. s.

Pro *impetrata* Bauer Livinei coniecturam *impetranda* recepit atque Blass *imperitata* maluit, sed veram lectionem esse conicio: neque *et* impetrata volebat. Pacuvius enim ea petebat quae certus erat

Digitized by Google

Romanos numquam daturos esse quaeque insuper impetrare ipse nolebat.

Versu autem 58 voc. *crimine* sanum esse non posse alii iam viderunt. Quod tamen L. Mueller proposuit *carmine*, minime probabile duco. Suspicio mihi orta est poetam scripsisse: haud obscurum *ab origine* nomen, cl.

X. 165: proavis ab origine cognita quercus.
XII. 344: ortum Iliaca iactans ab origine nomen.
XII. 393: Ennius antiqua Messapi ab origine regis.
XIV. 462: Daphnis, deductum ab origine nomen antiqua.
XV. 291: Hic gente egregius veterisque ab origine regni.
XVI. 148: Perfidiam fugio et periuram ab origine gentem.
XVI. 428: Discant qui pecudum ducunt ab origine nomen.
XVII. 33: Hic prisca ducens Clausorum ab origine nomen.

157. Campani foedus cum Hannibale inituri erant,
Sed non *invictum* ponebat pectore robur
Tum solum Decius Capuae decus.
Nonne praestat: *invicto*? Cf. vs. 170 infra:
Novi dis animas similes et pectora magnis
Numquam angusta malis.

161. Decius in oratione, qua cives suos a consilio deterrere conatur, exclamat:
Damnatumque caput temerati foederis aris
Iungitis hospitio?
Buchwald pro *aris* scribendum esse censuit: *armis*, sed lectionem traditam confirmat XIV. 82:
pactamque per aras
Haud facilis temerare fidem.
Cf. etiam XVII. 67:
Immemor hic dextraeque datae iunctique per aras
Foederis.
Et XVII. 86: castas polluti foederis aras testatus, nec non XV. 557:
patulos regione Metauri
Damnavi tumulis Poenorum atque ossibus agros.
Itidem adducor ut Heinsium iniuria metuisse credam, ne verbis

Digitized by Google

Terrore expulso (vs. 176) mendum subesset, cl. XII. 6: vicinaque late Praemisso terrore quatit.

185: Non ita, *non* Decio permixtum fasque nefasque,
Haec ut velle queat.

Fere non dubito quin Silio reddendum sit: Non ita *iam* Decio cet.

343: Tot bellis quaesita *viro*, tot caedibus armat
Maiestas aeterna *ducem*. si admoveris ora, e. q. s.

Suspicor poetam scripsisse:

Tot bellis quaesita *ducem*, tot caedibus armat
Maiestas aeterna. *viro* si admoveris ora, cet.

361: Et *magna* Superum cura servatus in arma
Scipiadae Poenus.

Tam ipsum contextum quam verborum sonum requirere apparet: *magni*. Cf. vs. 371 huius libri: magno generatus Hamilcare, et vs. 450: magni pectora Achillis.

439: Atque haec e multis carpsit mollissima mensae.

Hunc versum genuinum esse nemo umquam mihi persuadebit. Conflatus atque insertus est ab aliquo, qui legentem non satis monitum putaret, inde iam fabulam a Teuthrante cantatam capere initium. Qua de causa non cum Heinsio *musae* pro inepto illo *mensae* corrigendum esse opinor, sed versum totum, utique frigide atque insulse abundantem, uncinis includendum.

Versus autem, quibus Teuthras cantum exorditur, prava interpunctione vulgo laborare credo, quos ita distinguere velim:

440 Argolicis quondam populis, mirabile dictu,
Exaudita chelys. lapidem testudine felix
Ducere et in muris posuisse volentia saxa,
Haec Amphionio vallavit pectine Thebas
Ac silice aggeribus per se scandente vocatis
445 Iussit in immensum cantatas surgere turris —
Altera e. q. s.

Ceterum voc. *testudine* (vs. 441), quod Ruperti qui *vel pectine* — et Thilo qui *dulcedine* proposuit, corruptum habuerunt, tangendum non esse docet me quidem Hor. A. P. 394 sq.:

Digitized by Google

Dictus et Amphion, Thebanae conditor urbis,
Saxa movere sono testudinis et prece blanda
Ducere quo vellet.

Denique locum, quo tertiae lyrae laudes canuntur, mendo laborare iam primo aspectu facile apparet:

449 Iam quae Peliaca formabat rupe canendo
Heroum mentes et magni pectora Achillis,
Centauro dilecta chelys, compesceret iras
Percussa fide vel pelagi vel tristis Averni.

Iam ex Dausquei correctione probabiliter scribi solet, sed non intellego coniunctivum *compesceret* neque versum ultimum suspectum habere nequeo, cum historia Arionis iam supra memorata sit et Orphei fabula infra fuse enarretur. Quae cum ita sint, forsitan conicere liceat, vs. 451 sq. a nescio quo insertos esse, cum vs. 453—8 perperam huc migrassent, de qua re vide Summersium ad vs. 290.

487: *At* patulo surgens iam dudum ex aequore late
Nauticus implebat resonantia litora clamor.

Corrigendum: *Et* patulo. Signa varia gaudium testantia hic enumerantur, quo elati Mago suique milites patrio oppido appropinquabant, neque ullus coniunctioni adversativae locus est.

521: vidi cum turbine saevo
Ausonia et sonitu *bellantis* fusa per agros
Uni terga daret.

Etiam si *bellantes agros* ferri posse putes, vide quam languide illud *sonitu* post *turbine saevo* dictum sit. Heinsius *tonitru* et fortasse *bellanti* scribendum esse censuit, sed Siliani moris memor praetulerim: sonitu *torrentis*, cl. IV. 520, ubi etiam copiae cum torrente comparantur:

Ut torrens celsi praeceps e vertice Pindi
Cum sonitu ruit in campos,

ad quem locum Drakenborch videatur. Deinde IX. 365:

tum turbine nigro
Sanguinis exundat torrens.

et XII. 189:

Digitized by Google

Nec torrente Libys viso armorumque virumque
Deiectus sperare valet.

XV. 711:

Acrius hoc Italum pubes incurrit et urget:
Ut torrens, ut tempestas, ut e. q. s.

Denique IX. 396, XV. 65. *Per agros* similiter sine epitheto est XII. 415.

535. Victoria relata Mago anulos equitum Rom. interfectorum effundit,

Datque fidem verbis haud *parvo* insignis *acervo*.

Dubito an conicere liceat:

Datque fidem verbis haud *parvam* insignis *acervus*.

540: defit iam belua, *tristis*
Ausoniis terror, nec non alimenta fatigant.

Heinsius *castris* — Burmannus *cristis* proposuit, sed potius crediderim poetam scripsisse: *terris* cl. vs. 587: Atque omnis Libyae quaeratur belua terris, et XVII. 1: Hostis ut Ausoniis decederet advena terris.

558. Hanno de Magone:

Qui ne mutatum *vanis* absistere credat,
Nunc pacem orandum — auctor ego.

Mago cum minime vana rettulerit atque Hanno hoc dicendi fecerit initium:

Talia vesani iuvenis convicia miror
Haud equidem,

rogare velim an Silius non scripsisse putandus sit: *sanis*, ad verbum *absistere* nimirum pertinens.

XII. 106. Hannibal duobus iam oppidis frustra temptatis
Ingemit adversis respectansque irrita *tecta*
Urbe Dicarchea parat exsatiare dolorem.

Nihil salutis huic loco attulit Schrader, qui *despectans* vel *detrectans* proposuit, neque magis placent Heinsii conamina *invia tecta* vel *irrita coepta*. Summers, qui post hunc versum aliquid excidisse suspicatur, pro *tecta* vult *tela*. At exigua tantum mu-

Digitized by Google

tatione opus esse credo, ut locus in integrum restituatur; legendum puto *tectum*, quod ad *dolorem* videlicet referatur.

116: Ast hic Lucrino *mansisse* vocabula quondam
Cocyti memorat.

Viros doctos hunc locum iniuria coniecturis sollicitasse, Kochium *manasse* — Blassium *transisse* proponendo, quivis perspiciet qui ea perlegerit, quae ad VIII. 213 (Mnem. Vol. XXXVIII p. 125) a me annotata sunt.

168. Marcellus Hannibalem Nolae appropinquantem videns exclamat:

'Arma, *cruentus*
Hostis adest, capite arma, viri', clamatque capitque.
Circumstant *rapidi* iuvenes aptantque frementi
Sanguineas de more iubas.

Offendit adiectivum *cruentus*, quod quin corruptum sit non dubito. Veram lectionem puto: 'Arma, *iuventus*, Hostis adest, capite arma, viri', quandoquidem sequitur: Circumstant rapidi iuvenes. In hisce autem non cum Heinsio *Circumdant* scribendum esse arbitror, sed pro *rapidi* corrigendum: *trepidi*. Cf. vs. 286:

Vosque, invicta diu, nunc heu sine Marte iuventus
Debellata bonis Capuae.

179: Dumque ea Marcellus, iam claustra revellere Poeni
Et *scalis* spretos tentabat rumpere muros.

Haec in libris mss. leguntur. Vox *scalis* nimirum Nodellium perduxit ut pro *spretos* emendandum putaret: *spretis*, quod editores recentiores receperunt. Longius progressus est Lefebure, qui etiam *tentare irrumpere* scribere voluit. At notio *spretos muros* in locum nostrum optime cadit atque ipsum verbum simplex *rumpere* veram lectionem quasi monstrat. Mihi enim dubium non est quin Silio pro *scalis* sit reddendum: *scutis*. Cf. vs. 514 sq.:

eia, incute muris
Umbonem Iliacis Capuaeque repende ruinas.

Digitized by Google

210. Hannibal cum militibus suis mollitiem ignaviamque increparet,

Vincebat clamore tubas vocisque vigore
Quamvis obstructas *saevus* penetrabat in auris.

Heinsius vs. 208, ubi *saevo Mavorte* legitur, propter adiectivum versu 211 repetitum *laevo* vel *foedo* vel *scaevo M.* proposuit. At vocabulorum intra breve spatium a Silio repetitorum Summers ad vs. 442 huius libri nonnulla exempla attulit, quem numerum quivis facile augere potest, neque quicquam est quod in verbis *saevo Mavorte* aliis de causis offendat. Verum nostro loco pro *saevus*, epitheto importuno et abundanti, contextum ipsum requirere credo genitivum *sociûm*, qui ad verba *obstructas in auris* vix ac ne vix quidem desiderari potest. Cf. vs. 253: galeam magno socium clamore reportans, et vss. 490, 578, 628, 630.

241: Tum delapsus equo galeam atque insignia magni
Consulis abrumpit dextra spoliatque *videntem*.

Haerent editores in participio *videntem*, pro quo Burmannus *iacentem* proposuit, recentiores vero Blassii coniecturam *nitentem* recipere solent. Ascripsit tamen Summers, traditam lectionem fortasse recte legi cl. vs. 276, quem locum iam Drakenborchium attulisse video ad demonstrandum, *videntem* esse posse adhuc viventem, spiritum trahentem, quod non nego sed minime hic idoneum esse opinor. Poetam aliud quid hoc loco significare voluisse credo.

Pedianus modo umbram Pauli invocaverat ut se spectaret poenas expetentem a milite Poeno, qui spoliis eius indutus pugnabat, vs. 239: vocat inde viri ad spectacula manis. Scripsit igitur Silius, ni fallor, *videntis* (ad *consulis* sc. pertinens), ut inferret, Pauli umbram morem gessisse Pediano atque spectatorem affuisse armorum suorum recuperatorum.

Ceterum obiter hic moneo, verbum *violataque* (vs. 245), quod Heinsius et Ruperti coniecturis vexarunt neque satis intellexit Drakenborch, tangendum non esse; Pedianus enim cervicem eo violaverat quod vi galeam abruperat.

Digitized by Google

253: Tum galeam magno socium clamore reportans
Immitem quatiebat equum, spumantia *saevo*
Frena cruentantem morsu.

Poetam scripsisse mallem: *Immissum* quatiebat equum, spumantia *crebro* cet., sed quamquam de *immitem* dubito (Schrader *immitis* proposuit), epitheton *saevo* utique genuinum videtur.

335: spectabitis *ipsi*
Aegida turbato quatientem in proelia mundo.

Veram lectionem puto: *ipsum* (Iovem sc.).

343: Sardoas patrio quatiebat milite *terras*.

Heinsii coniectura *turres* reicienda est, qua proposita ipse addit: „sed et *terrae* et *campi quatiuntur* et ad I. 297 refert. Ita sane atque addo XII. 399, XIII. 36, XVII. 421.

363. Enumerantur gentes variae, quae deinceps Sardiniam insederunt.

Nec parvum decus, *advecto* cum classe paterna
Agmine Thespiadum, terris, Ioläe, dedisti.

Suspicor Silium scripsisse: *advectus* — *Agmina*. Tu vero, Ioläe, his terris agmina Thespiadum, haud parvum decus, dedisti, cum classe paterna eo advectus es.

415. Ennius postquam Hostum interfecit,
Vertuntur iuvenis casu perculsa per agros
Agmina, et *effusae* pariter dant terga catervae.

Agmina illa scilicet Sardorum sunt, sed quales *catervae* fuerint nunc non liquet, quamquam sine dubio Poeni dicuntur, qui Hosto „appulsis animos auxere carinis" (vs. 379). Quod nescio an poeta significaverit scribendo: *affusae*. Cf. huius libri versus
361: Affluxere etiam et sedes posuere coactas
Dispersi pelago post eruta Pergama Teucri.
429: Iamque in Dauniacos transfundens agmina campos.
576: Effundit rupto persultans agmina vallo.
et XV. 219:
A tergo affusis cingebat tecta carinis.

Digitized by Google

434: Verterat et mentem *Tyria* ad conata Tarentus,
Portisque intrarant Poeni.
Poetae reddendum censeo: *Tyrii* (i. e. Hannibalis), quo nomine Hannibal etiam XV. 433 indicatur.

453. Hannibal dum Tarentum expugnat, nuntius affertur
Assessos Capuae muros, claustra ipsa revelli
Portarum ac totum *miseris* incurrere bellum.
Maluerim: *sociis* cl. vss. 490, 500, 578, 628, 630.
Quae re audita Hannibal (vs. 456)
immani per proxima motu
Evolat et minitans *avida* ad certamina fertur.
Suspicio me tenet, poetam non *nava* scripsisse, quod Heinsius — neque *avide*, quod Drakenborch coniecit, sed: *alia* ad certamina.

465. De Centenio
vitis honore
Perfunctus *Latiae*, subito stimularat agrestis
Semermemque manum sternendam obiecerat hosti.
Gronovius et Heinsius legere voluerunt *subitos*. Cum vero ad verba *vitis honore perfunctus*, de tribuno Romano dicta, epitheton *Latiae* moleste abundare videatur, agrestes autem illi quales fuerint non satis pateat, locum sic constituendum censeo:
vitis honore
Perfunctus, *Latios* subito stimularat agrestis cet.

490. Hannibal
unaque negari
Intravisse sibi Capuaeque *erumpere* cernit.
Verbum *erumpere* recte legi neque recipiendam esse Heinsii coniecturam *irrumpere* èt Drakenborch contendit èt comprobat Liv. XXVI. 5. 5: Praemissis namque nuntiis Capuam, quo tempore castra Romana aggressurus esset, ut eodem et illi ad eruptionem parati portis omnibus sese effunderent, ingentem praebuit terrorem.

633. Hannibal exclamat:
Ventis debebis nimirum hiemisque procellis
Unum, Roma, diem!

Digitized by Google

Imhofii coniectura *nimbis* ab editoribus memorari solet, sed immerito locum sollicitavit, quod demonstrant vss. 629, 631, 656, 661—3, nec non 677: ventis hiemique fugaces terga damus?

697. Iuppiter de Hannibale queritur:

etiamne parabit
Nostras *ille* domos, nostras perrumpere in arces?

Mirum ni poeta scripsit: Nostras *ire* domos.

734. Romani cum e moenibus Hannibalem signa moventem viderent,

tacita ora vicissim
Ostentant nutuque docent, quod credere magno
Non audent haerente metu.

Scribendum esse suspicor: *tacito ore.*

Versum autem, qui nunc numero 738 notatur:

Ac tacitae natis infigunt oscula matres,

non suo loco legi arbitror; si quid video, traiciendus est post vs. 743.

AD MENSAS PANICEAS.

Ad vaticinium, a Celaeno datum (Verg. Aen. III. 255 sqq.), ab Heleno mitigatum (ib. 394), eventu comprobatum (VII. 112 sqq.), multa ab editoribus observata leguntur, sed eiusmodi liba etiamnunc confici nemo, quantum scio, monuit. Id autem nuper didici e libro EOTHEN, quem A. W. Kinglake conscripsit, Methuen cum sociis alterum emiserunt Londinii a. 1905. In prooemio nempe p. XXX haec leguntur:

„Turkish dinners consist of a quantity of dishes, generally at least seven or eight, and sometimes as many as twenty; but each is only tasted and rapidly removed. At first it looks somewhat mysterious when people apparently wrap up some pieces of string in brown paper and eat the parcel with avidity. But the string is cheese drawn out like very attenuated vermicelli, and the brown paper sheets of very thin bread which serve as a tablecloth and napkin us well as for food."

Hanc annotatiunculam, licet tenuissima cuipiam videatur, utilissimam existimabo, si ad Kinglakii libellum aureum cognoscendum perfruendumque aliquos adduxerit.

P. H. D.

Digitized by Google

VARIA.

SCRIPSIT

I. VAN WAGENINGEN.

Ad Ciceronem.

De n. d. I § 25: „atque haec quidem vestra, Lucili. Qualia vero sint superiorum [1]), ab ultimo repetam. Thales enim Milesius, qui primus de talibus rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. † Si di possunt esse sine sensu et mente [2]) cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore?"

Ultima verba sine dubio corrupta sunt, et varie viri docti conati sunt ea emendare, sed eorum conatus non mihi probantur. Quid enim? Velleius Epicureus, qui hoc loco verba facit, omnes fere philosophorum de rerum natura doctrinas percensens, non modo paucis verbis argumentum dat uniuscuiusque doctrinae, sed singulis disciplinis etiam addit refutationem suam, quod statim apparet ex proximo exemplo, ubi praemissae Anaximandri opinioni continuo subiungitur: „sed nos deum nisi sempiternum intellegere qui possumus?" Itaque in verbis ad Thaletis doctrinam pertinentibus emendandis opera nobis danda est, ut hic disputationis ordo restituatur. Deinde in verbis laudatis praeter illud „sine sensu et mente", quod omnino absurdum est, cum paulo

1) Ita recte hoc vocabulum transposuit Doederlinus.

2) *sensu et mentem* B^1, *sensu, mentem* Ed., *visu et mente* Asc. (cf. ed. quam curavit Mayor p. 10).

Digitized by Google

ante dictum sit „deum esse mentem", iure miramur duas illas sententias condicionales „si di possunt esse sine sensu" et „si ipsa mens constare potest vacans corpore", quae fere eodem redeunt (si omittimus verba „et mente"). Nam si meminimus virum Epicureum hoc loco verba facere atque tenemus eo auctore mentem non posse sentire sine corpore, facile perspicuum fit verba, „si di possunt esse sine sensu" esse explicationem sententiae: „si ipsa mens (= deus) constare potest vacans corpore", atque hoc interpretamentum in ipsum textum irrepsisse. Nullus enim sensus, inquit Epicurus, sine corpore. Quae si recte disputata sunt, sic legendum censeo:

„[Si di possunt esse sine sensu] ⟨S⟩ed mente⟨m⟩ cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore"?

Cur Thales — ita Velleius rogat — mentem aquae adiunxit? h. e.: cur ei non suffecit solam mentem statuere primum rerum elementum, si eam posse constare putavit sine corpore?

Ibid. § 26: „Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum discriptionem et modum mentis infinitae vi ac ratione dissignari et confici voluit; in quo non vidit neque motum sensui iunctum et continentem in infinito ullum esse posse neque sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret".

Verba sunt obscura, sed sine ullo vitio in codicibus tradita. Antequam ea Belgice vertam, hoc unum monere velim vocabulum „sensus" in sermone Epicureorum non modo facultatem sentiendi („gewaarwording"), sed etiam id significare, quod corpore tangendo efficit, ut animus sentiat („indruk van buiten"), cf. Lucr. II 434: „tactus enim tactus pro divum numina sancta corporis est sensus [1]) = „onder „sensus" is niets anders te verstaan dan eene aanraking, eene aanraking zeg ik u bij de goden, van het lichaam". Quod si tenemus, Cicero sive potius Velleius hunc in modum ratiocinari videtur:

„Vervolgens heeft Anaxagoras, die zijne leer van Anaximenes heeft overgenomen, het eerst beweerd, dat de afbakening en

1) Idcirco apud Lucr. II 804 retinendum est: *quodam sensu*, cf. III 272.

Digitized by Google

begrenzing [1]) van het heelal (wereldorde) tot stand is gekomen door de inwerking en het overleg van een oneindigen geest. Hierbij zag hij over het hoofd, dat er in het oneindige geen beweging, die met gewaarwording (bewustzijn) gepaard gaat [2]), bestaan kan, en dat er van gewaarwording geen sprake hoegenaamd kan zijn, indien er niet een wezen is, dat een indruk krijgt en gewaar wordt."

Quoniam interpretes latebat vera notio vocabuli „sensus", in ultimis verbis, praesertim in ablativo „quo" et in participio „pulsa" haeserunt, sed simulatque locus Lucretianus nos docuit Epicureis „sensum" idem valere quod „tactum", atque in eo inesse vim èt initii actionis èt effectus, iam non est, cur gravemur ablativum „quo" iungere cum participio „pulsa". Pro *quo non* Cicero etiam scribere potuit: *quin*.

Ibid. § 80. Postquam Velleius Epicureus deorum formam hominibus esse similem contendit, Cotta Academicus ita respondet: „detur id vobis (sc. in dis omnia emendata esse); num etiam una est omnium facies? nam si plures, aliam esse alia pulchriorem necesse est. Igitur aliquis non pulcherrimus deus".

Miror neminem adhuc animadvertisse ultima verba sensu carere. Nam si alius deus alio pulchrior est, unus est pulcherrimus. Ergo delebimus illud *non*? Non opus est, sed si post *deus* signum interrogationis ponemus, sana sententia existet: „igitur aliquis non pulcherrimus deus?" *non* dictum est pro *nonne* (Kühner LG. II p. 1012 A; Hand. Turs. IV p. 309), et cum responsum exspectetur affirmativum, usus pronominis *aliquis* recte se habet.

Ad Senecam.

Epist. II 2: „illud autem vide, ne ista lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile: certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat ... § 3 non

1) Cicero vertit verbum Graecum *διεκόσμησε*, cf. Ritter-Preller HPhG. § 153.
2) Ita indoles *τοῦ νοῦ* describitur.

Digitized by Google

prodest cibus nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur; nihil aeque sanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio; non venit vulnus ad cicatricem, *in quo medicamenta temptantur*; non convalescit planta, quae saepe transfertur."

Multorum auctorum lectionem improbans Seneca exempla affert, quae omnia idem moneant: ne quid nimis! Sed in exemplo paenultimo omnino deest illa notio multitudinis, nisi forte putes eam verbo temptandi designari. At ne tum quidem concinnitas permittit, ut substantivum *medicamenta* suo careat attributo, quare post *in quo* inserendum esse arbitror: ⟨multa⟩.

Epist. IV 3: „profice modo: intelleges quaedam ideo minus timenda, quia multum metus afferunt. nullum ⟨malum est⟩ magnum, quod extremum est. mors ad te venit: timenda erat, si tecum esse posset; ⟨sed⟩ necesse est aut non perveniat aut transeat."

Verba *quia multum metus afferunt* non concoquo, neque ea Muretus intellexit, qui pro *afferunt* proposuit: *auferunt*. Sed non hoc Seneca demonstrare voluit mortem (nam de ea tota disputatio est) omnes reliquos metus auferre, sed eam, quia ultima rerum sit, postremum esse metum; et: „nullum malum est magnum, quod extremum est", ut philosophus addit. Si eam sententiam restituere cupimus, pro *multum* legendum est *ultimum* (cf. Kuehner LG. II p. 317).

Epist. XV 4: „sunt exercitationes et faciles et breves, quae corpus et sine mora lassent et tempori parcant, cuius praecipua ratio habenda est: cursus et cum aliquo pondere manus motae et saltus vel ille, qui corpus in altum levat, vel ille, qui in longum mittit, vel ille, ut ita dicam, saliaris, aut ut contumeliosius dicam, fullonius: † quos libet (pL¹, quod libet ϛ) ex his elige usum rudem facilem (p, usum rude facile L)."

Verba corrupta Buechelerus ita correxit: „quoius libet ex hiś elige usum rudem, facilem", sed minime placent *usum rudem facilem* et vix sanam praebent sententiam. Felicius Madvigius:

Digitized by Google

„quod libet ex his elige usurus ex facili", sed nimis a lectione tradita recessit, nec participium futurum *usurus* hoc loco ferri posse mihi videtur. Equidem post *elige* interpungendum esse opinor, deinde parva mutatione adhibita legendum: „quodlibet ex his elige: usus reddet facile", h. e.: exercitationem quamvis ex iis, quas enumeravi, eligere poteris, mox illa facilis tibi fiet usu.

In proximis paragraphis (§§ 6—7) quae Seneca de gestatione et ambulatione disserit, male interrumpuntur verbis: „nec tu intentionem vocis contempseris, quam veto te per gradus et certos modos extollere, deinde deprimere". Sed de voce postea demum agitur, cum praecepta de ambulatione data sunt. Quare verba modo laudata transponenda esse puto post *produxeris*. Qua transpositione ea, quae re et argumento inter se cohaerent et nunc disiecta iacent, apte iunguntur: § 6 *quorum nihil ne ambulatio quidem vetat fieri.* § 7 *quid si velis deinde quemadmodum ambules discere? admitte* cet. Tum post *produxeris* ita epistula procedit: *nec tu intentionem vocis contempseris, quam veto te per gradus et certos modos extollere, deinde deprimere. quid ergo? a clamore protinus et a summa contentione vox tua incipiet?* Damnat igitur philosophus exercitationem artificiosam vocis, damnat etiam nimiam intentionem in orationis exordio, sed suadet Lucilio, ut pro animi impetu modo vehementius modo lentius loquatur: „non enim id agimus, ut exerceatur vox, sed ut exerceat." Itaque loquendi exercitationes corpus exercent et valetudini prosunt.

Ad Persium.

Sat. I 67:

sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.

Pro *sive* legendum puto *sitve* (olim nimis audacter proposui: *etsi*) et cum Iahnio *-ve* interpretor: etiam, adeo. Lectio tradita sensu caret, nam patet patronum divitem, de quo Persii adversarius h. l. agit, non posse dici saturas scribere in mores, in luxum, in prandia regum, ad quos ipse pertinet (ut Conington vult vertens: „he is equally great too in satire") — talia enim

Digitized by Google

argumenta satirica iam versu primo damnata sunt ab oblocutore poetae, — sed patrono illi a Musa datas esse *res grandes* h. e. heroïcas, quae levibus saturis recte opponuntur. Illud *sitve opus* „laat het zelfs noodig zijn" concessive dictum est. Idem editor Conington, qui *sive* retinet, *res grandes*, ut sententia loci sibi constet, Anglice vertere cogitur per: „the grand style", sed *res* non genus dicendi significat, verum ipsum argumentum.

AD ILIADIS SCHOLIA A.

A 189. *στήθεσσιν λαοίοισι*: ⟨*ἡ διπλῆ*⟩ *ὅτι δύο ἐμερίμνησεν οὐκ ἐναντία ἀλλήλοις. ὅπερ ἐκλαβών τισ προσέθηκεν ἢ ἐ χόλον παύσειεν κτἐ.*

Pertinet Aristonici hoc scholion ad vs. 189—192, quorum versuum ultimum spurium esse Aristarchus — perperam, ut opinor — arbitrabatur. Sed huius opinio ut intellegi certe possit, pro *ἐκλαβών* scribendum est *οὐ καταλαβών* (*κ'λαβών*): „versum 192 addidit qui non intellegeret poetae verba *„διάνδιχα μερμήριξεν"* spectare ea quae vs. 190 sq. dicuntur, *an circumstantes dispelleret, Agamemnonem autem confoderet.*"

M 276. Didymi hoc scholion non recte sic affertur in editionibus: *„νεῖκος*: *Ἀρίσταρχος νῖκος διὰ τοῦ ι· βούλεται γὰρ λέγεσθαι τῆς νίκης τὴν ἧτταν.*" Quae etiam in Ebelingi Lexico Homerico (I 1134[b] infra) sic afferuntur: *„βούλεται λέγεσθαι τῆς νίκηῑ̂ ῑ̂* (Cobet *τὴν νικησάντων*, Schmidt Did. *τῆς νίκης*) *τὴν ἧτταν.*" — Rectius sane Ludwich Arist. I 342: „in der Handschrift steht *τὴν νίκηῆ̃ν*, nur *ην* beidemal tachygraphisch gekürzt", qui tamen — mirum! — non perfecit emendationem, sed ipse edidit: *„βούλεται γὰρ λέγεσθαι τῇ νίκῃ τὴν ἧτταν*" sive verba sine sensu.

Id ipsum quod praebet codex: *τ̂ νίκηῆ̃*" servandum erat: *„τὴν νίκησιν*". Nam signum illud tachygraphicum ea aetate qua codex A perscriptus est cum *-ην* tum *-ιν* significasse nemo nescit, et nostro loco *brevem* syllabam esse intellegendam docet syllabae *νι-* accentus.

„Volebat" (putabat) igitur Aristarchus *„νῖκος*" l.l. dici *„τὴν νίκησιν*" sive *„τὴν ἧτταν*". v. L.

Digitized by Google

DONATIANA ET TERENTIANA

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

Pars I.

Erdmannus Struck De Terentio et Donato. Dissert. Rostochiensis. Lips. 1910.

Hermannus Steinmann De artis poeticae veteris parte quae est περὶ ἠθῶν. Diss. Gottingensis. 1907.

Argumentum dissertationis „de Terentio et Donato" hoc est, ut demonstretur in commento Donatiano ad Terenti fabulas scholia optima quaeque (p. 74) ad fabulas e Menandreis conversas, hoc est ad Andriam, Eunuchum, Adelphos, non deberi interpreti Romano, sed Graeco, qui ipsius Menandri fabulas aliquando adnotationibus instruxerit. Haec sententia non minus novitate insignis est, quam, si vera est, maximi momenti ad quaestionem de fontibus et auctoritate totius commenti.

Quales sint illae adnotationes originis Graecae, sic describitur p. 2: „Praeter adnotationes artem grammaticam et rhetoricam redolentes non paucae nobis occurrunt, quae ad oeconomiam fabulae et ad artem poetae scaenicae spectantes et argumentum coloremque scaenae tractantes ad initia praesertim scaenarum adscribuntur ideoque a nobis „scaenicae" sive „aestheticae" nominatur". Itaque dividuntur scholia, ad scaenarum initia posita, in grammatica et rhetorica scholiastae Romani et scaenica sive aesthetica scholiastae Graeci.

Digitized by Google

Res plane demonstratur quinque tabulis, ubi cuiusque fabulae scholia ad scaenarum initia secundum haec genera separatim indicantur. Ex his tabulis cognoscitur, ut scribit Struckius p. 5, „in fabulis e Menandro conversis scholiastam illum aestheticum sive scaenicum perraro desiderari" [1]), et hoc quoque p. 7: „ad fabulas Menandreas semper fere scholia, quae totam scaenam explicant, praesto esse, dum ad fabulas Apollodori, Hecyram et Phormionem, illum optimum scholiastam aestheticum desideramus". In his Apollodori fabulis sane „occurrit alter (scholiasta) compluribus locis, qui item illustrare totam scaenam conatur, sed ut homo eloquentiae praeceptis instructus" [2]), cuius rei exempla exhibentur p. 8 sqq. Tum conceditur quidem ad Hecyram et Phormionem non ex omni parte deesse adnotata aesthetica, sed p. 10 sqq. dicuntur haec rara esse et a Donato aliena.

Scholia aesthetica ad fabulas Menandreas, praestantiora illis alteris, origine non esse latina sed graeca variis modis ostenditur p. 15—37:

1. Comparatione similium scholiorum Graecorum ad Sophoclis Electram.

2. Usu vocis *οἰκονομίας* et rariore et minus eleganti ac subtili in scholiis ad fabulas Apollodoreas quam ad Menandreas, itemque usu vocum *πιθανότης* et *ἠθοποιία*.

3. Singulari rerum et litterarum Graecarum notitia in scholiis aestheticis conspicua.

4. Figuris quibusdam rhetoricis, quae inveniuntur quidem in omnium fabularum adnotationibus, sed aesthetice magis adhibitae in his, rhetorice in illis. Demonstratur hoc de analogia, amphibolia, ethopoeia, astismo.

Haec prior pars dissertationis clauditur hac conclusionum sylloge [3]):

1) Quod ibidem legitur: „nam quicumque de commentariis Terentianis bene meriti sunt, negant scholiastam aestheticum, utpote hominem perspicacem et subtilem, eundem fuisse atque grammaticum istum stolidum fatuumque", id subscribere non ausim.

2) Hic et alibi Struckius interpreti aesthetico Graeco opponit alterum, rhetoricae et grammaticae artis praeceptis instructum. Sed illi tamen infra addicuntur etiam scholia cum formulis Graecis grammaticis et rhetoricis, uterque igitur rhetor erat.

3) Conclusiones ipsius Struckii verbis exprimenda curavi.

Digitized by Google

Scholia aesthetica in fabulis Apollodoreis desiderantur. in Menandreis occurrunt. Interpres aestheticus se praestat maxime scientem et rerum et litterarum Atheniensium. Non solum spirant haec scholia animum scholiorum Graecorum, sed redolent etiam illa aesthetica iudicia disciplinam Graecam. Debemus igitur conicere hunc scholiastam esse scholiastam Graecum Menandri. Neque miramur ad Menandri, qui nuncupatur ἄστρον τῆς νέας κωμῳδίας, non item ad Apollodori comoedias scholiastam Graecum exstitisse. Apollodorus non tanti aestimatus est, neque de scholiasta Apollodoreo quicquam cognovimus. Illa Menandrea vero scholia fuisse non coniectura hariolamur, immo exstitisse quaedam (Timachidis) accepimus [1]).

In altera parte dissertationis id egit Struckius, ut quod adhuc tantummodo coniecerat, Donatum scholia aesthetica ad Andriam Eunuchum Adelphos hausisse ex commentario Graeco, unice verum esse confirmaret.

Hanc disputationem ingeniose sic instituit.

Tres illae fabulae sunt contaminatae et scaenas continent, quae in exemplo Menandreo aut omnino deerant aut aliter se habebant. Similiter in commento Donati nonnumquam omnino desunt scholia aesthetica ad scaenarum initia, nonnumquam adsunt, sed ita, ut non quadrent ad scaenae formam Terentianam. Quod utrumque ita explicatur: primum deficiente scaena Menandrea Donatus nullum scholium invenit quod verteret; dein scholium Menandreum, temere translatum ad initium scaenae contaminatae, huic non conveniebat. Haec sane verissima sunt eaque probatio prorsus esse efficax et fide digna, si primum constaret de scaenarum divisione Menandrea, ubi scilicet identidem nova scaena Graeca inceperit ubique desierit, ac dein si satis certo sciremus, qua ex parte, non universe, sed singulis locis et paene versibus, poeta Latinus Graecum exemplum aut fideliter secutus sit, aut ex altero exemplari Graeco contaminaverit novaque de suo immiscuerit.

---

1) Süsemihl, H. L. Gr. tempore Alex. II p. 189, de Timachide hoc scripsit: „T. commentirte zum mindesten die Frösche des Aristophanes, die Medeia des Euri„pides und den Kolax des Menandros (Crameri Anecd. Par. IV 25. 17 Τιμαχίδης ἐν „τῷ Κόλεικος (Mein. Κόλακος) ὑπομνήματι), vielleicht auch den Hermes des Era„tosthenes"'. Struckius hinc efficit exstitisse scholia ad omnes Menandri fabulas.

Digitized by Google

Struckius haec omnia satis perspexit eiusque disquisitiones in hac altera parte saepissime versantur idcirco in lubricis quaestionibus ad formam comoediarum Menandri antiquam et propriam atque ad contaminationem Terentianam pertinentibus, quae tamen quaestiones aliqua veri specie tum demum solvi poterunt, si ipsius Menandri fabula integra forte fortuna in lucem redierit [1]). Quae Struckius passim proposuit de scaenarum Graecarum divisione et de locis ex alterutro exemplari Graeco desumptis ipsiusque Terentii interpolationibus non minus fortasse verisimilia sunt iis, quae alii viri docti saepius excogitarunt, sed tamen aeque incerta [2]), nec novae coniecturae tali fundamento tuto superstrui possunt.

Tandem totius dissertationis conclusio sic exprimitur p. 74: „Auctoribus Graecis palmam reddidisse nobis satsit. Nam cum Terenti tum Donati optima quaeque esse Menandri eiusque interpretis demonstravisse videmur".

Operae pretium est argumenta, quibus et haec conclusio et quas antea rettuli nitantur, accurate persequi, quod brevi disputatione absolvi non poterit propter magnam rerum copiam, quae locupletissima dissertatione continetur.

Primum quidem agendum est de V tabulis in quibus scholia ad scaenarum initia, quae per compendium principalia vocabo, distribuuntur inter scholiastam aestheticum Graecum et rhetoricum Romanum. Neglego hunc postremum, de cuius scholiis vix dissentio et agam tantummodo de aestheticis, de quibus statim haec quaestio oritur, quae scholia nuncupantur aesthetica?

Struckius nos monet se hoc vocabulo non ea uti ratione, quae hodie usurpatur et vel negare videtur scholia vere aesthetica in commento inveniri [3]); complectitur ille hoc titulo haec

1) Cf. von Arnim, Nov. Ann. XXV, 1910 p. 241.

2) Quantopere de contaminatione etiam nunc sub iudice lis sit, ostendit R. Kaueri recensio de libris Terentianis a. 1898—1908 in Bursiani Ann. CXLIII 1909 p. 215—270, veluti p. 315 sq. de Andria, 257 sq. de Adelphis.

3) Pag. 2 adn. 2: „Nobis quoque hoc verbo cum utimur, observandum est quod monet Rudolfus Griesinger „Die aesthetischen Anschauungen der alten Homer-Er-

Digitized by Google

diversa, p. 2: scholia de fabulae oeconomia, de arte poetae scaenici, de colore scaenarum, pleraque ad scaenarum initia primo et secundo loco posita in fabulis Menandreis [1]), et tandem p. 19 aesthetico scholiastae dantur omnia ad Menandreas fabulas de rebus litterisque Graecis, aut in quibus vox *οἰκονομία* etc. legitur, ita ut ei denegentur tantum scholia grammatica et rhetorica.

Igitur titulus aestheticus neque ipsius hominis neque adnotationum eius certam imaginem mentibus nostris evocat et necesse erit aliam horum scholiorum divisionem aliasque appellationes instituere, ut earum natura probe secernatur.

Scholia principalia ad Andriam.

Fabula scaenas habet XXVIII, quarum duae postremae videntur additae a Terentio. Reliquarum scholia principalia (i. e. 1 et octies etiam 2) omnia dantur interpreti aesthetico, praeter II 3 et V 3, ubi ab initio leguntur scholia rhetorica. Adnotationes illae „aestheticae" varii sunt generis et a me sic definiuntur:

Nequaquam desunt quae nostro sensu vere aesthetica dici possint, cum in his aliquis lepor, elegantia, mira ars in scaena conspicua lectori [2]) commendentur: 412. 1 vide quam mire ... 481. 1 specta in hac scaena quam scite ... 625. 1 elegans perturbatio ... 965. 1 in hoc actu mira arte ...

Sunt scholia satis multa, quae duplicia dici possunt, cum sub uno numero duas observationes contineant vulgo satis breves, quas tamen uno nomine iuste comprehendere nequeas:

338. 1 schol. de argumento scaenae et dein dramaticum [3]).

klärer, dargestellt nach den Homerscholien" diss. Tübingen 1907 adn. 2 p. 19: *„Freilich ist hierbei Vorsicht geboten, dass wir nicht mit den Ausdrücken auch die Anschauungen unserer modernen „Aesthetik" in die alten Urteile hineinlegen"*.

1) Haec „semper fere totam scaenam explicare dicuntur" p. 7. Cf. p. 14: „semper studet ut aliquid de tota scaena adnotet".

2) Fabularum scholia lectoribus destinata erant; cf. Pho. 211: hic locus actoris magis quam lectoris est, sqq. 175: coniuncte legendum est. Hec. 502. 2: magno pondere legendum utrumque pronomen. Ad 324. 2: quod in lectione gestu ostendi minime potuit, sqq.

3) Dramatica appello scholia, quae respondent Enanthii observationibus de fabula in genere, veluti hoc schol. et 404. 1; ad 904. 1 796. 1 de „turbis" de „nodo erroris" de „catastrophe" compara Euanthium IV 5; praeterea quae sunt de externo apparatu scaenico, uti 716 de personis, aliaque eiusmodi.

Digitized by Google

404. 1 dramaticum et de argumento. 459. 1 de argumento (usque ad „suspicio senis"), de oeconomia [1]). 684. 1 de argumento (usque ad „Mysidem"), de oeconomia. Pars prior brevissima de argumento, amplissime explicatur in scholio 2, quod cum scholio 1 unam adnotationem effecisse videtur. 716. 1 de argumento et dramaticum. Hanc alteram partem non Graecam, sed Romanam esse perspicuum est: „vide non minimas partes in hac comoedia Mysidi attribui, hoc est personae femineae, sive haec personatis viris agitur, ut apud veteres (i. e. Plautum Terentium, alios), sive per mulierem, ut nunc videmus". 796. 1 dramaticum et ethographicum. 842. 1 de argumento et ethographicum. 904. 1 de argumento et dramaticum.

Iuxta haec duplicia iuveniuntur simplicia varii generis:

28. 1 et 2, utrumque est dramaticum et inter se non nisi forma differunt [2]), 172. 1 de oeconomia personae, uti 740. 1, 206. 1 et 2 Struckius pro aestheticis habuit, sed revera 1 continet expositionem argumenti rhetoricam [3]), uti 375. 1, quod Str. ipse rhetoricis adnumeravit; 2 continet praeceptum rhetoricum, quibus modis persona commendetur. 236. 1 de argumento scaenae, uti 432. 1. 301. 1 et 2 Struckius haec scholia interpreti Graeco vindicare videtur, quamquam quod de iis disputat p. 43 non prorsus intellego; utrumque autem Romanum esse, alterum oeonomicum, alterum dramaticum (Euanth. III 9)

---

1) Oeconomia est multiplex seseque ostendit, primum in argumenti expositione, cum primis colloquiis vel monologiis spectatores ea docentur quae ad rerum sequentium intelligentiam necessaria sunt; dein apparet in totius fabulae processu, qui ita instituendus est, ut singuli eventus, personarum apparitiones, decessus, dicta factaque apte praeparentur et evolvantur atque inde a primo rerum et personarum concursu usque ad enodationem s. catastrophen comoedia probabili via ac ratione procedat. Hinc oriuntur quaedam species: oeconomia personarum, orationis, prooeconomia sive praeparatio vel praestructio. Tertio loco oeconomia adhiberi debet in personarum moribus instituendis, qui per totam fabulam conservandi aut nonnumquam mutandi sunt, prout iusta animi humani cognitio postulare videtur. Scholia ad hoc genus pertinentia cum Steinmanno appellavi ethographica.

In omni oeconomia tamen cavendum est poetae „ne nuda appareat συνθέσις comoediae" (Phorm. 57. 3), utque personae sua sponte neque ex poetae arbitrio quicquid agere aut loqui videantur. Cf. Steinmann p. 40 sqq.

2) Cf. Euanthius de virtute Terenti III 5, de deo ex machina III 2. Ceterum de his scholiis, ut de seq. 172. 1 et 2, postea accuratius erit agendum.

3) Wessnerus iam comparavit Eugraphium ad h. l.

Digitized by Google

legentibus facile apparebit. 553. 1 de oeconomia fabulae, ut 580. 2 et 670. 722. 1 de oeconomia scaenae, quod attinet ad pronuntiationem. 820. 1 potius rhetoricum dixerim [1]) quam aestheticum.

Deest, ut vidimus, scholium aestheticum ad II 3 et ad V 3; quod illuc deest, Struckius ita explicat, ut sumat scaenam II 3 apud Menandrum iunctam fuisse cum II 2. Cur desit ad V 3 non inveni.

Itaque de Andriae scholiis principalibus, quae Struckius uno nomine aesthetica appellavit sic statuendum est:

Non desunt vere aesthetica, sed quater inveniuntur. Octo sunt duplicia, promiscue oeconomica, dramatica, ethographica, de argumento. Tria sunt rhetorica (cf. ad 206, 301 et 820). Reliqua decem simplicia sunt et praeter ethographica easdem species exhibent quas duplicia.

Quod Struckius dixit (p. 7), ad fabulas Menandreas semper fere scholia praesto esse, quae totam scaenam explicent, hac scholiorum consideratione non confirmatur. In duplicibus sexies, in simplicibus semel (432. 1) argumentum brevissime tangitur, in his semel uberius (236. 1). In 684. 2 copiose de argumento scaenae disputatur, sed hoc Str. silentio paene praeterit (vide p. 50). Ex his igitur ieiunis vulgo adnotationibus effici non potest, interpretem illum aestheticum „optimum esse iudicem de scaenis Menandreis (p. 14), aut eius iudicia redolere disciplinam Graecam" (p. 37), quin immo „scholiastam Romanum tantum abhorrere a Graeco, quantum Terentius distat a Menandro" (p. 53) [2]).

Scholia principalia ad Eunuchum.

Scaenae sunt XXVI. Duo, I 2 et V 4, incerta de causa scholiis vacant; reliquarum principalia a Struckio omnia dantur interpreti aesthetico, ex his tamen eximenda est adnotatio ad I 1

1) Vide mox de scholiis Adelphorum fabulae.

2) Scholia rhetorica quidem, sed simul scaenarum argumenta multo plenius nec male enarrantia leguntur saepe apud Eugraphium ad scaenarum initia, e. g. ad Andriam II 1. 4. 6 III 2 et sic ad reliquas fabulas non raro. Cf. P. Wessner in ed. Eugraphi commenti Lips. MCMVIII, praef. p. IV sq.

Digitized by Google

(46. 1), quae est e genere rhetorico de quo videbimus ad Adelphos. Principalia quae supersunt haec genera referunt:

Vere aesthetica 207. 1. 232. 2. 292. 1. 643. 1. 668. 1, in quibus argumentum scaenae eo consilio succincte indicatur, ut iudicium feratur de lepore, arte poetae, delectatione spectatorum, sim.

Duplicia: 232. 1 de oeconomia personae [1]), et de argumenti utilitate. 454. 1 vere aestheticum et de oeconomia orationis. 1025. 1 scholium peculiare, ethicum [2]) et oeconomicum.

In simplicibus de oeconomia fabulae vel scaenae vel personarum agitur 539. 1. 615. 1. 2. 629. 2. 827. 1. 840. 1. 1002. 1. Argumentum tangitur 391. 1. 629. 1. 910. 1

Genus peculiare ethographiae invenitur in his scholiis: 727. 1. 739. 1. 771. 1. 971. 2. 3. 1031. 1, ubi intrantis personae ἦθος describitur, quatenus sese aperit externis indiciis, velut ebrietate, ira, vestitu, oratione, habitu.

Itaque in scholiis Eunuchi ad scaenarum initia unum est rhetoricum, quinque sunt revera aesthetica, tria duplicia diversae indolis, tria de argumento, sex oeconomica, quinque ethographica, unde manifestum est discrimen inter principalia Andriae et Eunuchi.

Scholia principalia ad Adelphos.

Ut horum natura prorsus singularis probe cognoscatur haec praemonenda sunt.

In libris de arte rhetorica numquam deerat caput de exemplis, quibus praeter alia artis instrumenta oratores utebantur ut rem facerent „ornatiorem vel apertiorem vel probabiliorem" (ad Her. IV 62). Sumebantur exempla ab oratoribus et poetis [3]) et e poetis latinis post Ennium ea praebebant Vergilius et

1) Sic se habet: „In hoc scaena non stans sed quasi ambulans persona inducitur". Verba quae continuo sequuntur „constitit tamen aliquantum intuens spectatores, dum secum loquitur", cur Wessnerus cursivis litteris notaverit, non video.

2) Sic designavi hanc adnotationem: „Reminiscere hunc (Gnathonem) esse qui ..., et hinc videbis, quos exitus habeat assentatio". Igitur hoc, uti 232. 1 in parte altera, pertinet ad scholiorum genus de fabularum utilitate, quod infra cognoscetur.

3) Quintilianus XII 4. 1. V 11. 1 sqq. 17. Cf. etiam Aristotelis rhet. I c. 2. II c. 20. 25, Apsines c. 8, ad Her. IV 1 et 7.

Digitized by Google

maxime Terentius [1]), quem Ciceronem etiam adhibuisse satis notum est.

Hoc si tenemus, intellegimus quid sibi velint prima scaenarum scholia ad hanc fabulam sic incohantia: hic exemplum est, in hac scaena exemplum est, sim., quae leguntur: 155. 2. 209. 1 540. 1. 713. 1. 719. 1, 763. 1. 855. 1 [2]). Sunt igitur scholia rhetorica eorum in usum, qui exercitationes suas exemplis et sententiis, ethicis maxime, illustrare aut de tali themate declamationem instituere cuperent. Atqui non ea tantum scholia in quibus vox exemplum legitur, at alia quoque, in quibus deest sed facile suppleri poterit, rhetorica sunt prorsus illis similia, veluti 288. 2: hinc demonstratur (= hic exemplum est), qui sit, maternus affectus, quam grata in dominos servorum fides sit, eundemque laborem et dolorem esse ex falsis quam ex veris malis. 355. 1: hic ostenditur, quod severi homines ac recti et honesti tenaces vel ridiculi sint vel odio habeantur, quoquo accesserint. 592. 1: haec scaena plena est sententiarum senilium ad officia demonstranda; et sic porro 610. 1: de charactere amantis, 882. 1: de absurda blanditia et repentina largitate, 899. 1: imaginem ... quam dulcis sit iunioribus assentatio et quam ingrata censura. Haec scholia non id agunt, ut narretur argumentum scaenae, aut oeconomia demonstretur, aut certae personae in hac fabula mores notentur, sed definiunt

1) Eugraphius, praef. in Andriam: „Cum omnes poetae virtutem oratoriam semper versibus exsequantur, tum magis duo viri apud Latinos, Vergilius et Terentius, ex quibus, ut suspicio nostra est, magis Terentii virtus ad rationem rhetoricae artis accedit".

2) 155. 2: hic ex. est contumeliosi per potentiam divitis et in perniciem suam pauperis contumacis. 209: i. h. sc. ... ex. vitae avarorum, qui saepe in damnum ipsius avaritiae rationibus ruunt, sqq. 540. 1: in hoc actu ex. est, neminem facilius quam optimum quemque falli atque deludi. 713. 1: hic ex. inducitur saevi patris ex affectu vero et ob hoc invisi omnibus, sqq. 719. 1: In h. sc. ex. est intempestivae obiurgationis et per hoc ridiculae. 763. 1: hic ex. inducitur licentiae servorum sub miti domino. 855. 1: In h. sc. ex. ind. hominum, qui virtutem taedio deserunt sqq. Unum huius generis scholium praesto est ad Eunuchum 46. 1: in hac προτάσει ex. proponitur, quam non suae potestatis sit qui amat, quam sapiat qui non amat neque aliter affectus est.

Steinmannus minus recte haec scholia cum eis coniunxit (p. 80 sq.) in quibus scholiastae loquuntur de comoediarum utilitate spectatoribus. Haec enim leguntur plerumque in praefationibus fabularum vel apud Euanthium et in Exc. de comoedia, raro ac prorsus aliter constituta ad scaenas, nec umquam ad earum initia.

Digitized by Google

exemplum ethicum et quaestionem generalem, ut dicit Quintilianus (III 5. 4), quam scaena praebeat. Hoc nomine eidem huic generi rhetorico adgreganda mihi etiam videntur 88. 1, 447. 1, 517. 1, quae non proprie continent descriptionem argumenti [1]), nec non Andr. 820. 1, de quo vide supra.

Fabula Adelphorum scaenas habet XXVII, sed IV 5 et V 2. 6. 8. 9 scholiis principalibus, qualia hic volumus, carent, adsunt igitur ad scaenas XXII. Ex harum scholiis, ut ostendimus, XV sunt rhetorica ethica, a qua specie distinguenda sunt scholia rhetorica vulgaria, quorum specimen exhibet II 3, relatu dignum, ut sentiatur discrimen: in hac scaena gratiarum actio est ex persona et eius qui praestitit et eius cui praestitum est et ex ipsius praestiti (cod. praemii, corr. Schöll) quantitate.

Supersunt haec: 26. 1 oeconomicum de personarum nominibus [2]). 2 dramaticum et oeconomicum (cf. praef. 1. 3). 255. 1 ethographicum. 288. 3 rhetoricum (cf. supra Andr. 206. 2). 299. 1 dramaticum. 511. 2 quaestio de interpretatione huius scaenulae sex versus continentis. 787. 1: In hac scaena collatio est personarum, mitis ac saevi parentis; igitur argumentum brevissimum.

Dum igitur Struckius scholia ad scaenarum initia, praeter II 3, omnia aesthetico generi attribuit, invenimus longe plurima referre genus rhetoricum prorsus singulare, reliqua diversae esse indolis, in quibus unum de argumento et deesse aethetica proprie sic dicenda. Itaque Adelphorum scholiasta rem prorsus aliter gessit atque Andriae aut Eunuchi.

Transeo ad fabulas Apollodori, de quibus Struckius affirmavit, p. 7 sq. „desiderari optimum scholiastam aestheticum" et occurrere alterum, „qui item illustrare totam scaenam conatur, sed ut homo eloquentiae praeceptis instructus".

---

1) 88. 1: In hoc actu diversi homines, diversi patres, diversa studia proponuntur: hic lenis hic amarus, hic facetus hic impolitus, hic facilis hic pertinax et difficilis in delictis. 447. 1: h. sc. fidem amici erga defunctum, maturitatem senilis orationis et accusationem eius, quem laedere nolit ipse accusator, continet. 517. 1: hic ostenditur timiditas boni adulescentis et ruri se(?) ad peccandum ex delicti conscientia et reverentia parentis. Wessnerus pro „ruri se" correxit „reversi", sed Ctesipho non potest simul esse „bonus" et „reversus ad peccandum", verum est „bonus" et „rudis ad p.", sic enim legendum videtur. Cf. Ov. ex P. III 7. 18.

2) De hoc scholio postea videbimus.

Digitized by Google

Scholia principalia ad Hecyram.

Praesto sunt haec ad XVIII scaenas, desunt ad V 2. 4. Horum altera pars secundum ipsum Struckium, quod vix exspectaveris, etiam sunt aesthetica 58. 1. 2. 3. 198. 3. 274. 1 (cf. Ad. 196. 1). 415. 1. 516. 1. 2. 623. 1. 727. 1. 799. 3. 2. 1. Addendum mihi videtur 607. 1, ubi argumentum describitur [1]).

Credideris eum haec scholia, quae simillima esse concedit aestheticis illis ad Menandri fabulas, etiam e Graeco fonte derivata habere, non quidem Menandreo, sed Apollodoreo [2]). Nihil vero minus. Condemnantur haec scholia una cum similibus ad Phormionem, absque omni probatione hac sententia p. 13: „Iam pro certo habemus scholia illa aesthetica scaenas Apollodoreas enarrantia paucis locis inveniri (immo X ad scaenas XVIII), quos quidem a Donato alienos esse iam Scheidemantel censuit" [3]). De tribus scholiis aestheticis, 58. 3. 727. 1. 281. 5, contenditur p. 13 hausta esse ex Euanthio, sed perperam, ut mox apparebit.

Ceterum scholia quae hic quoque uno nomine appellantur aesthetica, revera referunt denuo has species diversas: duplicia: 76. 4 oeconomia orationis et argumenti. 274. 1 de argumento et ethographia. 415. 1 dramaticum et oeconomicum. 516. 1 iudicium aestheticum de ethographia personarum. Porro simplicia: 58. 2 oeconomia personae. 516. 2 oeconomicum. 623. 1 dramaticum. 799. 1 et 808. 1 ethographia servi. 799. 2. de pronuntiatione. ibid. 3 dramaticum. De 58. 1. 3. 198. 3. 727. 1 postea videbimus.

Scholia quae supersunt ad scaenas VIII, sunt sane rhetorica,

---

1) „In hoc colloquio reconciliatio senum est post iurgium mixta disputatione Pamphili de non reducenda uxore". Struckius propter vocem „disputatione" adnumeravit hoc scholium rhetoricis.

2) Nihil sane traditur de Graeco interprete comoediarum Apollodori, sed de Menandri quoque comoediarum Terentianarum interprete nihil constat; novimus tantum adnotationes fuisse Timachidae ad Colacem.

3) Ed. Scheidemantel in „Quaestionibus Euanthianis" a. 1883 permulta scholia ad Euanthium revocanda esse censuit. Qua de re P. Wessner recte sic iudicavit: „Die Vermutung liegt nahe dass auch ein Teil der scholien auf Euanthius zurückgeht, doch haben alle Versuche in dieser Richtung zu keinen gesicherten Resultat geführt". (Pauly-Wissowa, Real-Encycl. in voce Euanthius).

Digitized by Google

nec tamen inter se similia: 76. 2. 281. 1. 336. 1 exhibent adnotationes scholasticas, non Donati, sed magistrorum qui in institutione puerorum hanc fabulam prae ceteris adhibebant, uti docent commenta Donati et Eugraphii. Ab his differunt scholia rhetorica ipsius Donati, quibus immiscetur vulgo elementum ethicum 243. 1. 361. 1 [1]), aut aestheticum 451. 1, aut de argumento 243. 1. Unum ex his 577. 1, quaestionem continet, quales deprehendimus in Adelphorum scholiis [2]).

Modo dixi Struckium contendisse p. 13, scholia aesthetica 58. 3 et 727. 1 conformata esse ad id, quod docuerat Euanthius III 4: „Tum personarum leges circa habitum, aetatem, officium, partes agendi nemo diligentius a(?) Terentio custodivit, quin etiam solus ausus est, cum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra praescripta comica meretrices interdum non malas introducere, quibus tamen et causa, cur bonae sint et voluptas per ipsum non defit".

De legibus et praescriptis illis comicis accurate disputavit Steinmannus l.l. p. 68 sqq., nempe certas personas comicas, patres, amatores, servos, milites, meretrices, alias, vulgo certis quibusdam ingenii proprietatibus insignes esse, a quibus poetae raro discesserint, at vero Apollodorum fuisse qui in Hecyra praeceptis neglectis personas novo modo moribus instruxerit [3]).

Hinc in praefatione Hecyrae 1. 9 hoc legitur: In tota comoedia hoc agitur, ut res novae fiant, nec tamen abhorreant a con-

---

1) Scholium notabile continens partem rhetoricam, oeconomicam, ethicam: „In hac scaena conquestio est ad deliberationem descendens, an habeat Pamphilus, an excludat uxorem, in qua tota oratio Pamphili ad argumentum spectans amatoria magis quam maritalis est: nam aliter non perveniretur ad ultimam cognitionem omnium rerum nisi adulescens furtivum conceptum uxoris et partum aliquanto lenius, quam coniugalis dolor expetit, toleravisset".

2) Struckius p. 8 citavit quae scripsi de scholiis rhetoricis Donati Mnem. XXXIII p. 140—153; vide ibidem p. 229—268 de sch. rhet. interpolatorum; de sch. Hecyrae agitur 248 sqq. De scholiis ad scaenarum initia, quae a ceteris nonnihil differunt, p. 142 sqq. disputavi, sed tum non agnovi peculiare genus illud in commento Adelphorum. De Donati proprietatibus in rhetoricis vide Mnem. l.l. p. 128, 132 sq. 139 sqq. 146 sqq.

3) L.l. p. 73 Viam monstraverat Leo, Plaut. Forsch. 126 adn. 4: „bewussten Abweichung von den ausgebildeten Typen zeigt ausser den Captivi die Hecyra Apollodors" e. q. s.

Digitized by Google

suetudine: inducuntur enim benivolae socrus, verecunda nurus, lenissimus in uxorem maritus et item deditus matri suae, meretrix bona" [1]), et 727. 1: rarus hic vitae color in hac allocutione miscetur a poeta, nam meretrix loquitur et senex et quod est admirabilius, bona meretrix, mitis senex, ut intellegas laborasse Terentium (h. e. Apollodorum), ut a lege comicorum recederet et in actu tamen consuetudinem retineret. Similia leguntur 774. 3. Brevius res tangitur in 198. 3. 856. 3; in 58. 3. 756. 1. 834. 840. 1 laudatur oeconomia, qua haec morum mutatio in meretrice probabilis sit facta. Quod igitur Euanthius scripsit III 4 satis notum erat et multo plenius expositum habemus in Hecyrae praefatione et scholiis. Erant qui etiam Thaidem in Eunucho bonae meretricis personam repraesentare crederent, vix recte; vide ad Eun. 198.

Denique Struckius cum Euanthio III 5: „temperavit affectum ne in tragoediam transiliret", cett. comparavit Hec. 281. 5, sed praeceptum, non miscendas esse res comicas cum tragicis aut contra, antiqua est observatio iam obvia in scholiis ad tragicos, Androm. 32, alibi, de qua vide Steinmannum p. 76. Lepidissimus locus hac in re est ad Andriam. 105. 3: Animadverte, ubique a poeta sic induci comicas mortes, ut cum ad necessitatem argumenti referantur, non sint tamen tragicae, nam aut meretrix sumitur aut senex aut de duabus simul uxoribus una uxor; itaque huiusmodi obitus aut mediocri tristitia excipiuntur aut etiam gaudio. Cf. 106. 2. Hec. 171. 2. Pho. 95. 4. 244. 1. 750. 2, quae adnotationem Andriae illustrant.

Scholia principalia ad Phormionem.

In Phormionis commentario, inde a II 4 valde mutilo, supersunt ad scaenarum initia XVIII scholia, e quibus Struckius VIII aesthetica nominavit, X rhetorica. Sed locum mutare debent 153. 1 et 231. 2, quae non sunt aesthetica, cum 766. 1 et

1) Causalis sententia per enim pertinet ad res novas, dum nec ... abhorreant a consuetudine" significat: non pugnant cum eo, quod fieri solet in vita quotidiana, ubi etiam benivolae socrus, verecunda nurus, etc. non desunt; etenim comoedia debet esse cotidianae vitae speculum. Excerpta de com. V 1 (cf. Steinmann. p. 56).

Digitized by Google

784. 1, quae non sunt rhetorica; praeterea non rhetorica sunt 766. 1 et 784. 1. De aestheticorum autem auctore iam modo audivimus sententiam arbitrariam, qua omnia a Donato [1]) abiudicantur; atqui nulla in re differunt ab adnotationibus aestheticis ad fabulas Menandreas, quas Struckius Graeco interpreti assignavit [2]), et ad Phormionem quoque eaedem species praesto sunt, nempe scholia duplicia 35. 2 de scaenae utilitate spectatori, de miro lepore et facetiis, de artificiosa poetae oeconomia. 153. 3 ethicum exemplum ex genere rhetorico, quod cognovimus ad Adelphos, et oeconomicum de rerum imminentium praestructione. 315. 1 ethographicum „de parasitis vilioribus, ut in Eunucho de potioribus", et de proprietate Terenti (i. e. Apollodori). Simplicia sunt haec: 35. 1 dramaticum de personis protaticis (Euanth. III 2). 179. 1 oeconomicum. 606. 1 oeconomicum. 766. 1 argumentum breve. 784 oeconomicum. 829 argumentum breve.

Scholia principalia rhetorica vulgo sunt scholastica et a Donato me iudice abiudicanda [3]), scilicet 231. 1. 485. 1. 567. 1, 990. 1. Genuina et semirhetorica 153. 2 et 441. 2. De scholio 348. 1 disputavi in Mnemosyne XXXIII p. 141 sq.: ab initio rhetoricum est, in fine („meminisse autem" sqq.) ethographicum; his interpolator interposuit titulum declamationis, forma prorsus similem titulis declamationum et controversiarum Senecae et Quintiliani. Quod autem scholium sic incipit: „In hac scaena, ut rhetoribus placet, veluti quaedam controversia est", ostendit Donatum, tametsi, ut Struckius dicit, (p. 37) „imbutus erat grammaticis et rhetoricis studiis", tamen in commentario Terentiano secundo demum loco rhetoris partes agere voluisse [4])

1) Donatus h. l. idem est, qui interpres aestheticus graecus nominatur, sic etiam p. 14 „Donatus ... de Menandreis ... optimus ... iudex", p. 23 „aestheticus"; ei opponitur „alter" i. e. rhetoricus Romanus p. 7. Pag. 38 autem in adn. 1 hoc legimus: „Donatiana" cum dico, non affirmo Donatum ipsum interpretem Graecum expilasse, sed auctorem quendam Donati id munus suscepisse censeo atque eum Asprum fuisse mihi persuasi".

Miror quid Wessnerus de his censeat.

2) Scholia totam scaenam enarrantia ad Menandreas etiam fabulas vix reperiuntur, itaque hac de causa Pho. 766 et Hec. 377. 1 Graeco origine indigna haberi non possunt.

3) Vide supra p. 152 adn. 2.

4) Cf. etiam Pho. 282. 3: „Haec apud oratores *μετάθεσις αἰτίας* dicitur".

Digitized by Google

neque ei tribuenda esse, ut olim accuratius demonstravi, scholia mere rhetorica inferioris notae, puerorum disciplinam spectantia.

Conclusio de scholiis principalibus omnium fabularum.

1. Nomen „aestheticum" damnandum est, cum nihil certi doceat, immo in errorem inducat quicunque ea scholia recte iudicare et probe secernere velit, quoniam amplectitur genera permulta inter se satis diversa.

2. Inveniuntur haec genera ad scaenarum initia omnium fabularum, alia aliis meliora aut peiora sed in ipsis argumentis similia.

3. Principalia Andriae et Eunuchi in eo conveniunt quod rhetorica rara sunt, at discrepant in eo quod Eunuchi scholia saepe elegantiora sunt et maiorem habent rerum varietatem, maxime vero genere ethographico frequenti ad Eunuchum, raro ad Andriam (tantum in schol. duplicibus 796. 1. 840).

4. Principalia Adelphorum pleraque exhibent exempla, quaestiones generales, sententias nonnumquam, in usus rhetoricos comparata.

Hinc efficitur de communi principalium auctore aesthetico ad fabulas Menandreas cogitari non posse.

5. Ad fabulas Apollodoreas secundum ipsum Struckium, tot fere aesthetica leguntur, quot rhetorica, eaque aesthetica nulla in re differunt a Menandreis. Principalia rhetorica hic sane multo frequentiora sunt quam ad Andriam et Eunuchum, sed pauciora quam ad Adelphos et genere vulgo diversa.

6. Communis conclusio de omnibus scholiis principalibus nulla fieri potest nisi haec, aestheticorum, quae a Struckio vocantur, auctorem ubicunque eundem se ostendere.

Hic peractis auctor p. 14 sqq. demonstrare studuit, interpretem illum aetheticum fuisse scholiastam aliquem Graecum fabularum Menandri, quem Donatus expilaverit [1]). Utitur his argumentis.

---

1) Ab hoc inde loco sermo est non tantum de scholiis ad scaenarum initia, sed de omnibus.

Digitized by Google

1. In comparationem vocantur scholia dramatica Graeca, h. e. tragica, cum comica desint. Adhibet autem scholia quasi principalia Sophoclis Electrae.

2. Persequitur usum vocis *οἰκονομίας* et figurae *ἠθοποιίας* per omnia scholia fabularum e Menandro conversarum.

3. Ostenditur scholiastae peritia rerum et litterarum Graecarum.

4. Disputatur de peculiari ratione qua usurpentur in his scholiis tropi et figurae analogia, amphibolia, ethopoeia, astismus.

Priusquam has quaestiones aggrediar necesse est breviter exponere argumentum dissertationis Steinmanni [1]), quae locuples est et perspicue scripta cognituque dignissima.

Steinmannus indagavit, quid scholiastae Aeschyli, Sophoclis, Euripidis et Terenti [2]) de personarum moribus nos doceant.

De Donato haec habet p. 5: „Quamquam igitur concedi debeat Donatum utilem esse, quo fundamentum huius commentationis iaciatur, quippe cuius scholia copiosa sint et bene servata et prae se ferant certi nec aliunde ignoti grammatici nomen, quo fit, ut propius ad libri speciem accedant (verisimile etiam est instar libri tradita esse Donati scholia), neque ita sint tractata ut scholia Graeca, quae semper erant dispersa codicum in marginibus, tamen non e re est separare Donatum a Graecis scholiis, sed oportet haec duo scholiorum corpora coniuncta tractari, quia plane eandem scilicet Graecam disciplinam exhibent, quod statim demonstrabitur" [3]).

Post censuram libri Ad. Trendelenburgii (Grammaticorum de arte tragica iudiciorum reliquiae, ed. 1867) sequitur

Caput I continens Notationes personarum in scholiis propositae, ubi scholia exhibentur de personis tragicorum et Terenti.

Caput II inscribitur De ethographiae disciplina, quae tractatur quinque paragraphis.

---

1) Titulum posui in capite huius commentationis. Legimus pagina tituli aversa: „De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt F. Leo et E. Schwartz".

2) Pag. 4: „Scholia Aristophanea ad hanc rem nihil fere valent".

3) Pag. 4 exposuit de ethopoeia, quae ex Euripide praesertim fluxerit in comoediam novam fabulasque latinas.

Digitized by Google

1. *De poetae via ac ratione ethopoiiae instituendae.* Apud scholiastas personae cognoscuntur his indiciis: ex nominibus (hoc tantum apud comicos), ex eo quod commendatur sive insinuatur persona a se ipsa, ab altera, ab utraque (cf. e. g. Ad. 206. 2), ex verbis vel sententiis (vita Soph. ἐκ μικροῦ ἡμιστιχίου ἢ λέξεως μιᾶς ἠθοποιεῖ), ex loquendi genere (Ad. 259. 1); raro ex ipsis factis; ex personis oppositis (Electr. 328 ἐπίτηδες τοῖς ἀγρίοις ἤθεσιν ἀντιπαρατάττουσι πρᾶξα κ. τ. λ.), denique ex locis ipsius poetae indolem significantibus. De singulis his indiciis citantur scholia praecipua (p. 29—39).

2. *De oeconomia.* Vocis definitio. Hic autem quaeritur, „quomodo personarum mores ad fabulam procedentem pertineant" et „quomodo poetae personas suo consilio dirigant, dum sponte sua agere videntur" (Eun. 965 „poeta hoc agit, personae nesciunt", sim.); in hoc cavendum est ne spectatores poetae consilia perspiciant [1]). — De discrimine inter personas comicas fictas et tragicas ex historia desumptas. De oeconomia chori. De expositione argumenti per personas agentes. De oeconomia et prooeconomia rite adhibenda (προπαρασκευάζειν πιθανῶς, praeparatio s. praestructio), qua in re poetae nonnumquam hoc agendum, ut praevideant spectatores, quae secutura sint. De personarum moribus aliter instituendis in comoedia atque in tragoedia. De vitando incredibili. De his omnibus rebus disputatio multo brevior est quam exemplorum copia e scholiis, (p. 40—54).

3. *De personarum veritate,* quae praesertim in comoedia debent esse consuetudini congruae, cum comoedia sit imitatio vitae, speculum consuetudinis etc. Euanth. II 6, Excerpta de com. V 1 et 5, (p. 55—58).

4. *De morum constantia.* Illustratur hoc e. g. Medeae scholio 992 ἔδει αὐτὴν μήδε κλαίουσαν εἰσάγεσθαι, οὐ γὰρ οἰκεῖον τῷ προσώπῳ, multisque similibus graecis et latinis. Sunt personae constanter inconstantes. Animi affectiones vehementiores perrumpunt morum constantiam (e. g. Eun. 320: non hoc personae tribuendum est, sed affectui), (p. 58—64).

---

1) Cf. Don. Andr. 459. 1: ... in multis enim οἰκονομία comicorum poetarum ita se habet, ut casu putet spectator venisse, quod consilio scriptoris factum est.

Digitized by Google

5. *De morum mutatione.* Secundum naturam humanam nascitur ex rerum casuumque experientia μετανοία et morum mutatio (Ad. 895. 2: ut ... non sit absurdum spectatoribus Demeam tam cito esse mutatum; sim.). Locus de ἀναλογία, (p. 65—68).

6. *De morum generibus ac speciebus,* in comoediis maxime, ubi personae non extrinsecus arcessuntur. In §§ 2—5 leges expositae sunt, quibus standum sit poetae in formandis personis; hic iam agitur de certis personarum characteribus, quae in omnibus fabulis redeunt: amatores, senes, patres, puellae liberales, parasiti, milites, servi, lenones, meretrices. De propria personarum oeconomia Apollodori in Hecyra (vide p. 152). De proprietatibus quibusdam tragoediae et comoediae hac in re. Decorum, τὸ πρέπον. De fabularum utilitate spectatoribus: εἰώθασιν οἱ ποιηταὶ δόγματά τινα εἰς ὠφελείαν τῶν ἀκουόντων εἰσφέρειν Sept. c. Th. 182 et Hec. praef. 1. 3: „cum delectat plurimum non minus utilitatis affert spectatoribus"; aliaque similia multa, (p. 68—86).

Haec omnia ex utilissima commentatione ideo rettuli, ut luculenter appareret, quantopere ars scholiastica penitus Graeca esset, atque commentum Donati, praeter scholia quae res et sermonem Romanorum spectant, imaginem referre doctrinae Hellenisticae. Clamat hoc ingens scholiorum copia utriusque sermonis a Steinmanno identidem prolata [1]). Valet illud cum de aliis tum de rhetoricis maxime scholiis, sumptis ex arte mera Graeca. Tropos, figuras, formulas huius artis quascumque noverant tirones, quid enim in discenda arte proficerent, nisi iam inde ab initio ea probe callerent, ut hodie rerum naturalium studiosi nihil prius habent, quam terminologia, quae vocatur, chemicae, physicae, botanicae, etc. ante omnia penitus se imbuere. Scribebant illas formulas, ut Quintilianus, modo graece modo latine et qui aliquam doctrinam affectabant, ut fit, lubentius quidem graece, quod scholia pseudo-Donatiana centies ostendunt, unde tamen nemo efficiet eiusmodi adnotationes prae ceteris e graecis fontibus detortas esse.

1) Praeter locum supra allatum ex Steinmanni libro, vide etiam p. 47: Hae translationes et imagines Graecam esse disciplinam demonstrant. P. 48: Hanc (artem) puram putam Graecam esse quivis videbit. P. 66: quo, ut alias saepe, demonstratur unam eandemque scilicet Graecam disciplinam etiam in scholiis latinis praeberi.

Digitized by Google

Itaque, ut ad Struckii argumentationes revertar, comparatio scholiorum Donati cum Sophocleis nihil novi nos docet. Esset alicuius momenti, si inde efflorescceret insignis aliqua similitudo adnotationum Graecarum cum eo genere, quod ille ad fabulas Terenti Menandreas κατ' ἐξοχήν aestheticum appellavit, et simul differentia cum scholiis ad fabulas Apollodoreas, sed neutrum usu venire potuit, quoniam, ut supra vidimus, „aesthetica" per totum commentum similia sunt. Quin in ipsis scholiis Electrae a Struckio allatis, quaeque etiam aesthetico scholiastae adsignavit (p. 18), inveniuntur eadem genera, quae ad omnes fabulas latinas deprehendimus: 121. 472. 516. 823 argumenta brevissima. 126. 1236 ethographica. 253. 1058 de oeconomia orationis. 328 de personis oppositis (cf. Steinmann p. 36); adsunt etiam scholia duplicia promiscue de ethographia, oeconomia, argumento, etc. 660. 874 (oec. person.). 1098. 1384. 1404. Sic confirmatur denuo commentum Terentianum omnino pendere ex doctrina scholiastarum graecorum, idque etiam in dicendi formulis quales sunt εἰσήγαγεν „inducitur" οἰκεῖον „familiare", ἁρμόζον „conveniens, congruum", centum aliis, quas notavit sedulo Steinmannus.

Post comparationem cum scholiis graecis, sequitur p. 19 argumentum sumptum ex usu vocis

Οἰκονομία.

Usurpatur vocabulum quater ad Andriam et toties ad Adelphos, octies ad Eunuchum, sed semel tantummodo ad Hecyram et bis ad Phormionem, unde illic scholiastam Menandreum, hic imitatorem latinum testificari scriptor opinatur. Post ea tamen quae modo disputavi, constat usum vocis graecae nihil ad rem facere, dummodo res ipsa non desit in scholiis Hecyrae et Phormianis, quod minime accidit. In Phormione, praeter 534 et 750. 1, ubi vox graeca legitur, latina rei significatio valde frequens est: 70. 1 bona praeparatio ... 153. 3 rerum imminentium praestructio ... et sic porro 238. 2. 269. 1. 295. 1. 304. 2 312. 2. Praeterea sine figurae mentione oeconomiae genera tractantur 57. 3. 98. 4. 140. 1. 144. 1. 311. 1 alibi. Vides hos locos fere omnes pertinere ad scaenam II 1 (vs. 231—314), quoniam scilicet ab hac scaena incipit, quod Euanthius IV 5 nominavit „incrementum processusque turbarum ac totius nodus erroris", in qua fabulae parte iusta oeconomia et prooeconomia

Digitized by Google

maximi momenti est. Ad Hecyram figurae nomen invenitur tantummodo 175. 3, sed suo iure scholiasta si voluisset addere potuisset aliis locis, ubi modo brevius modo „elegantius et subtilius" [1]) oeconomiae genus aliquod notavit: 178. 4. 182. 1. 193. 327. 1. 488. 2. 489. 1. 567. 1, in quibus laudatur respectus ad *καταστροφήν*, aliaque rerum praesentium aut futurarum bona procuratio.

De ethopoeia, quae denuo in censum vocatur p. 33 sq., infra videbimus.

Sequitur p. 26 sqq. argumentum

De rebus Graecis.

Alterius scholiastae rerum graecarum peritia probatur adnotationibus ad Andr. 226. 4. Ad. 26. 1 581. 973. 1. Eun. 414. 2. 774. 3, de comicarum personarum nominibus graecis [2]). Mitto quod eadem res etiam tractatur ad Hec. 78. 4, Phorm. praef. I 1, 26. 1, etenim neque has neque illas adnotationes graeco interpreti imputari posse arbitror, cuius lectores non revera indigebant huiusmodi monitis: Strato nomen accommodatum militiae (Eun. 414. 2), Cratinus *ἀπὸ τοῦ κράτους*, id est potentia (Ad. 581), servus fidelis Parmeno, miles Thraso vel Polemon, invenis Pamphilus, Syriscus deminutivum a Syro (Eun. 774. 3), quod autem ducitur (ibid.) Simalio a simio vel a simia ob foeditatem oris vel nasi, doctrinam pseudograecam prodit hominis Romani, ut Misargyrides et Pseudulus (Andr. 226. 4) produnt Plauti lectorem.

Argumentum alterum de rerum Graecarum peritia aut ignorantia petitur ex Andr. 219. 1, ubi scholiasta Menandreus „morem vere graecum" ut liberi non sublati interficerentur, cognovisse perhibetur, dum scholiasta Romanus ad Hec. 400. 2

1) Respicio his vocibus p. 22, ubi Struckius laudat elegantem et subtilem artem scholiorum quorundam de oeconomia ad fabulas Menandreas.

2) Ecce praecipuum, Ad. 26. 1: Nomina personarum, in comoediis dumtaxat, habere debent rationem et etymologiam; etenim absurdum est comicum, <cum> apte argumenta confingat vel nomen personae incongruum dare vel officium, quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis Parmeno, infidelis Syrus vel Geta, miles Thraso vel Polemon, invenis Pamphilus, matrona Myrrina et puer vel ab odore Storax vel a ludo et gesticulatione Scirtus et item similia. In quibus summum poetae vitium est, siquid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit, nisi per *ἀντίφρασιν* ioculariter nomen imponit, ut Misargurides in Plauto dicitur trapezita. De Scirto schol. ad Hec. 78. 4 *παρὰ τὸ σκιρτῶσαι*. Lepidum etiam An. 855. 7: „Catus, ardens *ἀπὸ τοῦ καίειν*, unde Cato dictus: ingeniorum enim igneus vigor est".

Digitized by Google

id ignoraverit [1]). In his autem scholiis hoc nequaquam aperte declaratur, sed, quod gravius est, Struckius praetervidit „morem illum crudelem" non minus in usu fuisse apud Romanos, unde Cicero, quo tempore se mortuum esse mallet, scribere potuit ad Att. XI. 93: „utinam susceptus ne essem" [2]).

Sequitur p. 88 argumentum

De litteris Graecis.

Scholiastam fabularum Menandrearum illis litteris magis imbutum fuisse, efficitur ex Ad. 537. 2. Eun. 167. 4 et 689. 1 (Andria hic non comparet), ubi citantur fragmenta Theocriti atque Aristophanis, et Hellanicus de eunuchis. Ad fabulas Apollodoreas non minora quidem reperiuntur fragmenta satis ampla Demosthenis, Isocratis, Euripidis (Pho. 68. 2. 252. 3. Hec. 214. 3), sed haec Struckius a graeco auctore aesthetico ideo abiudicat, quia sumpta sunt ex scriptoribus rhetoricis maxime. Quid hoc est? Num scholiasta Menandreus in comoediis interpretandis repudiavit aut ignoravit locos congruos oratorum graecorum et Euripidis talesque Romanis interpretibus reliquit?

Tandem Struckius scholiastam illum Graecum fuisse demonstrat ex usu figurarum rhetoricarum, quae quidem per omne commentum reperiuntur, sed quas ille adhibuerit „magis ut aestheticus", alter „ut vir vere rhetoricus" (p. 31).

Probat hoc de formulis, quae vocantur analogia, amphibolia, ethopoeia, astismus, quales formulae, partim dupliciter adhiberi possunt ut σχήματα λέξεως aut διανοίας, partim eiusmodi sunt, ut de earum usu et significatione inter scriptores rhetoricos graecos vel latinos nequaquam semper constiterit, quod Volkmannus in notissimo libro identidem ostendit; itaque ex diverso earum usu nihil sequitur, quod attinet ad scholiastae originem graecam vel latinam.

Statim hoc apparet ex locis, ubi designatur

Analogia.

In scholiis ethographicis Ad. 789. 1, sermo est de analogia

1) Andr. 219 ad verba: „quidquid peperisset decreverunt tollere", scholiasta: paritur enim aut mas aut femina et solet iustior causa esse tollendi, si marem uxor peperit. Hec. 400 ad verba „continuo exponetur", scholiasta: mire necandi pueri non fit mentio, quia Pamphili filius invenietur, cum ei etiam per patrem puellae poeta succurrit.

2) Cf. Marquardt, de vita privata I p. 3 adn.

Digitized by Google

servata in charactere Demeae, et Eun. 790. 3, de analogia servata in oratione: „qui leviora laudaverat, hic exclamare iam iam debet". Hec. prol. 48. 2 est figura λεξέως grammatica. Alibi non legitur in commento, neque usquam in Graecis scholiis, ut ait Steinmannus p. 66 sq.

Amphibolia.

Secundum Volkmannum, p. 90 sq. 402, amphibolia apud Quintilianum et Grammaticos etiam graecos est figura λέξεως, *ambiguitas dictionis*, ut definivit Donatus (Gr. Lat. IV 395), quo nomine vicies legitur in commentariis omnium fabularum praeter Eunuchum. Struckius putat interpretem aestheticum eam aliter usurpasse ad Eun. 1090. 1 et Andr. 68. 3 et 955. 3, in quo erravit quod attinet ad Eunuchum et ad Andriae locum alterum, utrobique enim amphibolia posita est in dictione, nempe in usu vocum „virtute" et „recte". Scholium Andriae 68. 3 debetur interpolatori, qui corrigit Donati scholium 2, ubi eadem sententia recte παράδοξος appellatur. Quam varie autem haec figura adhiberetur notavit Donatus in Arte l.l.: *fit praeterea pluribus modis, quos percensere omnes ne nimis longum sit non oportet.*

Ethopoeia.

Figura appellatur etiam μίμησις, *imitatio morum alienorum* [1]) et citatur ad Eun. 15. 3 et 155 [2]), Hec. 148. 2, ubi actor alius personae verba, quibus antea haec usa est, repetit ad opinionem eius vel indolem exprimendam. Ad Adelphos 308. 3 adhibetur ethographice. Huius autem scholii difficilioris interpretatio, quam dedit Struckius non recte se habet in eo quod scribit p. 34: „ἠθοποιία Getae hoc loco est morum".

Ad verba Sostratae, dicta a latere ad spectatores ita ut fugiant Getam

Non intellego satis quae loquitur (scil. Geta),

---

1) Quint. IX 2. 58. Figuram satis ambiguam fuisse monet Volkmann. p. 490 in adn. Die Ausdrücke προσωποποιία und ἠθοποιία waren ursprünglich völlig synoniem ... Doch war auch hier der Sprachgebrauch sehr schwankend.

2) Hunc locum omisit Str. sed dedit Quintilianus l.l. Scholium Hecyrae 148. 2 prorsus graecum: ἀποστροφὴ καὶ ἠθοποιία ἀπὸ διηγήματος εἰς μιμητικήν, e graeco procul dubio fluxit, una cum 311. 1 ἐξεταστικὴ ὑπόκρισις ... διαλεκτικῶς, et 2 αἰτιολογικὴ ἀπόκρισις, et 3 ἐσχηματισμένως.

Digitized by Google

scholiasta hoc adnotavit: „ad hoc Sostrata ignorans inducitur, ut malo nuntio repente feriatur ... quia autem non est perdenda tam suavis ἠθοποιία dolentis ad irascentem, idcirco non audit Geta, conversus ne ob illam loqui desinat".

Quod ita explicandum est. Geta, solus in scaena, Sostratae adventum non animadvertit neque audivit eam dicentem: „Non intellego satis quae loquitur", sed magis magisque iratus ob perfidiam quam putat Pamphili, loqui pergit donec era eum interpellat (vs. 320), quae paulatim perturbata et anxia facta quid verba eius significent, eum aperire tandem cogit „malum nuntium" (vs. 326) Pamphilus alienus est a nostra familia, quo ita „feritur" ut in graves questus erumpat, 330 sqq.

Ille igitur „dolor" optimae mulieris, sensim oriens dum a latere servi verba auscultat, dein increscens tandemque exundans, est „suavis ethopoeia dolentis ad irascentem", quae iam praeparatur vs. 305 cum ex Getae habitu aliquid mali praesagire incipit: „me miseram, quid nam est quod sic video timidum et properantem Getam?" Versibus 309—320 nascens illa anxietas et dolor non verbis significatur, sed ore et gestu. Haec autem ethopoeia periisset („perdenda"), si Geta erae praesentiam iam vs. 308 sensisset, cuius misericordia commotus iras in adulescentem et malum nuntium silentio tum pressisset.

Ex iis, quae Struckius iam prius disputaverat de ethopoeia p. 26, hoc tantum refero. „Servi Athenienses, inquit, et ei qui in comoedia socii atque paedogogi epheborum inducuntur, non sunt homines impoliti aut ineruditi"; dein interpretem Menandreum hoc, ut Graecum, scivisse dicit, quia nusquam loquitur de servorum imperitia, at scholiastam Phormionis et Hecyrae id nescivisse, ut scholia bis ostendant ad Phormionem 186. 6. 249. 2 et saepius ad Hecyram. At vero in Phormionis scholiis bis notatur „imperitia" et „vitiosa locutio" Getae, pauperculae mulieris mancipii, non profecto politi aut eruditi. Tum in Hecyrae scholio 306. 1 nulla Parmenonis imperitia tangitur, sed argutia servilis et astuta in respondendo ero iuvenili. Tria autem scholia, ad Hecyram vs. 309, 311, 323 ego quoque repudio, non quod aliquid contineant dedecoris in Parmenonem, sed quia a Donato aliena sunt. In 309. 1 Donatus

Digitized by Google

orationis vitium acu tetigit, cum hoc autem pugnat 2 in quo leguntur praeter alia haec verba ... „convenit servo haec humilitas orationis". In 311. 3 Donatus denuo dicendi rationem recte interpretatus est, inepte autem aliquis addidit: „ἀνακολουθία ista convenit servo", nam nulla est anacolouthia. Similiter denique 323. 2 Donati verbis: „perturbatus Parmeno idem repetit verbum", alter stulte addidit: „et aptum est personae servili".

Ceterum quod Struckius posuit, serviles epheborum comites in nova comoedia non fuisse impolitos aut ineruditos, unde hoc certo novimus? Memini nuper me legere: „iudicium nostrum de Menandri fabulis firmo fundamento non niti, quamdiu non una saltem e melioribus comoedia integra nobis praesto sit" [1]).

Tandem pervenimus ad disquisitionem (p. 34)

De astismo.

Astismus est species ironiae, de cuius significatione non magis constabat inter rhetores quam de ceteris omnibus, quod norat Donatus, cum scriberet, A. G. IV 402: „est tropus multiplex numerosaeque virtutis, namque astismus putatur quidquid simplicitate rustica caret et faceta satis urbanitate expolitum est" [2]). Cocondrius contra in libro de tropis (Speng. Rh. Gr. III 235) ἀστεϊσμόν dicit esse εἰρωνείαν ἐφ' ἡμῶν, ut χλευασμὸς et quinque alii tropi indicabant εἰρωνείαν ἐπὶ τῶν πλησίον. Illud autem ἐφ' ἡμῶν quid velit distinctius sic definitur: ἀστεισμὸς μὲν οὖν ἐστι λόγος, ἀφ' ἑαυτοῦ πρὸς ἕτερον ἔχων τὴν διαβολήν, cum lepido exemplo ex Odyssea XVII 397, ubi Telemachus ad Antinoum: Ἀντίνο', ἦ μευ καλὰ πατὴρ ὣς κήδεαι υἱός.

In commento commemoratur ter ad Eunuchum, semel ad Phormionem. Scholiasta Phormionis ad vs. 151 sequitur definitionem Donati. Ibi Davus abiturus sic rogat:

Numquid, Geta, aliud me vis?

Respondet alter: Ut bene sit tibi. Adnotat scholiasta: ἀστεισμὸς pro „nihil". Recte: Geta urbaniter negat se aliud

1) Sic von Arnim loco anteo laudato p. 4 adn. 1.

2) De aliis astismi definitionibus vide Ernesti lex. rh. gr. p. 44 et 96. Panca habet de tropo satis raro Volkmannus p. 432 sqq., qui de ironiae generibus hoc denuo docet: Uebrigens wurden diese Begriffe in der hier gegebenen Unterscheidung nicht allgemein anerkannt.

Digitized by Google

velle. Sic etiam Struckius, qui vero scholiastam Eunuchi graecam definitionem ob oculos habuisse contendit. Vix credo.

Eun. 274 Gnatho eximiam puellam, quam militis nomine Thaidi daturus est, Parmenoni monstrat his verbis:

Sed quid videtur hoc tibi mancupium?

Scholiasta: ταπείνωτις τῷ ἀστείσμῷ: mancipium dicit puellam aut virginem. Optime; extenuat parasitus pulcherrimae puellae donum humili cognomine mancipii facitque hoc specie urbanitatis, sed revera faceta ironia in Parmenonem, qui Phaedriae nomine asportat mancipia minoris pretii. Est igitur, ex definitione Donati, extenuatio per „facetam satis urbanitatem". Struckius putat Gnathonem loqui per ironiam in semet ipsum „witzige Selbstironie", quod quomodo tueatur non intellego.

Eun. 342 Chaerea narrat Parmenoni, quomodo senex odiosus se compellaverit in via, ut formosam puellulam diutius sequi non potuerit:

Dum haec dicit (scil. senex), abiit hora: rogo num quid velit.
„Recte", inquit, abeo ...

Scholiasta 1. „Recte" pro eo quod est „nihil". 2. et moraliter τῷ ἀστείσμῷ. Quod denuo probandum. Ut supra in versu Phormionis, hic quoque urbana negandi formula usurpatur a sene, pro „nihil volo" [1]). Iterum me fugit, senem, cum diceret „Recte", usum esse ironia in semetipsum, ut putat Struckius.

Eun. 123. Thais petivit a Parmenone, ne usquam efferat quae narratura sit de se suisque rebus; ille taciturum se pollicetur quicquid vere dixerit, sed falsa effluent, cum plenus rimarum sit. Cum igitur illa haec dicit vs. 119 sqq.

Ego cum illo, quocum tum uno rem habebam hospite,
Abii huc, qui mihi reliquit haec quae habeo omnia,

Parmeno interpellat:

Utrumque hoc falsumst: ecfluet. Th. Qui istuc? Pa. Quia
Neque tu uno eras contenta neque solus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.

Scholium 123. 1: ἀστείως, nec „Phaedria" sed „hic" dicit tangens illum (sc. Phaedriam, qui praesens est), et quasi invito illo haec exprobrat. Paucis his verbis Donatus subtilem ur-

1) Vide Fabia in ed. Eun. ad vs. 191.

Digitized by Google

banitatem pronominis hic bene declaravit, cui nemo, opinor, non assentitur praeter Struckium (p. 35), qui interpretes errasse et commenti redactorem locum prave explicavisse contendit, cum hic intellegendus sit Parmeno digito se ipsum ostendens per εἰρωνείαν ἐφ' ἑαυτοῦ.

Absolvi disquisitionem de dissertationis parte priore, multis industriae et doctrinae laudibus insigni, sed in qua tamen auctor non perfecisse mihi videtur id quod agebat, ut verisimiliter duo ostenderet, primum, existere in commento Andriae, Eunuchi, Adelphorum, cum ad scaenarum initia tum ad alios versus permultos, genus scholiorum aestheticum his fabulis proprium et deficientem aut spurium in commento Hecyrae ac Phormionis, deinde, scholia illa aesthetica revocanda esse ad Menandri comoediarum scholiastam graecum.

Transeo ad dissertationis partem alteram, cuius argumentum supra (p. 143) delineavi.

Pars II.

Huius partis quasi praefatiuncula sunt quae leguntur p. 38 supra:

„Sed haec aesthetica „Donatiana" ex scholiis Menandreis ducta esse, cum veri specie ostendisse mihi videar, tamen non probavimus neque demonstravimus. Hoc ut assequamur, quaestionem de Donato institutam cum studiis nonnullis Terentianis vel Menandreis coniungamus. Nam cum Terentius non semper Menandreae fabulae scaenas amplexus sit, scholiastam illum aestheticum, si quidem est Menandreus, non aeque exstare suspicandum est".

In his igitur auctor primum hoc fatetur, thesin suam, scholia aesthetica in tribus his fabulis ducta esse e commentario ad Menandri comoedias, habere iam veri speciem, sed nondum esse demonstratam, unde sequitur, ut ea thesi in sequentibus uti nondum liceat pro re iam probata et explorata, id quod nonnum-

Digitized by Google

quam tamen non cavit [1]). Ea autem „studia", quae dein commemorantur, sunt studia de harum fabularum contaminatione deque scaenarum ambitu et forma Terentiana et Menandrea, unde conclusiones ducuntur de veritate et origine scholiorum, quae ad scaenas illas contaminatas praesto sunt. Iam supra dixi (p. 144), cur quaestiones ad contaminationem fabularum pertinentes et quae inde concluduntur, mihi silentio praetereundas esse censeam, quippe quae, ut nunc se res habet, ita ad liquidum perduci nequeant, ut satis firmum disputandi et concludendi praebeant fundamentum. Sed inveniuntur in hac parte cum scholiorum tum versuum Terentianorum interpretationes minus iustae, quas neglegere non debeo, in his igitur nunc versabimur.

Andria.

In prima scaena (28—171) argumentum fabulae exponitur per colloquium senis Simonis cum liberto Sosia tali modo, ut, postquam mutuis laudibus se ornarunt [2]), inde a vs. 48 Simo solus fere res enarret pauca interponente Sosia, quibus longae narrationis uniformitas hic illic interrumpitur. In Andria Graeca eadem expositio fiebat per continuam senis orationem, qui solus erat in scaena. In Perinthia Menandri, ex qua Terentius suam Andriam contaminavit cuiusque comoediae prima scaena fere iisdem verbis quibus Andria erat scripta, senex exponebat argumentum per colloquium cum uxore [3]). Terentius igitur hanc rationem praetulit ideoque a Donato laudatur ad vs. 28 his verbis:

„In hac scaena haec virtus est, ut ⟨in⟩ argumenti narratione

1) Hoc accidit p. 57, ubi legimus: „Hanc scaenam iam propter hunc interpretem aestheticum (Adelph. vs. 196) Menandream esse contendo", et p. 62 adn. 2: „Iam quod scholiastam scaenicum (= aestheticum graecum) ad insequentes scaenas legimus, satis est ad refellendam opinionem Fielitzii, qui ... scaenas V 4 usque ad finem fabulae apud Menandrum defuisse censet".

2) Itaque vs. 28—47 additi sunt a Terentio.

3) De contaminatione agitur in prologo vs. 9—14. De singulis in commento 10. 1: „Prima scaena Perinthiae fere isdem verbis quibus Andria scripta est, cetera dissimilia sunt" e. q. s. 13. 1 et 14. 1: „conscius sibi est primam scaenam de Perinthia esse haustam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto. At in Andria Menandri solus est senex". De contaminatione nuperrime egit R. Kauer in Bursiani Annal. 1909, p. 212 sqq.

Digitized by Google

actio scaenica videatur, ut sine fastidio longus sermo sit ac servilis oratio".

Nemo, opinor, negabit laudari hic Terentium, quod longi sermonis taedium sustulerit adhibito interlocutore, unde actio quaedam in hac scaena exstiterit. Struckius tamen cupiens hoc scholium vindicare scholiastae Andriae Menandreae, ubi solus senex rem narrabat, interpretationem excogitavit prorsus mirabilem verbisque contrariam. Secundum illum p. 39, „actio scaenica", quam scholiasta totius scaenae („in hac scaena") virtutem esse declarat, „inest in iussu senis vs. 28: Istaec intro auferte, abite". Sed quae in hoc iussu actio scaenica lateat, non ostendit, nec quisquam sentiet. Comparat Adelph. vs. 26, sed hoc nihil ad rem; putat praeterea scholiastam latinum hic Sosiam nominare debuisse, sed scholium nihil attinet ad personam Sosiae, de quo agitur in scholiis 3 et 6, verum tantummodo ad scaenae characterem dialogicum. Neglexit autem Str. scholium quod sequitur ad eundem versum:

28. 2: „Haec scaena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulae iaciuntur, ut virtute poetae, sine officio prologi vel θεῶν ἀπὸ μηχανῆς, et periocham comoediae populus teneat et agi res magis quam narrari videantur".

Vides in hoc scholio pro eo quod illuc est „actio scaenica" planius dici „agi res magis quam narrari".

De his scholiis paulisper digrediar. Sunt fere similia. Utrius auctor habendus est Donatus? Me iudice prioris. Leguntur quidem in altero quae in priore desunt et aliquam speciem habent: de de officio prologi vel deorum ex machina et de fabulae fundamentis iactis in expositione, sed haec ipsa produnt interpolatorem illum [1]), quem olim sescenties deprehendisse mihi videbar (ut norunt paucissimi illi v. d., qui haec studia curant) et quem etiam hodie identidem reperio, quoties ad commentum revertor. Donati scholiorum argumenta retinens immutat ille formam et additamentis ea exornat depromptis saepe aliunde ex ipso Donato aut falsis. Sic etiam hoc loco. Primum illud sumpsit a Donato ad Hecyram 58. 1, aut ab Euanthio III 2 [2]), alterum

1) Non amplius dixerim Editorem.

2) Euanthius et Donatus aetate non nimis distabant. Secundum Hieronymum

Digitized by Google

additamentum est otiosum nec verum, nam in expositione fabulae fundamenta non „iaciuntur" sed narrantur [1]); tertium additamentum eiusdem notae est in verbis: „et periocham comoediae populus teneat", nam primum expositio non dat populo periocham comoediae sed „partem argumenti" (Exc. de com. VII 4), et virtus poetae non in ipsa expositione posita est, quam nulla non exhibet fabula, sed, ut Donatus indicat, in eo quod agi res magis quam narrari videantur; denique gravissimum est, quod omittitur res praecipua, Terentium sic fecisse ut spectatorum fastidium evitaretur [2]).

In eadem scaena haec leguntur

Simo. Quod plerique omnes faciunt adulescentuli,
ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos
alere aut canes ad venandum, aut ad philosophos,
horum ille nil egregie praeter cetera
studebat, et tamen omnia haec mediocriter.
Gaudebam. Sosias. Non iniuria; nam id arbitror
adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.

Ad postremum versum scholiasta adnotavit:

„Ut ne quid nimis sententia non incongrua servo, quia et pervulgata et non refertur ad personam domini dicentis et de quo dicitur".

---

ille Constantinopoli obiit a. 359, et Donatus a. 354 „Romae insignis habebatur". Sumpsitne igitur talia alter ab altero an uterque ab Aspro, Varrone aliove auctore?

1) „Fundamenta" etiam vox satis grandiloqua de rebus ante actis. Apud Euanthium IV 5, et in Excerptis de comoedia VII 2, atque in Donati praef. III 1 haec pars fabulae semper appellatur tantum expositio, vel narratio fabulae.

2) Nota est Wessneri opinio de commenti origine, prolata in Edit. praef. p. XLVI. Hanc coniecturam, nam ille prudenter scripsit: „sic mihi rem composui", ab eius popularibus iam saepe pro re comperta adhibitam repperi; sic Struckius p. 57: „cum Donati commentum, inquit, pessime contractum, duabus manibus excerptum, tum conglutinatum esse constet". Ex hac igitur opinione scholiorum par, de quo nunc agimus, in iis quae dissimilia habent, repraesentarent ea, quae olim coniuncta fuissent in una adnotatione Donati, continenti simul apta et inepta ac supervacanea; ex hac autem adnotatione alter excerptor extraxisset quae optima sunt et unum rotundum scholium efficiunt, alter vero Donati mentem non percepisset et potissimum otiosa, si modo haec Donatea esse credideris, reddidisset. Hoc ideo minime credibile est, quia non semel, sed in plerisque scholiis fere similibus, idem evenisse fatendem erit ei, qui talia scholia accurate comparaverit. Ceterum scholia similia aut fere similia rariora esse quam vulgo creditur, probasse mihi videor in libro de com. Donat. orig. et compos. p. 8 sqq. et passim per totum librum.

Digitized by Google

Rabbow pro „domini" correxit „modo", atque „et quotidie" pro „et de quo". Wessner cum illo scripsit „modo", verum „sed de quo" pro „et de quo". Struckius merito retinuit „domini", at recepit „sed de quo". Coniectura Rabbovii „et quotidie" dittologiam parit post „pervulgata".

Iam vero Struckius contendit hoc scholium constare duabus partibus prave conglutinatis (p. 40), quarum altera latino, altera graeco interpreti deberetur. Agendi ratio satis arbitraria in sententia grammatice concinna, nisi ratio detur cur hoc factum sit. Dein partem graecam: „et non refertur" sqq. sic explicat: „In ultima parte scholii commentator affirmat: hanc sententiam „ne quid nimis" non referendam esse ad personam „domini dicentis", sed ad personam ⟨eius⟩, de quo dicatur: „etenim illud vitae praeceptum minus in ore est (ad „referendam" cf. Don. Hec. 153. 1) senis [1]) quam Pamphili, cuius indolem dominus effingit ita ut sit: „adulescens nihil egregie praeter cetera studens" docere videtur „ne quid nimis". Haec si recte intellego, hoc significant: Graecus commentator affirmat, senem hoc adagium citasse, non ut suum de filio iudicium aperiret, sed ut ipsius filii indolem designaret, qui sua agendi ratione docere videretur „ne quid nimis". Interpretatio mira, quia sic non senex verum adulescentulus sapientis vice fungitur, at, etiamsi hoc admittimus, tamen falsa, cum neglegatur verbum „arbitror" (vs. 60), quod hoc vult: „ego senex (vel Sosia apud Terentium) arbitror illud „ne quid nimis" in vita adprime esse utile".

Donatus me iudice sic scripsit: „Sententia non incongrua servo, quia est (sic Stephanus pro „et") pervulgata et non refertur ad personam domini dicentis" h. e. non spectat ad personam Simonis, qui dominus est Sosiae hoc dicentis; scilicet servo incongruum esset dominum suum adagio probare. Postrema verba „et de quo dicitur" nondum sanata sunt [2]). Frequens est

1) Nempe v. d. putat, omnia quae Sosia Terentianus loquitur, apud Menandrum etiam a sene dicta fuisse. Secundum scholium supra citatum V. 14. 1 Sosiae verba sumpta sunt e Perinthia, ubi ea loquebatur uxor. Viri docti dissentiunt.

2) Abicio igitur coniecturam prolatam in Mnem. XXXII. 228. Proverbium in ore servi longe aliter excusavit Servius ad Aen. 10. 861, ubi haec verba solemnia „res si qua diu mortalibus ulla est" in ore hominis sacrilegi Mezentii sic excusat: „ea enim quae per naturam movent animos, in quamvis personam cadunt ... unde

Digitized by Google

in commento referre et referri ad pro coniungere cum, pertinere, spectare, trahere, reddere ad, quae eodem sensu adhibentur (cf. 251, 1. 262. 1. 279. 1. 328. 1 al.); cum nostro loco convenit 327. 4: „oportuit" ad „patrem refert" (= laat de dichter slaan op hetgeen de vader moest doen), 327. 1: hoc ad patrem refert.

In scaena sequenti I 2 Simo antequam Davus foras exit, haec loquitur

172 Non dubiumst, quin uxorem nolit filius;
ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias
futuras esse audivit. Sed ipse exit foras.

Ad vs. 173 scholiasta adnotavit: „Non recessit de loco senex, „sensi" ergo: antequam cum Sosia loqui coepisset".

Observavit Struckius hoc scholium non convenire fabulae Terentianae, in qua senex post vs. 171:

„Eamus, nunciam intro: i prae, sequor"

scaenam relinquere debuit, sed convenire graecae fabulae ubi manebat in scaena.

Sic sane primo obtutu videtur, sed paulisper cogitantes intellegimus in fabula Menandrea eiusmodi adnotationem ad hunc versum absurdum fuisse futurum, etenim in illa fabula senex monologium suum nondum finiverat et loqui perrexit donec Davus intrat [1]); quis igitur homo sanus illic adnotaverit, senem adhuc loquentem non recessisse? Ideo ne rogabo quidem, quomodo graece scholium audiverit, quod sine Sosiae mentione cogitari non potest.

Sed convenitne haec adnotatio scholiastae Terentiano? Nonne in latina fabula post vs. 171 senex recessit de loco? Ita denuo nobis videtur. Sed aliter visum est Donato, qui statim ad primum scaenae versum 172 hoc monuit: „Peracta narratione iam

---

et Terentius servis dat plerumque sententias prudentissimas quidem, sed quae se per naturam offerunt cunctis, ut ne quid nimis". Eum imitatus est Eugraphius, qui ad Andriae locum praeter alia etiam haec scripsit: „primo omnium in hominibus natura i. e. sensus aequalis est". Cf. Mnem. XXXIII p. 135 sq., de Eugraphio Servii imitatore et Wessner in ed. Eugr. praef. p. v.

1) Sic recte Struck. p. 40 sq.: „In Menandri fabula senex vs. 171 ... non dixit, sed (usque ad vs. 167) de Davo servo et de timore servi nuntio nuptiarum perterriti (172—175) locutus est". Quid sibi velit parenthesis non assequor, fortasse hoc: „usque a vs. 167", nam „usque ad vs. 167" non verum esset.

Digitized by Google

persona Sosiae non erat necessaria; ergo substitit senex per quem agenda sunt reliqua". Igitur duo scholia, utrumque genuinum, negant Simonem scaenam reliquisse invito verbo „sequor". Et sic etiam Americanus editor Andriae [1]), cui assentior: „We must suppose that instead of following Sosia immediatly, Simo lingers behind to reflect upon the situation" etc.

Ad initium scaenae II 2, a Terentio contaminatae, legitur adnotatio de scaenae argumento, quam Struckius non ad hanc scaenam quadrare contendit, sed ad sequentem II 3, vel potius ad II 2 + II 3, quas apud Menandrum coniunctas fuisse putat.

Scholium sic se habet: „Haec scaena consilium continet personarum, ad quas maxime pertinet argumentum, et hic est locus, in quo ut fieri solet fortuna mixta rebus dispositis magnas turbas dat" [2]).

Negat vir doctus primum, scaenae personas, Davum, Pamphilum, Charinum eas esse „ad quas maxime pertineat argumentum", ac dein in hac scaena esse „consilium", sed esse Davi narrationem. Utrumque perperam infitiatur si reputamus hoc scholium legi ad Andriam latinam, non graecam.

Terenti Andria „ex duorum adulescentium periculis gaudiisque componitur", ut ait Donatus 305. 1, quocum confer praefationes II 1 et III 2, Euanthium III 9; itaque non minus Charinum, quam Pamphilum Davumque haec fabula celebrat; Struckius cum hoc negat nimis irretitus est comoediae forma Menandrea. Porro Davi narratio continetur tantum vs. 353—369, ea autem quae praecedunt inde a vs. 338 et sequuntur usque ad vs. 374, exhibent trium illorum colloquium, quod recte „consilium" dici potest, i. e. consultatio, quo sensu et alii et e. g. Quintilianus dixit XII. 2. 21: „de quibus rebus maxima saepe in senatu consilia versata sunt". Scaena sequens II 3 consultationem continet sane seriorem et efficaciorem Davi et

1) P. Terenti Afri Andria with introduction and notes by H. R. Fairclough second ed. 1904, Boston and Chicago.

2) Pars est fabulae haec scaena cum sequentibus, quae appellatur epitasis, i. e. „incrementum processusque turbarum ac totius nodus erroris", ut dicit Euanthius IV 5; cf. Andr. praef. I 5. „Fortuna mixta rebus dispositis" = se immiscens rebus a fabulae personis scite, ut putabant, ordinatis. De duplici scholii natura vide supra p. 145.

Digitized by Google

Pamphili, quam scholiasta 375. 1 „deliberationem" nuncupavit, quae desinit in certum patris decipiendi consilium.

In scaena II 5 Simo filium Pamphilum, amatorem Glyceri, ita compellat:

418 Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.

Probe scit Chremetem, ut res nunc se habent, filiam suam neque hodie nec cras Pamphilo uxorem esse daturum, confidenter tamen filium iubere sic audet, quia pro certo habet, eum sibi morem non gesturum. Atqui Pamphilus, Davi praeceptis bene instructus, inopinanter respondet:

Neque istic neque alibi tibi erit usquam in me mora.

Senex primo obmutuit, sed dein speciose reponit:

Facis ut te decet,
Quom istuc quod postulo impetro cum gratia.

et paulo post:

I nunciam intro, ne in mora, quom opus sit, sies.

In sequenti scaena II 6 Simo, qui nullus dubitat quin repentino filii obsequio aliquid doli subsit et ille revera nuptias abhorreat, a Davo certior fieri cupit, quid vere ille cogitet, idque cognoscere conatur duplici ratione, primum aperte, dein cum fidem respondenti servo non habet, alio modo. Itaque prius sic rogat:

Potin es mihi verum dicere? Da. Nil facilius.
Simo. Num illi molestae quidpiam haec sunt nuptiae
eius(?) propter consuetudinem huiusce hospitae?
440 Davus. Nil hercle; aut, si adeo, biduist aut tridui
haec sollicitudo, nosti, dein desinet
Etenim ipsus secum eam rem reputavit via.
Simo. Laudo. Da. Dum licitumst ei dumque aetas tulit,
amavit; tum id clam; cavit ne umquam infamiae
445 ea res sibi esset, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus est: animam ad uxorem adpulit.

Senex sentiens ludibrio se haberi, nunc rogat cur tamen ille tristis sit, si nuptias velit:

Subtristis visus est esse aliquantum mihi.
Davus. Nil propter hanc rem, sed est quod suscenset tibi.
Simo. Quid namst? Da. Puerilest. Si. Quid *id* est?
[Da. Nil. Si. Quin dic, quid est?

Digitized by Google

Davus. Ait nimium parce facere sumptum.

His multa etiam garrulus addit, donec tandem Simo, tricas sentiens sed non perspiciens:

Tace, inquit, ego istaec recte ut fiant videro,

et mox secum

Quid nam hoc est rei? quid hic vult veterator sibi?

Nam si hic malist quicquam, em illic est huic rei caput.

Scaena, una in paucis lepida et egregia arte confecta, tota fere describenda fuit paucisque adnotatiunculis meis munienda, ut et duplex Simonis conamen veritatis eliciendae ex servo luculenter appareret, et totius scaenae concinnitas perspiceretur, et sentiretur denique quam scite Donatus eius indolem breviter sic designaverit ad vs. 432: „Haec scaena dolos continet utriusque personae, quibus utaque et capit et capitur miro modo".

Iam vero Struckius hanc scaenam gravi vitio laborare censet, nempe interpolatione versuum 438—446, quae debeantur Terentio, qui eliminaverit versus Menandreos. Cur sic putat? Ex prava nimirum interpretatione versum 438 et 447, quorum priorem alterum repetere contendit [1]). Ergo praetervidit harum rogationum discrimen et similia putavit quae prorsus sunt diversa, quo facto totius scaenae lepor eum fefellit. Ceterum Str. ulterius progressus est atque etiam invenisse sibi videtur, quid Menandrea Andria habuerit, ante vs. 447, pro priore senis rogatione quam finxerit Terentius. Extricavit hoc ex scholio, quod graecum esse putat, ad vs. 449. 1: „Puerile est; apparet Davum nunc quaerere quid respondeat et ad quam causam derivet aversa suspicione tristitiam Pamphili, quam animo advertit senex".

Haesit in verbis aversa suspicione, quae sic explicavit, ut concludat, in loco Menandreo Davum suspicionem senis, aliquam fallaciam esse in nuptiis a Pamphilo non recusatis, avertisse simulando discordare Pamphilum et Glycerium. De hac re mox dicam. Nunc hoc tantum observo: in ipso scholio nihil esse quod hanc explicationem flagitet aut commendet, et praeterea totam illam coniecturarum structuram concidere, si

1) Pag. 46.: „Quaerit enim Simo e servo (438), num Pamphilo nuptiae molestae sint. ... Nihilominus senex quaestionem repetit „substistis visus esse aliquantum mihi (447)".

Digitized by Google

meminimus nullam esse in hac scaena eiusdem rogationis otiosam repetitionem.

Ceterum gratum est, viri docti observationes mihi ansam praebuisse ad tractandas duas quaestiones difficiliores, quarum altera est de discordia irisque simulatis inter amantes, altera de scholii illius auctoritate.

Coniectura viri docti, Davum iam in scaena II 6 simulasse iras esse inter amantes, imprimis respuenda est, quia praepropera eius rei mentio pugnat cum fine huius scaenae et cum oeconomia sequentium III 1 et 2.

Irae illae commemorantur demum in scaenis III 3 et 4, vss. 552. 575 sq. 591 sq. 597, ibique adhibentur a Simone ad vincendum Chremetis nuptiarum odium, quod unicum est obstaculum, quominus nuptiae fiant, ex quo Pamphilus pollicitus est in se moram non futuram (vide 526 sqq.). Et vicit Chremetem (592 sqq.). At vero si Simo hoc certissimum remedium ad perficiendas nuptias a Davo iam accepit in II 6, multa, quae dein leguntur, inepta sunt. Primum senis desperatio in fine scaenae II 6, 457 sq. (vide vss. supra citatos), tum quod in III 1 et 2 cum Davo litigare pergit et quid sibi faciendum sit incertus errat, porro quod, cum Pamphili fidem et amorem Glyceri optimumque ingenium semel iterumque laudent ancilla et obstetrix, vs. 462, 464, 466, 487 sqq., nihil senex obloquitnr nec Davum rogat [1]), quid haec significent, cum tamen irae sint inter eos. Denique quae Simo loquitur 526 sqq. credere prohibent, eum aliud etiam adiumentum habere ad promovendas nuptias, quam filii pollicitationem.

Etiamsi autem viri docti coniectura reicienda est, tamen manet haec quaestio, ubinam senex a Davo acceperit hunc nuntium de amantium discordia: sic enim Chremeti affirmat roganti vs. 575 sq.

Qui scis eos nunc discordare inter se?

Simo. Ipsus mihi Davus, qui, intumust eorum consiliis, dixit.

Et denuo vs. 591:

Narro huic (Chremeti), quae tu (Davus) dudum narrasti mihi.

Ubinam Davus hoc dudum, dixit, qui iam inde a scaena

1) Uti postea vs. 853.

Digitized by Google

II 4 continuo cum Simone in pulpito versatur, nec intus ideo hoc narrare ei potuit? Spengelius ad vs. 591 adnotavit: „dudum pertinet ad narrationem 506—522". In his tamen versibus irae nusquam aperte indicantur, neque in vss. sequentibus (525—532) Simo usquam prodit, se hoc argumentum in promptu habere ad commovendum Chremetem. Attamen in vss. illis a Spengelio citatis fere inest id quod quaerimus, praesertim in vs. 519sq.

Davus. Quis igitur eum ab illa abstraxit nisi ego?
[nam omnes nos quidem
scimus, quam misere hanc amarit: nunc sibi uxorem expetit.

Simo his verbis fidem habere adhuc haesitat (524 sq.). Itaque sic concludo. Cum Simo in sequenti scaena III 3 primis precibus suis Chremetem exorare non potuit, sed multis verbis ab hoc repellitur (538—549), ille animo volvens, qua alia ratione Chremetem placare possit, ea quae Davus incertis verbis modo affirmaverat, paucis his contraxit: „Irae sunt inter Glycerium et gnatum" (552), et aliquanto post non mendaciter Davum nuntii auctorem nominat.

Quaestionem ab interpretibus antiquis et recentioribus non explanatam fusius tractandam esse censui.

Altera quaestio versatur in scholio, vel potius in scholiis duobus, quorum secundum Struckius omisit, ad vs. 449:

S. Quid namst? D. Puerile est. S. Quid *id* est? D. Nil.
[S. Quin dic, quid est?

Primum, supra iam relatum, nunc etiam repetam, quo facilius comparetur cum altero:

1. „Apparet Davum nunc quaerere, quid respondeat et ad quam causam derivet aversa suspicione tristitiam Pamphili, quam animo advertit senex".

2. „Utrum ideo suspendit, ut senex magis audire desideret [1]), an quia necdum commentus est causam contra rependendam propositioni senis?"

Scholia non congruunt. Utrum praestat?

Spengelius adnotavit: „Durch die Zögerung will Davus seiner Rede den Schein der Wahrheit geben". Si huic interpretationi addimus initium scholii secundi, plenissima demum versus

1) Sic correxi lectionem codicum: „Utrum magis i. s., ut senex a. d.".

Digitized by Google

interpretatio oritur haec: „Respondendi cunctatione Davus rei audiendae cupiditatem senis excitat et simul orationi suae speciem veritatis dare conatur". Ergo Davus non, ut dicitur in scholio primo, quaerit, quid respondeat, sed consulto et callide in respondendo tergiversatur. In eodem scholio verba aversa suspicione a vero aliena sunt, nam suspicio Simonis de filii fallacia in accipiendis nuptiis, nusquam in hac scaena avertitur aut tollitur, sed permanet, usque ad finem scaenae III 2, ubi vide vs. 580 sq.

Secundi scholii pars altera eandem interpretationem proponit, quae legitur in initio scholii primi. Igitur scholium secundum Donato reddendum est, qui non raro duarum explicationum optionem exhibet [1]). Interpolator peiorem amplexus est in scholio primo, addiditque de suo quae, ut vulgo, inepta sunt. Ecce alterum exemplum scholiorum ex parte similium, sed quae ad duos eiusdem commenti excerptores revocari nequeunt.

Adelphi.

Omitto denuo quae disputantur de fabulae contaminatione et scaenarum graecarum divisione, deque scholiis vocem *οἰκονομίαν* taliaque continentibus, qua de re satis superque in prima parte dixi. His exemptis pauca tractanda restant ad locorum interpretationem pertinentia.

De scaena II 4 in dissertatione sic legitur p. 59: „Scaenam autem a Menandro ductam esse etiam ex Donati verbis elucet, qui aliquid a Terentio mutatum esse adnotat vs. 275. 2: *Menander mori illum voluisse fingit, Terentius profugere.* Recte igitur secundum verba Terenti alter scholiasta Romanus vs. 275. 1 dicit: *deest fugere*, alter vero, Graecus, secundum verba Menandri vs. 274. 4: *deest perire, sed τῷ εὐφημισμῷ tacetur*, cf. 275. 2: *ἀποσιώπησις εὐφημισμοῦ χάριν*".

Versamur in colloquio ubi Aeschinus fratrem Ctesiphonem reprehendit, quod propter amorem et pudorem aufugere voluerit, nec se antea in auxilium vocaverit:

Aesch. Hoc mihi dolet, nos sero rescisse et rem paene in eum locum
Redisse, ut si omnes cuperent tibi nil possent auxiliarier.

1) Cf. Eun. 463. 1, 550. 2, aliaque quae in libro meo passim notavi.

Digitized by Google

Ctes. Pudebat. Aesch. Ah, stultitiast istaec, non pudor.
[Tam ob parvolam
Rem paene e patria! turpe dictu. Deos quaeso ut istaec
[prohibeant.

In vs. 275 post „paene e patria" deesse per aposiopesin verbum *fugere* vel *profugere* scholiastae Latino facile concedimus. Apud Menandrum pro „fugere" legebatur mori. Iam lector hoc quaeso cogitet, utrum scholiasta graecus, ut Str. ait, hic adnotare potuerit: „deest perire", quod in ipso textu graeco legebatur! Ceterum Str. in eo quoque erravit, quod hoc scholium traxit ad vs. 275, cum legatur ad 274, ubi etiam aliquid deest, ut animadvertit Donatus in 274. 1: „deest fateri". Verissime; neque hoc deest per aposiopesin aut euphemismum, sed per ellipsin, unde apparet ad hunc quoque versum scholium non quadrare. Porro Struckius ad vs. 275 e primo scholio citavit tantum verba: „deest fugere", sed plene sic se habet 275. 1: „Deest „fugere", quia amatores comici cito comminantur patriam se deserturos, ut amicam consequantur", et sic 275. 2: „*ἀποσιώπησις εὐφημισμοῦ χάριν*. Menander mori illum voluisse fingit, Terentius profugere".

Quid de his scholiis iudicandum est? Struckius postremum propter graeca *ἀπ. εὐφ. χάριν*, graeco interpreti vindicare videtur. Perperam, nam in reticentia verbi „fugere" vel „profugere" nullus est euphemismus. Reliqua verba: „Menander... profugere" Donati esse nemo negabit. Sed quid aestimandum de priore scholio? Ibi ratio redditur cur Ctesipho fugere voluerit. Terentius hoc non indicavit, sed ratio non improbabilis est, et concinit cum ea Slomannus: „Ctesipho might have followed „the music girl to Cyprus (cf. vs. 278), as Antipho threatened to do, Phorm. 551" [1]).

Itaque sic statuo: Donatus uno tenore hoc dedit: „Paene ex patria, deest „fugere", quia amatores ... consequantur. Menander mori illum voluisse fingit". Emblema graecum magistello est reddendum, eidem fortasse, qui finxit 274. 4; ut supra vidimus (p. 158) libenter illi graecis formulis utebantur. Additamentum „Terentius profugere" otiosum est post scholii initium.

1) In edit. Anglica a. 1901 ad h. v.

Digitized by Google

Eunuchus.

Omissis denuo iis, quae in hoc capitulo disputantur a re aliena, tractabo scholium quod legitur in scaena contaminata e Colace III 1 vs. 440. 2:

„Hic magna οἰκονομία est, qua Terentius praeparat, quemadmodum iurgium inter Thaidem militemque et Gnathonem per duas partes serpat fabulae".

Duae partes fabulae intelleguntur vulgo res desumptae ab altera parte ex Menandri Eunucho, ab altera e Colace [1]). Simili ratione ad Andriae scaenam ex Perinthia contaminatam III 1 adnotatur 301. 1: „In hoc colloquio altera pars ostenditur fabulae". Hanc interpretationem Struckius, qui hanc adnotationem ad graecum denuo interpretem revocat, probare non potuit, ut consentaneum est. Rettulit igitur duas partes ad unam Eunuchum Menandream, et scholium sic explicat (p. 67), ut „iurgium", quod „per duas partes serpat fabulae", significet duo iurgia unius fabulae graecae. Cum autem in Eunucho unum tantum iurgium ostendatur, ab hoc iurgio distinxit „prius iurgium, quod iam ante initium fabulae exstitit" (p. 67), et quo respicere dicit Parmenonem vss. 480 sqq.; iurgium alterum secundum illum incipit III 2. Haec interpretatio ab omni parte claudicat. Primum, poeta in scaena III 1 „praeparare" non potest iurgium ante initium fabulae initum, secundo loco, eiusmodi iurgium non dici potest pars fabulae, tertio, duo iurgia serpentia per unam fabulam prorsus alia res est atque unum iurgium serpens per duas partes fabulae.

Restant duo loci Terentiani cum scholiis suis, in quibns aliqua repugnantia esse videtur.

In scaena III 5 Chaerea violata virgine gestiens indutus vestitu eunuchi Thaidis domo exit et circumspiciens sic rogat:

---

1) Vide quae exposuit Fabia in edit. praef. p. 43 sq., ubi cum alia tum haec leguntur: „Ce que Donat appelle les deux parties de la pièce, ce sont, sans nul donte les éléments fournis, d'un côté, par l'original principal, de l'autre, par l'original secondaire". Ipse verba „et Gnathonem" emblema esse putat, sed Gnathonis mentio non absona est, cum hic et alibi in fabula iurgii auctor et promotor existat. Kampe totum scholium sine iusta causa proscripsit. De iurgio serpente per duas partes fabulae vide Fabiam p. 44.

Digitized by Google

Num quis hic est? Nemost. Num quis hic me sequitur?
[Nemo homost
Iamne erumpere hoc mihi licet gaudium? e. q. s.

Adnotavit scholiasta vs. 449. 2: „Duo metuit: ne quis ex his [1]) obvius comprehensor occurrat et ne quis sui persecutor exsistat".

Paulo post sic pergit Chaerea:

Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi,
qui me sequatur quoque eam, rogitando obtundat, enicet,
quid gestiam aut quid laetus sim, ... ubi siem
vestitum hunc nactus. e. q. s.

Adnotavit scholiasta vs. 554. 1: „Id cupit gaudens, quod aliis tristibus molestum sit, nam contra Menedemus (cf. Heaut. I 1) gravatur narrare quae dolet".

Igitur in vs. 449 Chaerea metuit hominum praesentiam, in 554 exoptat cui laetitiam enarret, cuius voti statim compos fit appropinquante Antiphone vs. 527 his verbis:

Adibo atque ab eo gratiam hanc quam video velle, inibo.

Scholia utriusque exclamationis sententiam vere reddiderunt, et quod pugnare videntur, debetur mutato animi affectui in adulescentulo, cuius timorem, ne tali vestitu conspiciatur in via, vincit mox exundans animi alacritas [2]). Itaque non est quod alterutrum scholium damnemus. Str. graeco scholiastae dedit postremum 554. 1. Cum tamen sentiat scholium primum 549. 2 convenire cum Chaereae exclamatione priore, interpolatos esse censet a Terentio primos scaenae versus tres, et Menandri Chaeream hoc loco philosophatum esse, quae leguntur in Andria 957—962, ubi scholiasta narrat: „Hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit". Hanc coniecturam nunc mitto, satisque sit ostendisse unde locorum et scholiorum repugnantia iustissimme orta sit.

Commentationis initio rem magni momenti fore dicebam, si demonstrari posset, multa et insignia Commenti scholia e Grae-

1) Corrigendum videtur: exeunti.

2) Fabia eleganter: „Le désir de confier à quelqu'un son extrême bonheur, l'emporte maintenant sur la crainte que Chaeréa avait toute à l'heure d'être vu où poursuivi".

Digitized by Google

cis fontibus a Donato esse translata, quam ob causam Struckii argumenta tantum non omnia summa cura ponderanda esse ratus sum. Quamquam autem vir doctissimus id quod sibi proposuit nusquam probabili ratione demonstravisse videtur, tamen ipsum eius conamen magni pretii habendum est, quoniam ad commenti auctoritatem cognoscendam necessario experimentum huius generis erat faciendum nemoque id magis docte et firmiter et sagaciter praestare me iudice potuit, quam in hac dissertatione factum est, in qua praeterea multa interim observata et disputata sunt, quae magnam semper habebunt utilitatem.

Adiciam pauca de alia dissertatione ad Donati quoque auctoritatem pertinenti, quam scriptorem nuper mihi mandandam curasse gratus refero. Titulus est

De Servii doctrina rhetorica et de
Terentiano commento Donati, scripsit
Otto Feyerabend, Marpurgi MCMX.

In dissertationis capite quod inscribitur „Donatea", haec lego: „Quae Karstenus de Terentiano commento explicavit, ex parte comprobans, eis quae iam proferam confirmare mihi videor" [1]). Hanc inter nos congruentiam eo pluris facio, quod scriptor alia via ac ratione rem adortus eadem saepe mecum scholia interpolata esse iudicavit, veluti duabus paginis 22 sq. haec statim inveni: Phorm. 107. 4. Eun. 89. 2. 908. 3, quibuscum confer in libro meo p. 110. 31. 87, et sic alibi alia.

Conclusio comparationis, quam de doctrina rhetorica in commentariis Servii et Donati instituit, invenitur p. 58: „Servium una cum Charisio, Diomede, Donato ad unum fontem recurrere. Charisius nimirum et Diomedes et Ars Donati ex illo fonte non nisi quod ad grammaticorum usum fuit, hauserunt, cum Servius et Donatus in commentariis suis ex profundo hauserunt", e. q. s.

Quatenus sic recte statuerit indagare non huius est loci. Ego nunc de uno tantum libri loco, quae ad meam quasi provinciam pertinet, haec in medium proferam.

---

1) Citantur in adnotatione: Karsten, de com. Don. ad Ter. fabulas origine et compositione, Lugd. Bat. 1907 et Mnemosyne, vol. 32 et 33.

Digitized by Google

Pagina 14 citatur ad Eunuchi vs. 642:

Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?

hoc scholium, quod Feyerabend Donato attribuit: „Timida timens: aliud naturale est, aliud eventus est, ut: „addit se sociam timidisque supervenit Aegle, naiadum pulcherrima" (Verg. Ecl. 6. 20).

Tum citatur Servius ad hunc Vergili locum: Timidis aut timentibus, — nam timidus est qui semper timet, timens vero qui ad tempus formidat ex causa, — aut revera „timidis", quia pueris per aetatem naturaliter timor est insitus".

Haec comparans v. d. sic concludit: „Servium fusius rem tractasse ne mireris, si commentum Terenti non nisi mutilatum atque dilaceratum nobis servatum esse, Donatum vero in Vergiliano commentario latius atque uberius ea exponere potuisse memineris".

Non equidem nego commentum Donatianum mutilum et lacerum ad nos pervenisse, si hoc intellegitur de toto opere, sed non idcirco credendum est, genuina ipsius Donati scholia mutila aut decurtata in commento praestare. Hoc accipi tantum debet, quoties de singulis scholiis id rite demonstretur. Qui igitur putat hoc scholium Donati esse mutilum, prius inquirat sitne genuinum, qua de re, ut alias saepe, ita nunc quoque iudicium in promptu est. Praecedit nempe huic scholio aliud de eadem voce huiusmodi:

642. 2 Timida modo aegra, turbata, commota. Plautus (Ba. 105): „nam ut ex mari timida es" [1]) et hic ipse (Hec. 320): „uxorem" inquit, „Philumenam pavitare nescio quid dixerunt".

Hic vocis „timida" interpretatio unice vera est et Plauti exemplum prorsus est idoneum. Haec est igitur Donati opinio, cui tamen non imputandum est exemplum quod additur Hecyrae a re omnino alienum. Eandem fere adiectivi interpretationem

---

1) In Plauti loco Bacchis sororem sic alloquitur: „Eamus hinc intro ut laves, nam uti mari vecta es, credo timida es". Weise hoc adnotavit: timida es aegra es et perturbata ex timore navigationis.

Etiam vs. praecedens 641 Donati scholium habet cum exemplo congruo e Bacchidibus, ubi tamen vs. 100 multo melius sic citatur: „Prius adero quam te amare desinam", in textu est prius hic adero, q. t. a. d. Neutrum Plauti locum ipse inspexit, cum haec scriberet. Citavitne e memoria an ex alio auctore?

Digitized by Google

Donatus dedit ad Adelph. versum 305: „Video timidum et properantem Getam", ubi adnotat: „timidum" perturbatum, non enim timet sed dolet, sic Plautus cett.".

Itaque scholium 642. 3 debetur magistro, nec hoc tantum, sed etiam ad Phormionem 205. 2, ubi hac forma legitur: „Timidum" pro timentem, ut „addit se sociam" etc. Utroque loco falsum est, timidum dici pro timentem. Formula scholam sapit, unde magister eam temere adhibuit, cum Donatus suo iudicio in explicanda voce usus sit. Timidus apud Plautum et Terentium semper fere usurpabatur pro perturbato, ut docent exempla citata a Fabia ad locum Eunuchi et a P. Thoma ad Hecyram. Apud Vergilium Ecl. VI 20 „timidis" revera indicat pueros timentes ne expergefiat Silenus dum ei nasum sublinunt, et sic ibidem vs. 77 „timidos nautas" deprehendimus. Plenam regulam scholarem invenimus apud Isidorum, diff. verb. 354, ubi praeter Servii verba haec etiam leguntur: „Tali intellectu distinguuntur pavidus et pavens, stupidus et stupens, etc.", et solemne huius regulae exemplum erat versus Vergilianus, ut probat adnotatio ad Hecyrae prologum 1. 4: „Populus studio stupidus in funambulo", ubi scholium 3: „stupidus" pro stupens, ut timidisque s. Aegle" [1]). Itaque Feyerabend Servium non comparavit cum Donato, sed cum scholiasta minoris notae, neque ille rem fusius tractavit quam Donatus, nec concludi quicquam hinc potest de scholiorum Donati condicione mutila.

De hac autem re est quod addam. Scholia cum alia „aesthetica", tum ea quae leguntur ad scaenarum initia Andriae, Eunuchi, Adelphorum, a Struckio sine exceptione laudata sunt ut egregia et graecorum digna doctrina [2]). Ex his laudibus, etiamsi aliquantum inde detrahimus, haec tamen restat, scholia illa nequaquam esse mutila aut lacera. Ostendimus autem reliquarum quoque fabularum scholia principalia easdem cum illis habere proprietates et merita; quin possunt etiam e commento alia scholia

1) Quae de his scholiis disputavi in libro meo p. 18, mutanda et supplenda sunt ex supra scriptis.

2) Vide quantopere distet Gerstenbergii iudicium de his scholiis p. 64, qui suspicatur ea scholia esse „tenues amplioris commentarii rhetorici reliquias", quem refutare conatus sum Mnem. XXXIII p. 128 sqq.

Digitized by Google

permulta proferri, quae principalibus illis amplitudine, doctrina, forma praestent; sic ingens scholiorum Donateorum numerus exsistit, quae nullam mutilationis labem ostendant. Contumeliae in commentum ipsius Donati iactatae ea tantum scholia tangunt, quae pristini operis auctori immerito imputantur; at sane non levis labor est hic aera a lupinis secernere, quod tamen probabiliter fieri posse, spero fore ut aliquando demonstrem.

AD HYMN. APOLL. 402.

Sumpta specie delphini Apollo e maris fluctibus insilit in tabulatum navis Cnosiae versus Pylum iter facientis:

τῶν δ' ὅς τις κατὰ θυμὸν ἐπεφράσατο νοῆσαι,
πάντοσ' ἀνασσείασκε, 'τίνασσε δὲ νῆϊα δοῦρα.
οἳ δ' ἀκέων ἐνὶ νηῒ καθήατο δειμαίνοντες,
οὐδ' οἳ γ' ὅπλ' ἔλυον κτἑ.

In his quae excripsi versibus tam molesta sunt verba ὅς τις — νοῆσαι, „that Gemoll may be pardoned for giving up the passage as hopeless" (Allen-Sikes, The Homeric Hymns); non interpretantis enim sed absurda recte — id est absurde — vertentis est „whoever thought to observe the dolphin". Itaque aut tentanda est correctio aut desperandum. Mihi manifesto vitio laborare videtur infinitivus νοῆσαι. *Quisquis nautarum in animum sibi inducebat ...*, — nam ὅς τις ... ἐπιΦράσσαιτο verum duco cum plerisque editoribus, — *ille navem* (crebris caudae ictibus) *penitus concutiebat*. Haec quomodo explenda? Pronomen ὅς τις, pro quo codex optimus habet οὔ τις, mente mutemus in εἴ τις, quo magis perspicuus fiat contextus; nam revera ita rescribere non videtur esse necessarium: „quoties aliquis e nautis cete, quod saltu ingenti in navem se deiecerat, volebat (vel conabatur) ... quid? Inde *pellere* opinor, *removere* vel eiusmodi quid; proxime autem ad litteras traditas accedit Φοβῆσαι. Cum hospitem molestum fugare conabantur, ille motu vehementi totum navigium tremefaciebat, ita ut omnes metu percellerentur. Itaque exinde ἐνὶ νηῒ καθήατο δειμαίνοντες, anxii expectantes quid esset futurum, donec oram Peloponnesi praetervecta navis pervenit Crisam in sinum Corinthium: ibi ἐκ νηὸς ὄρουσε ϝάναξ ϝεκάεργος Ἀπόλλων. v. L.

Digitized by Google

AD SCRIPTORES HISTORIAE AUGUSTAE.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Scriptores Historiae Augustae iterum recensuit H. Peter. Volumen alterum. Lipsiae MDCCCLXXXIIII.

CAPITOLINI MAXIMINI 2. 1 *et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnumquam etiam † p r o c e r t e, qui latronibus insidiaretur et suos ab incursionibus vindicaret.*

Credo *procerte* formam mutilam esse vocabuli *p r o c u r a t o r.*

2. 5 *hic adulescens et semibarbarus et vix adhuc Latinae linguae, prope Thraecica imperatorem publice petit, ut* e. q. s.

Ante *prope* reponendum est: *l i n g u a,* quod propter vocabulum antecedens excidit.

2. 7 *tunc Maximinus sedecim lixas uno sudore devicit sedecim acceptis praemiis minusculis* [non militaribus] *iussusque militare.*

Expungantur verba, quae uncis inclusi.

3. 2 *tunc ille, ubi de se intellexit imperatorem locutum, suspicatus b a r b a r u s et notum se esse principi et inter multos conspicuum, ad pedes imperatoris equitantis accessit.*

Voc. *barbarus,* cui locus suus est ante *ad pedes,* perperam in versum superiorem migrasse arbitror.

3. 6 *hinc igitur factus conspicuus inter milites clarus, amari a*

Digitized by Google

tribunis, a commilitonibus suspici, impetrare ab imperatore quod vellet, cet.

Non cum Eyssenhardtio *clarus* delendum puto, sed emendandum: *conspicuus inter multos, inter milites clarus* coll. 3. 2: notum se esse principi et inter multos conspicuum.

4. 4 *Hic diu sub Antonino Caracallo ordines duxit* [centuriatos] *et ceteras militares dignitates saepe tractavit.*

Vocabulum, quod uncinis saepsi, glossa manifesta est.

4. 9 *et tamen retentus est per amicos Heliogabali, ne hoc quoque illius famae accederet, quod*

Corrige *sed tamen.*

5. 1 *fuit igitur sub homine impurissimo tantum honore tribunatus, sed numquam ad manum eius accessit, numquam illum salutavit, per totum triennium huc atque illuc discurrens;* [modo agris, modo otio, modo fictis languoribus occupatus est.]

Emendandum puto: *honore tribu⟨nicio or⟩natus* et verba a me inclusa, quae Cornelissen emendare studuit scribendo: *fictis laboribus,* equidem in marginem reicienda opinor.

5. 4 *Maximinus .... qui apud divum parentem meum* [Severum] *tantus fuit, quantum illum fama conperitis.*

Nomen a nescio quo postea additum esse locus ipse arguit.

6. 2 *quinta quaque die iubebat milites decurrere in se, simulacra bellorum agere; gladios, loricas, galeas, scuta, tunicas et omnia arma illorum cottidie circumspicere,* e. q. s.

Petschenigium recte iudicare scribendum: *decurrere. ipse* etiam comprobat Gord. tert. 28. 3.

8. 2 *Maximinus autem ea fuit semper astutia, ut milites non virtute regeret sed etiam praemiis et lucris sui amantissimos redderet.*

Restituendum est: *non modo virtute regeret.*

9. 4 *'Et qui ab uno non potest occidi, a multis occiditur. ele-*

Digitized by Google

fans grandis est et occiditur, leo fortis est et occiditur, tigris fortis est et occiditur:

Olim scriptum esse suspicor: *Ut qui ab uno non potest occidi, a multis occiditur, elefans* e. q. s.

12. 4 *denique quasi navale quoddam proelium in palude fecit plurimosque illic interemit.*

Sic vulgo recensetur, cum codices mss. *aule* et *alue* exhibeant. At absurde dictum videtur, unum hominem, qui in palude inhaereret, ibi navale quoddam proelium fecisse. Aut equidem fallor aut sub scripturae vetustae vestigiis latet: *quasi animal quoddam.* Cf. 25, 2.

20. 5 *denique ipsi contra Maximinum et senatus et Balbinus bellum crediderunt. Profecto igitur ad bellum Maximo* [contra Maximinum] *Balbinus Romae bellis intestinis et domesticis seditionibus urguebatur.*

Verba uncinis a me cincta inducenda esse èt repetitio molestissima comprobat èt locus, ubi nunc leguntur. Cf. Maxim. et Balbin. 10. 1.

20. 7 *Et recreatus quidem imperator fuerat Maximinus audita morte Gordiani atque eius filii* [Capeliani victoria].

Tollendum est interpretamentum a me indicatum.

22. 6 *inter haec Maximinus cum filio adulescente .... circumire muros .... nunc suos verbis, nunc oppidanos rogare. verum nihil profecit.*

In Palatino post *verbis* legitur: *milites,* quod Bambergensis omisit. Nescio an vera et genuina lectio sit: *nunc suos verbis mitibus, nunc oppidanos rogare.*

24. 6 *Romam laureatas litteras misit, quae in urbem ingentem laetitiam fecerunt.*

Immo potius: *in urbe.*

MAXIMINUS IUNIOR 27. 6 *habuit et Graecum rhetorem Eugamium sui temporis clarum. Desponsa illi erat Iunia Fadilla, proneptis*

Digitized by Google

Antonini; quam postea accepit Toxotius, eiusdem familiae senator, qui perit post praeturam, cuius etiam poemata extant.

Suspicio me tenet, verba *cuius etiam poemata extant* ad Eugamium pertinere atque post voc. *clarum* olim scripta fuisse.

27. 8 *dextrocherium cum costula de hyacinthis quattuor praeter vestes auratas et gemmis ornatas ceteraque insignia sponsaliorum.*

Ita Peterus e coniectura sua recensuit, cum Palatinus *et omnes regias* — Bambergensis *et omnes auratas* praebeant. Equidem Palatini lectionem veram esse persuasum habeo neque causa ulla est, propter quam verba aut cum Eyssenhardtio delenda aut cum Petero mutanda esse videantur; lectio Bambergensis videlicet orta est e voc. *auratas* perperam repetito.

29. 1 *De hoc adulescente Alexander Aurelius ad matrem suam scribit* [Mamaeam], *cupiens ei sororem suam Theocliam dare, in haec verba:*

Delendum est nomen, ut locus ipse quem obtinet suadet.

29. 6 *qui dicit idcirco se etiam filium suum appellasse imperatorem, ut videret vel in pictura vel in veritate, qualis esset iunior Maximinus in purpura.*

Restituendum est: *videretur* coll. epistula sequenti et 32. 2: cum ingens gaudium esset, quod caput Maximini videretur.

29. 10 *nos enim hoc loco finem libri faciemus, ad alia, ut iubetur velut publico iure, properantes.*

Eyssenhardtio non credo, haec omnia esse delenda, sed unum voc. *libri* inducendum puto. Quod aliquem ascripsisse suspicor, qui non intellegeret, scriptorem non libri finem dicere sed rerum privatarum, non ad rem publicam pertinentium.

30. 1 *posita ab eodem vitis intra annum ingentes uvas purpureas attulit et mirae magnitudinis facta est.*

Verbum legitimum est: *tulit*, quod hic quoque scribendum est, quandoquidem praefixum *at* ex praecedenti *as* bis scripto originem duxit.

Digitized by Google

31. 3 *lupi* [*urbem*] *quingenti simul ingressi sunt in eam urbem, in qua se Maximinus contulerat.*

Eyssenhardtio obsecutus Peterus *urbem* delevit idque iure quidem, sed emblema demonstrat, corrigendum esse: *in quam*, ad quae verba illustranda nescio quis id olim suprascripserit.

CAPITOLINI GORDIANI 3. 1 *Sed priusquam de imperio eius loquar, dicam pauca de moribus: adulescens cum esset* [Gordianus, de quo sermo est,] *poemata scripsit, quae omnia extant.*

Verba, uncinis a me inclusa, ad marginem releganda moneo.

4. 8 *iam illud satis constat, quod filium, Gordianum nomine, Antonini signo inlustraverit, cum apud praefectum aerarii* [more Romano] *professus filium publicis actis eius nomen insereret.*

Additamentum significavi ridiculum.

6. 4 *socero suo Annio Severo tantum detulit, ut in familia eius quasi filium migrasse se crederet.*

Corrige sodes: *in familiam.*

12. 3 *hunc autem morem apud veteres necessitates publicae reppererunt, ut, si forte aliqua vis ab hostibus inmineret, ... vel si nollent ad amicos aliqua permanare, senatus consultum tacitum fieret.*

Tam antecedens *ab hostibus* quam res ipsa me adducunt ut *ad inimicos* emendandum esse credam.

15. 2 *Gordianus tamen fortunam belli experiri cupiens filium suum iam natu grandiorem,* [quadraginta et sex annos agentem,] ..... *contra Capelianum et Maximinianos misit.*

Verba inclusa mihi quidem postea addita videntur.

17. 2 *quae singula videntur familias designare.*

Post *singula* excidit: *singulas*, quod et ratio requirit et sequentia ultro suggerunt: sed ego Iunium Cordum sequor, qui dicit ex omnibus his familiis Gordianorum coaluisse nobilitatem. Cf. Treb. Poll. Tyr. trig. 31. 5: ne si de singulis singula quaeque narrarem.

Digitized by Google

17. 5 *et primis diebus sui natalis Antoninus est appellatus, mox in senatu Antoni nomen est editum, vulgo deinde Gordianus haberi coeptus.*

Pro *editum* requiro sollemne in talibus verbum *inditum.*

20. 6 *dicta .... non magna, non minima sed media et quae appareat hominis esse ingeniosi sed luxuriantis et suum deserentis ingenium.*

Malim *appareant* coll. Maxim. et Balbin. 12. 8: nec dissimulari poterat maeror, qui apparebat in frontibus singulorum.

22. 6 *qui ambo pro senatu et pro p. R. contra Maximinum arma sumpserunt et militaris vel morte vel necessitate perierunt.*

Omnino recipienda est lectio *militari*, sed insuper expungendum *vel* ante *morte*: nempe Gordianus iunior utpote in proelio occisus militari morte periit, pater eius mortem sibi consciverat. Cf. Treb. Poll. Gall. duo 13. 7: ipse Venerianus militari perit morte.

24. 4 *dis igitur gratias, quod volente temet ipso emendata res est.*

Ita Peterus e Baehrensii coniectura scripsit: traditum est *volente in te*; equidem illud *in te* ortum esse suspicor ex litteris ultimis vocabuli *volente* per errorem iteratis atque restituendum esse: *volente ipso.*

26. 5 *illic frequentibus proeliis pugnavit et vicit Sapore Persarum rege summoto. et post Artaxansem et Antiochiam recepit et Carras et Nisibin, quae omnia sub Persarum imperio erant.*

Ista Peteri recensio est. In codd. vero cum post *vicit* additum sit *ae*, Iordanus et Eyssenhardtius locum ita constituerunt: et vicit et Sapore Persarum rege summoto [et] post † Artaxansem e. q. s.

Vix dubito quin in scriptura *et post* vestigia lacerata habeamus vocabuli *oppida*, ad quod sequens illud *quae omnia* referatur. Insuper cf. 27. 6: Carras deinde ceterasque urbes imperio Romano reddidimus. Locum igitur sic restituo: *et vicit et Sapore Persarum rege summoto oppida Artaxansen et A. recepit et C. et N., quae omnia sub Persarum imperio erant.*

Digitized by Google

30. 8 *verum cum secum ipse cogitaret amore populi R. et senatus circa Gordianum et totius Africae ac Syriae totiusque orbis Romani, cum et nobilis esset et nepos ac filius imperatorum et bellis gravibus totam rem p. liberasset, posse fieri, ut flexa quandocumque militum voluntate Gordiano redderetur imperium, re recenti cum in Gordianum irae militum famis causa vehementes essent, clamantem e conspectu duci iussit ac dispoliari et occidi.*

Spreta librorum mss. scriptura *amorem* Peterus Petschenigii coniecturam *amore* recepit. At vero lectionem traditam sanam ac genuinam esse existimo, sed post *liberasset* excidisse *et* ex haplographia praecedentium litterarum, ita ut a verbo *cogitaret* primo obiectum rei (amorem) penderet (cf. 2. 3 infra), secundo accusativus cum infinitivo (posse fieri).

Ad locum alterum haec observanda videntur.

Iam in eo erat ut Philippus Gordiano vitam concederet, cum secum reputans quantum hic ab universis diligeretur unde fieri posset ut aliquando revocaretur ad imperium, repente sententia mutata eum occidi iussit. Iam apparet quid pro corrupto *recenti* vel *rerecenti* restituendum censeam, nempe:

repente, cum in G. ..... essent, clamantem e. q. s.

Capitolini Maximus et Balbinus 1. 2 *cum igitur .... ingressi essent curiam ac praecipue timorem Maximini adventu fronte ostenderent, referente consule de aliis rebus, qui primam sententiam erat dicturus, sic exorsus est.*

Ante *qui primum s. e. d.* propter nominis Maximini supra scripti similitudinem nomen *Maximus* excidisse credo: is enim verba faciebat, quod nunc non patet sed tamen effici potest ex 2. 1.

2. 3 *cervices suas quisque respiciat, uxorem ac liberos cogitet, avitas patriasque fortunas.*

Post *cogitet* restituendum est: *et*, quod per haplographiam omissum est.

2. 7 *Maximum igitur atque Balbinum, quorum unus in re militari tantus est, ut nobilitatem generis splendore virtutis † ei lexerit, alter ita clarus nobilitate est, ut* e. q. s.

Ex multis coniecturis, quibus critici verbum corruptum emen-

Digitized by Google

dare conati sunt, Salmasii propositum *illuxerit*, quod Iordanus et Eyssenhardtius receperunt, mihi quidem satis probabile videtur, sed utique corrigendum est *ignobilitatem*, ut iam Lipsius vidit et multi loci comprobant, quales sunt Maximinus 20. 1: senatus — Maximum ex praefecto urbi et qui plurimas dignitates praecipue gessisset, ignobilem genere sed virtutibus clarum et Clodium Balbinum, moribus delicatiorem, imperatores creavit; Maximus et Balbinus 5. 1: Maximo pater fuit Maximus, unus e plebe, ut nonnulli dicunt faber ferrarius, ut alii raedarius; 5. 11: senatus ei homini, quod non licebat, novae familiae, imperium tamen detulit; 14. 1: cum Balbinus Maximum quasi ignobilem contemneret, Maximus Balbinum quasi debilem calcaret; 16. 2: Maximus — summae tenuitatis sed virtutis amplissimae fuit.

5. 2 *cui fratres quattuor pueri fuerunt, quattuor puellae, qui omnes intra pubertatem interierunt.*

Ita sane post Salmasium edi solet, cum in libris mss. exaratum sit *viri*. At tamen dubito, veram lectionem a Salmasio esse revocatam neque scio an olim scriptum fuerit: *veri*, h. e. germani.

Idem vitium subesse puto loco in Aelii Spartiani Aelio Vero 2. 1:

primus tantum Caesar est appellatus, non testamento, ut antea solebat, neque eo modo quo Traianus est adoptatus, sed eo prope genere quo nostris temporibus a vestra clementia Maximianus atque Constantius Caesares dicti sunt quasi quidam principum filii viri et designati Augustae maiestatis heredes.

Hoc loco Iordanus et Eyssendhardtius pro *viri et* recensuerunt *virtute* auctore Bernhardyo, sed mihi persuasum est exigua tantum mutatione opus esse ad locum sanandum, nempe scribendum: *filii veri et*. Cf. Capitolini Opil. Macrin. 3: veri successores.

5. 10 *post haec praefectus urbi prudentissimus, ingeniosissimus et severissimus adprobatus est. quare † veluti senatus ei, homini* [quod non licebat] *novae familiae, imperium tamen detulit*, e. q. s.

Locum, quem multi varie restituere conati sunt, ita emen-

Digitized by Google

dandum esse credo: *quare causa virtutis senatus ei, homini novae familiae, imperium tamen detulit*, e. q. s. Ineptum additamentum sciolo deberi nemo iam negabit.

7. 7 *Denique nonnulli, quemadmodum Catonem et Caesarem Sallustius conparat, ita hos quoque conparandos putarunt, ut alterum severum, clementem alterum, bonum illum, istum constantem, illum nihil largientem, hunc affluentem copiis omnibus dicerent.*

Sana haec esse non possunt, quia Maximi moribus bonitas minime convenit atque inter *alterum — alterum* et *illum — hunc* insolita est copulatio illa: *illum — istum*. Scriptum olim fuisse suspicor: *illum iustum, hunc constantem*, deinde *iustum hunc* in *istum* depravatum, quo facto *bonum* insertum sit.

Propter iustitiam Maximus multis locis laudatur.

9. 3 *nam et in publicum processit, manus singulis quibusque tetendit et paene ictum lapidis passus est, ⟨ut⟩ alii dicunt, etiam fuste percussus est.*

Emenda: *nam ut in publicum processit, manus singulis quibusque tetendit.* In sequentibus autem opus non est cum Salmasio *ut* inserere sed restituere: *et paene ictum lapidis passus, ut alii dicunt, etiam fuste percussus est.*

14. 4 *sed ille suspicatus, quod contra se eos peteret, quem postulare* putabat *monarchiam, primum frustratus est, deinde usque ad litem perventum est.*

Peterus ita scripsit pro librorum mss. verbis: *quem postulabat monarchiam*, alii aliter. Equidem unam modo litterulam mutandam esse credo, scribendum scilicet: *quem postulabat monarchiae.* Librarius cum verbi sollemnem in iudiciis notionem non agnosceret, duos accusativos ei apposuit, quam constructionem unam non ignorabat.

17. 3 *quocirca nulla vox tam fortis, nulla oratio tam felix, nullum ingenium tam fecundum umquam fuerit, quod possit publicam felicitatem digne exprimere. quae quanta et cuius modi sint, iam in ipso exordio principatus vestri cognoscere potuimus*, cet.

Pro *sint* corrige: *sit*, quippe quod ad publicam felicitatem pertineat.

Digitized by Google

17. 7 *cum eos Augustos et principes generis humani videam, quorum antehac perpetuo cultu mores et modestiam meam tamquam veteribus censoribus meis cuperem probata et † haec esse confidam in priorum principum testimoniis, vestris tamen ut gravioribus iudiciis gloriarer.*

Scribendum videtur: *et explorata esse confidam*: credo scribam cum litteras *ex* posuisset, similitudine formarum *probata* et *plorata* deceptum alteram vocabuli partem praetermisisse, quo facto *ex* postea in *haec* mutatum sit. Cf. 15. 2: huc accedit quod multis honoribus ac potestatibus explorati sunt.

(*Continuabuntur*).

AD HYMN. CER. 445.

Postquam Proserpina matri est reddita, ita tamen ut ad Ditis aedes eam aliquando redire necesse esset, illic enim imprudens pomi punici granum comederat, Iuppiter Rheam misit quae Cererem reduceret in sedes caelitum,

ὑπέδεκτο δὲ τιμὰς
δωσέμεν', ἅς κεν ἕλοιτο μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι·
'νεῦσε δέ οἱ κούρην ἑτέος περιτελλομένοιο
τὴν τριτάτην μὲν μοῖραν ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα,
τὰς δὲ δύω παρὰ μητρὶ καὶ ἄλλοισ' ἀθανάτοισι.

Mandavit igitur Rheae nuntium, quem haec mox eisdem verbis usa ad Cererem pertulit (vs. 462—466). Sed quid significant verba ἔνευσε κούρην? Nihil opinor, et frustra Ruhnkenius — dubitanter sane — conferebat Iliadis locum, ubi Iuppiter Troianis νίκην καὶ κῦδος, Danais πῆμα νεῦσαι dicitur (Θ 175); ibi enim *annuere* breviter est dictum pro *annuendo promittere*, at *puellam* sive *annuere* sive *promittere* quid esset nemo dixit aut dicere potuit. Ergone in *lacuna* unius pluriumve versuum capaci illum quem desideramus infinitivum periisse censemus? Mirum tamen si *bis* eadem verba in lacuna interierunt. Non tam graviter, ni fallor, textus laborat: pro 'νεῦσε scribatur 'νάσσε. Iuppiter Proserpinam per duas anni partes apud Cererem ceterosque caelites, per tertiam in aedibus Ditis *collocavit* sive *sedem ei assignavit*, ibi *degere iussit*. Itaque iam Filia et Mater ναιετάουσιν ubi iussit pater deorum (vs. 485).

Passim ευ et α, passim σ et σσ permutata esse in codicibus (e. g. vs. 14 ἐγέλασε pro -ασσε, vs. 365 δεσπόσεις pro -όσσεις), nemo nescit; ad eam autem quam proposuimus correctionem tuendam satis valere videntur Diomedis verba: πατὴρ ἐμὸς Ἄργε' ἐνάσθη πλαγχθείς (Ξ 119), Menelai de Ulixe: καί κέ οἱ Ἄργε' ἔνασσα πόλιν κτέ. (δ 174), nec non quae in hymno Apollinis leguntur: νηὸν dei ἔνασσαν ἀθέσφατα φῦλ' ἀνθρώπων (vs. 298). v. L.

Digitized by Google

ANNOTATIONES CRITICAE AD PLUTARCHI OPERA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex huiusce vol. pag.* 105).

Nicias I Timaeus de Siciliensi Atheniensium expeditione et alia multa effutiit absurdissima et

τοῖς Ἀθηναίοις οἰωνὸν ἡγήσασθαι γεγονέναι τὸν ἀπὸ τῆς νίκης ἔχοντα τοὔνομα στρατηγὸν ἀντειπόντα πρὸς τὴν στρατηγίαν.

Hinc me non extrico nisi primum ἡγήσασθαι deleo: ὁ Νικίας ἀντειπὼν γέγονεν οἰωνός. Verum cui rei oratione sua Nicias adversatus est? *Imperione*? Non opinor sed ipsi *expeditioni*. Lege ergo στρατείαν pro στρατηγίαν, quod frequentissimo in Plutarchi textu vitio e praecedenti στρατηγός natum.

ib. „Res a Nicia gestas ideo omittere non possum quia continent"

τὸν τρόπον καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ ἀνδρὸς ὑπὸ πολλῶν καὶ μεγάλων παθῶν καλυπτομένην.

Immo vero ἀποκαλυπτομένην (cum C m. pr.) vel ἐκκ. Magnis cladibus Niciae indoles *patuit*.

C. II Gratus populo fiebat Nicias

τῷ δεδιέναι τοὺς ὑπερορῶντας αὔξειν δὲ τοὺς δεδιότας.

Vocabulis τοὺς ὑπερορῶντας significari sycophantas manifestum est, sed qui possint iis significari quaero. Vitium latere suspicor.

Digitized by Google

C. VII Mira structura cernitur in hisce, ubi Cleon dicitur, iterum iubente Nicia imperium copiarum in se recipere et acclamante populo

ἐξαρθεὶς καὶ ἀναφλεχθεὶς τὸ φιλότιμον.

An illud τὸ φιλότιμον ex annotatione natum?

ib. Quis credat Plutarchum tam inepte fuisse verbosum ut scriberet quod edidit Sintenisius:

εἰ ὠθεσαν αὐτοῦ τὴν κυφότητα καὶ τὴν μανίαν φέρειν μετὰ παιδιᾶς οὐκ ἀηθῶς?

Confidenter rescribamus οὐκ ἀηδῶς.

C. IX Comparatur Alcibiades cum agro Aegyptiaco, qui

φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα πολλὰ δὲ λυγρά

ferebat, diciturque ob eam causam

δημαγωγὸς οὐχ ὁμοίως ἄκρατος.

Non *eodem modo* temerarius? Eodem modo quo quis? Comparet nemo. Legamus οὐχ ὁμαλῶς ἄκρατος (i. e. non *aequabiliter*, sive, ut dat interpres Didotianus, non *usquequaque* temerarius), habebimus quod aptum sit respondeatque imagini.

ib. Athenienses pacis iam cupidi

ἔπειθ' οὕτω περὶ παντὸς εἰς λόγους συμβάλλοντες ἐποιήσαντο τὴν εἰρήνην.

Hic recte Wyttenbachius ante παντός inseruit τοῦ, sed tum demum locus in integrum restitutus erit, si praeterea praepositionem εἰς delebimus: de tota re sermones conferebant.

C. XI Athenienses, cum Hyperbolum ostracismo damnassent, primum laetati sunt, deinde

ἠγανάκτουν ὡς καθυβρισμένον τὸ πρᾶγμα τοῦτο πρὸς ἄνθρωπον ἀνάξιον γεγονέναι λέγοντες.

Ut multi alii Plutarchi loci sic hic quoque permutatione et transpositione est turbatus: loco mota est coniunctio ὡς et in verbis καθυβρισμένον et γεγονέναι facta est confusio formarum: prioris verbi requiritur infinitivus, secundi participium. Denique totus locus sic restituendus:

ἠγανάκτουν καθυβρίσθαι τὸ πρᾶγμα τοῦτο, ὡς πρὸς ἄνθρωπον ἀνάξιον γεγονὸς, λέγοντες.

Digitized by Google

Ipse ostracismus contumelia affectus videbatur, utpote qui adhibitus esset indigno homini.

C. XII sic incipit:

ὁ γοῦν Νικίας .....

Sed nulla iam praecedentium redditur ratio; *abrumpitur* praecedens disputatio et ad aliud argumentum transitur. Ergo pro *γοῦν* legendum est *δ' οὖν*.

C. XIII *ἄνθρωπος γάρ τις ἐξαίφνης ἀναπηδήσας ἐπ' αὐτὸν* (sc. *τὸν βωμὸν*), *εἶτα περιβὰς ἀπέκοψεν αὐτοῦ λίθῳ τὸ αἰδοῖον.*

Haud defuturos opinor qui quid sibi participium *περιβάς* velit non intelligant. Certe non intellexit interpres Didotianus. Dat enim „quumque circumivisset". Quod satis ridiculum: quid enim attinebat primum in aram insilire, deinde circum eam ambulare? Certe additum oportuit eum prius *desiluisse*. Sed nihil mutandum, res enim quam maxime perspicua. Cum in aram insiluisset, ita homo consedit ut solent qui equo vehuntur, altero crure ab altera parte dependente. Hoc enim est *περιβαίνειν*.

C. XIV Cum semel Nicias imperium, quamvis invitus, suscepisset, non iam erat tempus cunctandi et cavendi

ὥστε παιδὸς δίκην ἀπὸ τῆς νεὼς ὀπίσω βλέποντα καὶ τὸ μὴ κρατηθῆναι τοῖς λογισμοῖς ἀναλαμβάνοντα καὶ στρέφοντα πολλάκις ἐναμβλῦναι καὶ τοὺς συνάρχοντας αὐτῷ καὶ τὴν ἀκμὴν διαφθεῖραι τῶν πραγμάτων.

Obscura haec, praesertim verba *τὸ μὴ κρατηθῆναι τοῖς λογίσμοῖς ἀναλαμβάνοντα*. Rectius obiiceretur Niciae *ὅτι τὸ κρατηθῆναι* (*φόβῳ*) *οὐκ ἀνελάμβανε τοῖς λογισμοῖς*. Ecquid Plutarchus scripsit, ita ut in navis imagine sibi constaret:

ἀπὸ τῆς νεὼς ὀπίσω βλέποντα, καὶ μὴ τὸ κρατῆσαι τοῖς λογισμοῖς ἀναλαμβάνοντα, ἀλλὰ στρέφοντα πολλάκις κτἑ.?

Quid illud sit quod Atheniensium naves, quae *speculandi causa* Syracusarum intrarunt portum, dicuntur *Λεοντίνους ἐπὶ τὴν οἰκείαν ἀποκαλοῦσαι διὰ κήρυκος* prorsus me latet. Aliunde haec aberrasse censeo.

C. XV Graecum vix esse videtur *τὸν Λάμαχον ἄγων ὑφ'*

Digitized by Google

ἑαυτοῦ. Ecquid ἔχων ὑφ' ἑαυτῷ? „Subiectum sibi et obnoxium Lamachum habebat Nicias".

C. XVI Castra posuit Nicias loco

ὅθεν ἥκιστα βλαπτόμενος οἷς λείπεσθαι τῶν πολεμίων ἤλπιζεν ἐξ ὧν ἐθάρρει πολεμήσειν ἀκωλύτως.

Locum perturbatum corruptumque sic refinge:

ὅθεν, ἥκιστα βλαπτόμενος οἷς λείποιτο τῶν πολεμίων, ἤλπιζεν ἐξ ὧν ἐθάρρει πολεμήσειν ἀκωλύτως

i. e. unde sperabat se, nulla re impeditum *iisque rebus usum quibus confidebat*, (hoc enim est ἐξ ὧν ἐθάρρει) proelium commissurum, dum ipsi minime obessent res, quibus hostibus esset inferior.

Egregie inter se opponuntur οἷς λείποιτο τῶν πολεμίων et ἐξ ὧν ἐθάρρει. Animos enim ei dabant res quibus se *hostibus superiorem* esse sciebat.

C. XX Post adventum Gylippi fortuna Niciae convertitur; mittit ergo Athenas nuntios, desperationis testes

οἱ δ' Ἀθηναῖοι καὶ πρότερον μὲν ὥρμηντο πέμπειν ἑτέραν δύναμιν εἰς Σικελίαν, φθόνῳ δὲ τῶν πρῶτον πραττομένων πρὸς εὐτυχίαν τοῦ Νικίου τοσαύτην πολλὰς διατριβὰς ἐμβαλόντων τότε γοῦν ἔσπευδον βοηθεῖν.

Sana esse ista non possunt; ut mittam ineptissimam tautologiam verborum φθόνῳ τῶν πρῶτον πραττομένων πρὸς εὐτυχίαν τοσαύτην, frustra quaerimus qui fuerint illi qui moram inferrent. Latent in verbis τῶν πρῶτον πραττομένων sed quomodo inde protrahi possint non video.

C. XXI Nocturno proelio cum Boeotis congressi Athenienses quam multa habuerint adversa sic describitur:

ἡ γὰρ ἄτακτος ἀνάμιξις ἐν ταὐτῷ μετὰ φόβου καὶ ἀγνοίας καὶ τὸ τῆς ὄψεως ἄπιστον ἐν νυκτὶ μήτε σκότος ἄκρατον μήτε φῶς ἐχούσῃ βέβαιον, ἀλλ' οἷον εἰκὸς ἤδη καταφερομένης σελήνης καὶ περισκιαζομένοις ὅπλοις πολλοῖς καὶ σώμασι κινουμένοις διὰ τοῦ φωτὸς μὴ διασαφοῦσαν τὰ εἴδη φόβῳ τοῦ πολεμίου καὶ τὸ οἰκεῖον ποιεῖν ὕποπτον, εἰς δεινὰς ἀπορίας καὶ περιπετείας καθίστη τοὺς Ἀθηναίους.

Digitized by Google

Non confusionis sed confusa descriptio ista, e qua nemo mortalium se extricare unquam poterit. Hoc unum certum est pro *ποιεῖν* legendum esse *ποιοῦν*: incertus prospectus (*τὸ τῆς ὄψεως ἄπιστον*) faciebat ut metu hostium socii ipsi metuerentur. De reliquis dubito, ea praesertim causa quod verbum *περισκιάζω* praeter hunc locum semel tantummodo apud Plutarchum reperitur, Arat. c. XXII; ibi autem dicitur *περισκιάζεσθαι via* in quam umbrae proiiciuntur, quae significatio nullo modo huc quadrat. Quodsi etiam res ipsae, *quarum umbrae proiiciuntur*, dici possunt *περισκιάζεσθαι* (et quidni possint?) parata est totius loci emendatio: abiecto enim *καί* quod ante illud *περισκιαζομένοις* legitur pro *διασαφοῦσαν* legendum erit *διασαφούσῃ*: nox, iam in occasum vergente sole, propter arma, quorum huc illuc proiectabantur umbrae, et propter corpora, quae se in lunae movebant lumine, non perspicuas exhibebat formas.

C. XXII Auctor est Demosthenes ut castra moveant, sed obstat Nicias; ceteri putantes

τὸν Νικίαν προσδοκῶντα καὶ πιστεύοντα τοῖς ἔνδον οὕτως ἐρρωμένως ἀναμάχεσθαι περὶ τῆς ἀποβάσεως

ei assentiuntur. Corruptum hic esse *προσδοκῶντα* manifestum est. Neque enim suum sibi habet obiectum et, si haberet, adversa fronte pugnaret cum iis quae sequuntur: qui *expectat* etiam aliquid, in rebus, quas in ipsis habet aedibus castrisve, *non* habet fidem. Paulo post in capite XXIII recte verbum *προσδοκώντων* legitur. Equidem hinc istud *προσδοκῶντα καί* confidenter eiecerim. An excidit aliquid („novas copias") et *καί* pro *ἤ* est scriptum? Minus hoc verisimile.

C. XXIII Anaxagorae *λόγος* de lunae defectu erat tunc

ἀπόρρητος ἔτι καὶ δι' ὀλίγων καὶ μετ' εὐλαβείας τινὸς ἢ πίστεως βαδίζων.

Secundum istud *καί* et pronomen *τινός* plane sunt supervacua, immo turbant et sententiam et structuram; contra excidit, quo plane non possumus carere, *μᾶλλον*. Intra paucos res versabatur, dubitantes magis quam credentes.

Digitized by Google

C. XXVII Miseri Niciae milites inter tela hostium vix procedunt et ad fluvium Asinarum perveniunt

ἐκεῖ δὲ τοὺς μὲν οἱ πολέμιοι συνενεγκόντες ἐνέσεισαν εἰς τὸ ῥεῖθρον, οἱ δὲ φθάνοντες ὑπὸ δίψους ἐρρίπτουν ἑαυτούς.

Nondum, ut opinor, eo iam est perventum ut hostes eorum cadavera coniiciant in unum — et quid aliud in clade bellica istud συνενεγκόντες significare potest? — sed *compellunt* in eundem locum fugientes, tum in fluvium detrudunt. Legendum ergo συνελαύνοντες est.

Crassus c. I Mortuo fratre altero, Crassus eius

γυναικὶ συνῴκησε καὶ τοὺς παῖδας ἐξ ἐκείνης ἔσχε.

Mire dictum, sive vertis: „quos liberos habuit Crassus, eos ex illa uxore progenuit", sive ἔσχε sic accipis ut sit: „domi servavit educavitque". Tum enim dictum oportuit: τοὺς ἐξ ἐκείνης παῖδας. In τούς ego adiectivum numerale (τρεῖς) latere suspicor.

C. III Alexander Crassi in philosophia praeceptor magnum ipse dedit verae philosophiae documentum:

οὐ γὰρ ἦν ἀποφήνασθαι ῥᾳδίως, πότερον προσῆλθεν αὐτῷ πενέστερος ἢ προσελθὼν ἐγένετο.

Venuste dictum hoc, modo ῥᾳδίως in ῥᾴδιον mutes.

Additur hoc: μόνος δ' οὖν ἀεὶ τῶν φίλων αὐτῷ συναποδημῶν στέγαστρον ἐλάμβανεν εἰς τὴν ὁδὸν καὶ τοῦτ' ἐπανελθὼν ἀπῃτεῖτο.

Non video quid hac re probetur vel redarguatur.

C. IV In speluncam confugit Crassus, quae in agro Vibii Pacciani erat in Hispania, unumque servum misit ad Vibium

ἀποπειρώμενος ἤδη καὶ τῶν ἐφοδίων ἐπιλιπόντων.

Quid in ἀποπειρώμενος lateat nescio, corruptum esse certo scio.

In ista speluncae descriptione neque quid sint κρημνοὶ συμφερόμενοι, neque quid ᾗ μάλιστα περιπίπτει τὸ φῶς (ecquid προσπίπτει?) intelligo. Haereo etiam in isto ἔχει κόλπους δι' ἀλλήλων ἀνοιγομένους (ubi lectionibus a Sintenisio commemoratis nihil proficimus), neque cur spelunca fuerit ἀστάλακτος καὶ καθαρός, et quid sibi prius illud velit adiectivum, perspicio.

Digitized by Google

C. V Mittit Crasso Paccianus, dum aetatis eius habet rationem cibos exquisitiores.

ἐπεὶ τήν γε χρείαν ἀναγκαίως μᾶλλον ἢ προθύμως ὑπουργοῦντος εἶναι.

Nonne post *χρείαν* excidit *παρέχειν* aliusve infinitivus in hanc sententiam? „Intelligebat *nil nisi victum praebere* eius esse qui vi coactus magis quam libenter opem ferat"?

C. VI Honores, quibus Pompeius a Sulla afficiebatur, Crasso bilem movebant, licet haud iniuria illi postponeretur

ἐμπειρίας τε γὰρ ἐνδεὴς ἦν καὶ τῶν πράξεων αὐτοῦ τὴν χάριν ἀφῄρουν αἱ συγγενεῖς κῆρες ἐπιφερόμεναι, φιλοκέρδεια καὶ μικρολογία.

Displicet additum istud *ἐπιφερόμεναι.*

ib. Fama est Crassum in Bruttiis proscripsisse quendam non iubente Sulla sed ut bona illius haberet

δι' ὃ καὶ Σύλλαν καταγνόντα πρὸς μηδὲν ἔτι χρῆσθαι δημόσιον αὐτῷ.

Non me retinet hiatus metus (praecedit enim *χρηματισμῷ*) quominus pro *δι' ὃ ... καταγνόντα* legendum censeam *ὃ ... γνόντα.*

C. VII Ut demonstret metum incussisse hominibus Crassum, hoc affert exemplum Plutarchus:

ὁ γοῦν πλεῖστα πράγματα παρασχὼν τοῖς καθ' αὑτὸν ἄρχουσι καὶ δημαγωγοῖς Σικίννιος πρὸς τὸν εἰπόντα τί δὴ μόνον οὐ σπαράττει τὸν Κράσσον, ἀλλὰ παρίησι, χόρτον αὐτὸν ἔχειν φησὶ ἐπὶ τοῦ κέρατος.

Delectat me iste homo negotia *demagogis* exhibens: putabam demagogos *πράγματα παρέχειν οὐκ ἔχειν.* Et nunc quoque puto. Rescribo ergo *δημαγωγὸς* pro *καὶ δημαγωγοῖς.* Sicinnius ille (Brut. 217) dicitur „homo impurus"; ibi eum dicto petulanti, tribunus plebis cum esset, adversus consulem usum esse cognoscimus. Praeterea cum Reiskio legendum *ἔφησεν* pro *φησί.*

C. X Quid illud sit quod Crassus milites, qui armis amissis fugerant,

ὁπλίζων αὖθις ἐγγυητὰς ᾔτει τῶν ὅπλων ὅτι φυλάξουσι

Digitized by Google

me latet. An ita ostendit se ex eorum numero decimum quemque sumpturum quem supplicio capitali afficiat?

C. XVIII Deam Hierapolitanam alii Venerem dicunt, alii Iunonem

οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν αἰτίαν καὶ Φύσιν νομίζουσι καὶ τὴν πάντων εἰς ἀνθρώπους ἀρχὴν ἀγαθῶν καταδείξασαν.

Corrupta haec esse vel repetitio *ἀρχὰς ... ἀρχὴν* docet.

C. XX Auctor Crasso est Cassius ut exercitum iuxta fluvium ducat, et alia argumenta afferens et hoc

εὐπορίαν τὰ σιτηγὰ τῆς ἀγορᾶς παρασχεῖν ἅμα συγκαταίροντα πρὸς τὸ στρατόπεδον.

Pro *παρασχεῖν* legendum est *παρέξειν*, quod et apud Appianum legitur. Deinde istud *ἅμα* quid sibi vult? Quaenam alia res simul cum ista fiet? Lege *θαμά*, omnia fient quam aptissima: *identidem*, cum agmen subsistet, et naves illae ad ripam appellentur militibusque commeatum praebebunt.

C. XXI Quid sit *πεδίον ἀχανὲς καὶ περιελαυνόμενον* me latet. Didotianus interpres dat: „campos *ab omni parte equitatui patentes*". Haud dubie eiusmodi aliquid hic requiritur, sed e verbis traditis equidem illud non efficio.

C. XXIV Sagittas miserunt Parthi

ἀπὸ τόξων ... τῇ σκολιότητι τῆς καμπῆς ἠναγκασμένον τὸ βέλος ἀποστελλόντων.

Vellem istud *ἠναγκασμένον* aut emendaret aliquis aut mihi explicaret!

C. XXV Parthi *ὀπίσω στρέψαντες ἐδίωκον.*

Plane contrarium requiritur. Vidit hoc Naberus qui *ἐνέδωκαν* proponit. Sed aptius huic loco mihi videtur *ἐδιώκοντο*: „dabant se persequendos, sive eo adducere Romanos conabantur ut se persequerentur". Est et lenior ea medicina.

C. XXIX Perfidus dux Andromachus Romanum exercitum huc illuc duxit, postremo

Digitized by Google

ἐξέτρεψεν εἰς ἕλη βαθέα καὶ χωρία τάφρων μεστὰ τὴν πορείαν χαλεπὴν καὶ πολυπλανῆ γενομένην τοῖς ἐπισπομένοις.

In γενομένην latet γίγνεσθαι λέγων vel aliquid in eam sententiam.

C. XXXII Surenam, qui Romanis vitio dabat impudicas narrationes in sarcinis ducis cuiusdam inventas, graviter reprehendit scriptor

Παρθικὴν Σύβαριν ἐφελκόμενον ἐν τοσαύταις παλλακίδων ἁμάξαις, τρόπον τινα ταῖς λεγομέναις ἐχίδναις καὶ σκυτάλαις ἀντιμόρφως τὰ μὲν ἐμφανῆ καὶ πρόσθια μέρη φοβερὰ καὶ θηριώδη δόρασι καὶ τόξοις καὶ ἵπποις προβαλλομένην, κατ' οὐρὰν δὲ τῆς φάλαγγος εἰς πόρνας καὶ κρόταλα καὶ ψαλμοὺς καὶ πανυχίδας ἀκολάστους μετὰ γυναικῶν τελευτῶσαν.

Ut lepida imago ordine procedat, pro προβαλλομένην legendum est προβαλλόμενον et τελευτώσης pro τελευτῶσαν. In fronte ipse Surenas habet terrores, agmen eius desinit in lasciviam, *opponitur* ergo serpentibus illis qui vultu sunt placido sed venenum habent in cauda. Nihil horum intellexit interpres Didotianus qui ἐχίδναις ἀντιμόρφως vertit *viperarum instar*.

Totum locum de Crassi clade Belgice verti in libro c. t. „de avondzon des Heidendoms" vol. I p. 123—149. Ibi in annotationibus praeterea hasce proposui emendationes et probare sum conatus:

C. XIX in initio restituatur nomen *Artavasdes* pro *Artabazo*.

C. XXI legatur ὥσπερ ὅπλων αὐτῷ δεῆσον ἢ χειρῶν, οὐ ποδῶν τῶν ταχίστων pro ὥσπερ ὅπλων αὐτῷ δεῆσον, οὐ χειρῶν οὐδὲ ποδῶν τῶν ταχίστων.

ib. sub finem pro ὁμοῦ legatur ὁμοῦ τι.

C. XXVIII l. ἃς ἐκπεσούσας τῆς ὁδοῦ pro ἐκπεσούσας τῆς ὁδοῦ, ἅς.

C. XXX l. διὰ νυκτὸς ἰόντες εἶναι pro διὰ νυκτὸς ἰέναι.

C. XXXI omisso αὐτῷ verba καὶ προὔτεινε τὴν δεξιάν ponantur post βασιλεὺς γάρ σοι δίδωσι τοῦτον.

Comparatio Niciae et Crassi c. I Ingentes fecit impensas Crassus ἑστιάσας ἅμα τοσαύτας μυριάδας ἀνθρώπων εἶτα θρέψας πάλιν.

Digitized by Google

Scire velim quomodo hic ἐστιᾶν et τρέφειν inter se opponantur. Interea istud θρέψας corruptum esse suspicor.

ib. Omne vitium est inaequalitas quaedam et inconstantia; apparebit hoc si respexerimus

τοὺς αἰσχρῶς συλλέγοντας εἶτα χρηστῶς ἐκχέοντας

in quorum numero et Crassus fuit: turpiter rem fecit sed divitias suas profudit bene, utiliter, recte: cibum enim praebuit civibus inopibus. Nonne haec recte procedunt? Hic tamen vitium odoratur Sintenisius, strenuus ille criticorum adversarius atque Emperii viri acutissimi in textum recepit emendationem, sed eam perversam. Certum et constans est illud infortunium eorum qui nimis sunt dediti codicibus: cum lectionem traditam mutant ultro corrumpunt textum. Coniecit enim Emperius εἶτ' ἀχρήστως pro εἶτα χρηστῶς. Sed frumentum praebere populo non est inutiliter rem perdere, et ista lectione omnis ἀνωμαλία perit, quae elucet ex adverbiis inter se oppositis αἰσχρῶς et χρηστῶς.

C. II Rectene habeat verbum λαμβάνειν in his: τὸ λαμπρὸν ἐν πολιτείᾳ λαμβάνειν quaerendum videtur. Requiritur fere *appetere* et facile e praecedenti λαμπρόν istud λαμβάνειν nasci potuit.

C. III Videbatur Nicias, cum expeditionem Siciliensem dissuadebat

ῥᾳστώνῃ καὶ μαλακίᾳ τὸ παρ' αὐτὸν ἀποστερεῖν Σικελίας τὴν πόλιν.

Immo τὸ καθ' αὐτόν, *quantum in ipso erat.*

C. IV Cupiebat Crassus προσεργάσασθαι (recte Reiskius προσκατεργάσασθαι) τὴν Ἀσίαν οἷς Πομπήϊος ἐπῆλθε καὶ Λούκουλλος ἀντέσχεν, ἄνδρες εὐμενεῖς καὶ πρὸς πάντας ἀγαθοὶ διαμείναντες, προελόμενοι δὲ ὅμοια Κράσσῳ καὶ τὰς αὐτὰς ὑποθέσεις λαβόντες.

Neque quid verba notata significent intelligo neque quo modo sententia sequens coniunctione ἐπεί his annecti possit. Est enim huiuscemodi: ἐπεὶ καὶ Πομπηΐῳ τῆς ἀρχῆς διδομένης ἡ σύγκλητος ἠναντιοῦτο.

Digitized by Google

Sertorius c. III ἐν τῇ πόλει Κάστλωνι παρεχείμαζε τῆς Κελτιβήρων. Praepositio παρά quid in composito sibi velit non video. An διεχείμαζε legendum?

C. VI Male me habet quod de Sertorio dicitur: τοὺς μὲν βαρβάρους ἐθεράπευσε χρήμασι, τὴν δ' Ἰβηρίαν ἐπειχθεὶς κατέσχε. In quibus quid sibi ἐπειχθείς velit non intelligo.

C. VII Magnopere classis Sertorii laborabat

τοῦ πελάγους τὰ πολλὰ τῶν πλοίων πλάγια ταῖς ῥαχίαις περιβάλλοντος.

In cod. E est ἐπιβάλλοντος, sed dubium non est quin παραβάλλοντος sit legendum.

C. VIII διεκβαλὼν τὸν Γαδειραῖον πορθμὸν ἐν δεξιᾷ τοῖς ἐκτὸς ἐπιβάλλει τῆς Ἰβηρίας.

Abiice magistelli annotationem ἐν δεξιᾷ. Quis enim tam stultus ut non sponte intelligat eum, qui per fretum Gaditanum in Oceanum vectus sit, ut Hispaniae oram aggrediatur dextrorsum se convertere?

C. IX Sertorius gentes Africae, quibus auxilio venerat, nulla affecit iniuria, pecuniam, urbem imperium iis reddidit

ὅσα καλῶς εἶχε δεξάμενος διδόντων.

Utcunque intelligi ea possunt: „a dantibus nihil accipere volebat nisi quantum satis erat". Nescio tamen an vitium lateat, tam insolite dicta sunt.

C. X καίτοι δοκεῖ περὶ τὸν ἔσχατον αὐτοῦ βίον ὠμότητος καὶ βαρυθυμίας τὸ περὶ τοὺς ὁμήρους πραχθὲν ἔργον ἐπιδεῖξαι τὴν φύσιν οὐκ οὖσαν ἥμερον.

Tam mire contorta haec ut non possim credere sic a Plutarcho profecta; suspicor invito eo ista ὠμότητος καὶ βαρυθυμίας ἔργον invecta, scioli enim videtur annotatio. Certe non utendum Sintenisii coniectura ἔρημον pro ἥμερον scribentis. Boni isti „traditionis" patroni si ipsi aliquid comminiscuntur, tamquam fato quodam ad absurdissima quaeque trahuntur!

Digitized by Google

C. XI (*τὴν νεβρὸν*) dicebat *Ἀρτέμιδος δῶρον εἶναι καὶ πολλὰ τῶν ἀδήλων ἐπεφήμιζεν αὐτῷ δηλοῦν.*

Plutarchum scripsisse opinor *ἐπιφημίζειν* neque addidisse *δηλοῦν*.

C. XII In longa enumeratione ducum quos Sertorius superavit videndum an non particula *καί*, quae nomen *Θωράνιον* praecedit, sit delenda quo melius decurrat sententia.

C. XXII Metellus praemium proponit ei qui Sertorium occiderit *ὡς ἀπογνώσει φανερᾶς ἀμύνης ὠνούμενος τὸν ἄνδρα διὰ προδοσίας.* Omnino removendum istud *ὡς*. Revera enim sic se res habebat.

C. XXIV Marcus Marius, quem copiarum ducem Mithridati miserat Sertorius

τὰς μὲν ἠλευθέρου (πόλεις) ταῖς δὲ ἀτέλειαν γράφων χάριτι Σερτωρίου κατήγγελεν.

Ultima haec sana esse non credo. Certe monstrum istud *κατήγγελεν*, licet Sintenisio in deliciis esse videatur, quantocius hinc facessat. Nec probanda altera lectio *κατήγγειλεν*, quia tantummodo *imperfecto* hic locus est. Sed *κατήγγελλεν* scribendo locum non sanamus. Nihili enim ista *γράφων κατήγγελλεν* videntur.

Ad vitam *Eumenis* (et ad *comparationem Sertorii et Eumenis*) annotavi nihil. Legere accurate non potui: tantus est nominum in ea numerus et tanta rerum narratarum multitudo. Quid „medicus mentium" hac vita spectaverit difficile dictu: boni Chaeronenses, ut opinor, vix quidquam utilitatis ex ea percipere potuerunt. Lectu iucundior Nepotis, qui dicitur, vita, magnique momenti ad efficiendum quo tempore vixerit auctor videtur disputatio in c. VIII de ducibus, qui veteranis sunt obnoxii.

Agesilaus c. VIII In altercatione Agesilai et Lysandri ego huius responsum

ἴσως ταῦτα σοὶ λέλεκται βέλτιον ἢ ἐμοὶ πέπρακται

non intelligo. Ecquid *λέλεκται* et *πέπρακται* locum inter se mutare debent? „Tu recte egisti, ego factum tuum non recte verbis descripsi". Sic enim cum rege suo expostulaverat Ly-

Digitized by Google

sander: ἤδεις ἄρα σαφῶς φίλους ἐλαττοῦν. Cui ille: ἤδειν τοὺς ἐμοῦ μεῖζον δύνασθαι βουλομένους.

C. IX In narratione de Agesilao equitatum sibi callido consilio parante Benselerus delenda censet, quae prorsus absurda sunt οἱ δὲ μὴ βουλόμενοι ἱππεύειν τοὺς βουλομένους ἱππεύειν. Sed rectius Sintenisius totum istud ἐμισθοῦντο γάρ ... βουλομένους ἱππεύειν. Ego vero simul et ea quae praecedunt πολλοὶ ... ὁπλιτῶν abiicio, ut brevis haec restet narratio: ἱππικὸν συνῆγε τοῖς εὐπόροις προειπών, εἰ μὴ βούλονται στρατεύεσθαι, παρασχεῖν ἕκαστον ἵππον ἀνθ' ἑαυτοῦ καὶ ἄνδρα· καὶ γὰρ τὸν Ἀγαμέμνονα ποιῆσαι καλῶς ὅτι θήλειαν ἵππον ἀγαθὴν λαβὼν κακὸν ἄνδρα καὶ πλούσιον ἀπήλλαξε τῆς στρατείας.

In qua omnia bene procedunt ita ut et, id quod gravissimum, ratio constet accusativi cum infinitivo καὶ γὰρ ... ποιῆσαι καλῶς. Et quae omittuntur non solum plane sunt supervacua, sed cum nihil legentis relinquant acumini, omnem pessumdant loci venustatem.

C. X Tithraustes, Tissaphernis successor, volebat Agesilaum διαλυσάμενον ἀποπλεῖν οἴκαδε καὶ χρήματα διδοὺς αὐτῷ προσέπεμψε.

Quis unquam mortalium sic est locutus: „pecuniam dans ad eum misit" vel „pecuniam dedit et ad eum misit"? Legendum arbitror προέπεμπε i. e. „prosequi eum paratus erat".

C. XVI Notetur rarus praepositionis usus in his:

καὶ τοῦτο ἴσως ἐπ' Ἀγησιλάῳ θασμαστὸν οὐκ ἦν.

ib. Mira est verbositas in istis:

πεντακοσίοις ἱππεῦσιν ἐμβαλεῖν κελεύσας σὺν αὐτῷ

et suspectus dativus cum verbo κελεύειν iunctus. Suspicor Plutarchum scripsisse

πεντακοσίοις ἱππεῦσιν ἐμβαλών,

et cum semel ἐμβαλών casu aliquo in ἐμβαλεῖν esset corruptum, tria verba loci sarciendi causa adiecta esse.

C. XXIII Commemorata pacis Antalcideae turpitudine sic pergit:

Digitized by Google

ὅθεν ἥκιστα συνέβη τῆς κακοδοξίας ταύτης Ἀγησιλάῳ μετασχεῖν.

Istud ὅθεν quid nunc sibi velit neque perspicio neque perspexit interpres Didotianus, qui sic vertit: „verum eius rei infamia nihil plane ad Agesilaum pertinuit". Hoc vero prorsus me latet quomodo haec cohaereant cum praecedentibus. Nam sequentibus etiam redarguuntur. Plutarchus, nisi me fallunt omnia, scripsit ὅθεν οὐχ ἥκιστα κτἑ. Sic enim disputat: „pace Antalcidea Spartani Persarum regi tradiderunt Graecos, qui Asiam incolunt, pro quibus Agesilaus pugnaverat; ita factum est ut in Agesilaum, quamvis insons esset, pars redundaret infamiae (erat enim totius rei *causa innocens*, ut nos loquimur); nam Antalcidas, adversarius eius, ideo pacem suadebat quia bello Agesilai gloria augebatur, qui et dicto suo quamvis lepido οὐ μηδίζειν τοὺς Λακεδαιμονίους ἀλλὰ λακωνίζειν τοὺς Μήδους conscientiae auxerit suspicionem; et pace illa semel facta strenue usus est Agesilaus ad Thebanos coercendos. Haud mirum igitur quod postea pacis Antalcideae tantum non auctor est habitus.

C. XXIV ἡμέρα γὰρ αὐτὸν ἐν τῷ Θριασίῳ πεδίῳ κατέλαβε [καὶ κατελάμψε]ν.

Deleantur inclusa.

C. XXV Sphodriae, capitali accusati crimine, filium amat Archidamus Agesilai filius

καὶ τότε συνηγωνία μὲν, ὡς εἰκὸς ἦν, κινδυνεύοντι αὐτῷ περὶ τοῦ πατρός.

Non solum hiatus hic tollendus sed immani vitio liberanda sententia atque adeo tota narratio. Nihili enim est κινδυνεύειν περὶ τοῦ πατρός. Utrumque fiet, si legemus κινδυνεύοντος αὐτῷ τοῦ πατρός. Et causa corruptelae in promptu est.

C. XXXIX In Agesilai ad regem Aegyptium verbis

ἡμῖν οἱ πολέμιοι τὴν ἀσφάλειαν αὐτοὶ [διὰ τῶν χειρῶν] παρεσκευάκασι τοσαύτην ὀρυξάμενοι τάψρον

deleantur quae inclusimus.

Pompeius c. II Omnino Pompei vultus habitusque hic satis obscure describuntur, sed omnium obscurissimum istud ἦν δέ τις καὶ ἀναστολὴ τῆς κόμης ἀτρέμα κτἑ.

Digitized by Google

C. X Reprehenditur Pompei crudelitas quod Carbonem non statim postquam eum captivum fecit iure belli occiderit, sed prius de homine amplissimo habuerit iudicium deinde eum ad mortem duci iusserit. Adduntur haec:

ἀπαχθέντα μέντοι φασὶν αὐτὸν, ὡς εἶδεν ἑλκόμενον ἤδη τὸ ξίφος, δεῖσθαι τόπον αὐτῷ καὶ χρόνον βραχὺν, ὡς ὑπὸ κοιλίας ἐνοχλουμένῳ παρασχεῖν.

Haec quid sibi hic velint non perspicio, nam statim inde ad alium transitur hominem quo iusto severius usus esse Pompeius dicitur. Aut ergo post verba citata exciderunt quaedam quae eodem spectarent, aut totum hoc de Carbone moras quaerente, tamquam infaceti scioli additamentum, e textu removendum est.

C. XI Militibus Pompei in Africa rem gerentibus opinio nascitur in illa regione multis locis thesauros humi defossos esse

, *ἐν ταῖς ποτε τύχαις τῶν Καρχηδονίων ἀποτεθειμένων.*

Immo *τότε*. Respicitur enim urbis obsidio.

C. XIV *διὸ καὶ Σκηπίων ὁ πρῶτος ἀπὸ μειζόνων καὶ κρειττόνων ἀγώνων [ἐν Ἰβηρίᾳ Καρχηδονίων κρατήσας] οὐκ ἤτησε θρίαμβον.*

Facessat hinc inutile et importunum emblema!

C. XXI *ἀπῆγεν εἰς Ἰταλίαν τὸν στρατὸν ἀκμάζοντι τῷ δουλικῷ πολέμῳ κατὰ τύχην Φερόμενος.*

Immo vero *συμΦερόμενος*. *Eodem tempore* redibat Pompeius et flagrabat bellum servorum.

ib. Admodum gavisum ait Pompeium oblatam sibi facultatem populo reddendi tribunatus, rei quam maxime popularis

ὡς οὐκ ἂν εὑρόντα χάριν ἄλλην ἢ τὴν εὔνοιαν ἀμείψεται τῶν πολιτῶν, εἰ ταύτην ἕτερος προέλαβεν.

Melius haec in ceteram narrationem quadrarent si pro *ἀμείψεται* legeretur verbum quod *obtinendi* vim haberet.

C. XXIII Sine comitatu haud facile conspiciebatur incedens Pompeius

ἀλλ' ἥδιστος ὁμοῦ πολλοῖς καὶ ἀθρόοις ἐΦαίνετο.

Digitized by Google

Istud ἥδιστος ἐφαίνετο — aut sensu cassa haec sunt — dictum est pro ἥδιστον αὐτῷ ἦν φαίνεσθαι. Mira sane vocabulorum structura, videtur tamen Plutarchi esse.

C. XXV Lex Gabinia Pompeium reddebat
κύριον — πλήθους καὶ καταλόγου στρατιᾶς καὶ πληρωμάτων ἐρετικῶν.
De voce πλήθους dubito.

C. XXXI ταύτης μὲν ἦν καὶ γενεᾶς καὶ αἵματος ἡ Στρατονίκη.
Restitue hexametrum
ταύτης μὲν γενεῆς τε καὶ αἵματος ἦν Στρατονίκη
habebis ioci genus quod Plutarcho est in deliciis.

C. XLV ὧν (sc. τῶν εἰς τοὺς στρατιώτας δεδομένων) ὁ τοὐλάχιστον αἴρων κατὰ λόγον δραχμὰς εἵληφε χιλίας πεντακοσίας.
Quorsum istud κατὰ λόγον additum?

C. XLVIII αὐτοῦ δέ τις κοπρίων κόφινον ἐκ κεφαλῆς τοῦ Βύβλου κατεσκέδασεν.
Exime istud ἐκ κεφαλῆς quod plane est otiosum et nimis pronomen divellit a suo nomine proprio.

C. XLIX καὶ προαγαγὼν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ (sc. Ciceronis) δεόμενον σὺν χειρὶ πολλῇ κτέ.
Vocabulum δεόμενον sanum non credo esse, neque eo *supplicem* posse significari, quae est interpretis Didotiani opinio.

C. LI Luccae inter Pompeium Crassumque et Caesarem convenit
μετιέναι μὲν ὑπατείας ἐκείνους.
Quasi vero de *consulatibus* sermo esse possit cum duo homines honorem petunt quem eodem anno sint gesturi! Lege ὑπατείαν.

C. LIII ἐπὶ τούτοις δὲ θαυμαστωθεὶς καὶ ἀγαπηθείς κτέ.
Nulla causa est cur hic monstrum vocabuli θαυμαστωθεὶς sano et quotidiano θαυμασθεὶς praeferatur.

Digitized by Google

C. LVIII Quae hic de Curione sententias per discessionem rogante narrantur confusa arbitror. Revera Curio primum rogavit quis neque Caesarem neque Pompeium cum imperio vellet esse ... in hanc sententiam ierunt fere omnes. Deinde quis Caesarem solum dimittere exercitum, Pompeium cum exercitu esse ... in hanc sententiam non plus 22 ierunt, ceteri *Κουρίωνι προσέθεντο* i. e. in eam sententiam ierunt quam Curio speraverat. Cf. Caes. c. 30.

ib. *Μάρκελλος δὲ ἀναστὰς οὐκ ἔφη λόγων ἀκροάσεσθαι καθήμενος, ἀλλ' ὁρῶν ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων ἤδη δέκα τάγματα βαδίζειν καὶ αὐτὸς ἐκπέμψειν τὸν ἀντιταξόμενον αὐτοῖς ὑπὲρ τῆς πατρίδος.*

Immo *ἐκπέμψων*. „Non ultra" ait „hic *desidere* volo sed et ipse me *in viam dabo* (vel *do*) ut mittam e. q. s." Quid requireretur se intelligere demonstravit interpres Didotianus sic vertens: „sed ... ipse quoque ibo ut emittam". Verbum *ὁρῶν* non infinitivum sed participium hic flagitaret.

C. LXX „Quid bellum *inter se* gerunt Romani?" sic aliquem Pharsalicae pugnae aequalem disputantem inducit Plutarchus. „Nonne optimam partem orbis terrarum sibi iam subiecerunt? Quodsi illa non contenti bellum etiam sitiunt, Parthos vel Germanos armis suis petant". Tum eundem haec addentem facit:

πολὺ δὲ καὶ Σκυθία λειπόμενον ἔργον καὶ Ἰνδοί, καὶ πρόφασις οὐκ ἄδοξος ἐπὶ ταῦτα τῆς πλεονεξίας ἡμερῶσαι τὰ βαρβαρικά.

Si absit *ἐπὶ ταῦτα* intelligam haec et genetivi *πλεονεξίας* constet ratio. Verum unde intulit pedem?

C. LXXVI Cum de fuga ad Parthos sermonem iniecisset Pompeius, insanum esse Theophanes Mytilenaeus clamavit Caesari primas partes concedere nolle

Ἀρσάκην δὲ ποιεῖσθαι κύριον ἑαυτοῦ τὸν μηδὲ Κράσσου δυνηθέντα ζῶντος.

Excidit hic *ἀπέχεσθαι* aliusve infinitivus in eandem sententiam.

Comparatio Agesilai et Pompeii c. IV Etiamsi verum fuit quod narrant Scipionem Pompeii socerum interversa pecunia quam ex Asia deportaverat ei persuasisse nullam in arca esse pecuniam ideoque proelium maturandum

Digitized by Google

παθεῖν οὐκ ὤφειλεν ὁ στρατηγὸς οὐδὲ ῥᾳδίως οὕτω παραλογισθεὶς ἀποκινδυνεῦσαι περὶ τῶν μεγίστων.

Quam vim hic verbum παθεῖν habeat nescio. Requiritur fere *graviter animo ob eam rem commoveri*, ita ut sedato animo deliberare quid sit agendum nequeas. An forte περιπαθεῖν legendum, vocabulum Plutarcho dilectissimum? Hoc opinor.

Alexander c. I Pictores imaginum suarum similitudines sumunt ἀπὸ τοῦ προσώπου καὶ τῶν περὶ τὴν ὄψιν εἰδῶν.

Ultimum vocabulum ut sanum sit metuo.

C. VII De Aristotele agens opponit hic inter se disciplinas leviores et eas

ἃς οἱ ἄνδρες ἰδίως ἀκροαματικὰς καὶ ἐποπτικὰς προσαγορεύοντες οὐκ ἐξέφερον εἰς πολλούς.

Requiritur, ut opinor, vocabulum, quo Aristotelis significentur *provectiores* discipuli.

C. XIX Philippus medicus, in suspicionem veneficii adductus, Alexandrum epoto iam medicamento, iubet

εὐθυμεῖν καὶ προσέχειν αὐτῷ.

Immo αὐτῷ: bono esse animo debet Alexander, si vult convalescere: de sua ergo cogitare debet salute, non de criminibus quibus petatur medicus.

C. XXVI Phari formam magnae urbi aptissimam sic describit:

ταινία γάρ ἐστιν ἰσθμῷ πλάτος ἔχοντι σύμμετρον ἐπιεικῶς διείργουσα λίμνην τε πολλὴν καὶ θάλασσαν ἐν λιμένι μεγάλῳ τελευτῶσαν.

Urbem ibi condendam polenta in solo nigro ita Alexandri delineabant comites:

κυκλοτερῆ κόλπον ἦγον, οὗ τὴν ἐντὸς περιφέρειαν εὐθεῖαι βάσεις ὥσπερ ἀπὸ κρασπέδων εἰς σχῆμα χλαμύδος ὑπελάμβανον ἐξ ἴσου συνάγουσαι τὸ μέγεθος.

Ecquis ista intelligit? Mihi merae caligines videntur.

C. XXVIII Narratio de Alexandro modo per iocum modo serio se Iovis filium dicente sic abrumpitur:

ὁ γοῦν Ἀλέξανδρος καὶ ἀπὸ τῶν εἰρημένων δῆλός ἐστιν αὐτὸς οὐδὲν πεπονθὼς οὐδὲ τετυφωμένος.

Digitized by Google

Abrumpitur aiebam: ergo δ' οὖν legendum, non γοῦν.

C. XXX Darius, cognito uxorem suam ab Alexandro summo cum honore summaque cum pietate compositam, gravius aliquid et turpius morte suspicatur. Verba eius et alia et haec sunt, quibus ea suspicio nititur:

τί γὰρ εὐπρεπὲς ἀνδρὶ νέῳ πρὸς ἐχθροῦ γυναῖκα καὶ μέχρι τιμῆς τοσαύτης συμβόλαιον;

Iure nonnulli codices καί omittunt, sed partem tantummodo veri servant illi: etiam εὐπρεπές abesse debet. Sensus enim hic est: „quae ratio intercedit inter iuvenem et hostis uxorem eiusmodi ut etiam ploret illam?"

C. XXXII Paulo ante magnum cum Dario proelium gravi oppressum somno narrant Alexandrum, e quo cum tandem experrectus esset, rogasse eum Parmenionem qui posset dormire tanto instante discrimine;

τὸν γοῦν Ἀλέξανδρον εἰπεῖν διαμειδιάσαντα· τί γάρ; οὐκ ἤδη σοι νενικηκέναι δοκοῦμεν;

Quasi vero ullius rei hic *ratio* reddatur, vel afferatur *argumentum*! Quantocius οὖν repone.

C. XXXV Narrationem de Stephano puero parum intelligo. An censendus eam satis illustrasse interpres Didotianus, qui ministrum Alexandri haec dicentem facit:

„Visne, rex, medicamenti istius (de naphtha igitur) periculum in Stephano hoc faciamus? Si enim hunc quoque tangat, neque *corpore eius* restinguatur, vehementissimam omnino vim eius esse fatebor"?

Ipsius enim interpretis istud *corpore eius* est. Hoccine ergo narratiunculae argumentum ut scurra hoc dicat: „tam turpis aspectu ille est ut non solum amoris sed quamvis flammam statim restinguat"? Non obloquor. Sic enim puer ille a Plutarcho descriptus fuit: παιδαρίου παριστῶτος εὐτελοῦς σφόδρα καὶ γελοίου τὴν ὄψιν.

C. XXXVI Vestes purpureas, quibus potitus sit Susis Alexander, ideo pristinum nitorem servasse aiunt quia in iis tingendis mel et oleum fuerint adhibita

Digitized by Google

καὶ γὰρ τούτων τὸν ἴσον χρόνον ἐχόντων τὴν λαμπρότητα καθαρὰν καὶ στίλβουσαν ὁρᾶσθαι.

Non, opinor, mel et oleum hic inter se comparantur sed de utroque praedicatur idem. Quid autem praedicatur? Quid unice in hunc locum convenit? Nempe eorum nitorem *diutissime* perstare. Lege ergo *πλεῖστον* vel *μέγιστον* vel eiusmodi aliquid pro *ἴσον*.

C. XXXVII Agitur de Lycii cuiusdam filio, qui aliquamdiu Alexandri exercitui viam monstravit

ὃν Φασιν, ἔτι παιδὸς ὄντος Ἀλεξάνδρου, τὴν Πυθίαν προειπεῖν, ὡς λύκος ἔσται καθηγεμὼν Ἀλεξάνδρῳ τῆς ἐπὶ Πέρσας πορείας.

Ain vero? Pythia *puerum vaticinata est*! Quis unquam sic est locutus? Et ut iam concedamus hic factum esse quod fieri non potuit, quam absurde nunc puero illi annectitur coniunctio *ὡς*. Qui sanae menti consultum volunt *ὅ* pro *ὅν* rescribant: „quod et puero etiamtum Alexandro Pythia est vaticinata, Lycum ei in bello Persico ducem fore".

C. XXXVIII Quondam cum amicis Alexandro Susis epulas celebrante in quibus Thaidi morem gerens Darii regiam incendere coepit, milites Macedonici laeti et ipsi accurrebant

ἤλπιζον γὰρ ὅτι τοῖς οἴκοι προσέχοντός ἐστι τὸν νοῦν καὶ μὴ μέλλοντος ἐν βαρβάροις οἰκεῖν τὸ πιμπράναι τὰ βασίλεια καὶ διαφθείρειν.

Aut, quod parum verisimile, *ἤλπιζον* hic absolute positum est („spei pleni erant"), aut post *γάρ* excidit aliquid in hanc sententiam: „se mox domum reversuros".

C. L Portentum quoddam, quod Clito evenerat, tamquam dirissimum vatibus interpretantibus statim pro eo sacra expiatoria peragi iussit:

καὶ γὰρ αὐτὸς ἡμέρᾳ τρίτῃ κατὰ τοὺς ὕπνους εἶδεν ὄψιν ἄτοπον.

Quemadmodum apparet e sequenti *δόξαι γάρ*, hoc vatibus *narrat* Alexander. Lege ergo *ἰδεῖν* pro *εἶδεν*.

C. LII Post Cliti caedem fractum deiectumque sic erigit Anaxarchus philosophus: en iacet rex ille et hominum veretur leges opinionesque

Digitized by Google

οἷς αὐτὸν προσήκει νόμον εἶναι καὶ ὅρον τῶν δικαίων, ἐπείπερ ἄρχειν καὶ κρατεῖν νενίκηκεν, ἀλλὰ μὴ δουλεύειν ὑπὸ κενῆς δόξης κεκρατημένον.

Tam insolite et mire dictum hoc ut in νενίκηκεν aliud quid latere suspicer.

C. LVII προβάτου δὲ τεκόντος ἄρνα περὶ τῇ κεφαλῇ σχῆμα καὶ χρῶμα τιάρας ἔχοντα καὶ διδύμους ἑκατέρωθεν αὐτοῦ κτέ.

„Ego haec non intelligo" Sintenisius annotat. Vellem semper tam candidus fuisset.

C. LX Scriptores rerum uno ore affirmant

τὸν Πῶρον ὑπεραίροντα τεσσάρων πηχῶν σπιθαμῇ τὸ μῆκος ἱππότου μηδὲν ἀποδεῖν πρὸς τὸν ἐλέφαντα συμμετρίᾳ διὰ τὸ μέγεθος καὶ τὸν ὄγκον τοῦ σώματος.

Haeccine intellexit Sintenisius, vel interpres Didotianus, qui haec dat: „Porum cubitorum quatuor et palmi longitudine fuisse, equitemque corporis magnitudine elephanto respondisse"? Video quid velit: „cum equo veheretur Porus, elephanto non minor erat". Sed sic ἱππότην scribendum erat, lenis sane coniectura ... qua nihil proficimus: mox enim legimus non equo sed elephanto vehi solitum Porum.

C. LXXVII δυσζήλως δ' ἔχουσα (Rhoxane) πρὸς τὴν Στάτειραν ἐξηπάτησεν αὐτὴν ἐπιστολῇ τινι τεπλασμένῃ παραγενέσθαι.

Rectene ἐξηπάτησεν pro ἔπεισεν dictum?

Caesar c. III Dicitur Caesar sine controversia secundas tulisse eloquentiae

τὸ δὲ πρωτεῖον ὅπως τῇ δυνάμει καὶ τοῖς ὅπλοις πρῶτος εἴη μᾶλλον ἀσχοληθεὶς ἄλλοις ἀφεῖναι, πρὸς ὅπερ ἡ Φύσις ὑφηγεῖτο τῆς ἐν τῷ λέγειν δεινότητος ὑπὸ στρατειῶν καὶ πολιτείας, ᾗ κατεκτήσατο τὴν ἡγεμονίαν, οὐκ ἐξικόμενος.

Hic a Bryanno recepi ἄλλοις pro ἀλλ' sed id post, non ante, ἀσχοληθείς posui. Restat totius loci ingratissima verbositas. Bis idem dicitur, primum breviter eleganterque (τὸ δὲ πρωτεῖον ... ἀφεῖναι), deinde magno verborum ambitu (πρὸς ὅπερ ... ἐξικόμενος). Praeterea ἡ πολιτεία minime obstat quominus aliquis

Digitized by Google

oratoriae arti det operam. In iis quae statim sequuntur (*αὐτὸς δ' οὖν ὕστερον ἐν τῇ πρὸς Κικέρωνα περὶ Κάτωνος ἀντιγραφῇ κτέ.* l. *γοῦν* quoniam *argumentum* affertur) ipse Caesar inducitur tantummodo *militares labores* excusans. Sat causarum, opinor, cur ista *πρὸς ὅπερ ... ἐξικόμενος* sciolo reddamus.

C. IV Qui potest Antonius *in Graecia*, dum causam dicit apud *proconsulem*, tribunorum invocare auxilium?

ib. *πολλὴ μὲν [ἐπὶ τῷ λόγῳ] περὶ τὰς συνηγορίας αὐτοῦ χάρις ἐξέλαμπε.*

Deleantur inclusa.

C. V Populus Caesarem in deliciis habere coepit *ὡς ἥμερον ἄνδρα καὶ περίμεστον ἤθους.*

Ultima vocabula quo sensu dicta sit non video.

C. IX De Bonae Deae sacris et alia et haec narrantur: *ὅταν οὖν ὁ τῆς ἑορτῆς καθήκῃ χρόνος, ὑπατεύοντος ἢ στρατηγοῦντος ἀνδρὸς, αὐτὸς μὲν ἐξίσταται καὶ πᾶν τὸ ἄρρεν.*

Deesse hic aliquid censeo quo significetur consulis vel praetoris *domi* ea sacra fieri.

C. XI Notissima Caesaris ad amicos in Hispania verba sic referuntur: *οὐ δοκεῖ ὑμῖν ἄξιον εἶναι λύπης, εἰ τηλικοῦτος μὲν ὢν Ἀλέξανδρος ἤδη τοσούτων ἐβασίλευεν, ἐμοὶ δὲ οὐδὲν λαμπρὸν οὔπω πέπρακται;*

Non est Graecum istud; lege *οὐδὲν λαμπρόν πω.*

C. XIV *ἐπὶ τοὺς ἐνίστασθαι μετὰ ξιφῶν ἀπειλοῦντας.*

Immo vero *ἐνστήσεσθαι.*

C. XV Priorum ducum alium alia re superabat Caesar *τὸν δὲ πλήθει καὶ βίᾳ πολεμίων οὓς ἐνίκησε, τὸν δὲ ἀτοπίαις καὶ ἀπιστίαις ἠθῶν ἃ καθωμίλησε.*

Rarior hic est verbi *καθομιλεῖν* usus. Ne quis tamen dubitet

Digitized by Google

quin recte Wyttenbachius restituerit, conferat Cleom. c. XVII ubi inter se opponuntur *καθομιλῆσαι* et *βιάσασθαι* sicut hic *καθομιλῆσαι* et *νικῆσαι*. Est ergo *καθομιλεῖν*: homines (saevos trucesque) verbis et convictu sibi placidos reddere.

C. XVII Cum quondam Caesar in pauperis tugurium venisset vix uni homini recipiendo idoneum, „honorifica optimis, necessaria infirmissimis sunt concedenda" ait et

Ὅππιον ἐκέλευσεν ἀναπαύσασθαι.

Hoc tum demum utcunque ferri posset si deinde legeremus per illam noctem Caesarem ambulavisse, sed sequitur:

αὐτὸς δὲ μετὰ τῶν ἄλλων ὑπὸ τῷ προστεγίῳ τῆς θύρας ἐκάθευδε

ut satis absurde inter se opponantur *ἀναπαύεσθαι* et *καθεύδειν*. Rectissime vero omnia habebunt si restituerimus *ἔνδον* quod inter *ἐκέλευσεν* et *ἀναπαύσασθαι* excidit.

C. XVIII Post multos magnosque labores Helvetios vicit Caesar

καλῷ δὲ τῷ τῆς νίκης ἔργῳ κρεῖττον ἐπέθηκε τέλος τὸ συνοικίσαι τοὺς διαφυγόντας ἐκ τῆς μάχης.

Istud *τέλος* ego addidi et sic dilectum Plutarcho restitui flosculum. Cf. XXXIX *ἔργῳ μεγάλῳ τέλος οὐκ ἐπέθηκε.*

C. XX Defecerunt Belgae impetumque fecerunt in Gallos Romanorum socios. Caesar vero

τοὺς μὲν ἀθρουστάτους καὶ πλείστους αἰσχρῶς ἀγωνισαμένους τρεψάμενος διέφθειρεν.

Adiectivum notatum non intelligo; fac esse superlativum a positivo *ἄθροος*, nihil in sequentibus legitur quod recte ei opponatur.

C. XXIX Tamquam si minime Caesarem metueret Pompeius non parabat exercitus

λόγοις δὲ καὶ γνώμαις κατεπολιτεύετο τῷ δοκεῖν Καίσαρα καταψηφιζόμενος ὧν ἐκεῖνος οὐδὲν ἐφρόντιζεν.

Haec sic a Plutarcho scribi non potuerunt. Quid sit *καταπολιτεύεσθαί τινα* neque obscurum est et saepe docet ipse Plutarchus; est enim non armis sed artificiis „politicis" superare adversarium, velut Meneclides ille *Ἐπαμεινώνδαν κατεπολιτεύσατο*

Digitized by Google

πολὺν χρόνον (Pelop. XXV). Pompeius vero Caesarem non κατεπολιτεύσατο verum κατεπολιτεύετο, superare eum *conabatur* et *sibi videbatur*. Hanc irriti conatus falsaeque spei notionem utcunque significavit simulque ut potuit verbi καταπολιτεύεσθαι vim illustravit sciolus in margine annotans τῷ δοκεῖν καταψηφιζόμενος.

C. XXXVIII Transponenda inter se esse vocabula ἐν τῷ στόματι et καὶ κινδυνεύσας demonstravi Mnem. 1904 p. 260.

C. XL Caesar Pompeium apud Dyrrachium obsidens quia neque pecunia abundabat neque frumento

χρόνου βραχέος ἐδόκει περὶ αὐτῷ καταλυθήσεσθαι.

Aut participium aliquod, velut διελθόντος post βραχέος, aut, ante χρόνου, adverbium ἐντός excidit aut denique mirus hic est genitivi usus.

C. XLII Castris apud Pharsalum ab utroque positis

ὁ μὲν Πομπήϊος αὖθις εἰς τὸν ἀρχαῖον ἀνεκρούετο λογισμὸν τὴν γνώμην.

Novimus Herodoteum illud ὦ δαιμόνιοι μέχρι τέο πρύμναν ἀνακρούσεσθε; Lepidissima ergo metaphora homo quid agat inscius, cum redit ad id quod reliquit, dicitur εἰς τὸν ἀρχαῖον ἀνακρούεσθαι λογισμόν. Sed venustam locutionem corrupit qui τὴν γνώμην addidit.

C. XLIV τῶν δὲ κεράτων τὸ μὲν εἶχεν Ἀντώνιος, αὐτὸς δὲ τὸ δεξιόν.

Ne putes ante εἶχεν excidisse ἀριστερόν, confer quod mox sequitur: τὸ μὲν αὐτὸς εἶχε τῶν κεράτων, τὸ δ' εὐώνυμον Δομίτιος. Consulto Plutarchus solitam variavit locutionem.

ib. Exspectare hostes quam impetum in eos facere maluit Pompeius, nescius quam habeat vim incursio statim ab initio facta

ὡς ἔν τε ταῖς πληγαῖς βίαν προστίθησι καὶ συνεκκαίει τὸν θυμὸν ἐκ πάντων ἀναρριπιζόμενον.

Corruptum istud ἐκ πάντων ut suo ἐπιόντων sanaverit Emperius metuo. Quaerendum aliquid quod ταῖς πληγαῖς opponatur.

Digitized by Google

C. XLVIII Victoriae hunc esse iucundissimum fructum Caesar scripsit

τὸ σώζειν τινὰς ἀεὶ τῶν πεπολεμηκότων πολιτῶν αὐτῷ.

Et propter sententiam et propter constantem usum ἀεί ponendum est inter τῶν et πεπολεμηκότων.

C. XLIX Vix nando Alexandrinos effugit Caesar

ὅτε καὶ λέγεται βιβλίδια κρατῶν πολλὰ μὴ προέσθαι βαλλόμενος καὶ βαπτιζόμενος, ἀλλ' ἀνέχων ὑπὲρ τῆς θαλάσσης [τὰ βιβλίδια] τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ νήχεσθαι.

Importunius emblema vidi numquam.

C. L Vocabula Latina *veni vidi vici*, cum similiter desinant

οὐκ ἀπίθανον τὴν βραχυλογίαν ἔχουσιν

Plutarchus ait, sed quid sibi velit non video. An οὐκ ἀπ. fere est „haud ingratum"?

C. LII Ut vitaret oraculum de Scipionibus semper in Africa victoriam reportaturis, e suis copiis Scipionem quemdam, hominem nullius pretii, elegit qui semper in prima pugnaret acie

ἀναγκαζόμενος πολλάκις ἐξάπτεσθαι τῶν πολεμίων καὶ Φιλομαχεῖν.

Aliud quid requiritur, nam Φιλομαχεῖν nemo *cogitur*. Et dum scribo, quid legendum sit video: Φυγομαχεῖν non solito quidem sensu (φεύγειν τὴν μάχην) sed huic cognatissimo accipiendum (φεύγοντα μάχεσθαι Parthorum instar). Eiusmodi praedantium proelia egregie decebat dux qualis ille Scipio erat.

C. LX Senatum concionesque vitans Caesar morbum suum excusabat

οὐ γὰρ ἐθέλειν τὴν αἴσθησιν ἀτρεμεῖν τῶν οὕτως ἐχόντων ὅταν ἱστάμενοι διαλέγωνται πρὸς ὄχλον κτἑ.

Haud dubie corruptum est αἴσθησιν. Requiritur aliqua pars corporis, quae et, quod mox legitur, σείεσθαι possit.

C. LXII τοῦτον (Brutum) ἐξ ἑαυτοῦ μὲν ὁρμῆσαι πρὸς κατάλυσιν τῆς μοναρχίας ἧμβλυνον αἱ παρὰ Καίσαρος τιμαὶ καὶ χάριτες.

Immo ὁρμήσαντα.

Digitized by Google

Phocion c. II *πόλις ἐν τύχαις ἀβουλήτοις γενομένη ψοφοδεὲς καὶ τρυφερόν ἐστι δι' ἀσθένειαν ἀνέχεσθαι παῤῥησίας, ὅτε μάλιστα δεῖται, τῶν πραγμάτων ἀναφορὰν ἁμαρτήματος οὐκ ἐχόντων.*

Pro *τρυφερόν* exspectes adiectivum quod ét cum infinitivo construi possit ét conveniat in rempublicam *adversis* laborantem rebus: *τρυφᾶν* enim eius est qui otio et prosperitate abundat. Ultima exquisitius sunt enuntiata ita ut non statim a quovis intelligantur. Certe non intellexit interpres Didotianus, cuius haec sunt: „quod *relaxationem* eorum quae peccantur status rerum non admittit". Quae sensu cassa sunt neque quidquam ad *loquendi libertatem* pertinent. Verus sensus est: „*cum* res nullam peccatorum admittunt *correctionem*" i. e. cum tam anceps est reipublicae conditio ut peccata iam corrigi nequeant sed unus error eam statim prorsus pessumdet. Tum enim opus est viro forti qui oratione cives a peccatis retinere audeat.

C. VIII Mirum videri poterat quod populus Atheniensis in rebus gravioribus adulatorum nullam habebat rationem sed

τὸν αὐστηρότατον καὶ φρονιμώτατον ἐκάλει τῶν πολιτῶν καὶ μόνον ἢ μᾶλλον ταῖς βουλήσεσιν αὐτοῦ καὶ ὁρμαῖς ἀντιτασσόμενον.

Supple post *μᾶλλον* quod facile excidere potuit *ἄλλων*, ut habeas id quod interpres Didotianus requiri sensit: „eum qui unus aut *omnium maxime* .... obsisteret".

C. IX In fabula, quam quondam populo narravit Phocion, vir ignavus, corvorum audito clamore, sic locutus est:

ὑμεῖς κεκράξεσθε μὲν μέγιστον ὡς δυνατὸν, ἐμοῦ δ' οὐ γεύσεσθε.

Immo *ὡς δυνατὸν μέγιστον.*

C. XII Phocion cum exercitu in Euboeam missus ibi occupavit

τινα λόφον χαράδρᾳ βαθείᾳ τῶν περὶ τὰς Ταμύνας ἐπιπέδων ἀποκρυπτόμενον.

Requiritur participium significans collem illa convalle a campis esse separatum. Coniicio *ἀποκλειόμενον.*

C. XVII Phocionis haec sunt verba Demosthenem aliosque reprehendentis quod Alexandrum irritent dum in proxima sit vicinia:

Digitized by Google

ἡμεῖς οὐδὲ βουλομένοις ἀπολέσθαι τούτοις ἐπιτρέψομεν οἱ διὰ τοῦτο στρατηγεῖν ὑπομένοντες.

In διὰ τοῦτο quid lateat dubito, sed fortasse sufficit cum B legere διὰ τούτους. Nam *propter cives* eorumque salutem viri graves, qualis est Phocion, ingratum imperandi laborem in se recipiunt.

C. XXI Harpalus Phocioni

προσέπεμψε δίδους ἑπτακόσια τάλαντα καὶ τἄλλα πάντα καὶ μετὰ πάντων ἑαυτὸν ἐπ' ἐκείνῳ μόνῳ παρακατατιθέμενος.

Duo hinc sunt eximenda vocabula parva: prius καί quod structuram sententiae dissolvit et ἐπί quod cum *committendi* verbo iungi non potest.

C. XXIII Narrant a Leosthene victis Boeotis et Lamiam compulso Antipatro

τὴν μὲν πόλιν ἐλπίδος μεγάλης γενομένην ἑορτάζειν εὐαγγέλια κτἑ.

Nihili locutio est ἐλπίδος μεγάλης γενέσθαι. Ergo pro μεγάλης restitue μεστήν.

C. XXX Menyllo, praesidii Macedonici duce, dona offerente Phocioni, ille respondit

μήτ' ἐκεῖνον Ἀλεξάνδρου βελτίονα εἶναι μήτε κρείττονα τὴν αἰτίαν ἐφ' ᾗ λήψεται νῦν ὁ τότε μὴ δεξάμενος.

Expunge articulum ὁ. Ipsa enim Phocionis verba huiuscemodi fuerunt: „cur *ego qui* tunc dona recusaverim nunc ea accipiam?"

C. XXXII Mira locutio

τὴν τοῦ βασιλέως ἐπιμέλειαν ἔχων ὑφ' ἑαυτῷ

quam habeat vim non assequor. De Polysperchonte haec dicuntur.

Cato minor c. I Cum ad discendi venisset aetatem, Cato tarde percipiebat, sed quae semel perceperat firmiter retinebat:

ὃ δὴ καὶ πέφυκεν ἄλλως, τοὺς μὲν εὐφυεῖς ἀναμνηστικοὺς μᾶλλον εἶναι, μνημονικοὺς δὲ τοὺς μετὰ πόνου καὶ πραγματείας παραδεχομένους.

Corruptum adiectivum ἀναμνηστικούς videtur; absurdum enim est vocabula qualia sunt ἀναμνηστικός et μνημονικός *inter se opponere*. Requiritur adiectivum quod *percipiendi celeritatem* significet.

Digitized by Google

C. IV Erat Cato

περὶ πᾶσαν μὲν ἀρετὴν ὥσπερ ἐπινοίᾳ τινὶ κατάσχετος κτέ.

Sic est in Sintenisiana, typothetae ut videtur errore. Nam quin *ἐπιπνοίᾳ* sit legendum non est dubium cf. Agis VII *κατασχεθεὶς ὥσπερ ἐπιπνοίᾳ πρὸς τὸ καλόν.*

C. IX Ita se in provincia gerebat Cato ut ii quibus praeerat amore erga eum ducti virtutes eius imitarentur

ἀρετῆς γὰρ ἀληθινὸς οὐκ ἐγγίγνεται ζῆλος ἢ δι' ἄκρας τοῦ παραδιδόντος εὐνοίας καὶ τιμῆς.

De *παραδιδόντος* dubito. Didotiana dat: „nisi eum in quo ea (sc. virtus) *conspicitur* summo amore ... prosequamur" egregie quod ad sensum, qui requiritur, pertinet. Sed in Graeco verbo illud non inest. Praeterea *τιμῆς* mentio hinc aliena videtur. Continuo enim sequitur:

οἱ δ' ἄνευ τοῦ φιλεῖν ἐπαινοῦντες τοὺς ἀγαθούς κτέ.

Ergo toto hoc loco amor et honor *opponuntur* inter se.

C. XIV Catonem despiciebant qui specie ducuntur, sed magnus ille Pompeius insigni eum afficiebat honore

ὥστε πάντας ἐπιστρεφομένους καὶ προσέχοντας ἤδη τῷ Κάτωνι θαυμάζειν ἐξ ὧν πρότερον κατεφρονεῖτο καὶ πραότητα καὶ μεγαλοψυχίαν ἀναθεωρεῖν.

Vix recte: ecquid *ἐξ ὧν .... ἀναθεωροῦντας*: „(in iis rebus) propter quas (*ἐξ ὧν*) antea eum dispiciebant nunc lenitatem et animi magnitudinem cernebant"? Ad structuram quod attinet conferri potest Agis c. XVI *ἀπηλλαγμένος οἷς ταπεινὸς ἦν πρότερον = ἀπηλλαγμένος τούτων οἷς* (= *δι' ἃ*) *ταπεινὸς ἦν πρότερον.*

C. XXI Pro *κινδύνῳ* legendum esse *κλυδῶνι* demonstravi Mnem. 1905, 56.

(*Continuabuntur*).

Digitized by Google

DE OVIDIO IN EXSILIUM PROFICISCENTE TR. I, 10, 15—20.

De nave qua vectus est poeta haec narrat vs. 15:

Quae simul Aeoliae mare me deduxit *in* Helles ...

Propter ea quae paulo post leguntur Loersius annotat: „illa *mare in Helles* ita capienda sunt, ut Nasonem aut minus definite loqui putemus, cum prope tantum Hellespontum fuerit et dicere debuisset *ad*, aut Hellesponti fines eum citra ipsas maris angustias extendisse". Si in hoc solo versu res verteretur, audaci quidem sed non plane absurda coniectura, *ad* pro *in* legentes, nodum solvere possemus. Sed vs. 16 legitur:

Et longum tenui limite fecit iter.

Ergo non *intravit* solum navis Hellespontum, sed *ab initio ad finem* eum est emensa. Hoc nisi e verbis *longum iter* et *tenui limite* pro certo efficere possumus, praestat posthac quaecunque Latine scripta sunt missa facere, ne mentis obtundamus aciem. *Pervenit* ergo navis e mari Aegaeo per Hellespontum *in Propontidem*. Quid tum?

Fleximus in laevum cursus, et ab Hectoris urbe
Venimus ad portus, Imbria terra, tuos.
Inde .....
Threïciam tetigit fessa carina Samon.

Eodem modo quo in vs. 15 Loersius hic Merula sudavit docuitque: „poetam *nondum* venisse in Hellespontum, sed adhuc fuisse in Aegaeo illi propinquo, quod ipse videtur Hellespontum nominare".

Quomodo haec res se habeat ut navis quae, non e Propontide per Hellespontum in Aegaeum mare, sed ex Aegaeo mari per Hellespontum in Propontida venerit, ad Troiam subsistat atque inde in Imbrum et Samothracen traiiciat ..... ipse poeta erit rogandus si quando ab inferis erit excitatus. Tum simul nos doceat censeo, si verum sit quod primis elegiae XI versibus narrat:

Littera quaecunque est toto tibi lecta libello
Est mihi sollicito tempore facta viae

qui tam multis ante Marconium saeculis et alia multa cognoscere

Digitized by Google

potuerit quae eo tempore in urbe evenerint et nobilem illum et facundum causarum patronum, ad quem scripta est elegia IX, strenue tunc operam dedisse ut miser poeta in patriam revocaretur.

Cum itinere autem, de quo Ovidius narrat, multa communia habet descriptum ab Apollonio iter (I, 922—935), quod totum hic citabo, idque ita ut communia illa a ceteris distinguantur:

Κεῖθεν (sc. ab insula Lesbo) δ' εἰρεσίῃ μέλανος διὰ βένθεα [πόντου
ἰέμενοι, τῇ μὲν Θρῃκῶν χθόνα, τῇ δὲ περαίην
Ἴμβρον ἔχον καθύπερθε· νέσν γε μὲν ἠελίοιο
δυομένου, Χερόνησον ἐπὶ προὔχουσαν ἵκοντο.
ἔνθα σφι λαιψηρὸς ἄη νότος, ἱστία δ' οὔρῳ
στησάμενοι, κούρης Ἀθαμαντίδος αἶπὰ ῥέεθρα
εἰσέβαλον· πέλαγος δὲ τὸ μὲν καθύπερθε λέλειπτο
ἤρι, τὸ δ' ἐννύχιοι Ῥοιτειάδος ἔνδοθεν ἀκτῆς
μέτρεον, Ἰδαίην ἐπὶ δεξιὰ γαῖαν ἔχοντες.
Δαρδανίην δὲ λιπόντες ἐπιπροσέβαλλον Ἀβύδῳ,
Περκώτην δ' ἐπὶ τῇ, καὶ Ἀβαρνίδος ἡμαθόεσσαν
ᾐόνα, ζαθέην τε παρήμειβον Πιτύειαν.
καὶ δὴ τῇ γ' ἐπὶ νυκτὶ, διάνδιχα νηὸς ἰούσης,
δίνῃ πορφύροντα διήνυσαν Ἑλλήσποντον.

Quid quod eadem in his inesse videtur confusio. Sed *videtur* tantummodo, nam, nisi omnia me fallunt, verbis *πέλαγος .... γαῖαν ἔχοντες* (928—930) non *continuatur* narratio sed quae breviter dicta iam sunt accuratius ibi explicantur ut appareat quomodo Lesbo Imbrum venerint. Ordine ergo Apollonius haec enumerat: Lesbum, Troiam, Imbrum, adventum ad Hellespontum, iter per Hellespontum. Sed cum quaedam ex his explicandi causa alieno loco inserta essent, facile qui Apollonium legebat in errorem poterat induci.

J. J. HARTMAN.

Digitized by Google

AD SCRIPTORES HISTORIAE AUGUSTAE.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(*Continuantur e pag.* 194).

Scriptores Historiae Augustae iterum recensuit H. Peter. Volumen alterum. Lipsiae MDCCCLXXXIIII.

TREB. POLLIONIS VALERIANI DUO 1. 5 *de longioribus exemplis et fortasse interioribus nihil dico.*

Pro *interioribus*, quae codicum mss. omnium lectio est, Peterus Obrechtium secutus *inferioribus* recensuit spreta Eyssenhardtii coniectura *integrioribus*, cum olim vulgo *ignotioribus* ederetur.

Emenda *incertioribus*.

2. 1 *at captum Valerianum principem* [principum] *non satis gratulor, magis gratuler, si redderetur.*

Expungatur vocabulum, quod uncis inclusi, utpote e dittographia antecedentis ortum.

TREB. POLLIONIS GALLIENI 5. 3 *auditum praeterea tonitruum terra mugiente, non Iove tonante, quo motu ipsae multae fabricae devoratae sunt cum habitatoribus, multi terrore emortui.*

Legendum est *quo motu ipso.*

5. 6 *Saeviente fortuna, cum hinc terrae motus inde hiatus soli ex diversis partibus pestilentia orbem Romanam vastaret*, e. q. s.

Pro *ex* corrige *et.*

Digitized by Google

6. 8 *Ac ne quid mali deesset Gallieni temporibus, Byzantiorum civitas, clara navalibus* [bellis], *claustrum Ponticum, per eiusdem Gallieni milites ita omnis vastata est, ut prorsus nemo superesset.*

Vocabulum a me inclusum aliquem addidisse suspicor cui voc. *navalia* notio non satis liqueret.

8. 1 *iam primum inter togatos patres et equestrem ordinem albato milite et omni populo praeeunte, servis etiam p r o p e omnium et mulieribus cum cereis facibus et lampadis praecedentibus Capitolium petit.*

Restituendum est *servis etiam p r o p i n q u o r u m omnium*; cf. Treb. Poll. Claudius 2. 6: amavit propinquos.

9. 5 *quidam scurrae miscuerunt se Persis, diligentissime scrutantes omnia atque unius cuiusque vultum mira inhiatione m i r a n t e s.*

Immo potius *mira inhiatione r i m a n t e s.*

11. 5 *Areopagitarum praeterea cupiebat ingeri numero contempta p r o p e re publica.*

Si quid mutandum est, potius scribendum videtur *contempta p r o p r i a re publica* quam Scaligero duce post *prope* inserendum *Romana.*

17. 2 *nec defuit Annius Cornicula, qui eum quasi constantem principem f a l s o sua voce laudaret.* [peior tamen ille qui credidit.]

E codicum mss. scriptura *falsu* lectio genuina *f a l s a sua voce* reponenda est. Ultima verba in marginem reicienda sunt, unde iniuria in textum irrepserunt.

17. 3 *saepe ad tibicinem processit, ad organum se recepit, cum processui e t recessui cani iuberet.*

Emenda *processui a u t recessui.*

20. 3 *nam cum cingula sua plerique militantium, qui ad convivium venerant, ponerent hora convivii, Salonius puer sive Gallienus his auratos costilatosque balteos rapuisse perhibetur, et, cum esset difficile in aula Palatina requirere quod perisset, ac tacitis vultibus viri detrimenta pertulissent, postea rogati ad convivium c i n c t i adcubuerunt.*

Digitized by Google

Legendum est *postea rogati ad convivium cuncti cincti accubuerunt*, cuius lectionis codex Palatinus servare videtur vestigium, quippe qui pro *cincti* a prima manu *cuncti* exhibeat.

21. 2 *quamvis aliqui non parum in se virtutis habuisse videantur, multum etiam rei publicae profuisse.*

Voc. *aliqui* ante *multum* repetitum fuisse ibique rescribendum puto.

TREB. POLLIONIS TRIGINTA TYRANNI 3. 9 *virum quem ego prae ceteris stupeo, et qui locum principis mereatur iure.*

Conicio *qui locum principis mereatur inire.*

6. 3 *qui et ipse .... composita factione Agrippinae percussus Victorino filio Caesare a matre Vitruvia sive Victoria, quae mater castrorum dicta est, appellato.*

Corrige *Agrippinae est percussus.*

7. 1 *De hoc nihil amplius in litteras est relatum, quam quod nepos Victoriae Victorini filius fuit et a patre vel ab avia sub eadem hora, qua Victorinus interemptus, Caesar est nuncupatus ac statim a militibus ira occisus.*

Locus e Victorini vita supra allatus (6. 3) emendandum esse demonstrat *a matre vel ab avia*; ceterum sequentia sic constituenda videntur: *qua Victorinus interemptus est, Caesar nuncupatus.*

7. 2 *Extant denique sepulchra circa Agrippinam, brevi marmore inpressa* [humilia], *in quibus titulus est inscriptus:*

Vocabulum, quod uncinis inclusi, verborum antecedentium glossam duco.

8. 2 *de hoc quid amplius requiratur ignoro nisi quod eum insigniorem brevissimum fecit imperium.*

Ratio postulat *referatur.*

8. 3 *Et vita quidem strenuus ac militaribus usque ad imperium gradibus evectus, quem* e. q. s.

Digitized by Google

Legendum est *Fuit vita quidem strenuus.* Pro *vita*, quod in Peteri editione est, apud Iordanum et Eyssenhardtium recensitum est: *vir*; utra sit lectio tradita e neutra editione patet. Haec sane commendatur 10. 8: Fuit, quod negari non potest, vir in militari re semper probatus.

8. 10 *ars mihi obiciatur ferraria, dum me et exterae gentes ferrum tractasse suis cladibus recognoscant. in Italia .... denique, ut omnis Alamannia* e. q. s.

Post verba *in Italia* lacunam esse Richterus Petero persuasit; antea coniecturis locum restituere conati sunt, Casaubonus *efficiam* — Baehrens *ut Italia denique* proponentes, Eyssenhardtius verba *in Italia* delevit. At de loco suo detrusa sunt, qui est in versu superiore, nam ita legendum esse Marii sententia plane comprobat: *ars mihi obiciatur ferraria in Italia, dum me et exterae gentes ferrum tractasse suis cladibus recognoscant, denique* e. q. s.

9. 1 *neque in quoquam melius consultum rei publicae a militibus videbatur,* [quam] *quod instantibus Sarmatis creatus est imperator, qui fessis rebus mederi sua virtute potuisset.*

Voc. *quam*, a me inclusum, a nescio quo additum esse suspicor, qui id post comparativum *melius* male abesse crederet.

10. 1 *Fati publici fuit, ut Gallieni tempore quicumque potuit, ad imperium prosiliret. Regilianus denique in Illyrico ducatum gerens imperator est factus auctoribus* [imperii] *Moesis.*

Insipidum emblema uncinis significavi.

10. 12 *Arcus Sarmaticos et duo saga ad me velim mittas, sed fiblatoria, cum ipse misi de nostris.*

Verba *ipse misi* corrupta esse credo, veram autem lectionem esse *cum epistulis de nostris*; cf. § 10 in eadem hac Claudii epistula: felicem Gallienum, etiamsi ei vera nemo nec de bonis nec de malis nuntiat.

10. 15 *mirabile autem hoc fuit in Valeriano principe, quod omnes, quoscumque duces fecit, postea militum testimonio ad im-*

Digitized by Google

perium pervenerunt, ut appareat senem imperatorem in diligendis rei p. ducibus talem fuisse, qualem Romana felicitas, si continuari fataliter potuisset, [sub bono principe] *requirebat.*

Verba, quae uncinis saepsi, expungenda esse ipse verborum tenor facile docet. Nimirum ascripta sunt ad verba praecedentia *Romana felicitas, si continuari fataliter potuisset* illustranda.

11. 2 *et cum Macrinus cum filio suo Macriano contra Gallienum veniret cum plurimis, exercitus eius cepit, aliquos corruptos fidei suae addixit.*

Legendum existimo *veniret, plurimos exercitus eius cepit, aliquos* cet. inducto *cum,* quod e versu superiore male hic repetitum originem corruptelae fuisse suspicor. Plurimos autem exercitus illos triginta milium militum fuisse e c. 12. 14 et c. 13. 3 apparet.

11. 3 *cumque Gallienus expugnare virum fortem frustra temptasset, pacem cum eo contra Posthumum pugnaturus* fecit.

Verbum *fecit,* quod in codicibus mss. non legitur, vulgo addi solet ad sententiam explendam. Nescio tamen an melius suppleatur *pacem cum eo* ⟨*contraxit*⟩ *contra Posthumum pugnaturus.*

12. 1 *quaerentibus etiam militibus principem unum in locum concesserunt quaerentes, quid faciendum esset.*

Post *principem* excidisse videtur: *bonum;* cf. § 4 infra: et ego, quod negare non possum, bonum principem quaero.

13. 3 *hic enim vehemens cum prudentissimo patre, cuius merito imperare coeperat, a Domitiano victus triginta dixi superius milibus militum spoliatus est.*

Pro *vehemens* corrige *veniens,* cl. c. 11. 2: et cum Macrinus cum filio suo Macriano contra Gallienum veniret, c. 12. 12: factus est igitur cum Macriano et Quieto duobus filiis .... imperator ac statim contra Gallienum venire coepit. Ceterum sollemnis scriptori formula ⟨*ut*⟩ *dixi superius* reddatur, quoniam voc. *ut* post *triginta* a librario omissum est.

18. 10 *ex quadam provincia unam tantum speciem praeberi iussit, quod ea redundaret, atque ab ea milites submoveri.*

Digitized by Google

Pro *quod* scribendum est: *quoad*. Post *ab ea* sententia mihi quidem flagitare videtur: *postea*; sin altera lectio *ex quaque provincia* vera est, olim scriptum fuisse *atque ab ea milites subinde submoveri* potius crediderim.

21. 6 *sed statua eius videtur, quadrigae autem, quae decretae fuerant, quasi transferendae ad alium positae sunt nec adhuc redditae. nam in his locis fuerunt* e. q. s.

Locum corruptum alii aliter restituere conati sunt. Ego temptavi: *quasi transferendae ad alium posi⟨tum asporta⟩tae nec adhuc redditae.*

22. 3 *cum quadam die cuiusdam servus curatoris, qui Alexandriam tunc regebat, militari ob hoc caesus esset, quod crepidas suas meliores esse quam militis diceret, collecta multitudo ad domum Aemiliani ducis venit* e. q. s.

Non video, quomodo dictum servi, crepidas suas meliores esse quam militis, quemquam offendere potuerit; quis non laudaret potius tale animi contenti documentum? At verba eius contumeliosa fient, si vocabulo *militari* transposito eum loquentem feceris, *crepidas suas meliores esse militari quam militis*. Quodsi iustus verborum ordo sic restitutus erit, dubito an etiam lectio tradita *militare* servanda sit, pro qua editores olim *militarie* scribere solebant, hodie fere cum Salmasio *militari* ponunt.

22. 7 *Alexander denique vel Alexandrinus .... virtutum merito vocatus est. et cum contra Indos pararet expeditionem, misso Theodoto duce Gallieno iubente dedit poenas*, cet.

Quandoquidem supra non nisi bona ac secunda Aemiliani memorata sunt, vitium in codicibus nostris frequentissimum latere atque corrigendum *sed cum contra Indos* satis perspicuum est.

24. 3 *versus denique illius fertur, quem statim ad Aurelianum scripserat: 'Eripe me his, invicte, malis'.*

Pro *statim* Peterus scripsit: *furtim*, sed veram lectionem esse puto: *saltim* cl. Treb. Poll. Gallieni 21. 2: neque enim digni sunt eorum plerique, ut volumen talium hominum saltim no-

Digitized by Google

minibus occuparetur, Trig. Tyr. 31. 6: ita ut de familia tam sancta et tam nobili saltim pauca referantur, Claudius 13. 1: quoniam res bellicas diximus, de Claudii genere et familia saltim pauca dicenda sunt, Vopisci Aurelianus 24. 9: breviter saltem tanti viri facta in litteras mittam, ibid. 29. 1: de qua pauca saltem libet dicere.

26. 2 *quem cum alii archipiratum vocassent, ipse se imperatorem appellavit. monetam etiam cudi iussit. Palatium in arce Isauriae constituit.*

Post *iussit* ex haplographia excidisse credo *et.*

27. 1 *Zenobia .... rem publicam optinuit, parvulos Romani imperatoris habitu praeferens* [purpuratos] *eosdemque adhibens contionibus.*

Verbum, quod uncinis inclusi, delendum est.

30. 1 *eo usque perventum est, ut Gallieno nequissime agente optime etiam mulieres imperarent et quidem peregrina enim nomine Zenobia .... imperavit.*

Ita codices mss. Gruterus post *imperarent* plene distinguens verba *et quidem* induxit, quem Iordanus et Eyssenhardtius sequuntur. Peterus quoque punctum posuit post *imperarent*, sed verba *et quidem* retinens pro *enim* scripsit *etiam*. Aut equidem fallor aut locus hoc uno vitio laborat, quod voc. *optime* de loco suo detrusum est; legendum enim credo:

ut Gallieno nequissime agente etiam mulieres imperarent et quidem optime. peregrina enim nomine Zenobia .... imperavit.

Cf. in hac vita § 5, 8, 10 et Claudius 1. 2: si quidem eo res processit, ut mulierum etiam vitas scribi Gallieni comparatio effecerit.

30. 12 *nam cum semel concubuisset,* [exspectatis menstruis] *continebat se, si praegnans esset, sin minus, iterum potestatem quaerendis liberis dabat.*

Tollendum est additamentum insipidum.

31. 5 *quos ego in unum volumen idcirco contuli, ne de singulis, si singula quaeque narrarem, nascerentur indigna fastidia* [et ea, quae ferre lector non posset].

Digitized by Google

Verba, quae uncis saepsi, ab aliquo ad *indigna fastidia* illustranda in margine ascripta atque postea in textum recepta esse manifestum est.

33. 2 *cum in agro suo degeret senex atque uno pede claudicans vulnere, quod bello Persico Valeriani temporibus acceperat, factus est* ⟨*imperator et*⟩ *scurrarum ioco Claudius appellatus est.*

Verba *imperator et* post Gruteri tempora addita esse videntur, sed lacunam temere ita expletam esse censeo atque locum sic melius restituere mihi videor: *acceperat,* ⟨*imperator*⟩ *factus et scurrarum ioco Claudius appellatus est.* Partes similes verborum *acce*perat et *im*perat*or* fortasse causa est, propter quam hoc vocabulum omissum sit, quo facto scilicet *et* in *est* mutatum est.

Treb. Pollionis Claudius 5. 2 *his accedit quod rogantem Aureolum et foedus petentem imperator gravis et serius non audivit.*

Ad verbum *rogantem* requiritur voc. *vitam*, quod excidisse credo; cf. 11. 5, ubi de Claudio in epigrammate:

vitam qui iure negavit
omnibus indignis et magis Aureolo.

Etiam in Claudii responso: 'Haec a Gallieno petenda fuerant' numerus pluralis Aureolum plura petiisse comprobat.

6. 2 *denique Scytharum diversi populi .... in Romanum solum in rep. venerunt atque illic pleraque vastarunt.*

Haec in libris mss. leguntur; postea nimirum emendatum est *in rem p.*, dein: *et rem p.*, denique Salmasio auctore verba ab editoribus deleta sunt praeter Peterum, qui ingeniose pro *in rep. venerunt* scripsit: *inruperunt.*

At tamen veram lectionem ita restitutam esse dubito; infra c. 7. 3 de iisdem gentibus dicitur: 'trecenta viginti milia barbarorum in Romanum solum armati venerunt', unde mihi succurrit, litteras *in rep.* formam mutilam esse atque nostro quoque loco scriptum olim fuisse: *in Romanum solum armati venerunt atque illic pleraque vastarunt.*

8. 4. Magna victoria de Gothis reportata Claudius ad Iunium Brocchum dedit epistulam, quae, si editoribus credendum est,

Digitized by Google

§ 4, 5, 6 continetur neque quicquam nisi proelium commissum commemorat. At, hercle, multo longiorem eam fuisse aio, nam minime dubium mihi quidem est quin sequentia quoque verba (c. 9 § 1—5: *Et utinam Gallienum .... colonus e Gotho.*), quibus de Gallieno et de tyrannis ei aequalibus sive Treb. Pollio seu Claudius multos questus effundit, epistulae illi attribuenda sint. Quod si semel perspexeris, èt *nostra diligentia* (9. 2) optime positum neque cum Madvigio in *vestra dil.* immutandum videbis èt ipsum Pollionem post epistulam descriptam verbis *nec ulla fuit regio* (9. 5) suam rerum narrationem iuste persequi.

9. 2 *si quidem nunc verba naufragii publici colligit nostra diligentia ad Romanae rei publicae.*

Ita libri mss., in quibus si cum Salmasio *ac Romanae rei p.* correxeris, cl. Vopisci Aurel. 9. 3 e. a., unum vocabulum *verba* emendandum restabit. Quoniam e multis coniecturis a viris doctis propositis nulla hucusque editoribus satis placuit, meam iis addere libet; nempe persuasum habeo veram ac genuinam lectionem esse: *si quidem nunc membra naufragii publici* cet. Cf. Vopisci Carus 1. 4: triginta etiam prope tyrannorum .... caesa civilium membra sibimet vindicantium, Ovid. A. A. I. 412: vix tenuit lacerae naufraga membra ratis.

10. 3 'Tu, qui nunc patrias gubernas oras
et mundum regis, arbiter deorum,
in ..... veteres tuis novellis;
regnabunt etenim tui minores
et reges facient suos minores'.

Lacunam, quae in hac sorte est, critici varie explere sunt conati; Peterus, Salmasio obsecutus, recensuit: *tu vinces* veteres tuis novellis. Propter litterarum sequentium similitudinem versum ita restituere malim:

in*vertes* veteres tuis novellis.

12. 1 *Fuerunt per ea tempora et apud Cretam Scythae et Cyprum vastare temptarunt, sed ubique morbo atque ⟨fame⟩ exercitu laborante superati sunt.*

Pro *ubique* corrige *ibi quoque*, cl. 11. 3: nam cum se

Digitized by Google

Haemimontum multitudo barbararum gentium, quae superfuerant, contulisset, illic ita fame ac pestilentia laboravit, ut iam Claudius dedignaretur et vincere.

13. 2 *Claudius Quintillus et Crispus fratres fuerunt.*
Emenda *Claudio*, nam frater imperatoris alibi nusquam duobus nominibus indicatur, sed semper et ubique uno nomine Quintillus fruitur, et cf. 13. 9: Ipsi Claudio liberi nulli fuerunt, Quintillus duos reliquid, Crispus, ut diximus, filiam.

Vopisci Aurelianus 1. 4 *cui cum ego respondissem neminem a me Latinorum, Graecorum aliquos lectitatos, dolorem gemitus sui vir sanctus per. haec verba profundit.*
Pro *gemitus sui* Peterus scripsit: *ingemiscens*, alii alia protulerunt. Scriptum olim fuisse suspicor: *dolorem ingenii sui.*

4. 3 *habuisse quin etiam nonnihilum divinationis, adeo ut aliquando marito suo iurgans ingesserit, cum eius et stultitiam increparet et vilitatem: 'En imperatoris patrem'.* [ex quo constat illam mulierem scisse fatalia.]
Verba, quae inclusi, in marginem releganda sunt.

9. 4 *ille liberator Illyrici, ille Galliarum restitutor, ille dux magni totius exempli.*
Vocabulum *totius* multi emendare studuerunt, Peterus ipse *totus* scripsit, at in mentem mihi venit, fieri posse ut non corruptum, sed de loco suo deturbatum sit, qui locus forsitan fuerit ante *Illyrici.*

15. 1 *nam et actae sunt Crinito a Valeriano gratiae, et adoptio, ut solebat, impleta.*
Pro *Valeriano* sine dubio scriptum fuit: *Aureliano.*

17. 1 *extat epistula, quam ego, ut soleo, fidei causa, immo ut alios annalium scriptores fecisse video, inserendam putavi.*
Verba *fidei causa,* quae nunc post *soleo* leguntur, post *video* traicienda sunt, quippe quae ad verba *inserendam putavi* pertineant. Cf. 20. 4: Epistula Aureliani de libris Sibyllinis. nam ipsam quoque indidi ad fidem rerum.

Digitized by Google

18. 3 *nam dum is a fronte non curat occurrere, subito erumpentibus, dumque illos a dorso persequi parat, omnia circa Mediolanum graviter evastata sunt.*

Verbis *subito erumpentibus* locus suus reddatur, qui est ante *omnia.*

19. 3 *sero ad fatalia iussa respicimus more languentium, qui ad summos medicos nisi in summa desperatione non mittunt, proinde quasi peritioribus viris maior facienda sit cura, cum omnibus morbis occurri sit melius.*

Sententiae ratio postulat ut emendetur: *proinde quasi periculosissimis maior facienda sit cura, cum omnibus morbis occurri sit melius.*

24. 3 *verum Apollonium Thyanaeum, celeberrimae famae auctoritatisque sapientem,* [veterem philosophum,] *amicum verum deorum, ipsum etiam pro numine frequentandum,* e. q. s.

Verba, quae uncinis cinxi, a nescio quo ascripta et deinde in textum recepta sunt.

24. 5 *norat vultum philosophi venerabilis Aurelianus atque in multis eius imaginem viderat templis.*

Pro *atque* restitue: *ut qui.*

25. 3 *cumque Aureliani equites fatigati iam paene discederent ac terga darent, subito vi numinis, quod postea est proditum, hortante quadam divina forma per pedites etiam equites restituti sunt.*

Legendum videtur: *subitanei numinis,* cl. § 5: verum illic eam formam numinis repperit, quam in bello sibi faventem vidit.

29 1. *meministis enim fuisse in templo Iovis optimi maximi* [Capitolini] *pallium breve purpureum lanestre.*

Nomen a me inclusum expungatur. Cf. Vop. Probus 15. 4: has Iovi optimo maximo ceterisque diis deabusque inmortalibus vestris manibus consecrate, atque etiam 12. 1.

29. 3 *nam postea diligentissime et Aurelianus et Probus et*

Digitized by Google

proxime Diocletianus missis diligentissimis confectoribus requisiverunt tale genus purpurae *nec tamen invenire potuerunt. dicitur enim sandyx Indica talem purpuram facere, si curetur.*

Pro *nam* olim scriptum fuisse credo: *quam*, quod ad *purpuram* referretur in verbis antecedentibus: *Sume purpuram, qualis apud nos est*; cum vero *quam* in *nam* corruptum esset, a nescio quo inserta esse verba *tale genus purpurae*, quae locus ipse, quem obtinent, coarguit.

33. 2 *Zenobia .... sperans se urbem Romanam cum eo visuram. quod illam non fefellit, nam cum eo urbem ingressa est victa et triumphata.*

Corrige sodes: *ingressa est* ⟨*sed*⟩ *victa et triumphata.*

34. 3 *praeferebantur coronae omnium civitatum aureae titulis eminentibus proditae.*

Immo potius *praeditae.*

39. 4 *amnestia etiam sub eo delictorum publicorum decreta est de exemplo Atheniensium* [cuius rei etiam Tullius in Philippicis meminit]. *fures provinciales* [repetundarum] *ac peculatus reos ultra militarem modum est persecutus, ut* e. q. s.

Quis inepta haec additamenta Vopisco deberi credit?

43. 3 *colligunt se quattuor vel quinque atque unum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt.*

Pro *unum* quin adverbium *una* sit reponendum equidem vix dubito.

49. 7 *calceos mullos et cereos et albos et hederacios viris omnibus tulit, mulieribus reliquid.*

Verbum *tulit* recte legi neque sollicitandum esse docent Vop. Probus 13. 8, Ael. Lampr. Commodus 10 in medio, Alex. Severus 5. 1, 15 i. f.

VOPISCI TACITUS 2. 4 *coeptum est quaeri, ecquis fieri deberet ex omnibus princeps. tunc odio praesentium exercitus, qui creare imperatorem raptim solebat, ad senatum litteras misit, ... petens, ut ex ordine suo principem legerent.*

Digitized by Google

Aliquando conieci legendum esse: *ex omnibus ⟨exercitibus⟩*, cl. 7. 3: habetis principem, quem de sententia omnium exercituum senatus elegit; nunc vero post *ex omnibus* propter litterarum similitudinem excidisse credo: *ordinibus*, cf. Ael. Lampr. Heliogabalus 3 i. i.: excitatisque omnibus ordinibus.

6. 3 *scit enim, qualem sibi principem semper optaverit nec potest aliud nobis exhibere quam ipse desideravit et voluit.*

Pro *aliud* rescribe: *alium* et cf. Vop. Probus 12. 1: qui nobis principem talem, qualem semper optabamus, dederunt, et Vop. Carinus 18. 4: quales principes semper oravimus.

8. 1 *habet in bibliotheca Ulpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc senatus consultum perscriptum est, cui Tacitus ipse manu sua subscripsit.* [nam diu haec senatus consulta, quae ad principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur.]

Verba, quae uncinis inclusi, non a Vopisci manu profecta esse puto, qui haud ita multo post Taciti tempora vixit, sed ascripta ab homine posteriore.

11. 8 *Legit sane senex minutulas litteras ad stuporem nec umquam noctem intermisit, qua non aliquid vel scriberet ille vel legeret praeter posterum kalendarum diem.*

Pro *ille* scriptum fuisse opinor: *ipse*.

16. 4 *Et Floriani liberi et Taciti multi extiterunt* [quorum sunt posteri credo millesimum annum expectantes].

Putidum emblema, quod indicavi, non pridem expulsum esse miror.

16. 6 *vir Aureliano, Traiano, Hadriano, Antoninis, Alexandro Claudioque praeferendus, nisi quia in illis varia, in hoc omnia praecipua iuncta fuere.*

Peterus *nisi* uncis inclusit, sed suspicio mihi non abest quin olim scriptum fuerit: *si quidem* in illis varia e. q. s.

Vopisci Probus 1. 5 *sed non patiar ego ille, a quo dudum solus Aurelianus est expetitus, cuius vitam quantum potui persecutus,*

Digitized by Google

Tacito Florianoque iam scriptis non me ad Probi facta conscendere.

Obiter monere volo, Eyssenhardtium iniuria de suo *expeditum* scripsisse; nempe in capite primo Vitae Aureliani Vopiscus expetitus est sc. a Iunio Tiberiano multis verbis aliis et hisce (§ 8): tu velim Aurelianum ita ut est, quatenus potes, in litteras mittas. Accedit quod, si Eysenhardtii lectio recepta erit, verbis quae proxime sequuntur obtrudetur tautologia frigidissima.

2. 6 *illud tantum contestatum volo me et rem scripsisse, quam si quis voluerit honestius eloquio celsiore demonstret et mihi quidem id animi fuit non Sallustios Livios Tacitos* e. q. s.

Verba ita ut sunt tradita exprimenda curavi. Post Casaubonum multi locum sanare conati sunt, sed omnes male ei consuluisse credo eo quod post *demonstret* plene distinguendum esse putarunt. Equidem mutatione exigua illata (*fuisse ut* pro *fuit*) sic locum constituo:

illud tantum contestatum volo me èt rem scripsisse, quam .... demonstret, èt mihi quidem id animi fuisse ut non Sallustios e. q. s.

8. 3 *quin etiam cum de praedato, sive ex Alanis sive ex aliqua alia gente incertum est, reppertus esset equus non decorus neque ingens, qui* e. q. s.

Pro *reppertus* requiro sollemne in tali re verbum: *reportatus* atque ad ipsam narrationem Ed. Wolffium v. d. revoco, qui nuper (Woch. f. kl. Phil. 1911 n° 2) scripsit „Der Parforceritt eines Partherfürsten".

8. 4 *deinde in urnam milites iussit ⟨nomen suum⟩ mittere.*

Ita Peterus lacunam explevit, alii uno vocabulo *nomen*. Equidem numerum pluralem malim, cl. § 7: ipsis etiam militibus, quorum nomina exierant, id volentibus.

10. 2 *non inepta neque inelegans fabula est scire, quem ad modum imperium Probus sumpserit*:

Conicio: *ciere*.

23. 5 *eant nunc, qui ad civilia bella milites parant, in ger-*

Digitized by Google

manorum necem arment dexteras fratrum, hortentur in patrum vulnera liberos et divinitatem Probo derogent.

Emendandum est: *pascant* vel *quaerant.*

24. 1 *Posteri Probi vel odio vel invidiae timore Romanam refugerunt et in Italia circa Veronam ac Benacum et Larium atque in his regionibus larem locaverunt.*

Peterus scripsit: *Romanam rem fugerunt,* sed mihi quidem praestare videtur: *Romanam aream fugerunt.*

24. 2 *haruspices responderunt, huius familiae posteros tantae in senatu claritudinis fore, ut omnes summis honoribus fungerentur, sed adhuc neminem vidimus* [posteri autem aeternitatem habere videntur, non modum].

Expelle additamentum manifestum!

Vopisci Firmus Saturninus, Proculus et Bonosus 1. 2 *quid Marius Maximus, homo omnium verbosissimus, qui et mythistoricis se voluminibus inplicavit, num ad istam descriptionem curamque descendit?*

Emenda *ad iustam descriptionem curamque.*

6. 3 *cum et Livius et Sallustius taceant res leves de is, quorum vitam arripuerunt.*

Pro *vita,* quod in libris mss. legitur, Salmasio auctore editores *vitam* recensere solent, sed potius crediderim restituendum esse: *vitas.*

7. 4 *sunt enim Aegyptii, ut satis nosti, venti ventosi, furibundi, iactantes, iniuriosi atque adeo vani,* e. q. s.

Pro *venti,* quod Eyssenhardtius delet, vulgo *viri* legitur; malim: *mente.*

8. 2 *nemo illic archisynagogus Iudaeorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter non mathematicus, non haruspex, non aliptes.*

Codices mss., qui *aliptas* exhibent, verae lectionis servarunt vestigium, qua de causa reponas: *alipta est.*

Digitized by Google

10. 4 *nam et in Africa rhetori operam dederat, Romae frequentaverat pergulas magistrales. et ne longius progrediar, dicendum est* e. q. s.

Post *dederat* particula *et* excidit, perperam exarata est post *magistrales*.

12. 8 *Gloriatur, ut vides, rem ineptam et satis libidinosam atque inter fortes se haberi credit, si criminum densitate coalescat.*

Emenda *concallescat*; cf. Cic. ad Att. IV. 18. 2.

Vopisci Carus 1. 2 *nam cum ducta per tempora variis vel erecta motibus vel adflicta, nunc tempestate aliqua nunc felicitate variata omnia prope passa esset,* e. q. s.

Pro *ducta* corrige *cuncta*.

ibid. *videbatur post diversitatem malorum iam secura continuata felicitate mansura.*

Malim *diversitates*, cl. 2. 1: quas varietates sit passa Romana res p., 3. 6: amans varietatum semper et prope inimica fortuna iustitiae.

3. 1 *sed socialibus* [adfecta] *discordiis extenuato felicitatis sensu usque ad Augustum bellis civilibus adfecta consenuit.*

Verbum, quod uncinis inclusi, e versu inferiore hic quoque per errorem depictum est. Quod siquis in sacrarum membranarum verba iuratus tueri velit, legere possit *confecta consenuit*, cl. Numerianus 12. 1: 'quod illi aegritudinis genus vigilia utpote confecto familiarissimum fuit', sed vetat sana ratio, nam scriptor voluit: sed cum sensus felicitatis discordiis socialibus extenuatus esset, respublica, usque ad Augustum bellis civilibus adfecta, consenuit.

6. 2 *Felix autem esset nostra res p., si, qualis Carus est aut plerique vestrum, plures haberem in actibus conlocatos.*

Scriptum fuisse suspicor: *et plerique vestrum*.

8. 1 *Mesopotamiam Carus cepit et Ctesifontem usque pervenit occupatisque Persis domestica seditione* [imperatoris] *Persici nomen emeruit.*

Inclusi vocabulum haud dubie postea insertum.

Digitized by Google

8. 5 *coruscationum deinde ac tonitruum in modum fulgurum igniti sideris continuata vibratio omnibus nobis veritatis scientiam sustulit.*

Conicio *in modum figurarum igniti sideris.*

VOPISCI NUMERIANUS 11. 2 *nam et cum Olympio Nemesiano contendit, qui ἁλιευτικὰ κυνηγετικὰ et ναυτικὰ scripsit inque omnibus coloniis inlustratus emicuit.*

Pro voce *coloniis* alii alia proposuerunt; equidem restuendum puto: *inque omnibus collegiis.*

13. 1 *Diocletianum .... Augustum appellaverunt, domesticos tunc regentem, virum insignem, callidum, amantem rei p., amantem suorum et ad omnia, quae tempus quaesiverat, temperatum*, e. q. s.

Verbum *temperatum*, a multis varie temptatum, corruptum credo e *comparatum.*

13. 2 *educto gladio Aprum praefectum praetori ostentans percussit, addens* [verbis suis]: *'Hic est auctor necis Numeriani'.*

Verba, quae uncinis saepsi, aliquem addidisse puto ad denotandum Diocletianum hoc loco usum esse verbis suis, non alienis ut infra § 3: dixisse autem dicebat Diocletianum, cum Aprum percussisset: 'Gloriare, Aper, Aeneae magni dextra cadis!'

VOPISCI CARINUS 16. 8 *fastidium subscribendi tantum habuit, ut inpurum quendam, cum quo semper meridie iocabatur, ad subscribendum poneret, quem obiurgabat plerumque, quod bene suam imitaretur manum.*

Loci acumen plane me fugere profiteor, nisi scriptum fuerit *quod non bene s. i. m.*

AD MINUCII FELICIS OCT. 22. 6.

Quid ipse Iuppiter vester? modo inberbis statuitur, modo barbatus locatur; et cum Hammon dicitur, habet cornua, et cum Capitolinus, *tunc* gerit fulmina, e. q. s.

Emenda: *trina* gerit fulmina.

Minucius *trini* pro *tres* usurpare solet, cf. 22. 5: Trivia trinis capitibus et multis manibus horrifica; tela autem trisulca Iovis et alibi apud veteres frequentantur et Ovid. Am. II. 5. 52.

P. H. D.

Digitized by Google

EMENDATUR HORATIUS CARM. II. 16. 4.

In Horatii odarum libro secundo carminis decimi sexti exordium vulgo ita legitur:

Otium divos rogat in patenti
prensus Aegaeo, simul atra nubes
condidit lunam, neque certa fulgent
sidera nautis.

Satis mirum videtur, omnes quod sciam interpretes latuisse, traditam lectionem servari non posse, quippe cum epitheton *prensus* non habeat quo referatur neque nominis substantivi vice latine fungi possit. Nec tamen vox ipsa *prensus* vitio laborat; iusto enim iure Wickham adnotat: 'prensus, καταλημφθείς, apparently a technical word for „caught in a storm" as „deprensus", Virg. G. 4. 421'. Ibi haec habemus: 'deprensis olim statio tutissima nautis'; verbum eodem sensu adhibitum occurrit apud Stat. Theb. I. 370: 'velut hiberno deprensus navita ponto'; deinde apud Lucret. VI. 429 et Catull. 25. 12.

Nemo autem ignorat, saepius nostrum in carminibus sapphico metro conscriptis subiectum cum emphasi quadam in strophae fine posuisse, velut I 2. 21—24; 10. 9—12; 12. 41—44; cett. Cumque multo plura huius rei exempla apud Venusinum suppeditent, equidem mihi persuasi, hoc quoque loco versum quartum ita restituendum esse:

Otium divos rogat in patenti
prensus Aegaeo, simul atra nubes
condidit lunam neque certa fulgent
sidera, nauta.

Facillime hoc vitium nasci potuisse, cum praesertim in carm. I. 12. 27 sqq. legatur:

.... *quorum* (Tyndaridarum sc.) *simul alba nautis*
stella refulsit,

res ipsa declarat neque quemquam, puto, latebit.

H. WAGENVOORT H. FIL.

Digitized by Google

ADNOTATIONES CRITICAE

AD

APPIANI HISTORIAM ROMANAM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Appiani Alexandrini Romanarum Historiarum quae supersunt. Edidit Joh. Schweighäuser. Lips. 1785.

Appiani Alexandrini Historia Romana ab Imm. Bekkero recognita. Lips. 1852.

Appiani Historia Romana. Edid. Ludov. Mendelssohn. Volumen prius. Lips. 1879.

Appiani Historia Romana. Edid. Paulus Viereck. Volumen alterum. Lips. 1905.

Appianus narraturus quae nationes imperio Romano pareant, ab occidentali parte incipit et postquam e longinquo Britanniam insulam verbo salutavit, fingit se intrare fretum Gaditanum et iam ordine enumerabit gentes quae occurrunt Africae littus legenti. Omnium primi sunt, p. 3. 8 [1]), Μαυρουσίων ὅσοι περὶ τὴν θάλασσαν, quod ne tum quidem recte dictum foret, si Maurusii etiam Hispaniam tenuissent, sed tuto reponere poterimus: παρὰ τὴν θάλασσαν, quemadmodum legimus p. 11. 5: Σαυνίταις οἳ παρὰ τὸν Ἰόνιον ᾤκηνται et p. 118. 24: παρὰ τὸν Ἰόνιον οἰκῆσαι. Itidem perperam editur p. 4. 19: Θρᾳκῶν ὅσοι περὶ τὸν Εὔξεινον, sed recte p. 5. 10: Κόλχοι παρὰ τὴν Εὔξεινον θάλασσαν ᾠκημένοι. Redit idem vitium p. 779. 1.

1) Ubique usurus sum numeris Bekkerianis, quae simplicissima ratio est.

Digitized by Google

Pag. 5. 2: τούτων πέρι καὶ ἐφ' ἑκάσου δηλώσω τἀκριβέστατα. Quod correxeram τἀκριβέστερα, id brevi post cognovi itidem placuisse Mendelssohnio. Est Appiani textus paulo facilior ad emendandum, nam eaedem locutiones apud eum saepe ad satietatem usque recurrunt: usurpat quidem superlativum ἀκριβέστατον, sed multo saepius comparativum praetulit. Veluti p. 662. 8: εἴρηται δ' ὅμως ἐς ἀκριβέστατον Φίλον Καίσαρι, ita correxit Henr. Stephanus p. 800 Schw., sed in libris invenitur comparativus. Itaque recte fortasse p. 113. 20: ἀκριβέστατα μὲν ἐν τῇ Ἰβηρικῇ συγγραφῇ δεδήλωται, sed ne nimis sibi arroget, postquam egit de finibus imperii p. 5. 18, non plus profiteri audet quam se ὡς ἐγγύτατα ἐλθεῖν τοῦ ἀκριβοῦς. Vide praeterea comparativum p. 696. 27: τῆς ὕβρεως γνωσθείσης ἀκριβέστερον et p. 657. 25: τἀκριβέστερα περὶ τοῦ Φόνου καὶ τοῦ δημοσίου πάθους. Quod legitur p. 726. 25: ἐπήλπιζε περιμείναντας ἐς ἕως τἀκριβέστατα μαθεῖν, recte, uti opinor, Herwerdenus correxit τἀκριβέστερα, sed nunc contradicit Viereckius, qui vulgatarum lectionum paulo tenacior esse solet; equidem consimili loco p. 140. 10: παρ' αἰχμαλώτου τἀκριβέστατα μαθών, itidem comparativum longe praeferam. Pariter p. 539. 17: Φυλάττειν αὐτοὺς μέχρι τἀκριβέστατα μάθωσι, eadem correctione utar. Etiam p. 227. 21: μεταδώσοντας αὐτῇ τἀκριβέστατα, multum dubito itane recte scribatur.

Ridicule editur p. 10. 32 Appianum scripturum esse primo libro τὰ τῶν βασιλέων ἔργα ἅπαντα ἐφ' ἑαυτῶν, ὡς ἐγένετο. Corrige: ὅσ' ἐγένετο.

Pag. 14. 15: ἐδέοντό τε οἴκτου λαβεῖν τινὰ τοὺς Σαβίνους σφῶν τ' αὐτῶν καὶ κηδεσῶν καὶ ἐκγόνων καὶ θυγατέρων. Immo praestat: θυγατριδῶν.

Pag. 14. 19: συγγιγνώσκοντες ἤδη μὴ καθ' ὕβριν εἰργάσθαι ταῦτα Ῥωμαίους. Recte hoc quidem, et tamen praefero Ῥωμαίοις, ut εἰργάσθαι passivum verbum sit.

Pag. 16. 12. Leguntur apud Suidam Coriolani verba ad Volscos: ὅτι πατρίδα καὶ γένος ἀλλαξάμενος ἥκοι, ubi necessarium est

Digitized by Google

futurum: ἀλλαξόμενος. Sed quod continuo sequitur: τὸ μηδὲν ἡγησάμενος ἢ τὰ τῶν Οὐολούσκων ἀντὶ τῆς πατρίδος αἱρήσεσθαι βουληθείς, non ea est Appiani interpretatio, sed ipsius Suidae, qui participium βουληθείς coniungere potuit cum futuro infinitivi, qui error non cadit in Appianum. Apparet praeterea dubitavisse lexicographum dicereturne πατρίδα ἀλλάττεσθαι de vetere patria quam quis deserit an de nova quam vult sibi adsciscere. Rem conficit p. 215. 4: τὰ ἐν Τύρῳ καταλιπόντες ἠλλάξασθε Λιβύην.

Pag. 22. 15: εἰ μὴ ὀμόσειεν ὅτι λύσει τῷ πατρὶ τὴν δίκην καὶ ὃ μὲν ὤμοσε καὶ διέλυσεν. Corrigam: διαλύσει. Cf. p. 25. 16, 30. 17, 82. 6, alibi.

Pag. 23. 31. Apud Furculas Caudinas Pontio filio pater suasit quod omnes norunt: ἴσθι νίκην τήνδε πρώτην καὶ μεγίστην θησαυρίζειν τὴν εὐτυχίαν. Obscura verba sunt; lux fiet si scripseris: (μετὰ) νίκην τήνδε. Quid hic sit θησαυρίζειν Schweighauserus dicit p. 156.

Pag. 28. 21. Tarenti, nam haec quoque historiola notissima est, τὸ θέατρον ἔπαιζεν ὡς ἐπὶ γελοίῳ. Hic quid requiratur, nimirum ἐπαιώνιζεν, duo loci ostendent: p. 725. 3: οἱ δ' ἀκούσαντες ἐπαιώνισαν τε καὶ ἠσπάσαντο ἀλλήλους ἐπὶ διαλλαγῇ, et p. 869. 9: ἐπαιώνιζον αὐτίκα ἅπαντες ὡς ἐπ' εἰρήνῃ.

Pag. 30. 4. Rheginus medicus Decium Campanum, qui oculis laborabat, χρίσας τοῖς κατακαίουσι καὶ δαπανῶσιν ἐκέλευσεν ἀνασχέσθαι τοῦ πόνου μέχρι αὐτὸς ἐπανέλθοι. Quae est ea orationis scabrities? Offensionem omnem vitabis scribendo ἰοῖς κατακαίουσι. Vide modo p. 395. 5: Μιθριδάτην ἐθεράπευον Ἄγαροι, Σκυθικὸν ἔθνος, ἰοῖς ὄφεων ἐς τὰς θεραπείας χρώμενοι. Tam lene remedium in tam gravi morbo tamdiu latuisse! (ΤΟΙΣ — ΙΟΙΣ).

Pag. 30. 13. Audi quid deinde factum sit: Decius caecus φυλασσόμενος ἐπιμελῶς οἷα πηρὸς ἑαυτὸν διεχρήσατο. Quod vides, plane contrarium requiritur itaque Schweighauserus ἀμελῶς commendavit, Bekkerus autem (οὐ) φυλασσόμενος. Neutrum

Digitized by Google

mihi magno opere placet: incidi in ἀτημελῶς. Appianus adiectivum ἀτημέλητος habet p. 800. 14.

Pag. 39. 20: τοῦ δ' οἴνου καὶ τῶν ἄλλων ἄδην ἐνεπίμπλαντο οἱ Κελτοί. Inseram: τῶν ἄλλων (ἀγαθῶν)· vide modo p. 49. 16: τὴν γῆν μεγάλων ἀγαθῶν γέμουσαν et p. 32. 14: κοινωνὸν τῶν παρόντων ἀγαθῶν.

Pag. 20. 18: λιμὸς ὁμοῦ καὶ λοιμὸς ἐπέλαβε Ῥωμαίους. Hoc breve Appiani fragmentum servatum fuit in Anecdotis Bekkeri p. 146. 7, sed imprimis operae pretium est animadvertere quam saepe istiusmodi sermonis elegantiae apud Appianum recurrant. Veluti supra iam habuimus p. 9. 19: λιμοί τε καὶ λοιμοὶ συνεχεῖς καὶ σάσεις. Tum p. 109. 17: τεθηριωμένοις δὲ τὰ σώματα ὑπὸ λιμοῦ καὶ λοιμοῦ. P. 384. 9: τὰ νεκρὰ σφῶν ἀγχοῦ ἄταφα ῥιπτούμενα λοιμὸν ἐπῆγεν ἐπὶ τῷ λιμῷ. P. 584. 17: ἐς λοιμὸν ἐκ λιμοῦ τοὺς πολεμίους περιφέρειν. Denique p. 764. 28: λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμὸν ἐνοχλοῦντα τότε Αἰγύπτῳ. Imitatur Appianus Hesiodum et Herodotum VII. 171; cf. Cobet. *Mnem.* 1882 p. 216 et 237.

Pag. 45. 23: τοὺς Καρχηδονίους ἀσθενεῖς καὶ ταπεινοὺς ὁρῶντες. Hic omissum sane est participium ὄντας, sed inserere noli et receptam lectionem sollicitare. Quod saepissime apparet, Appiano fere perinde est addatne participium nec ne. Invenio v. c. p. 103. 11: τὸν σῖτον ἔκειρεν ἔτι χλωρόν, p. 114. 29: λεγόμενος δὲ καὶ ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐπὶ βωμῶν ἔτι παῖς ὀρκωθῆναι, sed de eadem re, p. 53. 2: ἐλέγετο δὲ καὶ παῖς ὢν ἔτι ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὀρκωθῆναι, et eiusmodi exempla conquirere facillimum est. Cf. Viereck. p. 491. 13.

Pag. 48. 32: οἵτινες δ' αὐτὴν οἰκῆσαι πρῶτοι νομίζονται. Aut plurimum fallor aut omnino legendum est οἰκίσαι. Itidem p. 49. 6: δοκοῦσι δέ μοι καὶ Φοίνικες οἰκῆσαί τινα τῆς Ἰβηρίας, utere eadem correctione, uti et 251. 31: ἐπηράσαντο εἴ τις οἰκήσειεν αὐτήν et p. 426. 2: Σκιπίωνα Σκορδίσκους ἐς τὸν Ἶσρον καὶ τὰς νήσους τοῦ ποταμοῦ μετοικῆσαι Φυγόντας. Illud verbum οἰκίζειν apud Appianum minime rarum est: vide

Digitized by Google

simplex verbum p. 111. 23: *πόλιν δ' ᾤκουν μιγάδες Κελτιβήρων, οὓς Μαριος ᾠκίκει πρὸ πέντε ἐνιαυτῶν* et p. 55. 12: *τὴν πόλιν ᾤκιζεν αὖθις*. Sunt composita verba *ἐποικίσαι* p. 83. 2, *συνοικίσαι* p. 252. 29 et 85. 7; item *ἀνοικίσαι* p. 75. 11: *αὕτη τὰς βραχυτέρας πόλεις ἀνῴκιζεν ἐς αὐτήν* et medium *ἀνοικίσασθαι* p. 208. 25: *ἀνοικίσασθε ὅπῃ θέλετε τῆς ὑμετέρας*, item p. 211. 18 et 239. 32. Perfectum *ᾠκῆσθαι* vel si mavis Ionice *οἰκῆσθαι* apud Herodotum haud infrequens est: dixi de hoc verbo *Mnem.* 1855 p. 4; hunc quoque usum Appianus imitatur p. 73. 30: *Λούσονες οἳ περὶ τὸν Ἴβηρα ᾤκηνται* et p. 426. 11: *ὅσα ἄλλα ὅμορα τούτοις ᾤκηται·* quocirca p. 336. 2: *Ἑλλήνων τοὺς ἐπὶ τοῦ Πόντου κατῳκισμένους*, tuto licebit corrigere *κατῳκημένους*. Semel, si bene memini, in Appiani libris verbum *πολίζειν* invenitur, nempe p. 85. 11: *ἐκέλευεν ἐν τῷ πεδίῳ περιμένειν μέχρι πολίσειεν αὐτοὺς ἐπελθών*, ubi omnino malim: *αὐτὸς ἐπελθών*.

Quam fuerit Appianus geographiae imperitus, nusquam luculentius apparet quam p. 51. 25, ubi diserta verba sunt de Ibero flumine: *ἐξίησιν ἐς τὸν βόρειον ὠκεανόν*. Nempe confudit Iberum cum Tago, sicuti p. 55. 15 confundit Saguntum et Carthaginem Novam, qui non minus puerilis error est. Nihil fortasse mirum est tempore belli Punici secundi plebeculam Romanam tam turpiter locorum ignaram fuisse — quamquam quis facile crediderit talem inscitiam cecidisse in eos qui cum exercitu in Hispania fuissent? — sed tercentis annis post neminem certe decebat scribere historiam et negligere situm locorum, quae multi iamdudum cognoverant. Scribit Strabo III p. 166 Cas.: *ὅσα βάρβαρα καὶ ἐκτετοπισμένα καὶ μικρόχωρα καὶ διεσπασμένα, τούτων ὑπομνήματα οὔτ' ἀσφαλῆ ἐστιν οὔτε πολλά· ὅσα δὲ δὴ πόρρω τῶν Ἑλλήνων, ἐπιτείνει τὴν ἄγνοιαν*. Deinde indignabundus addit quae itidem *αὐτολεξεὶ* describam: *οἱ δὲ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεῖς μιμοῦνται μὲν τοὺς Ἕλληνας, ἀλλ' οὐκ ἐπιπολύ· καὶ γὰρ ἃ λέγουσι, παρὰ τῶν Ἑλλήνων μεταγράφουσιν· ἐξ ἑαυτῶν δ' οὐ πολὺ μὲν προσφέρονται τὸ φιλείδημον· ὥσθ' ὁτόταν ἔλλειψις γένηται παρ' ἐκείνων, οὐκ ἔστι πολὺ ἀναπληρούμενον ὑπὸ τῶν ἑτέρων*. Appiani negligentiam si Strabo cognoscere potuisset, acriter, credo, exagitasset ineptias hominis Romani quidem, sed qui Graecorum studiis innutritus fuerat. Sed

Digitized by Google

nostra studia ita constant: haud raro turbidis fontibus contenti simus oportet. — Illud quoque, quod nunc annectam, ad rem aliquatenus pertinet: p. 81. 27 scriptor describit quid Luculli milites in obsidione Intercatiae urbis perpessi sint: *οἴνου γὰρ οὐκ ὄντος οὐδ' ἁλῶν οὐδ' ὄξους οὐδ' ἐλαίου, πυροὺς καὶ κριθὰς καὶ ἐλάφων κρέα πολλὰ καὶ λαγωῶν χωρὶς ἁλῶν ἐψόμενα σιτούμενοι κατερρήγνυντο τὰς γαστέρας καὶ πολλοὶ καὶ ἀπώλλυντο.* Hic aliquantulum miror salis penuriam, nam Hispani utebantur et maritimo et fossicio: vide modo Strabonem III p. 143 Cas.: apud Turditanos, inquit, *ἅλες τε ὀρυκτοί εἰσι· καὶ ποταμῶν ἁλμυρῶν ῥεύματα οὐκ ὀλίγα· οὐκ ὀλίγῃ δ' οὐδ' ἡ ἐκ τῶν ὄψων ταριχεία, οὐκ ἔνθεν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς ἄλλης τῆς ἐκτὸς ϛηλῶν παραλίας, οὐ χεῖρον τῆς Ποντικῆς.* Notabile autem fame laboravisse Romanum militem, quum carne abundaret: convenit p. 102. 1, ubi ex severa Scipionis disciplina militibus *τὰ σιτία ὥριϛο κρέα ζεϛὰ καὶ ὀπτὰ εἶναι.* Nec multo aliter, Tacit. Annal. XIV 24, in Armenia Corbulonis milites per inopiam et labores fatiscebant, carne pecudum propulsare famem adacti. Itidem Caes. Bell. Gall. VII 17: usque eo, ut complures dies milites frumento caruerint et pecore e longinquioribus vicis adacto famem sustentarent.

Pag. 59. 29: *ἡλίου δύναντος*, collata p. 776. 20: *δύνοντος τοῦ θεοῦ*, tuto reponere licebit *δύνοντος*. Ceterum circa usum verbi *δύειν* in nostro Appiani textu, quantum observavi, non erratur, nisi quod p. 625. 26 legitur: *τὴν ἐσθῆτα ἀπεδύσατο* et nimis ridicule dictum est p. 474. 4 = 550. 25 *δούλων ἐσθῆτας ὑποδύντες*, cf. Cobet. *Mnem.* 1882 p. 215. Compositum *περιδύειν* ter invenitur: p. 753. 18, 864. 14 et 865. 6.

Verbum *ἅλλεσθαι* apud Appianum habet primum aoristum *ἅλασθαι*, sed sex aliis locis, haud satis scio an perperam, aoristus secundus est *ἁλέσθαι*, p. 61. 19, 144. 12, 286. 12, 648. 26, 828. 18 et 875. 15.

Recte Appianus distinguere solet inter adiectiva *πάτριον*, *πατρῷον* et *πατρικόν*, nec mendum subest nisi duobus locis, quorum alterum, pag. est 642. 30, Cobetus sanavit, *Mnem.* 1882 p. 219,

Digitized by Google

cum scriberet Iovem non πάτριον, sed πατρῷον esse dicendum. Alter legitur p. 61. 21: ἡ μὲν δὴ πόλις ἔθυεν ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ὡς τῆς πατρῴας εὐπραξίας ἐκ πόνων πολλῶν αὖθις ἀνακυπτούσης. Sermo est de Carthagine Nova omnium exspectatione celerius capta eaque certe fuit imperatori non πατρῴα sed πατρία εὐπραξία, cum pater et patruus in eadem provincia mortem obiissent. Sed praeterea πατρικὸν Φίλον de more Appianus dicit p. 597. 1, rarius autem multo est, quod invenio p. 263. 1, πατρικὸς ἐχθρός.

Pag. 63. 31: ἀναζεῦξαι μὲν οὐκ εὐπρεπὲς ἡγεῖτο εἶναι Σκιπίων· hic noli delere proprium nomen tamquam plane inutiliter additum, sed cum Nipperdeio refinge ut fiat: Σκιπίωνι. Hoc modo apud Appianum dum sese efferunt, suum sibi proprium nomen libenter usurpant: ecce exempla: pag. 65. 2: ἐπικουρεῖτε κινδυνεύοντι ὑμῶν τῷ Σκιπίωνι, modo cum Stephano corrigas: προκινδυνεύοντι. Pag. 340. 10: αἰσιούμενος ἄρα ἔνθαπερ Ἀλέξανδρος ἀνεπαύσατο καὶ Μιθριδάτην ςαθμεῦσαι. Pag. 410. 16: τοῦτο μὲν οὐκ ἔΦη ποτὲ ὑποςήσεσθαι Μιθριδάτης γε ὤν. Pag. 800. 11: Brutus Cassium ἐμακάριζεν ὁμοῦ Φροντίδων καὶ ἀνίας ἀπηλλαγμένον, αἳ Βροῦτον ἐς ποῖον ἄρα τέλος ὁδηγοῦσιν; Pag. 642. 4: ὑμετέραν καὶ οὐκ Ἀντωνίου τάδε Φωνὴν εἶναι τιθέμενος, ἀναγνώσομαι. Pag. 684. 1: αὐτοὺς δ' εἰδέναι οὔτε ὠμὸν οὔτε σμικρολόγον Ἀντώνιον. Pag. 318. 24: ὑπερόψει μὲν οὕτως Ἀντίοχον, ὑπερόψει δ' ἐπ' αὐτῷ καὶ Σέλευκον. Denique pag. 488. 10: σὺ τολμᾷς κτεῖναι Γάιον Μάριον. Sed sic solent omnes et omnes ita loqui occasione data solemus eodemque referendum illud: Οὐ Φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Alibi proprium nomen interpolatum deprehendimus, veluti p. 602. 24: τοιούτοις ἄρα κατὰ [Μιθριδάτην] τὸν τοῦδε πατέρα πολεμῶν ἀνδράσι.

Pag. 64. 1: τὴν ςρατιὰν ἐς ἐπήκοον ἐλάσας. Corrige cum Nipperdeio: καλέσας. Reiskius aliter nec melius apud Schweigh. p. 236.

Pag. 68. 20: ὥρκωσαν τοὺς ἀρίςους καὶ τὰ γύναια καὶ τοὺς παῖδας ἀνελεῖν καὶ τὸ πῦρ ἅψαι καὶ ἑαυτοὺς ἐπικατασΦάξαι. Primum vide quod iam aliquoties observavimus, eadem ab Ap-

Digitized by Google

piano plus semel plane iisdem verbis enunciata fuisse, nam verba recurrunt pag. 776. 29: τὸ πῦρ ἅψαντες ἑαυτοὺς ἐπικατέσφαξαν. Praeterea notandum ἀνελεῖν esse infinitivum futuri temporis, quocirca reponendum est ἆψειν et ἐπικατασφάξειν. Iam multis saeculis ante Appianum futurum illud ἐλεῖν pro αἱρήσειν usu receptum fuit, veluti exempla satis crebra apud Polybium cum cura collegi *Mnem.* 1857 p. 343. Apud Appianum vide simplex ἐλεῖν p. 138. 25, ἀνελοῦμεν p. 192. 4, ἀνελοῦντα p. 390. 7, ἀνελοῦσιν p. 756. 3, alibi fortasse. Cobetus in *Mnem.* 1882 p. 222 attulit p. 745. 7: εἰ δὲ καὶ τὰ χρήματα προσαφέλοισθε, περιςήσετε εἰς ἀπρέπειαν ἀναξίαν γένους et reposuit προσαφελεῖσθε. Idem ibidem p. 227 exscripsit p. 797. 22: ἐπιςρέφων ἐς τὸ διατείχισμα τοῦ Κασσίου — ὡς ἐξελὼν αὐτὸ καὶ παροδεύσων ἐς τὸ τοῦ Κασσίου ςρατόπεδον, rectissime mutato accentu cum Schweighausero emendavit ἐξελῶν. Duos praeterea locos enotavi nondum correctos, pag. 214. 32: ἐναγίζετε αὐτοῖς ἐπερχόμενοι καὶ τοῖς ἱεροῖς θύειν εἰ θέλετε ἐπιόντες, τὰ δὲ λοιπὰ καθέλωμεν, ubi praeterea vide quam nihil intersit inter ἐπερχόμενοι et ἐπιόντες. Alter locus legitur p. 259. 16: εἴ τις ἐξέλοι τοὺς Μακεδόνων βασιλέας, ἐπιδραμεῖται ῥᾳδίως. Sed iam nemo dubitabit quin corrigendum sit καθελοῦμεν et ἐξελεῖ.

Pag. 68. 29: τὰ παιδία κατέσφαξαν καὶ τὸ πῦρ ἐγείραντες ἑαυτοὺς ἐπέρριψαν. Aut fallor aut per errorem articulus irrepsit et praestat: κἄτα πῦρ ἐγείραντες. Addam p. 134. 18: πίσσαν αὐτοῦ τοῖς μηχανήμασιν ἐπερρίπτουν, οἱ δὲ καὶ ἐκδραμόντες ὑπέθηκαν, ubi supplendum (πῦρ) ὑπέθηκαν. Sed quod p. 253. 30 narratur fit praeter rei naturam: τοὺς δὲ ἐς τὴν γῆν μέχρι γαςρὸς κατώρυσσε, καὶ περιτοξεύων ἢ ἐσακοντίζων ἔτι ἐμπνέουσι πῦρ ὑπετίθει. Hic melius certe foret ἐπετίθει, sed fieri potest ut gratior corruptela lateat.

Pag. 75. 16: ςρατεύεσθαι Ῥωμαίοις προσέτασσεν. Lege: συςρατεύεσθαι, coll. p. 78. 4, 80. 16, 89. 1, aliis multis locis.

Pag. 78. 20: τὸν Μάρκελλον ἠξίουν ἐς τὰς Γράκχου συνθήκας

Digitized by Google

ἀναγαγεῖν. Malim: ἀναγράφειν. Cf. p. 260. 21: ἐς τοὺς Ῥωμαίων συμμάχους ἀνεγράφοντο, et ubi non.

Pag. 92. 25. Nisi quid me fugit, Ionica forma θεραπευτήρ quinquies apud Appianum occurrit: similiter διαλλακτήρ bis, nam saepius invenitur communis omnium forma διαλλακτής.

Pag. 93. 31. Sunt formae minime Atticae διέπτησαν p. 781. 11 et p. 791. 3 πτάντες, quas non magis sollicitabo quam id quod legitur p. 223. 30: ὅπῃ τι ἀμελούμενον ἴδοι, ἐφίπτατο ἐξ ἀφανοῦς ὥς τις ἀετός. Hinc itidem tuebor p. 779. 15: ἐπεφαίνετο ἄφνω καὶ ἀφιπτάμενος ἠνώχλει. Sed, fatebor enim, id quod invenio p. 93. 31: ὀξέως μεθιπταμένους δυσεργὲς ἡγούμενος καταλαβεῖν, libenter cum Henrico Stephano correxerim: μεθιςαμένους et eadem correctione utar p. 779. 10: περιθέοντός τε καὶ μεθιπταμένου.

Pag. 95. 18. In Numantiae descriptione inveniuntur verba: μία καθοδος ἦν ἐς τὸ πεδίον, ἣ τάφρων ἐπεπλήρωτο καὶ ςηλῶν. Quid hoc rei est? Vetus Interpres appellavit: *columnas transversas*, sine sensu, cf. Schweig. p. 303. Supervenit Emperius qui τάφρων ὑψηλῶν restituere voluit, credo propter p. 120. 19, ubi τάφροι βαθύτατοι memorantur, sed coniectura nimis violenta est. Equidem incidi in: τάφρων ἐπεπλήρωτο καὶ πηλῶν. Vide vocabulum apud Polybium III 79. 9: τῶν δὲ ὑποζυγίων τὰ πλεῖςα πίπτοντα διὰ τοὺς πηλοὺς ἀπώλλυντο et brevi intervallo post: τὰς ὁπλὰς ἀπέβαλον διὰ τὴν συνέχειαν τῆς διὰ τῶν πηλῶν πορείας. Ipse vides quam facile ςηλῶν et πηλῶν confundi possint, cum Π et ΣΤ millies permutentur. Sed etiamsi correctionem satis probabilem esse dixeris, nescio tamen quid faciam verbis quae post breve intervallum sequuntur p. 95. 30: μέχρι γὰρ ςήλαις καὶ Φάραγξιν ὁ Πομπήιος, ... deinde sequitur in libris lacuna, quam supplere nequeo. Conferre poteris de situ Numantiae p. 95. 17, quae ποταμοῖς δύο καὶ Φάραγξιν ἀπόκρημνος est. P. 104. 31 sermo est de vico, quem τέλμα πηλοῦ περιεῖχεν, ἐπὶ δὲ θάτερα Φάραγξ ἦν. Vide quoque p. 147. 5: περὶ ἕλη καὶ τέλματα καὶ ποταμὸν οὐκ εὔπορον ἡλᾶτο. P. 456. 17: ἐξ ἐνεργῶν ἐς ἀργὸν ἢ λίμνας ἢ τέλματα. P. 579. 5: ἐς τέλμα κατενεχθείσας.

Digitized by Google

P. 730. 24: ἕλη καὶ τέλματα. P. 885. 6: αἱ δ' ἐς τέλματα ἐξώκελλον ὑπὸ ῥύμης. Alii videant num ex his locis aliquid lucis queant extundere.

Pag. 97. 24: οὐ γὰρ εἰδέναι συνθήκας ἑτέρας Ῥωμαίων ἀξίας. Verius et simplicius est εἶναι.

Pag. 98. 18: ἄπυρον τὴν νύκτα διήγαγεν ὅλην φεύγων ἐς χαράκωμα. Necessarium est φυγών.

Pag. 99. 7: τὴν βουλὴν ἔφασαν ἀπορεῖν εἰ ὁ Αἰμίλιος πόλεμον ἕτερον ἀρεῖται. Correxeram ἀπερεῖν, sed cf. p. 123. 25: ὑπεκρίνοντο ἀπορεῖν ὅτι χρήματα Ἀννίβας αἰτοίη λέγων νικᾶν et p. 272. 2: ἀπορεῖν ἔφη τί ὁ Ἀντίοχος ἔλθοι ἐπὶ θάλασσαν, unde fortasse illic praestabit rescribere: ἀπορεῖν τί ὁ Αἰμ. πολεμον ἕτερον αἴρεται. Utrum mavis?

Pag. 102. 32: οἱ δ' ἄλλοι τὰ ἔργα διήρηντο καὶ τοῖς μὲν ταφρεύειν ἐτέτακτο, τοῖς δὲ τειχίζειν, τοῖς δὲ σκηνοποιεῖν, χρόνου τε μῆκος ὡρίζετο αὐτοῖς καὶ διεμετρεῖτο. Lege: ὥριϛο et διεμεμέτρητο. Cf. p. 101. 32: τὰ σιτία αὐτοῖς ὥριϛο.

Pag. 103. 6: τοῦ μὴ εὐκαταφρόνητον τοῖς πολεμίοις αὐτὸν γενεσθαι (τοῖς) καὶ τέως καταφρονοῦσιν. Ipse vides quid supplendum sit.

Pag. 108. 13: τὰς χεῖρας αὐτῶν ἐκτεμών. Quod ipsa natura duce Cobetus docuit *Mnem.* 1882 p. 212, dicendum esse τὴν γλῶτταν ἐκτεμεῖν, sed τὴν χεῖρα, τὴν κεφαλὴν ἀποτεμεῖν, id scriptoris usu confirmatur itaque eo sensu recte ponitur ἀποτεμεῖν p. 567. 3, 669. 25, 734. 5, 736. 4, 737. 2, 742. 17, 752. 18 et 787. 13 et ἀποκόψαι p. 738. 1. Errarunt eo loco quem supra indicavi, p. 364. 23, 496. 2 et 513. 2; sunt igitur pauci loci qui repugnant, cum praesertim praepositiones ἀπὸ et ἐκ facillime confundi possint, quae nota res est. Semel observavi excidisse praepositionem, p. 765. 15: ὁ μὲν Δολοβέλλας προύτεινε τὴν κεφαλὴν τῷ σωματοφύλακι αὐτοῦ, καὶ τεμόντα προσέταξε φέρειν Κασσίῳ σῶϛρον ἴδιον· ὁ δὲ τεμὼν ἐπικατέσφαξεν ἑαυτόν.

Digitized by Google

Pag. 109. 6: *τοὺς πρέσβεις ἀπέκτειναν ὡς κακῶν ἀγγέλους* et p. 217. 13: *τοὺς πρέσβεις κατέλευον ὡς κακῶν ἀγγέλους*. Nonne utrobique praestat *κακαγγέλους*?

Pag. 109. 7: *τὸ σφέτερον ἀσφαλὲς ἴσως διῳκημένους παρὰ τῷ Σκιπίωνι*. Prorsus languet illud *ἴσως*· praestare dixerim *τέως*, quemadmodum supra p. 109. 2: *χαλεποὶ καὶ τέως ὄντες ὀργὴν ὑπ' ἐλευθερίας ἀκράτου*.

Pag. 109. 23: *πολλοὶ τῆς ἐλευθερίας ἔτι ἔχονται*. Prorsus otiosa est particula *ἔτι*· quid igitur? num expungam? Non committam: latet verbum *γλίχονται*, quod Appianus apud Herodotum invenerat VIII. 143.

Pag. 110. 8: *οἱ λοιποὶ δ' ἐξῆσαν ἐς τὸ δεδομένον χωρίον*. At miseris Numantinis nihil prorsus relictum fuit: scribam: *δεδειγμένον*.

Pag. 116. 23 de Hannibale legimus quo artificio uti soleret: *τὴν κόμην ἐνήλλασσε συνεχῶς ἐσκευασμέναις ἐπινοίαις*. Prorsus absurda verba sunt, sed minime nos latet quid Appianus narrare voluerit. Omnibus nota res est ex Polybio III 78. Hannibal ut sibi caveret a Gallorum perfidia *κατεσκευάσατο περιθετὰς τρίχας, ἁρμοζούσας ταῖς κατὰ τὰς ὁλοσχερεῖς διαφορὰς τῶν ἡλικιῶν ἐπιπρεπείαις, καὶ ταύταις ἐχρῆτο συνεχῶς μετατιθέμενος*. Hinc Livius XXII. 1: mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam sese ab insidiis munierat. Quid latet? Est Godofredi Hermanni correctio *ἐσκευασμένος* (*νέαις*) *ἐπινοίαις*, nec dubitamus quin participium *ἐσκευασμένος* veram Appiani manum repraesentet. Simplex verbum *σκευάζειν* cum apud alios tum apud Appianum de omni ornatu rectissime ponitur, veluti p. 41. 5, 133. 25, 146. 14, 177. 24, 231. 30, 750. 8, 753. 32, 754. 9, alibi. Pag. 157. 20: *ἐσκευασμένους ὅπλοις τε καὶ ἵπποις ὅ τι δύναιντο καλλίστοις*, rescribendum est *κάλλιστα*, sicuti brevi post, vs. 26, bene scribitur. Sed citra controversiam corruptum est *ἐσκευασμένος ἐπινοίαις* vel, cum Hermanno, *νέαις ἐπινοίαις*. Alii sic dixerint, quod nunc non disputo, sed Appiani sermo simplex et incomtus est et illud *ἐπινοίαις*

Digitized by Google

planissime respuit. Hic commode recordatus sum, quomodo Synesio subvenire voluerim *Mnem.* 1894 p. 123. Φαλάκρας est ἐγκώμιον p. 85 B: ἀλλ' οἱ μὲν ἐπὶ τῶν οἰκημάτων ἄντικρυς οὗτοι καί τοι νικᾶν νομίζουσιν, ὡς ταύτῃ μάλιστα τὸ θῆλυ τοῦ γένους ἐκμιμησόμενοι. Vetus interpres sine sensu: „Ac palam quidem ii qui in lupanari prostant: quamquam hi *sese victores putant*, quasi hoc maxime modo muliebre genus imitari possint." Contuli Pollucem II 30: ἐκαλεῖτο δέ τι καὶ πηνήκη καὶ προκόμιον προσθετόν, οὐ γυναιξὶ μόνον ἀλλὰ καὶ ἀνδρῶν τοῖς ἐνδεῶς εἰς κόμης λόγον πράττουσιν. Convenit Poll. X 170 et Photius in voce πηνήκη· περικεφαλαία τριχωτὴ καὶ προσθετὴ κόμη· ἔνθεν καὶ πηνηκίζειν τὸ ἀπατᾶν· τῆς δὲ περιθετῆς κόμης τὸ μὲν ἔντριχον, τὸ δὲ προκόμιον, τὸ δὲ πηνήκην ἐκάλουν. Itaque πηνίκην, nam haec verior forma est, etiam Synesio reddere volui scribendo: καὶ πηνίκην νομίζουσιν, sicuti idem ille alibi dixit αὐλητρίδας ἐνόμιζε, ne quis de usu verbi νομίζειν dubitet. Nec dissimiliter Hannibal τὴν κόμην ἐνήλλασσε συνεχῶς ἐσκευασμένος πηνίκαις. Idem nomen etiam alibi apud Appianum periit: p. 747. 30, quo tempore proscriptiones flagrabant per urbem: ἕτεροι δὲ ἑτέρως φυγόντες ἢ κρυπτόμενοι, μέχρι τῶν σπονδῶν, οἱ μὲν ἐν χωρίοις ἢ τάφοις, οἱ δ' ἐν αὐτῷ τῷ ἄστει, σὺν ἐπινοίαις οἰκτραῖς διεγένοντο. Video quidem reponendum esse adverbium οἰκτρῶς et sub ἐπινοίαις nunc quoque latere id quod est πηνίκαις, sed reliqua non praesto, nam praepositio σὺν male iungitur cum eo quod est πηνίκαις. Commendo: ἐν πηνίκαις.

Pag. 117. 10: οὐ φέροντες αὐτῶν οὔτε τὴν ὄψιν οὔτε τὴν ὀδμήν, sic recte, uti et p. 178. 45, non ὀσμήν, nam fluxit Ionica forma ex Herodoti imitatione.

Pag. 117. 12: ὑπὸ τοῦ κρύους τετρυμένοι τε. καὶ μαλακοὶ ὄντες. Praetulit Beckerus μαλακιῶντες, sed contendere ausim veram lectionem esse μαλκίοντες, etiamsi Mendelssohnius sibi persuadere non potuerit eam verbi formam ut reciperet. Locum adde copiis quas Cobetus percensuit *Mnem.* 1854 p. 306 et 1858 p. 425.

Digitized by Google

Pag. 119. 16: ἐξῆγεν εὐθὺς ἐπὶ τὴν μάχην αὐτοὺς ὄντας ὑπ' ἀγρυπνίας καὶ κόπου. Hie nescio quomodo Mendelssohnius αὖους ὄντας praetulit, quod Hercherus excogitavit. Melius sine dubio est quod Stephanus et Bekkerus commendarunt κεκμηκότας, cum praesertim scriptor, qui identidem easdem locutiones usurpare solet, dixerit p. 147. 7: κεκμηκότας ὑπ' ἀγρυπνίας καὶ κόπου et p. 177. 17: προσέβαλε κεκμηκόσιν ἐξ ὁδοῦ καὶ ἀγρυπνίας καὶ ἀνυδρίας. Nec tamen prorsus abiiciam in quod incideram: ἀπαγορεύοντας.

Pag. 122. 9: οὐδ' ἤλπιζε Φάβίον βιάσασθαι· iamdudum Musgravius emendavit βιάσεσθαι eamque lectionem Mendelssohnius recepit. Hinc confer p. 299. 25: ῥωμαίων οὐκ ἂν ἐλπισθέντων βιάσασθαι, Mendelssohnius coll. p. 226. 5 correxit ἐλπισάντων, sed praeterea scribe: βιάσεσθαι.

Pag. 129. 22: ὁ δὲ Φαυλότατος τε καὶ τῶν συμφορῶν αἴτιος. Lege: αἰτιώτατος.

Pag. 130. 23. Qui nostris temporibus de militia Romana scripserunt, recte contendunt in legione sagittarios vel funditores non fuisse idque haud raro veterum testimoniis confirmatur. Veluti ut unum locum afferam quem Marquardtio debeo, apud Livium XXII 37 scribit ad senatum Hiero Syracusanus, „milite atque equite scire nisi Romano Latinique nominis non uti populum Romanum; levium armorum auxilia etiam externa vidisse in castris Romanis; itaque misisse sagittariorum ac funditorum aptam manum adversus Baliares ac Mauros pugnacesque alias missili telo gentes". Nec tamen minus in legione Romana interdum extra ordinem etiam levis armaturae milites memorantur. Loci non ita multi sunt quos Marquardtius indicavit itaque non supervacaneum arbitror addere p. 130. 23, ubi legimus post cladem Cannensem iussisse senatum ὅπλα τε καὶ τόξα τοὺς ἐν ἄσει πάντας ἐργάζεσθαι, quod armorum genus, uti opinor, volonibus potissimum destinatum erat. Pag. 294. 19, ubi describuntur copiae quae ad Magnesiam in acie stabant adversus Antiochum Regem, equitatui ἀναμεμίχατο ψιλοί τε καὶ τοξόται πολλοί. Sed luculentius est quod p. 354. 13 de Sylla legimus,

Digitized by Google

qui Athenas expugnaturus cohortes summisit, *αἳ τοὺς ἐπὶ τῶν τειχῶν ἀκοντίζουσαί τε καὶ τοξεύουσαι θαμινὰ ἀνέκοπτον*. Sed sicuti dixi, longe plura sunt apud Marquardtium.

Pag. 134. 24. Prorsus singulare est Tarenti fretum dictum fuisse *ἰσθμόν*· sunt tamen perspicua verba: *λιμένες δ' εἰσὶ τοῖς Ταραντίνοις πρὸς βορρᾶν ἄνεμον ἐκ πελάγους ἐσπλέοντι δι' ἰσθμοῦ, καὶ τὸν ἰσθμὸν ἀπέκλειον γεφύραις*, quibus captis ab Romanis docuit Hannibal *λεωφόρον ὁδὸν, ἣ διὰ μέσης τῆς πόλεως ἔφερεν ἀπὸ τῶν λιμένων ἐπὶ τὴν νότιον θάλασσαν, ὀρύξαντας, ἰσθμὸν ἕτερον ποιήσασθαι*. Sed Palmerius et Schweighauserus hic haesitaverunt, haud satis scio an minus recte.

Pag. 135. 17: *ὁ Φρούραρχος τὸ ἥμισυ τῆς Φρουρᾶς ἄγων ἐς Τάραντα ᾤχετο*. Requiro: *ᾤχητο*. Pariter p. 149. 9 *Δάσιος μὲν τὰ Λιβύων ἠρεῖτο*, Mendelssohnius correxit *ἤρητο*.

Pag. 137. 24: *προσβαλὼν δὲ τῷ περιτειχίσματι καὶ μηδὲν δυνηθεὶς μηδ' ἐπινοῶν ὅπως ἂν εἰς τὴν πόλιν ἐσπέμψειε*. Omnino lege: *ἐπινοεῖν*. Si opus videbitur, poteris conferre p. 447. 24, 448. 24, 469. 30, 484. 31, 491. 9, 498. 26, alios fortasse locos. Sed recte p. 465. 2: *ὑπονοοῦντες ἄλλους ἀμυνεῖσθαι*, quocirca p. 504. 10: *τὴν αἰτίαν οὐδεὶς ἐπενόει*, longe praestare dixerim *ὑπενόει*. Discrimen incurrit in oculos.

Pag. 142. 4. Mortui *κάονται* et Hannibal Marcellum *ἔκαυσε λαμπρῶς*, p. 146. 1, sed capitalis poena dicitur *κολάζειν* et *θανάτῳ κολάζειν*, extrema autem crudelitas est *ζῶντα κάειν*. Ecce unum et alterum exemplum. Page 162. 8: *τρεῖς τοὺς λαχόντας ἐκόλασε θανάτῳ*, p. 133. 11: *τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα ζῶντας ἔκαυσε*, p. 344. 16: *τὸν κυβερνήτην ὕστερον ἐκόλασε*, p. 170. 15 Syphacem *ἠξίουν κολάζειν ὅτι τοῖς Φίλοις ἐπολέμησεν*. Quocirca displicet eo loco quem supra indicavi p. 142. 4: *ὁ Ἀννίβας τοὺς μὲν αἰτίους τῆς ἀποσάσεως ἔκαυσε*, legere malim *ἐκόλασε*. Unus locus remanet, de quo subdubito, nempe p. 402. 22: *τούσδε μὲν ὁ Μιθριδάτης ἐρευνώμενος ἐκρήμνη* (sed malim *ἐκρίμνη* scribere propter ea quae disputavi *Mnem.* 1881 p. 70) *καὶ ὀφθαλμοὺς ἀνώρυττε καί ἔκαιεν*.

Digitized by Google

Pag. 142. 11: *ἐπεὶ δὲ ἠγείρετο τὰ Ῥωμαίων καὶ τὰ πολλὰ τῆς ἐσφετερισμένης γῆς ἀνελάμβανον.* Nauckius *ηὔξετο* coniecit; praestare dixerim *ἤρετο.*

Pag. 145. 28: *ὁ δὲ Μάρκελλος ὡς ἑπομένων αὐτῶν ἐμάχετο γενναίως.* Verum est *ἑψομένων.*

Pag. 147. 32. Carthaginienses Hannibali auxilio miserunt centum onerarias naves, *οὐδενὸς δ' ἐρετικοῦ παραπέμποντος αὐτὰς ἄνεμος ἐς Σαρδόνα κατήνεγκεν.* Sic recte, nisi fallor, et miror quod Bekkerus commendavit *τριηρετικοῦ* vel *τριηρικοῦ*, quod Mendelssohnio placuit. Legitur quidem *τριηρετικὰ σκεύη* p. 220. 19 et 8. 30 et Octavia, p. 883. 2, fratrem donavit *δέκα Φασήλοις τριηρετικοῖς, ἐπιμίκτοις ἔκ τε Φορτίδων νεῶν καὶ μακρῶν*, sed prorsus nihil suadet ut illud *ἐρετικοῦ* corruptum esse credamus. Ceterum Friedlanderus in docto volumine quo *die Sittengeschichte Roms* explicavit II² p. 27, scribit de veterum navium celeritate, sed, quod dolendum, nunc quidem Appiani immemor fuit. Veluti in remigatione laudatur celeritas p. 771. 4: *εἰρεσίᾳ δ' ἐς ἔπειξιν χρώμενοι* et p. 855. 19: *μετ' ὀξείας εἰρεσίας* et p. 886. 24 Sextus Pompeius *διέπλευσεν εἰρεσίᾳ τρισὶν ἡμέραις πεντακοσίους ἐπὶ χιλίοις σαδίους*, quam celeritatem remiges sane non potuerunt praestare, nisi alternaverint, qua de re quam maxima cura potui disserui *Mnem.* 1895 p. 255 sqq. Sed vento flante secundo rotundae naves sunt etiam celeriores. Disertum est quod legimus p. 579. 3: *αἱ μὲν δὴ μεγάλοις αὔθις ἰσίοις ἐξ ἀέλπτου τὸ πνεῦμα ἐδέχοντο καὶ διέπλεον ἀδεῶς* et p. 800. 30: *αὐτοὺς αἱ ὁλκάδες ἰσίῳ μὲν αἱ πρῶται διέφυγον ὀλίγαι, αἱ λοιπαὶ δέ, χαλάσαντος ἄφνω τοῦ πνεύματος, ἐν γαλήνῃ σαθερᾷ κατὰ τὸ πέλαγος ἠλῶντο ὑπό του θεῶν ἐκδιδόμεναι τοῖς πολεμίοις.*

Pag. 151. 10: *γυναικῶν ὕβρις καὶ παρθένων ἀπαγωγαί.* Lege: *ὕβρεις.* Cognoscat mihi quis Appiani scribendi morem p. 497. 22: *ἐξελάσεις ἑτέρων καὶ δημεύσεις περιουσίας καὶ ἀρχῆς ἀφαιρέσεις καὶ ἀνατροπαὶ τῶν ἐπὶ Σύλλα τεθέντων νόμων.*

Pag. 152. 8: *ὅσοι μετέθεντο πρὸς ἐκεῖνον.* Plusquamperfectum requiritur et reponam: *μετετέθειντο.* Eadem correctione utar

Digitized by Google

p. 355. 18: ὅσοι ἄρτι πρὸς αὐτὸν ἀπ' Ἀρχελάου μετετίθεντο. Recte se habet imperfectum p. 154. 12.

Pag. 153. 13: τὴν πόλιν τὴν ἔξω τῇ Βύρσῃ περιέθηκαν Corrigam: προσέθηκαν. Vide locorum descriptionem p. 219. 28.

Pag. 155. 7: ὑποκρινάμενοι τιμᾶν δωρεαῖς πολλαῖς καὶ προπέμπειν ἐπὶ τριήρων ἐς Λακεδαίμονα. Malo: προπέμψειν.

Pag. 164. 12: τόλμῃ δὲ καὶ εὐτυχίᾳ προὔχομεν· immo: εὐψυχίᾳ, quemadmodum scriptor alibi dixit p. 241. 12: οὐδὲν ὑπολείποντες εὐψυχίας τε καὶ τόλμης, et nota est confusio literarum T et Ψ. Itidem recte legitur p. 128. 24: πολλὰ μὲν σὺν εὐψυχίᾳ καὶ ἀπονοίᾳ λαμπρὰ ἔδρασαν. Sed alibi alteram vocem praefero: p. 138. 6: στρατηγοῦ δι' ἀρετὴν καὶ εὐτυχίαν ἁμάχου, quocum convenit p. 139. 9: τὴν τῆς πόλεως ἀρετὴν καὶ τύχην δείσας. Vide quoque p. 300. 3: ἐς δόξαν εὐτυχίας ἔφερεν et p. 124. 29: γεγυμνασμένῳ πολέμοις καὶ εὐτυχίαις, ubi Schweighauserus supplevit: ἐπαιρομένῳ.

Pag. 172. 9. Cobetus in *Mnem.* 1882 p. 221 agit de verbo τρύχειν et collegit omnia exempla quae in altero Appiani volumine observarat. Disputationem ita concludit: „In praesenti tempore τρύχειν dicere solet et ἐκτρύχειν et προεκτρύχειν, in futuro ἐκτρύσειν, in aoristo ἐκτρῦσαι. Formae passivae praesens est τρύχομαι, perfectum τέτρυμαι, τετρυμένος, depravari solitum in formas τέτριμμένος, τετρυμμένος, τεθρυμμένος, τετρυχωμένος." Collato priore volumine, quod Cobetus vix dignum habuisse videtur quod inspiceret, exempla accedunt:

ἐκτρύχειν p. 124. 15, 121. 15, 790. 15.
ἐξέτρυχε p. 765. 20.
τρυχομένους p. 448. 17,
τετρῦσθαι p. 22. 30 et 44. 22.
ἐκτετρῦσθαι p. 261. 28.
τετρυμένος p. 44. 4 et 274. 20.

Remanet corrigendum participium ἐκτετρυχωμένης p. 172. 9. Denique adiectivum ἄτρυτος est p. 341. 12 et 447. 7. Cf. praeterea Ludov. Dindorfius in Fleckeisenii Annalibus XCIX (1869) p. 45 sq.

Digitized by Google

Pag. 173. 3. Cobetus l.l. p. 219 itidem disserit de compositis verbis ὑπερορᾶν et περιορᾶν, quorum illud significat *despicere, contemnere*, hoc *sinere, pati*. Locis quos affert addi possunt ὑπερορᾶν p. 548. 28 et 549. 7; περιορᾶν autem p. 501. 30. Itidem dignum notatu est deponens verbum περιορᾶσθαι p. 148. 8, 158. 5 et 232. 12 περιορωμένους τὸ μέλλον· conf. Photius in voce περιορᾶσθαι. Invenitur quoque ὑφορᾶσθαι, p. 173. 3 τὴν ταχυεργίαν ὑφορώμενος, ac praeterea p. 174. 24, 185. 6, 542. 5, 581. 14 et 624. 11.

P. 179. 14: Φουλούιος ὁ Ῥωμαίων στρατηγός. Suspicatur Mendelssohnius insiticia esse vocabula: ὁ Ῥωμαίων στρατηγός. Facile concedimus verba plane abundare, sed ita solet dicere Appianus; cf. p. 144. 14 Φουλούιος ὁ Ῥωμαίων ὕπατος, p. 167. 1: Ἀσδρούβας δὲ στρατηγὸς ὁ Καρχηδονίων, Ἀσδρούβας ὁ ἔριφος p. 184. 1 = 184. 7, quod cognomen iam habueramus p. 174. 2; p. 367. 23: εἰ πρὸς τὸν ἕτερον ὑμῶν στρατηγὸν διελύετο Φιμβρίαν. Uti vides, ingens est numerus locorum, qui mira ac parum eleganti abundantia laborant.

Pag. 195. 1: τὰ μὲν φρονήματα αὐτῶν καταβήσεται; mire dictum: malim: καταασβέσεται. Legitur σβέννυσθαι p. 591. 32, σβέσειν p. 585. 22 et 639. 1, σβέσαι p. 468. 22, 509. 24, 653. 31 et 667. 32, ἐσβέσθαι p. 227. 22, 296. 8 et 470. 13, denique ἐσβέσθη p. 585. 20.

Pag. 196. 6. Scribit Cobetus *Mnem.* 1882 p. 215: „Licebat Graeculis dicere ἐπικεῖσθαι (ἐπιτίθεσθαι) στέφανον, περικεφαλαίαν, πῖλον, τιάραν et quidquid *capiti imponitur*, pro περιτίθεσθαι, περικεῖσθαι, ut in tali re veteres constanter dicebant, sed etiam longius a sanitate veterum aberrantes de quolibet cultu et vestitu ἐπικεῖσθαι coeperunt dicere." Deinde rem comprobat aliquammultis Appiani locis allatis, quibus alii quam plurimi addi possunt. Verbi causa plerumque scriptor loquitur sicuti ex exemplis apparet quae Cobetus inter legendum omisit: p. 196. 6: στεφάνην χρυσῆν ἐπικείμενος, p. 196. 23: οἱ δ' ἀριστεῖς καὶ τὰ ἀριστεῖα ἐπίκεινται, p. 326. 18: πῖλον ἐπικείμενος, p. 328. 10 διάδημα ἐπικείμενος, p. 523. 28: τὰ στέφετρα σημεῖα ἐπικείμενοι.

Digitized by Google

Alibi redit scriptor ad veterum imitationem: p. 196. 9: *πορφύρεν ποδήρη περικείμενος*, p. 314. 24: *περιθέσθαι τῇ κεφαλῇ τὸ διάδημα*, p. 387 *ἐγχειρίδιον περικείμενος*, p. 495. 27 utramque formam coniunxit: *τὴν τῆς ἀρχῆς ἐσθῆτα ἐπικείμενος, ῥάβδων καὶ πελέκεων ὡς ὑπάτῳ περικειμένων*, ac dixeris hic illic Appianum praetulisse dicere *περικεῖσθαι*, ne hiatus irreperet. Vitiose autem, nisi fallor, p. 414. 3: *ὃ περὶ τῷ ξίφει φάρμακον ἀεὶ περιέκειτο ἐκίρνη* et malo scribere: *παρὰ τῷ ξίφει* et *παρέκειτο*. Ridicule ut nihil supra p. 329. 19: *ἀτχήμονας ἐπέκειτο ὠτειλάς*.

Pag. 198. 30 *Κάτωνά Φασιν γνώμην λέγειν Καρχηδόνα μὴ εἶναι*, Scipionem Nasicam autem *τἀναντία ἀξιοῦν Καρχηδόνα ἐᾶν*. Imo Cato auctor fuit Carthaginem *μὴ ἐᾶν*, quod si probaveris, sponte excident postrema verba *Καρχηδόνα ἐᾶν*. Vix opus est conferre p. 210. 31 et 215. 20.

Pag. 200. 11: Nomades sunt *μακροβίων ὄντων μακροβιώτατοι*. Imo scribendum *πάντων*.

Pag. 201. 32: *τῶν ἀποθνησκόντων οὐδεὶς οὔτ' ἐξεφέρετο οὔτ' ἐξεκαίετο ξύλων ἀπορίᾳ*. Cadavera *καίεται*, non *ἐκκαίεται* itaque corrige: *οὔτ' ἔτι ἐκαίετο*.

Pag. 209. 19: *οἰμωζόντων ὁμοῦ τά τε κοινὰ καὶ τὰ ἴδια, μέχρι καὶ Ῥωμαίους αὐτοῖς ἐπιδακρῦσαι*. Quanto elegantius dictum erit: *μέχρι καὶ Ῥωμαίους αὐτοὺς ἐπιδακρῦσαι*. *Ipsos* Romanos afflictae Carthaginis misertum est.

Pag. 213. 27: *δοκεῖ πόλις ἡ μὲν ἐν τῇ θαλάσσῃ ναῦς τις εἶναι μᾶλλον ἢ γῆ*. Imo: *ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ*. Ceterum egregie stulta est ea Romani consulis oratio.

Pag. 214, 3: *ὅσαι μετάγειοι πόλεις ἀκινδύνως βιοῦσιν*. Hoc verbum Appianus ex Ionia habet; pariter p. 327. 20 *βιοῦν* et p. 464. 8 *βιοῦντας* praesentis temporis sunt, sed p. 914. 3 *βιοῦντα* habet praeteriti temporis significationem. Legitur praeterea *διεβίωσεν* p. 471. 21 et 902. 25, uti et *βιώσοντες* p. 804. 7. Cf. Cobet. *Mnem.* 1858 p. 37.

Digitized by Google

Pag. 194. 23: ἐπιτρεψάτωσαν. Noviciae imperativorum formae apud hunc scriptorem satis raro inveniuntur; praeterea enotavi p. 735. 32: εἰσελθέτωσαν et p. 850. 10 ἀφείσθωσαν. Sed ter legitur ἔσων p. 214. 30, 737. 16 et 829. 3, uti et ἀναφερόντων p. 729. 32.

P. 215. 27: τὸ δὲ πρόσταγμα τῆς βουλῆς δεῖ γενέσθαι καὶ αὐτίκα γενέσθαι. Placet: αὐτίκα τετελέσθαι. Contra p. 212. 29: προσέταξε γὰρ καὶ χρὴ γενέσθαι· οὐδ' ἀναθέσθαι δυνάμεθα τὰ ἤδη κεκελευσμένα γενέσθαι, alterum γενέσθαι libenter expunxerim.

Page 219. 21: οἱ μὲν ὕπατοι προσῄεσαν ἄμφω τῇ πόλει. Sed consules, uti supra legimus, copias coniunxerant itaque nihil est cur addatur ambos accessisse ad urbem: corrigam ἄφνω, de quo adverbio Cobetus praecepit *Mnem.* 1882 p. 230. Brevi post διελόμενοι τὸ ἔργον ἦσαν ἐπὶ τοὺς πολεμίους, deinde p. 221. 23: πάλιν ἐπεχείρουν ἄμφω τῇ πόλει, ubi ἄμφω rectissime additum est. Hic locus revocat mihi in mentem quod olim adnotavi ad Acta Apostolorum XIX 16: sermo erat de Scevae filiis *septem*, qui Paulum imitati et usurpantes ipsum Iesu nomen, immundos spiritus exturbabant. Verum non contemnendas poenas illi aliaaliquando dederunt, nam exacto spiritu ἐφαλόμενος ὁ ἄνθρωπος ἐπ' αὐτούς, ἐν ᾧ τὸ πνεῦμα τὸ πονηρόν, κατακυριεύσας ἀμφοτέρων ἴσχυσε κατ' αὐτῶν. Itane ἀμφοτέρων cum septem essent? Sed corrigendum ἄφνω et vide vocabulum itidem usurpatum Act. Apost. XXVIII 6. Restat alius locus de quo subdubito quid sentiam. Legitur p. 886. 26: εἶα σκηπτὸς ἀφανῶς ἐμπίπτων καὶ ἐς ἀφανὲς ἀναχωρῶν, quod postquam risit Cobetus tamquam inepte dictum, ἄφνω reposuit, quod se ipsum facile tuebitur. Contuli autem p. 399. 26: διαλανθανόντων τε εὐμαρῶς καὶ ὑποχωρούντων ῥᾳδίως καὶ ἐμπιπτόντων αὖθις ἀφανῶς, nec ambigebam quin hic quoque ἄφνω audacter corrigerem. Verum inveni p. 407. 2: ἐπιόντες ἀφανῶς, p. 498. 5: φυλασσόμενοι ἀφανῶς, p. 537. 10: στρατὸν συνέλεγον ἀφανῶς et p. 542. 14: χεῖρα πολλὴν ἀφανῶς ἡτοιμάζετο.

Pag. 221. 18: Censorinus consul ἐπὶ ὕλῃ ἐς μηχανὰς διέπλευσε διὰ τῆς λίμνης καὶ ἀπέβαλεν ὑλοτόμων ἐς πεντακοσίους.

Digitized by Google

Iam Schweighauserus correxit quod etiam puer corrigere poterit: *ἐπὶ ὕλην*, sed praeterea mutato accentu scribendum est *ὑλοτομῶν*, sicuti recte editur p. 378. 24: *τὸν χειμῶνα ὅλον ὑλοτομῶν ἐπήγνυτο ναῦς.*

Pag. 222. 17: *ἀνέμενον τοὺς ἐπερχομένους ἐσδραμεῖν.* In forma participii apud Appianum nulla offensio, sed convenientius iudico *σπερχομένους*. Herodotus III 72: *ἐπειδὴ ὥρα σπερχόμενον Δαρεῖον.* Activum *ἐπισπέρχειν* apud Appianum frequens est.

Pag. 223. 5 legimus quid Carthaginienses obsidione pressi tentaverint: *ὅτε γίγνοιτο πνεῦμα ἐς τοὺς Ῥωμαίους ἐπίφορον, σκάφας φρυγάνων καὶ συππίου εἴλκον ὑπὸ τοῖς τείχεσιν ...* deinde post pauca: *θεῖον αὐταῖς καὶ πίσσαν ἐπιχέοντες ἀνέτεινον τὰ ἱσία καὶ πλήσαντες ἀνέμου πῦρ ἐνέβαλον ἐς τὰ σκάφη.* Quam est ea mira constructio: *πλήσαντες ἀνέμου*! Incidi in: *πρήσαντος ἀνέμου*, indeque rectissime sequitur: *τὰ δὲ τῷ τε ἀνέμῳ καὶ τῇ ῥοπῇ τοῦ πυρὸς ἐς τὰς Ῥωμαίων ναῦς ἐωθεῖτο*, ubi mirum ni verum sit: *τῇ ῥιπῇ τοῦ πυρός*. Homer. Iliad. Φ 12: *ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ ῥιπῆς πυρὸς ἀκρίδες ἠερέθονται.*

Pag. 228. 5: *ὁ Μασσανάσσης ἀποψύχων ἐπέσκηψε τοῖς παισὶ πείθεσθαι τῷ Σκιπίωνι ὡς ἂν αὐτοῖς διαιρῇ τὰ ὄντα.* Ita vulgo edebatur, donec Mendelssohnius ex Codice Vaticano genetivum assumsit *τοῦ Σκιπίωνος*. Nempe Appianus, quod saepissime facit, nunc quoque Herodotum imitatur, apud quem vide V 29: *τοὺς ἄλλους Μιλησίους τούτων ἔταξαν πείθεσθαι* et VI 12: *μὴ πειθώμεθα αὐτοῦ*..

Pag. 228. 15: *Καρχηδόνι δ' αἴτιον τῆς ἀναςατώσεως γενέσθαι.* Novicium vocabulum hic plurimum miror. Harpocr. v. *ἀνεσκευάσαντο· τὸ λεγόμενον ἐν τῷ βίῳ ἀναςατωθῆναι.*

Pag. 233. 7: *οὐ γάρ τινα διάλυσιν προσεδόκων, ἄπιςα πρότεροι κελεύσαντες.* Malim *ἄσπειςα*. Sic p. 53. 3 legitur *ἄσπεισος ἐχθρός* et *πόλεμος ἄσπεισος* p. 336. 16 et 378. 21.

Pag. 233. 27: *ὁ Σκιπίων ἀγορανομίαν μετιὼν ᾑρητο ὕπατος.* Immo: *ἠρεῖτο.*

Digitized by Google

Pag. 235. 13: αἱ νῆες ῥοθίῳ Φοβερῷ καταπλέουσαι. Legam: σοβαρῷ, coll. p. 592. 28: σοβαρῶς ἀλλήλοις ἐπῄεσαν et p. 241. 27: σοβαρῶς ἐπιτωθάσαντες ἀνέςρεφον.

Pag. 235. 30: ἐς ἁρπαγὰς ὑπὸ τοῦ Πίσωνος ἐπιτετραμμένους. Malim: ἐκτετραμμένους.

Pag. 252. 5: τὰ σκάφη τῶν Λιβύων τὰ σμικρὰ ταῖς Ῥωμαϊκαῖς ναυσὶ μεγάλαις οὔσαις ἐς τοὺς ταρσοὺς ὑποτρέχοντα. Mutuatus hoc est ab Thucydide VII 40: οἱ ἐν τοῖς λεπτοῖς πλοίοις περιπλέοντες καὶ ἔς τε τοὺς ταρσοὺς ὑποπίπτοντες τῶν πολεμίων νεῶν. Indidem Dio Cassius L. 32, ubi describit quomodo in pugna Actiaca Liburnis itum sit inter alta navium propugnacula. Cf. *Mnem.* 1895 p. 257.

Pag. 247. 16: ἐς πολλὰ σχήματα κακῶν διεσπῶντο ῥηγνύμενοί τε καὶ κατάσσομενοι. Musgravius καταπατούμενοι coniecit vel καταπαιόμενοι, Schweighauserus κατασπαρασσόμενοι, Nauckius καταρασσόμενοι, Mendelssohnius denique καταγνύμενοι. Equidem incidi in καθαιμασσόμενοι.

Pag. 248. 1: ἀμελεῖς τῶν ὁρωμένων ὑπὸ σπουδῆς. Conieci: τῶν δρωμένων, in quam coniecturam etiam Nauckium video incidisse. Crebro confunduntur verba δρᾶν et ὁρᾶν, quod allatis aliquammultis exemplis confirmare studui *Mnem.* 1873 p. 169.

Pag. 248. 22: εὐμαρῶς ἀεὶ ἐμάχοντο καίπερ ὄντες ὀλίγοι. Commendo ἀπεμάχοντο, coll. 362. 28; εἰ μηδ' ἀπὸ χάρακος ἀπομαχοῦνται τοὺς ἐχθροὺς ὀλιγωτέρους ὄντας et p. 343. 19: ἀπὸ τῶν τειχῶν τὸν Μιθριδάτην ἀπεμάχοντο.

Pag. 256. 28: τὰς Ἀθήνας ἐπολιόρκει ὡς οὐδενὸς τῶνδε Ῥωμαίοις προσηκόντων. Schweighauserus commendavit οὐδὲν idque comprobo modo itidem corrigatur: προσῆκον.

Pag. 260. 16: πολλῆς δ' ἐπὶ τούτῳ βοῆς καὶ χαρᾶς γενομένης θόρυβος ἥδιστος ἦν. Scribit Mendelssohnius Nauckio illud ἥδιστος mire dictum videri. Traditam lectionem ut confirmes, adscribere

Digitized by Google

poteris p. 616. 11: ἀνεβόησαν ἥδιστον et Suidas v. ἱλαρός ex Appiano descripsit: σὺν βοῇ ἱλαρᾷ καὶ θορύβῳ χρηστῷ παρέπεμπον αὐτόν ipseque adeo Aristophanes noto loco: θόρυβον χρηστὸν λεναΐτην appellavit. Nec tamen minus mihi quoque illud ἥδιστος suspectum est nec possum non coniicere θόρυβος πλεῖστος. Ipse vides quam nihil haec vocabula differant in unciali scriptura (ΠΛΕΙΣΤΟΣ et ΗΔΙΣΤΟΣ). Legitur in Epistula ad Hebraeos XI. 4: πίστει πλείονα θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκε τῷ θεῷ, Cobetus autem *Mnem.* 1860 p. 309 ipsis Theologis plaudentibus emendavit ἡδίονα.

Pag. 264. 15: τὰς συνθήκας αὐτῷ συνενεώσασθε οὔπω διαβάλλοντος Εὐμένους. Etiam Mendelssohnius intellexit aoristum requiri διαβαλόντος, sicuti tacite Cobetus Appianum emendavit in praeclara dissertatione de bello quod Romani cum rege Perseo et Macedonibus gesserunt, *Mnem.* 1881 p. 406. Equidem, quod obiter dictum esto, dum mihi instaurabam τοῦ δαιμονίου ἀνδρὸς imaginem, nusquam eum ferventius admiratus sum quam cum res ita ferret ut redirem ad pagines illas quadraginta, in quibus conscribendis Cobetum indignatio fecit etiam facundum.

Pag. 265. 13: σωφρόνως ἀντὶ μέθης καὶ τρυφῆς ἄρχει. Immo: ἄνευ μέθης. Cf. p. 262. 23, ubi perfidus Eumenes Persei ἔγκλημα ἐποίει καὶ τὴν ἐπιμέλειαν καὶ τὸ νηφάλιον τῆς διαίτης.

Pag. 265. 28: οὐ γὰρ ἄξιον, ὡς Εὐμένους, καὶ ὑμῶν ἅπτεσθαι φθόνον [ἢ Φόβου]. Vides quid suadeam.

Pag. 267. 11: ὁ πιθανώτατος ἐς εὐβουλίαν καὶ λογίσασθαι δεξιὸς καὶ εὐτολμότατος ἐς μάχας. In nitida compositione requiro: δεξιώτατος.

Pag. 268. 2: Perseus Gènthio οὐκέτι τὰ λοιπὰ τῶν χρημάτων ἔπεμπεν ὡς ἤδη καὶ δι' αὐτὸν Ῥωμαίοις πεπολεμωμένον. Requiro: δι' αὑτόν.

Pag. 268. 6. Qui error fere communis omnium est qui, postquam Graecia defloruit, Graece scripserunt, etiam Appianus

Digitized by Google

confundere solet futura activa et media. Veluti λήσεσθαι usurpat p. 268. 6, 275. 24, 577. 16, 578. 2 et 722, 5; contra recte λήσειν est p. 576. 29 et 903. 23. Ἁρπάσεσθαι est p. 272. 21 et 539. 5; ἁρπάσειν autem p. 108. 11, 183. 4 et 864. 16. Invenio ἀπαντήσειν p. 492. 3, ἐκπηδήσοντας p. 60. 11, χωρήσειν p. 59. 29, 225. 9 et 450. 18.

Pag. 268. 19: Γετῶν δὲ τὸν Ἴστρον περασάντων, ἐδόκει Κλοιλίῳ μὲν τῷ ἡγεμόνι δοθῆναι χιλίους χρυσοῦς στατῆρας. Ut constructio constet, necessarium duco ἔδει.

Pag. 269. 31: φθονερὸς γὰρ ὁ δαίμων. Cobetus *Mnem.* 1882 p. 237 nec primus nec solus observavit sententiam Appianum ab Herodoto mutuatum esse. Lubet exscribere huius scriptoris praecipuos locos qui huc faciunt. Legimus I 32, Solonis ea vox est, ἐπισάμενόν με τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν τε καὶ ταραχώδες ἐπειρωτᾷς ἀνθρωπηίων πρηγμάτων πέρι. I 34: ἔλαβε ἐκ θεοῦ νέμεσις μεγάλη Κροῖσον. Verba sunt Amasis regis in epistula ad Polycratem III 40: ἐπίσαμαι τὸ θεῖον ὡς ἔστι φθονερόν. In longa oratione Artabani ad regem Persarum haec quoque inveniuntur: στρατὸς πολλὸς ὑπ' ὀλίγου διαφθείρεται κατὰ τοιόνδε, ἐπεάν σφι ὁ θεὸς φθονήσας φόβον ἐμβάλῃ ἢ βροντήν, quibuscum convenit locus VII 46: ὁ δὲ θεὸς γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών. De hoc argumento est docta disputatio S. Hoekstrae, qui olim in nostra Universitate Amstelodamensi Theologiam docuit, in *Relationibus Academiae Scientiarum.* Ser. I tom. I p. 17: *De wangunst der goden op het geluk ook der Rechtvaardigen, naar het Grieksche volksgeloof tot op het midden van de vijfde eeuw.* Primus est Herodotus qui eam impiam pietatem docuit et primus est Plato qui Phaedr. 247 A disertis verbis edixit: φθόνος ἔξω θείου χοροῦ ἵσταται, nemo autem Herodoti vestigia pressius est secutus quam Appianus. Ecce locos quos inter legendum collegi: pag. 24. 15: νέμεσίν τε θεοῦ φυλασσόμενος καὶ φθόνον ἀνθρώπων αἰδούμενος· quibuscum verbis plane convenit quod legitur p. 189. 19: καλὸν δ' ἐν εὐτυχήμασι νέμεσιν θεῶν φυλάσσεσθαι καὶ ἀνθρώπων φθόνον. Item p. 191. 5: τὸ δαιμόνιον ἀνώμαλον καὶ ἐπίφθονόν ἐστιν et seq. pag. 192. 6: νέμεσίν τε θεῶν φυλασσόμενοι καὶ ψόγον ἀνθρώπων, ubi vide an non

Digitized by Google

praestet *Φθόνον*'. Sic certe post breve intervallum p. 193. 8: *διὰ νέμεσιν θεῶν καὶ ἀνθρώπων Φθόνον*. Sequitur p. 269. 31: *Φθονερὸς γὰρ ὁ δαίμων*. Pag. 496. 12: *αἰδὼς θεῶν ἢ νέμεσις ἀνδρῶν ἢ Φθόνου Φόβος οὐδεὶς ἔτι τοῖς γιγνομένοις ἐπῆν*. Pag. 577. 30: *τῷ δαιμονίῳ χαλεψάμενος ὡς Φθονερῷ*. Denique p. 729. 7: *οὔτε θεῶν νέμεσιν οὔτε Φθόνον ἀνθρώπων ὑΦορώμενοι*. Admirabile quomodo perpetuo soleat Appianus *ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ὡσαύτως* dicere.

P, 273. 2: *τὸν ϛόλον κατεσκεύαζε πεπονημένον*. Lege cum Mendelssohnio *ἐπεσκεύαζε*, sicuti recte editur p. 285. 15.

Pag. 288. 23: *νομίσας καὶ τὴν γῆν προειλῆΦθαι οὐχ ὑπὸ τῶν ἐωραμένων μόνων ἀλλ' ὡς νυκτί, (ὑπὸ) πολὺ πλειόνων*. Vide quid correxerim.

Pag. 289. 24: *ὥπλισε τοὺς ἰδίους χιλίους καὶ τοὺς ἑκατὸν ἱππέας*. Paulo supra vs. 19 legitur: *ἦκον δὲ καὶ παρὰ τῶν Ἀχαιῶν Εὐμένει σύμμάχοι χίλιοι πεζοὶ καὶ ἱππεῖς ἑκατόν*. Hinc Nauckius supplevit *χιλίους* (*πεζούς*), nec per se spectatum illud *ἰδίους* additum improbaverim, vide modo p. 296. 32 et 343. 14. Mendelssohnius tamen *χιλίους καὶ τοὺς ἑκατὸν ἱππέας* expungere voluit; minime assentior. Contuli equidem *Mnem.* 1883 p. 260, ubi videbis in nota de Smindyride historia admodum ridiculo vitio apud Athenaeum p. 273 B et 541 C *ἰδίους* in *χιλίους* abiisse. Idem mendum nunc quoque obtinet et scribam: *ὥπλισε τοὺς χιλίους* (*πεζοὺς*) *καὶ τοὺς ἑκατὸν ἱππέας*. Nil mirum *χιλίους* et *ἰδίους* aliquando fuisse confusa.

Pag. 292. 8: *ἠπείχθη ἐπανελθεῖν Φθάσων τοὺς πολεμίους*. Recurrit haec futuri forma p. 607. 29: *Φθάσουσι πόρρω γενέσθαι*. Hoc verbum Appianus crebro usurpat, sed, nisi quaedam inter legendum me fugerunt, multo libentius cum infinitivo usurpat quam cum participio. Quinque excerpsi exempla, non plura: p. 383. 5: *οὐ μὲν ἔΦθασέ τις ἐσαλάμενος*, p. 528. 19: *τὰ τείχη δ' ἔΦθασεν ὑποκαύσας*, p. 579. 21: *τὸν μὲν ἔΦθασε κτείνας*, p. 762. 26: *Φθάνει Δολοβέλλαν ἐμβαλών*, p. 860. 20: *οὐκ ἂν Φθάνοιμεν ὀλίγου δεῖν ἅπασι χαλεπαίνοντες*. Infinitivi exempla collegi multo plura.

Digitized by Google

Pag. 292. 23. Sermo fit de filio P. Scipionis, quem ceperat Antiochus: ῥήκει γὰρ αὐτὸν ἐν τῇ Ἑλλάδι ὁ Ἀντίοχος, ἐς Δημητριάδα ἐκ Χαλκίδος διαπλέοντα [καὶ ἦν ὁ παῖς Σκιπίων ὁ Καρχηδόνα ὕστερον ἑλών τε καὶ κατασκάψας, καὶ δεύτερος ἐπὶ τῷδε τῷ Σκιπίωνι Ἀφρικανὸς ὀνομασθείς, Παύλου μὲν υἱὸς ὢν τοῦ Περσέα τὸν Μακεδόνα ἑλόντος, Σκιπίωνος δὲ τῷ γένει θυγατριδοῦς καὶ θέσει παῖς]. Stulta adnotatio haec est, quam Wyttenbachius si quid video recte e textu eiecit. Prorsus singularis est in Appiani libris interpolatio.

Pag. 301. 29: βραχέα ἅττα προσεπιλαμβάνουσαι. Musgravius correxit προσεπιβάλλουσαι· equidem malim: προσπεριλαμβάνουσαι.

Pag. 303. 28. Exposuit Africanus πολέμους ὅσους ἐπολέμησεν ὑπὲρ τῆς πατρίδος καὶ ἕκαστον αὐτῶν ὡς ἐπολέμησεν. Non sequar Mendelssohnium, qui dubitanter coniecit ἐξεπόνησεν, nam unice verum esse iudico: ἐπενόησεν, sicuti recte legitur p. 303. 20: οὔπω δ' ὅσα ἐπενόουν ἐργασαμένους ἐπὶ διαβολῇ μετεκάλουν.

Pag. 327. 3: προὔπεμπε τοὺς πρέσβεις ὡς μετὰ χιλίων ἐπόμενος. Lege: ἐψόμενος.

Pag. 332. 20: ὡμολογηκὼς χρήματα δώσειν καὶ ἔτι ὄφλων. Hic perperam Bekkerus et Mendelssohnius scripserunt ὀφείλων· est enim error scriptoris ipsius, cf. p. 465. 1, 699. 6, 871. 9, alibi. Vide quoque Cobetum *Mnem.* 1882 p. 215.

Pag. 333. 17: ἐπικουρεῖν ἡμῖν ἀδικουμένοις ἢ κωλύειν αὐτὸν ἀδικοῦντα. Lege: καὶ κωλύειν.

Pag. 334. 14: σωφρόνων δ' ἐστὶ μὴ περιμένειν ὅτε πολεμεῖν ὑμῖν ὁμολογήσει. Malo: σῶφρον, coll. 265. 29: τὸ δ' ἐναντίον ἐστὶ σῶφρον φείδεσθαι γειτόνων ἐπιμελῶν, ubi est var. lect. σωφρόνων.

Pag. 334. 31: παρακαλοῦμεν ἀμφοῖν ἐκεῖναι τοῦ πόνου. Longe praeferam: πολέμου.

Digitized by Google

Pag. 339. 6: τοσόνδε πόλεμον ἄψαντες. Reiskius correxit ἀνάψαντες, Nauckius συνάψαντες. Equidem cogitaram de: ἄραντες, sed proprie dicitur πόλεμον αἴρεσθαι. Cf. ad p. 99. 7.

Pag. 340. 23. Graviter laborat quod de Oppio legimus quem Mithridates οὐδὲν διαθεὶς ἐπήγετο παντοχοῦ λελυμένον, ἐπιδεικνύμενος ἅρα Ῥωμαίων αἰχμάλωτον στρατηγόν. Agnosco triplicem corruptelam; primum non caret suspicione compositum ἐπήγετο, pro quo sane malim περιήγετο, sicuti ipse Appianus loquitur p. 415. 13: Λούκιον Κάσσιον καὶ Ὄππιον Κόιντον καὶ Μάνιον Ἀκύλιον αἰχμαλώτους ἑλὼν περιήγετο, μέχρι τὸν μὲν ἔκτεινεν, αἴτιον τοῦ πολέμου γενόμενον, τοὺς δ' ἀπέδωκε τῷ Σύλλᾳ. De usu verborum ἐπάγεσθαι et περιάγεσθαι dignus est qui conferatur Cobetus in *Variis Lectionibus* p. 260 et *Mnem.* 1858 p. 193. Quem Mithridates interfecit is M. Aquilius fuit, quod Appianus tradidit p. 340. 28: Μάνιον Ἀκύλιον, τὸν τῆσδε τῆς πρεσβείας καὶ τοῦδε τοῦ πολέμου μάλιστα αἴτιον, ἑλὼν δεδεμένον ἐπ' ὄνου περιήγετο, μέχρι ἐν Περγάμῳ τοῦ σώματος αὐτοῦ κατεχώνευσε χρυσίον, ubi iterum observa usum compositi περιάγεσθαι. Sed quid est quod legimus Mithridatem Oppium οὐδὲν διαθεῖναι? Possumus aliquem honorifice tractare et εὖ διατιθέναι· possumus etiam male mulcare et κακῶς διατιθέναι: estne aliquod medium inter utrumque, quod οὐδὲν διατιθέναι dicendum erit? Neque ego credo nec Schweighauserus p. 605 credidit, qui supplevit οὐδὲν (δεινὸν) διαθείς. Displicuit ea coniectura Mendelssohnio eamque „praeter rem" factam esse pronunciavit, quod quid sit non habeo pro certo dicere; hoc certe miror quod Mithridates Oppium tam clementer tractaverit, cum tantam feritatem circa Aquilium exhibuerit. Quid igitur? Assumam Schweighauserianum δεινὸν sed simul expungam οὐδὲν, quod inde versosimiliter natum est. Verum, inquies, potuitne rex λελυμένον circumducere captivum, qui vim tormentorum pertulit? Aio, sed nunc confer mihi p. 878. 6: ἐθεᾶτο ναῦς ἐμπεπρησμένας τε καὶ ἡμιφλέκτους ἔτι ἄλλας τε λελυμένας, quod Cobetus *Mnem.* 1882 p. 230 correxit ut fieret λελυμασμένας. Eadem medicina utere nostro quoque loco: Oppium Mithridates δεινὸν διαθεὶς περιήγετο παντοχοῦ λελυμασμένον. Vocabulum in hoc scriptore creberrimi usus est: veluti p. 437. 17: τοὺς ἀγροὺς ἐλυμαίνετο,

Digitized by Google

p. 417. 23: ὑπὸ τοῦ πολέμου λελυμασμένην, p. 887. 21: ἔφη λυμανεῖσθαί τινα, et sic alibi persaepe. Idem verbum cum dativo casu construitur, p. 527. 28: ἀγρίως καὶ βαρβαρικῶς ἐλυμαίνετο πολλοῖς, quem casum satis tuebuntur Herodoti loci I 214: λυμαινομένη τῷ νεκρῷ, III 16 Πέρσαι ἐδόκεον Ἀμάσι λυμαίνεσθαι et IX 79 παραινέων νεκρῷ λυμαίνεσθαι. Cf. Schweigh. p. 728.

Pag. 342. 26: ᾧ καὶ μάλιστα δῆλον ἐγένετο τὴν Ἀσίαν οὐ Φόβῳ Μιθριδάτου μᾶλλον ἢ μίσει Ῥωμαίων τοιάδε ἐς αὐτοὺς ἐργάσασθαι. Considera quid ubique terrarum secundum Appianum Romani egerint, in Hispania, in Africa, in Asia indeque efficies scriptorem tempora liberae reip. vehementer odisse.

Pag. 342. 30: Κῴων αὐτὸν ἀσμένως δεχομένων, notandum est unum Regium Codicem ἀσμένων habere. Itidem invenio p. 33. 10 ἄσμενος τῆς προφάσεως ἐπιβάς, quae verba recurrunt p. 687. 1; p. 458. 7: ἐδέχοντο ἄσμενοι; 479. 6: ἄσμενοι τῆς πολιτείας μετελάμβανον et 856. 21: ἄσμενος Μηνόδωρον ἐκπέμψας. Alibi fere adverbium invenitur: p. 340. 32: ἀσμένως αὐτὸν ἁπάντων δεχομένων, p. 293. 8: ἀσμένως ἂν λαβεῖν, p. 307, 21: δεξαμένων αὐτὸν ἀσμένως, p. 910. 13: ἐμισθοφόρουν ἀσμένως τῷ Πομπηίῳ. Cf. Cobet. *Mnem.* 1882 p. 233. Similiter haesitamus inter σοβαρός et σοβαρῶς. Pag. 294. 3: ἐπέβαινε σοβαρῶς et p. 298. 22: ἐπανῄει σοβαρὸς Ἀντίοχος ὡς ἐπὶ νίκῃ. Cf. supra ad p. 235. 13.

Pag. 343. 18: ἐς τὸν λιμένα κατέφυγον. Contextus suadet ut rescribatur κατέφευγον. Itidem corrige p. 364. 30, coll. p. 361. 24.

Pag. 345. 29: Ἀρχέλαος ἐπιπλεύσας καὶ σίτῳ καὶ σόλῳ πολλῷ. Immo lege: σὺν στρατῷ καὶ σόλῳ, coll. p. 346. 31.

Pag. 346. 14. Est operae pretium videre quam odiose persequatur Appianus philosophos, si qui forte aliquando rerum potiti sint. Nempe ὅσοι πραγμάτων ἐλάβοντο, ἐδυνάσευσάν τε καὶ ἐτυράννησαν ὠμότερον τῶν ἰδιωτικῶν τυράννων. Dictum hoc fuit in Aristionem potissimum, philosophum Epicureum, qui aliquando Athenis principatum tenuit.

Digitized by Google

Pag. 347. 25: περιπέμψαν Ἀρισίωνα πολιορκεῖν. Habet hoc Appianus quod haud satis scio an alii non habeant, ut omnibus fere verbis infinitivos addat. Ecce aliquot exempla de magno numero excerpta: p. 165. 9: φόβῳ μηδὲν ὡς ἐν νυκτὶ πανικόν οἱ γενέσθαι. p. 289. 25: ἔσησεν ἀτρεμεῖν. p. 371. 2: ἔπεμψεν ἐπιχειρεῖν τῷ Σύλλᾳ. p. 440. 8: διεσκέδασε τὸν στρατὸν φεύγειν ἄλλους ἀλλαχοῦ. p. 472. 3: περιέπεμπον τὰ γιγνόμενα ἐξετάζειν. p. 477. 28: περιέπεμπεν ὀπίσω τοῦ Λαφρηνίου γενέσθαι. p. 488. 6: ἐσέπεμψαν ἀνελεῖν. p. 499. 18: περιέπεμπον χρήματα ἀθροίζειν. p. 511. 10: ἄγειν ἔπεμπε Δαμάσιππον. p. 512. 26: τὰς κεφαλὰς περιενεγκεῖν ἔπεμψεν. p. 673. 30: πολλοὺς περιέπεμπεν ἐξαγγέλλειν ἃ πάσχοι. p. 792. 28: τοῖς προπεμφθεῖσι τὸν ποταμὸν ἰδεῖν. p. 841. 14: ἐφύλασσεν αὐτοὺς μηδ' ἐκφυγεῖν. p. 866. 30: ὀλίγου ῥεύματος αὐτοὺς διείργοντος μὴ κεκραγότας ἀλλήλων ἀκούειν, et sic alibi haud raro.

Pag. 348. 10: λίθους καὶ ξύλα καὶ γῆν ἐς τὸ χῶμα μεταβάλλων. Lege: καταβάλλων.

Pag. 349. 11: ἀγχωμάλου δ' ἐς πολὺ τῆς μάχης οὔσης ἐνέκλινον ἑκάτεροι παρὰ μέρος, πρῶτον μὲν οἱ βάρβαροι, μέχρι Ἀρχέλαος αὐτοὺς ἐπισχὼν ἐπανήγαγεν ἐς τὴν μάχην. Nempe Archelaus φερεπονώτατος ἦν, sicuti legimus p. 352. 22 indeque rescribam αὐτός et utar eadem correctione paulo post p. 349. 18: Ἀρχέλαος δ' αὐτοὺς ἐπισρέφων αὖθις καὶ τῷ ἀγῶνι διὰ τὴν προθυμίαν ἐς πολὺ παραμένων. Similia de eius militari virtute saepe legimus, qui verbi causa p. 362. 10, τῆς νίκης ἀρχομένης ἀναθορὼν αὖθις ἐπὶ τὸν ἵππον ἐπήνει τὸν στρατὸν περιὼν καὶ ἐπέσπερχεν. Hinc p. 354. 20: καὶ περιθέων αὐτοὺς καὶ παρακαλῶν, etiam Nauckius rescribere voluit αὐτός, quemadmodum est p. 358. 12: αὐτὸς ἐνεπρησε τοῖς ἐνυαλίοις θεοῖς. Hinc etiam p. 362. 2: ἐς πολὺ μὲν αὐτοὺς παριππεύων παρεκάλει, vide an non αὐτός praestet. Sic p. 313. 11 Seleucus πόλεμον ἐπολέμησε Ἀντιγόνῳ περὶ Ἴψου τῆς Φρυγίας, αὐτῷ στρατηγοῦντι καὶ αὐτῷ μαχομένῳ, καίπερ ὑπὲρ ὀγδοήκοντα ἔτη γεγονότι.

Pag. 350. 13: Μουνάτιος Νεοπτόλεμον ἕτερον στρατηγὸν καταπρώσας ἔκτεινε μὲν ἐς χιλίους. Neoptolemus ille, quem

Digitized by Google

supra iam habueramus p. 337. 22 et 339. 15, Archelai frater erat, sed insiticium iudico quod inutiliter additum est ἕτερον στρατηγόν. Praeterea corrigam: καταφωράσας.

Pag. 358. 25: νομίσας δ' ἄν τινας αὐτῷ ἐπιθήσεσθαι. Cum Nauckio omnino lege: ἐπιθέσθαι.

Pag. 361. 14: ὑπὸ κλίνῃ τινὶ παρεσκεύασεν ἀκοῦσαι τοῦ Μυνγίωνος. Cur Mendelssohnius non ausus est recipere τινά, quod Bekkerus coniecerat?

Pag. 365. 27: ἐπέστελλεν Ἀρχελάῳ διαλύσεις ὡς δύναιτο εὐπρεπῶς ἐργάσασθαι. Malo cum altero codicum genere εὐπρεπεῖς.

Pag. 366. 16: ἐπὶ δὲ ἡμῖν καὶ Φύσεως ἔχθραν μᾶλλον ἢ πολέμου χρείαν ἐπεδείξατο. Necessarium est: ἔτι δέ.

Pag. 366. 22: Φιλίαν πατρῴαν ἧς οὐ πρὶν ἐκκαίδεκα μυριάδας ὑμῶν ὑπ' ἐμοῦ συγκοπῆναι ἐμνημονεύετο. Malo: ἐμνημόνευε.

Pag. 367. 3: ἐὰν ἀποδῷ καὶ στρατηγοὺς ἡμῶν ἢ πρέσβεις ἢ αἰχμαλώτους ἢ αὐτομόλους ἢ ἀνδράποδα. Quater repone καί.

Pag. 376. 30: παιδίον τετραετὲς ἐγγυήσας τῷ Ἀριοβαρζάνῃ καὶ ἐπὶ τῇδε προφάσει λαβὼν ἔχειν Καππαδοκίας ὅσα τε εἶχε καὶ ἕτερα ἐπ' ἐκείνοις. Suspicatus est Mendelssohnius corruptum esse λαβών et dubitanter coniecit λαχών· mihi illud προφάσει displicet et melius intelligam: πρόφασιν.

Pag. 378. 4: μεγαλοφρονησάμενος ὅτι τὸ κλέος αὐτοῦ καὶ εἰς τὸν Πόντον δίκετο. Cum Mendelssohnio legam: δῖκτο. Utere autem eadem correctione p. 410. 15: Πομπηίου δ' αὐτὸν ἐλθόντα δεῖσθαι τὸν Μιθριδάτην κελεύοντος, καθὰ καὶ Τιγράνης ἀφίκετο, et scribe: ἀφῖκτο. Item plane eadem est corruptela p. 510. 31: ὡς δὲ ἀφίκοντο χωρίς γε Νωρβανοῦ (μόνος γὰρ οὐκ ἀφίκετο).

Pag. 382. 11: πύργος ἐξ οὗ γέφυρα ὑπὸ μηχανῆς ἐξήλετο.

Digitized by Google

Possit id mire dictum videri, sed vide continuo post vs. 20 ἡ γέφυρα ἐς τὸ τεῖχος ἐξήλατο ἄφνω.

Pag. 392. 25: τοὺς μὲν ἱππέας ἐκ μετώπου προσέτασσεν ἐνοχλεῖν αὐτῷ. Legam: προέτασσεν.

Pag. 396. 27: ὧν ἐξαγγελθέντων ὁ στρατὸς αὐτίκα διελύετο. Immo verum est: διελέλυτο, sicuti Cobetus quoque *Mnem.* 1882 p. 214 correxit p. 540. 18: ἡ Κατιλίνα ἐπανάστασις διελέλυτο. Recte plusquamperfectum editur p. 570. 19 et 613. 11.

Pag. 409. 30: Φρούριον ἦν τι Μιθριδάτῃ, ἔνθα λανθάνοντες ὑπόγαιοι θησαυροὶ πολλῶν σιδηροδέτων χαλκέων πολλὰ χρήματα ἔκρυπτον. Duos locos contuli: p. 287. 29: πυρφόρα ἀγγεῖα σιδηρᾶ et, quod magis ad rem facit, p. 753. 3: ἐν λάρναξι, ἃς (sed lege: οἷας) ἀπὸ σιδήρου ἐς χρημάτων ἢ βιβλίων ἔχουσι φυλακήν. Audendum aliquid est et commendare ausim scripturam: παλαιῶν σιδηροδέτων ἀγγείων. De huiusmodi capsis ferreis nihil me alibi legere commemini, nec magis rem memoria dignam habuerunt Gardthausenus vel Birtius.

Pag. 410. 24 notabile est quod de Mithridate legimus: νόσον τινὰ ἑλκώδη τοῦ προσώπου νοσῶν ὑπὸ τριῶν εὐνούχων ἐθεραπεύετο καὶ ἐωρᾶτο. Nihil mirum quod hic legimus de eunuchis: pessime oderant milites eunuchos, qui Mithridatem senem in sua potestate habebant; hoc est quod legimus p. 413. 19 eos Pharnacem regem habere maluisse ἀντὶ γέροντος εὐνούχοις ἐκδεδομένου dicunturque, p. 411. 24, πρὸς εὐνούχους κρατοῦντας τοῦ Μιθριδάτου πεπολεμῶσθαι. Verum quid est illud ἐωρᾶτο? nam quod Schweighauserus μόνων inserere voluit, non est magnum et Nauckius solito infelicior fuit, cum reponere vellet ἐφρουρεῖτο. Videor mihi reperisse quid hic lateat. Apud nos aegrotantes vel alio quovis morbo corpore debilitato vehi solent plostello, quod propellit famulus: percommodum hoc est quum certe in nostra patria etiam in foris et conciliabulis viae stratae sint: olim certe aliter, nam Appianus tanquam notabilem rem denotat urbem Smyrnam fuisse λιθόστρωτον, p. 670. 1. Itaque ne nimis concuterentur vel etiam luto conspergerentur, malebant lectica

Digitized by Google

ferri. Id quomodo Latine et Graece dicitur? Sed est satis notum: appellant *gestari* et *αἰωρεῖσθαι*, indeque Appiano reddiderim *αἰωρεῖτο*· hoc enim malo quam *ἠωρεῖτο*, nam fere augmento temporali carent verba, quorum prima syllaba sola constat vocali vel diphthongo ante vocalem, sicuti *αὐχίνειν*, *οἰωνίζεσθαι*, alia. Confirmabit quod dixi Dio Cassius LV 17: *τοῖς δ' αἰωρήμασι καὶ τοῖς ἠπίοις φαρμάκοις τὰ πλείω μαλθάσσοντες θεραπεύουσι*. Vocabulum ab scriptore proprio sensu adhibetur p. 287. 29: *πυρφόρα ἀγγεῖα ἐξῆπτε κοντῶν μακρῶν, αἰωρεῖσθαι τὸ πῦρ εἰς τὸ πέλαγος*, sed plerumque metaphorice dicitur: p. 450. 25 Gracchus *τοῦ ἔργου τῇ ὠφελείᾳ αἰωρούμενος*, p. 539. 29: *τὸ πλῆθος αἰωρούμενον κατ' ἀγοράν*, p. 595. 9: *ἠώρει δὲ καὶ τῶν γεγονότων εὐπραξία*, p. 695. 19: *ἐς ἐλπίδας αἰωρούμενοι*. Ceterum tres illi eunuchi dominum comitabantur, non ipsi suis humeris portabant lecticam, quod ne commode quidem facere potuissent, sicuti ostendet p. 623. 24 de tribus famulis qui Caesaris cadaver domum portarunt, *οἳ τὸ σῶμα ἐς τὸ φορεῖον ἐνθέμενοι διεκόμισαν οἴκαδε ἀνωμάλως οἷα τρεῖς*.

Pag. 411. 8: *καὶ ἦν αὐτῶν Ἀρταφέρνης ἀμφὶ τεσσαράκοντα ἔτη μόνος, οἱ δὲ λοιποὶ παῖδες εὔμορφοι*. Corrigam: *γεγονώς*, quemadmodum legitur p. 597. 13.

Pag. 419. 19 in triumpho praetervehebantur *Μιθριδάτου καὶ ἡ πολιορκία καὶ ἡ νὺξ ὅτε ἔφυγεν εἴκασο καὶ ἡ σιωπή*. In bellico tumultu non locus fuit silentio et Reiskius acute emendavit *Σινώπη*. Mirandum est quod editores elegantem coniecturam recipere non ausi sunt, etiamsi legerint p. 195. 27: *πύργοι παραφέρονται μιμήματα τῶν εἰλημμένων πόλεων*.

Pag. 425. 7: *δεδιότες ὑπὸ μνήμης τῶν προπεπολεμηκότων σφίσι Κελτῶν, μὴ καὶ οἵδε ἐς τὴν Ἰταλίαν ὑπὲρ Ἄλπεις ἐσβάλοιεν*. Rescribam: *τῶν πρότερον πεπολεμηκότων*.

Pag. 428. 25: *τῶν ὑπηκόων αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἀνίκιον μετατιθεμένων*. Lege *μεταθεμένων*, quemadmodum recte legitur p. 429. 15. Frequens confusio: p. 443. 14: *Φιλονικότερον ἐς ἀλλήλας αἱ ἀρχαὶ διετίθεντο ἀπὸ τοῦδε*, Mendelssohnius maluit *διετέθειντο*, sed Viereckius omnium minime *ταχυπειθής*.

Digitized by Google

Pag. 449. 3: διαπεπράσεσθαι. Praeterea tria exempla animadverti futurorum exactorum pro simplicibus futuris: p. 562. 12 ἀπολελείψεσθαι, p. 690. 8 λελέξεται et p. 730. 6 ἐγγεγράψεται.

Pag. 459. 6: σαφῶς δεδωροδοκηκότες ἀφεῖντο ὑπὸ τῶν δικασάντων. Immo: ὑπ' αὐτῶν δικασάντων, hoc est: a Senatoribus.

Pag. 464. 4. Scipio consul theatrum demolitus est quod L. Cassius struxerat, ὡς καὶ τόδε ϛάσεων ἄρξον ἑτέρων ἢ οὐ χρήσιμον ὅλως Ἑλληνικαῖς ἡδυπαθείαις Ῥωμαίους ἐθίζεσθαι. Dixeris citra controversiam verum esse: καὶ οὐ χρήσιμον (ὄν), sed iam supra, ad p. 45. 23, adnotavimus Appiano fere perinde esse addatne hoc participium nec ne, quamquam id nobis plane necessarium esse videatur. Duos locos praeterea adscribam: p. 491. 13: ἡ μὲν δὴ βουλὴ τὸν Κίνναν, ὡς ἐν κινδύνῳ τε τὴν πόλιν καταλιπόντα ὕπατον καὶ δούλοις ἐλευθερίαν κηρύξαντα, ἐψηφίσατο μήτε ὕπατον μήτε πολίτην ἔτι εἶναι. Sed multo facilius est corrigere καταλιπόντα (ὄντα) ὕπατον, quam non sollicitare id quod manuscripti libri exhibent. Pag. 496. 3: ἐκρεμάσθη (scil. ἡ κεφαλή) πρὸ τῶν ἐμβόλων ἐν ἀγορᾷ πρώτου τοῦδε ὑπάτου, in fine Mendelssohnius inserere voluit γενομένου, sed hic quoque Viereckius contradicit: equidem locorum multitudine obrutus anceps haereo quid statuendum censeam.

Pag. 468. 19: τοσάδε εἴργαϛο Ῥωμαίους, malim fere dativum Ῥωμαίοις, quem unus codex exhibet, ut εἴργαϛο passivum verbum fiat. Cf. supra ad p. 14. 19.

Pag. 475. 4: Παπίου δὲ πελάσαντος αὐτῷ σὺν καταφρονήσει. Malim fere: προσπελάσαντος, nam amat Appianus uti hoc composito, veluti p. 594. 15, 602. 17, 611. 26, 647. 11, 887. 12, alibi. Redit simplex verbum p. 505. 21.

Pag. 479. 24: τῶν λοιπῶν ἐϛ τὰ σφέτερα δι' ἀπόρου χώρας καὶ χειμῶνος ἐπιπόνου διατρεχόντων οἱ ἡμίσεις βαλανηφαγοῦντες διεφθάρησαν. Recte fortasse Madvigius supplevit: οἱ ἡμίσεις βαλανηφαγοῦντες (διεσώθησαν, οἱ δ' ἡμίσεις) διεφθάρησαν, sed praeterea malim: δι' ἀσπόρου χώρας, quae lectio ab uno codice aliquid commendationis habet.

Digitized by Google

Pag. 501. 7: *ἀπεκρίνατο αὐτὸς μὲν οὔποτε ἀνδράσι τοιάδε ἐργασαμένοις ἕσεσθαι φίλος.* Lege: *εἰργασμένοις.* Vide modo p. 471. 23: *τοσάδε εἰργασμένων ἀνδρῶν* et p. 500. 1: *αὐτίκα τιμωρὸς ἥξειν ἐπὶ τοὺς εἰργασμένους.*

Pag. 502. 9: *αὐτὸν ὁ Σύλλας ἔτι νεώτατον ὄντα ἦγεν ἐν τιμῇ.* Hoc quidem nimium est: corrigam: *ἔτι νέον αὐτὸν ὄντα,* deleto *αὐτόν* sententiae initio. Recte mox p. 502. 14: *ἔτι ὄντι νέῳ καὶ ἔτι ὄντι τῶν ἱππέων,* scribas modo supervacaneis deletis: *ἔτι νέῳ καὶ ὄντι τῶν ἱππέων.* Addo p. 536. 8: *ὁ δὲ Καῖσαρ ἦν ἔτι νέος.* Itidem recte p. 524. 15: *Φαῦστος παῖς ὁ τοῦ Σύλλα νεώτατος ἦν ἔτι* et comparativus p. 664. 13 et 673. 15.

Pag. 509. 10: *μετὰ σκότους διεκρίθησαν.* Traditur Musgravius *σκότος* scripsisse: simul, uti opinor, mutaverat praepositionem et commendaverat: *κατὰ σκότος.*

Pag. 514. 30: *ἐγκλήματα ποικίλα στρατηγίας ἢ στρατείας ἢ ἐσφορᾶς χρημάτων ἢ ἄλλης ὑπηρεσίας ἢ βουλεύσεως ὅλως κατὰ Σύλλα.* Interpolatum esse contendo id quod est *ἢ στρατείας·* deinde quater pro *ἢ* rescripserim *καί.* Satis nota res est: particulae *ὡς, ἤ* et *καί* sine fine inter sese confunduntur: veluti p. 541. 28: *Λεύκολλος ὁ πρὸ τοῦ Πομπηίου στρατεύσας ἐπὶ τὸν Μιθριδάτην ὡς ἀσθενέστατον αὐτὸν ἀπολιπὼν τῷ Πομπηίῳ, διεκώλυεν ἴδιον ἔργον ἀποφαίνων τὸ Μιθριδάτειον.* Coniecit Mendelssohnius *καὶ ἀσθενέστατον,* nec Viereckius debuerat contradicere.

Pag. 518. 20: *τὴν δὲ τῶν δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν.* Nondum, quantum mihi comparuit, hucusque viri docti satis attenderunt ad eam locutionem *ἴσα καί,* quae tantumdem valet quantum *tantum non.* Alios locos colligere facile est, veluti p. 469. 28: *ἐγκλήματος ἴσα δὴ καὶ ἀγνοουμένου.* Haud dissimiliter usurpatur *ὁμαλῶς οἷα·* sic p. 725. 6: *κύνες ὠρύοντο ὁμαλῶς οἷα λύκοι·* p. 809. 6: *ἐπεμαντεύοντο δ' ὁμαλῶς ἑκάτεροι πάντα τὰ Ῥωμαίων πράγματα κρινεῖν,* p. 865. 28 *Πομπήιον οἱ μὲν ἄλλοι πάντες ὁμαλῶς ἔπειθον ἐς τὴν εἰρήνην.*

Pag. 519. 14. Q. Lucretium Ofellam *ὑπατεύειν διὰ τὸ μέγεθος*

Digitized by Google

τῶν εἰργασμένων κατὰ παλαιὸν ἔθος ἀξιοῦντα καὶ πολιτῶν δεόμενον Sylla in medio foro interfici iussit. Aliquanto convenientius erit δεομένων.

Pag. 521. 29, postquam imperium Sylla deposuit, μειράκιον οὐδενὸς αὐτὸ ἀπερύκοντος ἐθάρρησε καὶ λοιδορούμενον αὐτῷ μέχρι τῆς οἰκίας ἐλθεῖν. Mendelssohnius suasit ut sive καί deleretur sive ἦλθεν scriberetur: utrumque inutiliter secundum Viereckium. Mihi quoque tradita scriptura displicet et commendabo: ὡς λοιδορούμενον.

Pag. 533. 16: ἔκτεινεν ὁ Κράσσος ἐς ἑξακισχιλίους ἄλλους περὶ ἕω καὶ περὶ δείλην τοσούσδε ἑτέρους, τριῶν ἐκ τοῦ Ῥωμαίων στρατοῦ μόνων ἀποθανόντων καὶ ἑπτὰ τρωθέντων. Nisi sumamus gladiatores illos pecoris instar innocuos fuisse, difficile est fidem habere. Similiter tamen Appianus etiam alibi: p. 568. 7: μάχης δὲ καρτερᾶς γενομένης, Κουρίωνος μὲν εἷς ἀνὴρ ἔπεσεν, Οὐάρου δὲ ἑξακόσιοι καὶ κατετρώθησαν ἔτι πλείονες. Praeterea audi quomodo Fabius Maximus Aemilianus Gallorum copias profuderit, p. 36. 7: δώδεκα μυριάδας ἐν μιᾷ μάχῃ κατέκτανε, πεντεκαίδεκα μόνους ἀποβαλών. Non minus mirificum quod legimus p. 504. 30: θνήσκουσι Νωρβανοῦ μὲν ἑξακισχίλιοι, τῶνδ' ἀμφὶ τὸν Σύλλαν ἑβδομήκοντα, τραυματίαι δ' ἐγένοντο πολλοί. Consideremus quoque p. 358. 5: Archelao ad Chaeroneam victo, ἐς Χαλκίδα συνελέγοντο οὐ πολὺ πλείους μυρίων ἐκ δώδεκα μυρίων γενόμενοι. Ῥωμαίων δ' ἔδοξαν μὲν ἀποθανεῖν πεντεκαίδεκα ἄνδρες, δύο δ' αὐτῶν ἐπανῆλθον. Nec discrepat Plutarchus in Vita Sullae c. 19: ὁ δὲ Σύλλας λέγει τέσσαρας καὶ δέκα ἐπιζητῆσαι τῶν αὐτοῦ στρατιωτῶν, εἶτα καὶ τούτων δύο πρὸς τὴν ἑσπέραν παραγενέσθαι, quem locum examinavi *Mnem.* 1899 p. 290. Ante annos plusquam quinquaginta fuit vir doctus J. A. Wynne, qui commentationem edidit *de fide et auctoritate Appiani in Bellis Romanorum Civilibus:* hunc librum acri censura dilaceravit Hullemannus in *Mnem.* 1856 p. 154 et tum alia utilia attulit quae ad illud argumentum pertinent, tum suscepit probare Appianum ex Syllae commentariis haud parum profecisse. Difficile est negare quod in oculos incurrit et admirabilis est ea veterum circa caesorum

Digitized by Google

militum numerum incuria, cuius quaedam exempla excerpsi l.l. in *Mnem.* 1899 p. 290. Potuissent tamen historiarum scriptores, si modo voluissent, certiora ac veriora tradere. Verbi causa post pugnam apud Leuctra statim Spartam perlata fuerunt nomina omnium eorum qui in acie occubuerant et postridie, locus est in Xen. Hell. VI 4. 16, *ὧν μὲν ἐτέθναταν οἱ προσήκοντες, λιπαροὺς καὶ φαιδροὺς ἦν ὁρᾶν ἐν τῷ φανερῷ ἀναστρεφομένους· ὧν δὲ ζῶντες ἠγγελμένοι ἦσαν, ὀλίγους ἂν εἶδες, τούτους δὲ σκυθρωποὺς καὶ ταπεινοὺς περιιόντας.* Quod ad Romanos attinet, docet Appianus p. 683. 15: *ἀνάγραπτός ἐστιν ἐν τοῖς Ῥωμαίων στρατοῖς ἀεὶ καθ' ἕνα ἄνδρα ὁ τρόπος.* Itaque in castris Perusinis postquam L. Antonius se Octaviano tradidit, misit, p. 849. 1, *τοὺς χιλιάρχους τὸ σύνθημα τῷ στρατῷ ληψομένους παρὰ τοῦ Καίσαρος. οἱ δὲ ἔφερον αὐτῷ τὸν ἀριθμὸν τοῦ στρατοῦ, καθὰ καὶ νῦν ἔθος ἐστὶ τὸν αἰτοῦντα τὸ σύνθημα χιλίαρχον ἐπιδιδόναι τῷ βασιλεῖ βιβλίον ἐφήμερον τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ παρόντος.* Itaque in Sylla deprehendimus ridiculam iactantiam; in aliis fortasse negligentia peperit pudendos errores, non monumentorum penuria. In ea re stoliditatis palmam omnibus praeripuit Flavius Iosephus, cuius aliquammultos locos indicavi *Mnem.* 1885 p. 267 sqq.

Pag. 548. 16: *τὸ δεκάζειν ἢ δωροδοκεῖν ἀναισχύντως τότε μάλιστα ἐπλεόνασεν.* Corrigam: *καὶ δωροδοκεῖν.* Etenim iam mature factum, et fortasse iam apud Polybium, ut verbum *δωροδοκεῖν*, quod *δῶρα δέχεσθαι* significat et *corrumpi*, videretur esse *corrumpere* et *δεκάζειν*, unde provenit novicia passiva forma *δωροδοκεῖσθαι*. Cf. Cobetus *Mnem.* 1858 p. 14. Appianus sibi cavit ab eo errore: ecce exempla: p. 551. 22: *δίκας προυτίθει τῶν τ' ἄλλων ἀδικημάτων καὶ μάλιστα δωροδοκίας καὶ δεκασμοῦ·* p. 572. 25 Pompeii verba sunt: *δεῦρο διεπλεύσαμεν, ἀμυνούμενοι τὸν ἐκ πολλοῦ μὲν ἐπιβουλεύοντα αὐτῷ, διὰ δὲ τοὺς δωροδοκοῦντας τὴν Ἰταλίαν ἄφνω καταλαβόντα.* p. 334. 8 arguitur Mithridates *δεκάσαι τῶν ὑμετέρων τινὰ στρατηγῶν·* contra L. Scipio p. 426. 3 dicitur *δωροδοκῆσαι τοῦ ἱεροῦ χρυσίου.* p. 550. 14 Caelius Milonem *εἶλκεν εἰς τὴν ἀγοράν ἐπὶ τοὺς παρ' αὐτοῦ δεδωροδοκηκότας.* Remanet p. 552. 12, ubi Gabinius, Milo et alii haud pauci condemnantur *ἐπὶ δωροδοκίαις ἢ πλήθους δεκασμῷ*, ubi fortasse itidem praestat *καὶ πλήθους*, sicuti illo loco, quem initio descripsimus.

Digitized by Google

Pag. 553. 15: ἐδεδοίκει μὲν ὑπὸ τοῖς ἐχθροῖς ἰδιώτης γενέσθαι. Iam *Mnem.* p. 1876 p. 346 correxi: ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς· contra Viereckius obmovet p. 556. 5, cuius loci ratio diversa est. Conferri merentur p. 631. 11 et 729. 24. Itidem p. 460. 4, quod de Graccho legimus: πλῆθος ἐργολάβων ὑφ' ἑαυτῷ ποιούμενος, praestare dixerim ἐφ' ἑαυτῷ. Deinde p. 900. 16: πρόφασιν ἔχων ὅτι πρῶτος ἐπιβαίη τῆς νήσου καὶ πλείονας πόλεις ἐπαγάγοιτο, malim fere: ὑπαγάγοιτο. Miror quoque verbum ὑπακούειν, quod plerumque quidem recte cum dativo casu construitur, sed cum genetivo: p. 8. 15, 25. 28, 270. 23, 432. 25, 436. 32 et 514. 28.

Pag. 559. 4: τρισὶν ἡμέραις τριακοσίους ἐπὶ τρισχιλίοις σταδίους δραμών. Hic primus Viereckius ex Vaticano codice rectissime recepit lectionem διαδραμών. Sic Appianus perpetuo: p. 258. 20: τὸν Ὠκεανὸν ἐς Βρεττανίαν διαπεπλευκότος. p. 558. 21: ἀπὸ Κελτῶν τὰ ὄρη διελθών. p. 569. 7: ἐς τοὺς παρορμοῦντας διαπλεύσας. p. 578. 20: διαπλεύσαντος ἐς τὸ Βρεντέσιον. p. 596. 16: ἐς Μυτιλήνην διαπλεύσας, denique p. 623. 9: ἐς τὴν νῆσον διαδραμών.

Pag. 567. 20: ἐπιμαρτυρούντων ἀξίως σφῶν αὐτοκράτορας εἶναι. Iam Musgravius rescripsit: ἀξίους, Viereckius autem ubique mordicus tenax est vulgatae lectionis; nec ad rem pertinet locus quem laudat p. 540. 13; utilius adscripsisset verba quae illic in vicinia leguntur p. 540. 26: τῶν νῦν αὐτοκρατόρων τοὺς φαινομένους ἀξίους.

P. 574. 31: τὸ δ' ὑμέτερον εὐπειθὲς εἰδὼς ὅμως ἀναμένω τὴν ἀπόκρισιν. L.: ἀναμενῶ.

Pag. 582. 9: ὑπισχνούμενοι διορθώσεσθαι τὸ ἁμάρτημα νίκῃ καλῇ. Nonne verius est καινῇ?

Pag. 583. 2: λέγεται δ' ἐν τοῖς Γόμφοις γενέσθαι παθήματα γενναῖα, καὶ νεκροὺς τῶν ἐπιφανῶν γερόντων ἐν ἰατρείῳ φανῆναι, κυλίκων αὐτοῖς παρακειμένων ἀτρώτοις, εἴκοσι μὲν ὡς ἐκ μέθης κατακεκλιμένους ἐπὶ τὸ ἔδαφος, ἕνα δὲ ἐπὶ θρόνου παρακαθεζόμενον οἷα ἰατρόν, ὃς τὸ φάρμακον αὐτοῖς ἄρα παρέσχεν. Ex Viereckii

Digitized by Google

adnotatione apparet fuisse qui hunc locum parum intelligerent ac proinde etiam illud ἀτρώτοις corruptum esse putarent. Iocus est militum ὑποβεβρεγμένων et facile ferimus si non salsius fuerint iocati. Conferamus ea quae paulo supra narrantur p. 582. 29 et nullo negotio eluere poterimus unicum vitium quod remanet: οἱ Γερμανοὶ γελοιότατοι κατὰ τὴν μέθην ἦσαν· hinc sane non fuerunt ἐν τοῖς Γόμφοις temulentorum militum παθήματα γενναῖα, sed γελοῖα. Hoc quoque unus et alter mihi ignoravisse videtur veterem militem sic simpliciter γέροντα dici. Ecce pauca quaedam exempla ne quis amplius dubitet: p. 584. 5 Caesariani milites σπουδῇ δαιμονίῳ συνενεχθῆναι τοῖς πολεμίοις ὠρέγοντο καὶ ἡγοῦντο πολέμῳ μὲν εἶναι παρὰ πολὺ ἀμείνους νεοστρατεύτων ἔτι ὄντων δέκα ἔτεσιν ἡσκημένοι, ἐς δὲ ταφρείας ἢ περιτειχίσεις ἢ σιτολογίας ἐπιπόνους ἀνθενέστεροι διὰ γῆρας. Pompeii verba sunt p. 588. 23: καταφρονεῖτε δέ, inquit, ὡς ἠσσημένων νενικηκότες καὶ γερόντων νέοι καὶ πολλὰ κεκμηκότων ἀκμῆτες ἄνδρες. Deinde, p. 590. 12, dimisit ut castra tutarentur δισχιλίους τοὺς πάνυ γέροντας. Denique p. 685. 18 veterani milites, γηρῶντες, ἐδόκουν νεοσυλλόγων ἀμείνους ἐς τὸ διπλάσιον εἶναι. Sed satis haec sunto.

Pag. 584. 13: οὔτε ναῦς ἐς φυγὴν ταχεῖαν ἔχοντας. Immo requiro: ταχείας.

Pag. 594. 28 Pompeius ἐκαθέζετο ἄναυδος οἷόν τι καὶ τὸν Τελαμῶνος Αἴαντά φασιν ἐν Ἰλίῳ παθεῖν ἐν μέσοις πολεμίοις ὑπὸ θεοβλαβείας. Musgravius aliquando correxit, quod post eum multos alios coniecisse existimo ποιμνίοις, idque primo obtutu verissimum esse dixeris, cum Appianus memor fuerit eorum quae legisset in Sophoclis Aiace vs. 311: καὶ τὸν μὲν ἧσο πλεῖστον ἄφθογγος χρόνον. Nec tamen ea coniectura stare potest, scriptor enim indidem profecit unde etiam Plutarchus Pompei. 72: ὅμοιος παράφρονι καὶ παραπλῆγι τὴν διάνοιαν — μηδένα προσειπὼν ἀπῄει βάδην εἰς τὸν χάρακα, πάνυ τοῖς ἔπεσι πρέπων ἐκείνοις (Homer. Iliad. Λ 544):

Ζεὺς δὲ πατὴρ Αἴανθ' ὑψίζυγος ἐν Φόβον ὦρσεν·
σῇ δὲ ταφών, ὄπιθεν δὲ σάκος βάλεν ἐπταβόειον.
τρέσσε δὲ παπτήνας ἐΦ' ὁμίλου.

Digitized by Google

Ea conditione nati sumus, ut numquam ab errandi periculo satis tutus sis: hic certe διδασκαλικὸς τόπος est.

Pag. 600. 19: ᾧ καὶ αὐτῷ δῆλόν ἐστι τὸν ἕτερον τῷ Κασσίῳ φόβον ὑπὸ τύχης ἐγγενέσθαι τὸν Καίσαρα ἐπαιρούσης. Improbat Viereckius, quod Musgravius correxerat πρότερον· fortasse melius placere poterit ἄτοπον.

Pag. 601. 29: διέξεισι futurum est; ceterum Appianus fere ἐλεύσεσθαι usurpat, p. 62. 32, 166. 31, 189. 10, 214. 15 alibi. Est talium incuriosus: ἔρχεσθαι invenitur p. 104. 26, 124. 28; ἔρχοιτο p. 146. 6, 854. 23; ἐρχόμενος p. 77. 13, 150. 27, 530. 1, 904. 29 et alibi saepe.

Pag. 608. 25: οἷα θηρίον τό τε τραῦμα καὶ τὴν γαστέρα εὑρύνων ὄνυξι καὶ δακτύλοις ἐρευνῶν καὶ τὰ σπλάγχνα διαρρίπτων. Corrigam κατὰ τὴν γαστέρα et libenter deleverim inutilia verba ἐρευνῶν καί, nam forte ἐρευνῶν scriptum pro εὑρύνων alienum locum occupavit. Consimilis corruptela est p. 723. 7: ἐρευναί τε καὶ εὑρέσεις καὶ παθήματα πάμπαν ἐπαχθῆ, sed correctio incerta est, vide Viereckium. Illud quoque observandum: ἐρευνᾶσθαι, διερευνᾶσθαι, προερευνασθαι deponentia verba sunt minime raro apud Appianum obvia, sicuti p. 657. 32; 735. 17; 741. 30; 750. 12; 753. 17; 831. 28; 833. 15; 888. 32; legitur tamen διερευνᾶν p. 884. 30, et προερευνᾶν p. 888. 9.

Pag. 609. 19: χειμαζόμενος ἐν τῇ θαλάσσῃ καὶ πολεμίαις ναυσὶν ἐντυχὼν ἐφέρετο γενναίως μέχρι καταλαμβανόμενος ἑαυτὸν διεχρήσατο. Malim: περιεφέρετο, coll. p. 611. 20: ἐκτρίβειν τῷ χρόνῳ τὸν Καίσαρα καὶ ἐς ἀπορίαν ὡς ἐν ἀλλοτρίᾳ γῇ περιφέρειν.

Pag. 616. 13: εἴτ' ἀπογνούς, εἴτε κάμνων καὶ ἐκκλίνων ἤδη τήνδε τὴν πεῖραν ἢ διαβολήν. De Caesare sermo est, qui diadema ab Antonio oblatum recusaverat; reliqua aperta, sed quid est κάμνων? nam sequitur brevi post: εἴτε νοσήματα τοῦ σώματος θεραπεύων, ἐπιληψίαν ἢ σπασμὸν αἰφνίδιον ἐμπίπτοντα αὐτῷ μάλιστα παρὰ τὰς ἀργίας. An forte probandum: καλύπτων? Sed nihil equidem definio.

Digitized by Google

Pag. 617. 4: *εὖ γὰρ ἤδεσαν αὐτόν, μὴ καὶ τάδε τὰ ἔθνη προσλαβὼν ἀναμφιλόγως γένοιτο βασιλεύς.* Hic haerent interpretes et vide apud Viereckium quid frustra moliti sint; incidi equidem in *ἠδέσθησαν*. Vide illud verbum *αἰδεῖσθαι* crebro usurpatum: p. 638. 30: *ἠδεῖσθε ἂν ἴσως ἐπὶ τοιούτοις αἰτεῖν ἀρισεῖα*, p. 633. 9: *τὴν δὲ πόλιν τοὺς ὑπολοίπους αἰδούμεθα βλάψαι*, p. 696. 30: *αἰδούμενοι τῶν ἐντολῶν τὸ ἀλλόκοτον*, p. 828. 28: *μετενόει καὶ ἠδεῖτο*, alibi. Est praeterea locus ubi idem hoc verbum perperam legitur: p. 655. 24: *αὐτὸς δὲ αἰδεῖσθαι Συρίας οὐκ ἀξιούμενος, Δολοβέλλας ὤν, πρὸ Κασσίου.* Emendavit Musgravius: *ἀδικεῖσθαι* idque verum videtur.

Pag. 624. 18: *ἐδεδοίκεσαν Ἀντώνιον ὑπατεύοντα μὴ ἀντὶ τῆς βουλῆς τῷ δήμῳ μόνῳ χρώμενος ἐργάσαιτό τι δεινὸν αὐτούς.* Multum praeferam: *ἄνευ τῆς βουλῆς*. Cf. supra ad p. 265. 13.

Pag. 628. 19; *τῶν ἀσῶν ὁ καθαρώτατος λεὼς ἀνεθάρρει.* Lege: *καθαρώτερος*, sicuti recte p. 629. 30.

Pag. 630. 30: *οὐδὲ βουλομένοις ἡμῖν ὑπακούσεται, καὶ δείξω μετ' ὀλίγον.* Requiro: *ὡς δείξω*. Obmovet Viereckius p. 631. 8: *τόδε πρῶτον ὑμᾶς ἄξιῶ κρῖναι, καὶ τὰ λοιπὰ ἐποίσω*, sed Nauckius recte rescripsit: *κἄτα τὰ λοιπά.*

Pag. 637. 6: *εἰκότως αὐτῷ δεδιότι καὶ βέβαιον ἔχοντι τὴν τυραννίδα ἀμνησίαν αἰτοῦντι ἔδομεν.* Infelicia admodum sunt conamina, quae Viereckius percenset: commendo equidem: *δεινῷ ὄντι*. Frustra provocabitur ad p. 647. 13.

Pag. 638. 15: *καὶ γὰρ ὄντες ἐν ἀσφαλεῖ [τιμῇ] παρὰ Καίσαρι τὴν πατρίδα τῆς ἡμετέρας τιμῆς προετιμήσαμεν.* Simili fortasse remedio sanandum erit quod legimus p. 676. 18, sed nihil praesto.

Pag. 641. 14: *ὑπεσαλεύετο αὖθις ἐς ὀργὴν ὁ δῆμος, τυράννου μὲν κατηγορίας προπεπυσμένοι, διαθήκας δὲ φιλοπόλιδος ἀνδρὸς ὁρῶντες.* Hanc lectionem *προπεπυσμένοι* post Cobetum *Mnem.* 1882 p. 218 recepit Viereckius in textum; est autem optimi

Digitized by Google

libri pessima lectio προπεπωμένοι, quam Bekkerus refinxit ediditque quod nihilo melius: προπεπομένοι. Aliquid audendum ratus, quantumvis aversatus nimis violentas coniecturas, nunc tamen arbitror requiri quale fuerit: ἀποδιοπομπούμενοι. Nihil attinet conferre p. 708. 12 vel 763. 26.

Pag. 643. 13: τὸ λέχος ὡς ἐπὶ σκηνῆς περιέσῃ. Sermo est de nobili illa funebri oratione quam in Caesaris honorem Antonius habuit. Indicare voluit Appianus p. 643. 31 *tragoedias movisse* oratorem: hinc illa: ὁ δῆμος οἷα χορὸς αὐτῷ πενθιμώτατα συνωδύρετο. Neque igitur feram: περιέσῃ, sed proprium in ea re est magnificum verbum: περιενόησεν· quis ignorat Platonis illud: περινοεῖ ὥσπερ ἥρως? Deinde pergit narrare Appianus: ἐπὶ τοῖς λόγοις ἕτεροι θρῆνοι μετ' ᾠδῆς κατὰ πάτριον ἔθος ὑπὸ χορῶν ἐς αὐτὸν ᾄδοντο, καὶ τὰ ἔργα αὖθις αὐτοῦ καὶ τὸ πάθος κατέλεγον, καὶ που τῶν θρήνων αὐτὸς ὁ Καῖσαρ ἐδόκει λέγειν ὅσους εὖ ποιήσειε τῶν ἐχθρῶν ἐξ ὀνόματος, καὶ περὶ τῶν σφαγέων αὐτῶν ἐπέλεγεν ὥσπερ ἐν θαύματι· ἐμὲ δὲ καὶ τούσδε περισῶσαι τοὺς κτενοῦντάς με. Nimirum undenam haec verba sint, omnes interpretes viderunt collato Suetonii testimonio Caes. 84: „inter ludos (funebres Caesaris) *cantata* sunt quaedam ad miserationem et invidiam caedis eius accommodata ex Pacuvii Armorum Iudicio: *men servasse ut essent qui me perderent.*" Quocirca possit quis legendum existimare ὥσπερ ἐν θεάματι pro θαύματι.

Pag. 653. 9: οὐ γάρ τις αὐτοῖς ἐδόκει Μάγνου γενέσθαι δημοκρατικώτερος, ὅθεν οὐδὲ (εἷς) περιποθητότερος ἦν. Vides quid inserendum credam.

Pag. 657. 2: τῶν δυνατωτάτων τότε μάλιστα. Noli hoc tangere: sic enim scriptor amat dicere: p. 813. 16: μάλιστα πάντων ἀδοκητότατον, p. 560. 23: μάλιστα εὐτολμοτάτους, p. 35. 24: μάλιστα φοβερώτατον. p. 306. 4: μᾶλλον προθυμοτέρων, denique p. 879. 32: ἧσσον ἀπορωτέρα.

Pag. 657. 31: τὸ μὴ τιμωρεῖν αὐτὸν Καίσαρι αἰσχρὸν ἡγούμενος. Syntaxis postulat: αὐτός.

Digitized by Google

Pag. 658. 27: σφᾶς ἔλεγον, εἴ τις ἡγοῖτο, ἀμυνεῖν. Corrige: σφεῖς, quod Appianus usurpavit p. 604. 7.

Pag. 661. 6. Ionicae formae verborum in ατai et ατο apud Appianum minime rarae sunt, cf. Cobetus *Mnem.* 1882 p. 237. Haec sunt exempla quae inter legendum collegi: ἐφθάρατο p. 661. 6, 780. 28, 885. 19, 901. 6, 15; ἀναμεμίχαται p. 177. 26, 294. 19, 590. 25; διετετάχατο p. 178. 14, 280. 29, 294. 28, 297. 1, 295. 7, 31, denique ἀγηγέρατο p. 72. 18.

Pag. 661. 11: ἀλλ' ἔσων καὶ ταῦτα οἱ διεφθαρμένοι σε βιάσασθαι. Hucusque corruptus locus non nimis felici successu ab interpretibus fuit tractatus, quod vide apud Viereckium. Scribam equidem: ἀλλὰ λεγέσθων, de qua imperativi forma supra dixi ad pag. 194. 23. Λελέχθω usurpatur p. 768. 23.

Pag. 661. 32. Hic recte ἐπιψηφίζειν significat: *mittere in suffragium*, uti et p. 668. 2 et 678. 14. Alibi perperam p. 186. 30: ἡ σύγκλητος ἐπιψηφιεῖ ἃ ἂν δοκιμάσῃ, p. 114. 18: ὁ δῆμος αὐτῷ τὴν στρατηγίαν ἐπεψήφισεν, p. 301. 15, 21, 557. 22, 651. 12: τῆς ἄρτι ἐπεψηφισμένης ἀμνηστίας, alibi fortasse.

Pag. 663. 19: οὐ σοῦ χάριν ἀλλὰ τοῦ δήμου. Scribit Cobetus *Mnem.* 1882 p. 219: „Non est Graecum ἐμοῦ, σοῦ χάριν, sed ἐμὴν, σὴν χάριν, quod restituendum", deinde ut etiam cognoscamus usum Appiani, laudat p. 714. 24. Viereckius tribus verbis edicit fuisse Cobetum *ignarum sermonis posteriorum*. Quid si quid ego inclementer dicere vellem in editorem qui plane absurdam lectionem recepit p. 671. 16!

Pag. 671. 16: εὐεργέτῃ ἀμύνειν ἀτιμουμένῳ πρὸς Ἀντωνίου. Itidem confer p. 698. 31: τοὺς αὐτῷ στρατευομένους ἀτιμοῦν. Hi loci facient ut merito dubites de medicina qua Cobetus *Mnem.* 1882 p. 218 Appiano subvenire voluit p. 631. 21.

Pag. 675. 24: ἡ βουλὴ σὺν ἐκείνοις ἦν, ἦ καὶ νῦν ἐστὶ φανερώτερον. Lege: φανερόν· statim sequitur γέρα, unde ortum vitium.

Digitized by Google

Pag. 686. 22. Ingens numerus locorum est, quibus particula ἄν omissa est, nec pro certo habeo dicere sitne hoc sermonis vitium ab librariis repetendum an ab ipso Appiano. Ecce pauca quaedam de multis exemplis: p. 686. 22: μέχρι καθέλωμεν· p. 691. 9: μέχρι προσγένηται· p. 35. 10: μέχρι βάλωσιν· p. 175. 27: μέχρι μάθωσιν. Itidem post ἕως particula deest p. 25. 5: ἕως ἐπιψηφίσῃ· p. 23. 8: ἕως ἐξέλωσι· p. 42. 5 ἕως ἡμέρα γένηται. p. 117. 8: ἕως σημήνῃ. p. 139. 21: ἕως καταλαμβάνωσιν. Deinde p. 159. 19: ἕως καθέλωσιν. Etiam in sententia relativa p. 27. 22: οὔτε πατρίδας ἔχοντες ἐς ἃς διαφύγωσιν, quae verba recurrunt p. 40. 28. Conferri praeterea iubeo p. 637. 12: οἶμαι πολλάκις ἀποθανεῖν ἐλέσθαι μᾶλλον ἢ δουλεύειν ἑκόντας· p. 603. 16: Σαλούσιον ὀλίγου διέφθειραν, εἰ μὴ διέφυγε, denique p. 686. 22, nam satietati lectorum occurrendum est, μέχρι καθέλωμεν· ἡμεῖς Ἀντώνιον.

Pag. 689. 29: τὸν μόνον ἐμποδὼν γινόμενον (vel potius γενόμενον) ἢ πάντων χρὴ συνετώτερον ἢ φιλίᾳ τάδε πράσσειν ἢ τῶν ἐνεῳώτων ἀμαθίᾳ. Requiro: συνετώτατον. Mox recte: εἰ δόξομεν ἀσυνετώτεροι πάντες ἑνὸς εἶναι.

Pag. 697. 25: ἵνα καὶ ἡ βουλὴ καθαρεύσῃ ποτὲ τοῦ μύσους, ἐμπιμπλαμένη νῦν διὰ Κικέρωνα Δέκμῳ βοηθοῦντα. Dele interpunctionem post id quod est μύσους.

Pag. 718. 10: ἐχώρει τῆς ἐπιούσης πρὸς τὸ ἄστυ. Immo legendum: εἰς τὸ ἄστυ.

Pag. 722. 3 memorabile est quod de D. Bruto legimus: ἤλλαξε δὲ τὴν ἐσθῆτα ἐς τὸ Κελτικόν, ἐξεπισάμενος ἄρα καὶ τὴν φωνήν, καὶ διεδίδρασκε σὺν ἐκείνοις οἷα τις Κελτός. Notabile hoc, nam perraro legimus Graecos vel Romanos, si interpretes exceperis, operam dedisse ut linguas cognoscerent eorum quibuscum consuescerent. Ecquem verbi causa praeter ipsum Themistoclem Persice novisse accepimus? Apud Caesarem B. Gall. I 47 mittitur ad Ariovistum C. Valerius Procillus propter fidem et propter Gallicae linguae scientiam, sed minus hoc mirum est, nam huius pater Gallus natione erat et primus civitate

Digitized by Google

donatus erat. Illud quoque animadversione dignum, quum T. Sempronius Gracchus anno urbis 575 in Hispania urbem Caravim obsidione eximere vellet, quod Appianus tradidit p. 74. 22: *τῶν τις ἱλάρχων, Κομίνιος, ἐνθυμηθεὶς πρὸς ἑαυτὸν καὶ Γρακχῳ τὸ τόλμημα ἀνενεγκών, ἐνεπορπήσατο σάγον Ἰβηρικῶς, καὶ λαθὼν ἀνεμίχθη τοῖς χορτολογοῦσι τῶν πολεμίων, συνεσῆλθέν τε αὐτοῖς ὡς Ἴβηρ ἐς τὸ στρατόπεδον, καὶ ἐς τὴν Κάραουιν διαδραμὼν ἐμήνυσεν ὅτι Γράκχος ἐπίοι.* Similiter quum aliquando Iunotus Napoleontis legatus post Turres Veteres in Lusitania obsidione premeretur iamque in eo esset ut Anglis se traderet, — quod uxor eius, ut eius mos est, facunde enarravit — Franco-Gallus quidam itaque de eo populo quem Hispani internecivo odio prosequebantur, quum linguam eius regionis eximie calleret, tandem cum summo vitae periculo usque ad Francica castra penetravit.

Pag. 725. 10: *τῶν ξοάνων τὰ μὲν ἵδρου, τὰ δὲ καὶ αἷμα ἵδρου.* Viereckius monet ne quis illud ineleganter iteratum *ἵδρου* sede sua exturbare velit, cum saepe soleat Appianus parvo intervallo idem vocabulum bis usurpare. Attamen quantum mihi existimare datur, prorsus diversi generis sunt loci quos excitavit. Non admodum temerarium erit rescribere: *τὰ δὲ καὶ μεθιδρύετο.* Conferatur Iulius Obsequens c. 125: Eo ipso die plerisque locis signa sponte conversa, et c. 130: In Mutinensi Victoriae Marianae signum meridiem spectans sua sponte conversum in septentrionem hora quarta. Cf. Dio Cassius XLVI. 33. 4.

Pag. 728. 32: *οὐκ ἀσφαλὲς τοὺς ἐχθροὺς ὀπίσω καταλιπεῖν, ἐπιβησομένους ταῖς ἀπουσίαις ἡμῶν.* Hoc quidem sine sensu: postulatur *ταῖς περιουσίαις.* Cobetus *Mnem.* 1882 p. 214: „Περιουσία miro usu apud Appianum saepe ponitur pro *οὐσία*", deinde eam observationem exemplis confirmat.

Pag. 732. 9: *τὴν δὲ καὶ αἱ φάσεις τῶν ἀρχόντων προαπώλεσαν καὶ ἡ ὁμόνοια τοιάδ' ἐργάζεται.* Aliquid excidit: supplendum *τοιάδ'* (*ἕτερα*) *ἐργάζεται.* Vides cur vocabulum exciderit. Cf. p. 733. 4.

Digitized by Google

Pag. 732. 17: ἢ διωθούμενοι τὸ κακὸν ἢ ὠνούμενοι. Dicitur hoc magis ἐξωνούμενοι.

Pag. 736. 18: ἡ κεφαλὴ δὲ τοῦ Κικέρωνος καὶ ἡ χεὶρ ἐν ἀγορᾷ τοῦ βήματος ἀπεκρέμαντο ἐπὶ πλεῖσον, ἔνθα πρότερον ὁ Κικέρων ἐδημηγόρει· καὶ πλείους ὀψόμενοι συνέθεον ἢ ἀκροώμενοι. Vertit interpres: „maiorque tunc ad spectandum quam prius ad audiendum concursus fuit"; sed ut ea sententia in Graecis verbis insit, Cobetus *Mnem.* 1882 p. 234 correxit: ἢ (τότε) ἀκροασόμενοι. Equidem correxeram: πλείους ὀψόμενοι συνέθεον ἢ καταρασόμενοι, quod nondum abiicio.

Pag. 738. 25 sermo fit de muliere, quae Σεπτιμίῳ μὲν ἐγεγάμητο, ὑπὸ δέ τινος Ἀντωνίῳ Φίλου διεφθείρετο. Nonne praestat διέφθαρτο?

Pag. 743. 14: Ἀτέριον δὲ κρυπτόμενον θεράπων ἐμήνυσέ τε καὶ ἐλεύθερος αὐτίκα γενόμενος ἀντωνεῖτο τοῖς παισὶν αὐτοῦ τὴν οὐσίαν. Rem si mihi bene repraesento, verius fuerit οἰκίαν.

Pag. 744. 15 crebrae erant bonorum confiscationes, sed οὐ πολὺς ἦν ὁ τὰ χωρία ὠνούμενος, cum homines apud animum suum reputarent non satis tutum esse ὅλως χρυσίον ἢ ἀργύριον ἔχοντας ὁρᾶσθαι, οὐδὲ τὰς ἐπικτήσεις νῦν ἀκινδύνους, πολὺ δὲ μᾶλλον τὰ ὄντα ἐπικίνδυνα. Reliqua satis aperta; sed quid est illud τὰ ὄντα? Ipse contextus satis suadet ut corrigamus: τὰ νεώνητα.

Pag. 748. 17: οὐ γὰρ νῦν χρῆναι περισώζειν Λεύκιον. Immo verum est οὐ γὰρ οὖν.

Pag. 751. 28: Μᾶρκον δὲ οἱ θεράποντες σὺν εὐνοίᾳ καὶ τύχῃ διεφύλαξαν. Melius intelligam: καὶ τιμῇ.

Pag. 756. 5 narrat Appianus quam fideli animo servi fuerint erga Virginium, quem triumviri proscripsissent; comitati sunt dominum usque ad littus, quo ventura erat uxor cum navi ut maritum exciperet unaque in Siciliam proficisceretur. Haec aliquamdiu in statione commorata est, βραδύνοντος δὲ τοῦ

Digitized by Google

Οὐεργιλίου, νομίσασα αὐτὸν ἐς Πομπήιον προπεπλευκέναι ἀνήγετο, θεράποντα ὅμως ἐπὶ τῆς ἠόνος ἐξαγγέλλειν ὑπολιποῦσα. Hic autem postquam dominus tandem pervenit quo convenerat, τὴν ναῦν ἐδείκνυεν ὡς ὁρωμένην. Nunc nihil nostra interest narrare quomodo tandem generosa mulier miserum maritum in Sicilia exceperit; sed quid est illud ὡς ὁρωμένην? Mendelssohnius correxit ἔτι ὁρωμένην quod minime sufficit; equidem incidi in: τὴν ναῦν ἐδείκνυεν ἐξωρμισμένην. Apud Appianum invenitur verbum ὁρμίζειν p. 778. 20, 875. 28 et 899. 6, ἐνόρμισμα p. 794. 24, 29 et 884. 15, ἐφορμιούμενος p. 890. 29, denique p. 868. 14 περιορμίζειν, de quo composito vide quid Cobetus adnotaverit *Mnem.* 1882 p. 235.

Pag. 758. 12. Ciceronis filius ἐς Πομπήιον ἐλθὼν τιμῆς καὶ στρατηνίας ἠξιοῦτο. Rescribe: ἠξίωτο, sicuti proxime praecessit προαπέσαλτο.

Pag. 765. 13. Corruptis custodibus capit Cassius urbem Laodiceam, ὑπανοιχθεισῶν αὐτῷ πυλίδων κατὰ μέρη πολλῶν. Imo legendum πολλά, sicuti recte scribitur p. 842. 11. Vide quoque p. 772. 19.

Pag. 772. 8 notabile est quod de Cassio legimus eum ἐπιφέρεσθαι πύργους ἐπτυγμένους οἳ τότε ἀνίσαντο. Itidem p. 842. 3 memorantur πύργοι πτυκτοὶ σανίδας ἐς τὰ τείχη μεθιέντες. Vide quoque p. 107. 27: κλίμακα φέρων πτυκτήν. Tale quid alibi non memini me legere.

Pag. 773. 26: ψηφισαμένης αὐτῷ τῆς βουλῆς τοῖς χρήμασιν ἐς τὰ παρόντα χρῆσθαι. Mire dictum: exspecto potius: ἐς τὰ ἐπείγοντα.

Pag. 776. 2: ὡς διὰ κλιμάκων ἐπεχείρουν, quem locum Viereckius hic laudat, *Mnem.* 1887 p. 281, is non Cobeti est, sed Polacii. Ceterum parum abest quin equidem malim: ἐπήρειδον.

Pag. 776. 17: δείσαντες ὑπὲρ αὐτῶν ὅσοι περὶ τὰς πύλας ἔνδοθέν τε καὶ ἔξωθεν αὐτὰς ἔκοπτον. Lege: ὑπὲρ τῶν.

Digitized by Google

Pag. 781. 3: Octavianus καλοῦντος αὐτὸν Ἀντωνίου κατὰ σπουδὴν διέπλει πρὸς αὐτὸν ἐς τὸ Βρεντέσιον, ἐν ἀριστερᾷ ἔχων Σικελίαν καὶ Πομπήιον καὶ Σικελίαν ὑπερθέμενος ἐν τῷ τότε. Uniuscuiusque est reponere ἐν ἀριστερᾷ ἔχων Ἰταλίαν et bene factum quod itidem p. 906. 3 Italiae et Siciliae nomina confusa fuerunt. — Hic autem locus facit ut recorder eorum quae habuimus p. 141. 22: ἐν δὲ Βρυττίοις οἳ μέρος εἰσὶ τῆς Ἰταλίας. Verum quidem est Bruttium olim solum fuisse dictam Italiam, cum postea demum nomen ad Alpes usque pertinuerit indeque viri docti coniecerunt, quorum conamina Mendelssohnius percensuit: τῆς (παλαιοτάτης) Ἰταλίας vel τῆς (πάλαι μόνης καλουμένης) Ἰταλίας vel οἳ (πέρας) εἰσὶ τῆς Ἰταλίας vel denique οἳ (τέλος) εἰσὶ τῆς Ἰταλίας, sed nihil necesse habuit Appianus nunc quidem lectoribus in memoriam prevocare quodnam vetustum nomen Italiae fuerit, cum praesertim supra notaverimus eum geographiae parum fuisse curiosum. Quid si olim scriptum fuit: οἳ μέρος εἰσὶ τῆς Ἰαπυγίας. Est sane verum Bruttium agrum ad Metapontum usque pertinere nec stricto sensu Iapygiae esse partem, sed potuit Appianus hoc neglexisse videri. Veluti p. 148. 18: Κράσσος ἀντεστρατοπέδευσεν Ἀννίβᾳ περὶ Ἰαπυγίαν, deinde brevi post, p. 149. 5: τοῦ δ' αὐτοῦ χρόνου Κωνσεντίαν, μεγάλην πόλιν Βρυττίων, καὶ ἄλλας ἓξ ἐπ' αὐτῇ περιέσπασεν ἀπ' Ἀννίβου Κράσσος, nec tamen Consentia Iapygiae pars est, quod nomen est orientalis perinsulae, in quam Italia terminatur, non occidentalis. Sed minime intercedo quominns mea suspicio lectori nimis incerta esse videatur. Vide tamen similem Appiani errorem p. 472. 26.

Pag. 781. 10: πνεύματος δὲ πολλοῦ κατὰ θεὸν οἰκίου γενομένου. Schweighauserus correxerit οὐρίου: facilius fortasse poteris αἰσίου.

Pag. 786. 25: τί δὴ πλέον ἔργον ἔτι τῆς βουλῆς ἢ σύμβολον ἐπιζητεῖτε τοῦ κατὰ γνώμην αὐτῆς πάντα πεπρᾶχθαι, πλὴν ἢ λόγῳ μόνον ὑμῖν ἔτι ὁμολογῆσαι; Praestat: ἐξομολογῆσαι.

Pag. 793. 32: τὸν ζυγὸν ἄξαι. Editores rectius scripsissent mutato accentu ἄξαι.

Digitized by Google

Pag. 797. 19: σὺν ὁρμῇ [τε καὶ ὀργῇ] τὸν ϛρατὸν ἦγεν ἐπισρέφων ἐς τὸ διατείχισμα τοῦ Κασσίου. Libenter deleverim quae mihi dittographia esse videtur, coll. p. 792. 21: ἔπραττον αὐτὸ μεθ' ὁρμῆς καὶ προθυμίας, p. 798. 9: ὡς δ' ἀρξάμενος εἶχεν ὁρμῆς et p. 798. 22: τρεψάμενοι δὲ καὶ τούςδε ὁρμῇ βιαίῳ. Contra p. 857. 29: οὐ καταςχὼν τῆς ὁρμῆς ὁ Ἀντώνιος — μάλα θρασέως ἐπειχθεὶς ἐπέπεσε τοῖς χιλίοις, longe malim: τῆς ὀργῆς.

Pag. 802. 27: Μακεδονίαν ἐξαναλώκασιν ἤδη καὶ ἐκ μόνης ἄρτι Θεσσαλίας ἔχουσιν, ἢ ἐς πόσον αὐτοῖς ἔτι ἀρκέσει; Corrigam: ἐξαρκέσει.

Pag. 803. 5: μὴ ἀδοξεῖτε εἰ προσπαίξονται ἡμῖν καὶ προκαλοῦνται. Sic locum correxit Cobetus *Mnem.* 1882 p. 228, cum antea legeretur: μὴ ἀδοξῆτε εἰ προσπαίζονται. Est praeterea notabilis Attica futuri forma προκαλοῦνται, quae nunc quidem verosimiliter servata fuit, cum librarii praesens tempus esse crederent. Ceterum Appiani textus habet fere formam καλέσειν: p. 40. 14, 329. 6, 667. 8 et 686. 27; τελέσειν p. 410. 13 et 670. 26. Sed συντελοῦντας p. 460. 11 fortasse futurum est; μαχέσεσθαι est p. 191. 27, sed μαχεῖσθαι p. 610. 28; est ἀπολέσειν p. 449. 32 et 627. 13, sed ἀπολούμενος p. 454. 3; denique p. 387. 19 est ἐξυβρίσειν et διερίσειν p. 902. 31, sed fieri potest ut inter legendum multa me fugerint, nam non unice ad eam rem animum attendebam.

Pag. 804. 17: εἰ ἐπειγόμεθα αὐτὰ λαβεῖν, ἐπειγώμεθα ἐπὶ τὴν μάχην. Nauckius commendavit εὐχόμεθα· mihi magis placet γλιχόμεθα. Cf. supra ad p. 109. 23.

Pag. 806. 8: ἐς χεῖρας ἰέναι ἀνδράσιν ἐπειγομένοις ὑπὸ λιμοῦ. Scripsissem equidem τειρομένοις.

Pag. 814. 15: ὄρνεα πολλὰ ὑπὲρ τὸ ϛρατόπεδον καθιέμενα κλαγγὴν οὐδεμίαν ἠΦίει. Recenset Viereckius multa doctorum virorum tentamina ut absurdum illud οὐδεμίαν emendent; mihi placet δαιμονίαν et, quod praefiscine nunc dictum esto, suspicor eam lectionem magis esse placituram. Cf. p. 814. 29: δαιμόνια δ' ἦν αὐτοῖς ἄρα καὶ τάδε.

Digitized by Google

Pag. 819. 10 post pugnam apud Philippos Caesar et Antonius ἔθυόν τε λαμπρῶς καὶ τὸν στρατὸν ἐπῄνουν. Nimis tenue hoc et milites ut post aerumnas reficerentur, aliquid magis ad rem flagitaturi erant: reponam: εὐώχουν· deinde sequitur quod exspectamus: καὶ ἐς τὴν δόσιν τῶν ἐπινικίων ὁ μὲν ἐς τὴν Ἰταλίαν ἐχώρει, κτέ.

Pag. 823. 20. Antonius Aradios iussit sibi tradere supplicem, quem εἶχον λέγοντα Πτολεμαῖον εἶναι Cleopatrae fratrem. Melius erit, credo, εἶλον.

Pag. 830. 30: ἀντεδίδασκεν ὅτι αὐτῷ μὲν καὶ Ἀντωνίῳ πάντα εἶναι φίλια καὶ κοινά. Vel puer corriget: εἴη.

Pag. 834. 19: Μοῦρκος ἀφῖκτο αὐτῷ δύο ἄγων στρατοῦ τέλη — καὶ τὸν ἄλλον στρατὸν ἐκ Κεφαληνίας μετεπέμπετο. Immo legendum: μετεπέπεμπτο.

Pag. 848. 14: ἐξ ἀρχῆς δέ με βλάψειν ἐλόμενος καὶ νῦν ἔβλαψας. Malim fere: οἰόμενος et confer Viereckium.

Pag. 851. 1 L. Aemilius δικάζων ἐπὶ τῷ Φόνῳ Γαΐου Καίσαρος τὴν καταδικάζουσαν ἤνεγκε Φανερῶς καὶ πάντας Φέρειν ἐκέλευεν ὡς ἐκλυομένους μύσος Mendelssohnius inserto articulo (τὸ) μύσος, sed requiro praeterea futurum: ἐκλυσομένους.

Pag. 851. 4: Κέσιος δέ τις αὐτῶν ὑπομαργότερος ἐνέπρησε τὴν οἰκίαν. Quod nemo admonitus dubitabit, Appianus hic ante oculos habuit Herodoti locum III 29: ὁ Καμβύσης οἷα ἐὼν ὑπομαργότερος τοῦ Ἄπιος παίει τὸν μηρόν· praeterea Viereckius cavendum esse edixit ne quis corrigere velit: ἀσῶν ὑπομαργότερος, quae sane inepta coniectura foret. Ab Herodoto mutuabor scripturam: Κέσιος δέ τις οἷα ὢν ὑπομαργότερος Cf. etiam Cobetum *Mnem.* 1882 p. 237.

Pag. 853. 18: ἐξώτρυνε τοὺς κληρούχους ἐπὶ τὸν Ἀντώνιον ὡς κατάγοντα μετὰ τῶν γεωργῶν Πομπήιον. Scribe: κατάξοντα.

Digitized by Google

Pag. 859. 17: τοῖς φίλοις ἐσὶν εὔνους μόνοις. Malim fere ἐμοῖς.

Pag. 865. 6: πένθος ἦν ὁρωμένων ἀνὰ τὸ ῥεῦμα καὶ περιδυόντων αὐτὰ τῶν σρατιωτῶν. Praestare dixerim: φερομένων.

Pag. 877. 31: οὐδενὸς τῶν οἰκετῶν αὐτῷ θεραπευτήρων παρόντων. Lege: οἰκείων, uti vertit Schweighauserus.

Pag. 879. 6. Vide formam νήχεσθαι, ac praeterea p. 888. 26 et 893. 16; sed ἐκνέοντας invenitur p. 885. 17 et 888. 27.

Pag. 881. 6: χρημάτων ἔχρῃζε καὶ ἠπόρει, Ῥωμαίων οὔτε ἐσφερόντων οὔτε τοὺς πόρους ἐῶντων οὓς ἐπινοήσειεν. Mire dictum; convenientius erit: αἰνούντων.

Pag. 882. 13: κατὰ δαίμονα δ' ἀμφοτέρων προσιόντων τῷ ῥεύματι. Correxeram ἅμ' ἀμφοτέρων, sed Nauckius me praevertit.

Pag. 884. 19: ἅμα ἠοῖ. In hac forma Appianus sibi non constat. Habet p. 102. 21, 100. 6 et 509. 8: ἐξ ἠοῦς, p. 200. 28: ἀπ' ἠοῦς, p. 874. 2: ἠοῦς ἀρχομένης, sed πρὸ ἕω: p. 100. 1 et 116. 32, ἅμ' ἕῳ: p. 108. 15 et 119. 14, denique ἐς ἕω: p. 900. 6.

Pag. 886. 27: ἀναχωρῶν ἦρει κατὰ δύο ἢ τρεῖς ναῦς τῶν Φυλακίδων, quasi Menodorus hoc saepius fecerit. Legendum: ἠρήκει δύ' ἢ τρεῖς ναῦς.

Pag. 893. 30: εὗρον αὐτὸν τό τε σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν ἐσαλμένον. Quaesitum fuit quid sub illo participio lateret: Cobetus *Mnem.* 1882 p. 231 commendavit: συνεσαλμένον, cui Herwerdenus adstipulatus est; secundum Viereckium inutilis coniectura est, cum vulgata lectio significet: *torpentem*; ita certe Candidum vertisse. Mihi latere videtur ἐσφαλμένον.

Pag. 896. 20: ὁ Πομπήιος ἠσθεὶς τῶν σενῶν ἀφῃρημένος. καὶ Τισιηνὸν ἐκάλει μετὰ τοῦ σρατοῦ. Primum audiamus Cobetum

Digitized by Google

Mnem. 1882 p. 231: „Absurdum est ἡσθείς, nam sententia flagitat *dolebat.* Itaque Musgravius ἠνιάθη reponebat. Sed requiritur imperfectum et legendum censeo ἤχθετο, quod pellucet ex H*ΘΕΤΟ. Scriba videre sibi visus est H*ΘΕΙC videre et ἡσθείς supplevit sententiae securus". Supervenit Viereckius, qui commendavit δηχθείς. Neque hoc neque illud mihi admodum arridet. Contuli Herodoti III 41: ἐδίζητο ἐπ' ᾧ ἂν μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀσηθείη ἀπολομένῳ τῶν κειμηλίων. Sic ille ἀσηθῆναι semel dixit pro ἀλγῆσαι, cf. *Mnem.* 1855 p. 2, eumque semel quantum novimus Appianus imitatus est scribendo: ἀσηθεὶς τῶν στενῶν ἀφῃρημένος. Est ea correctio ipsa quoque lenitate commendabilis.

Pag. 896. 32: τὴν Παλαιστηνῶν γῆν ἔκειρε. Itane serio, quum res traduntur in Sicilia gestae? Sed suspicio est Mulleri ad Ptolem. III 4. 2, quae omnes veritatis numeros habet: Καλακτίνων. Viereckius correctionis lenitatem non agnovisse videtur: etiam tirones norunt confundi solere K et IΣ.

CIC. PRO ROSC. AM. § 136.

Cur a partibus Sullae steterit sic explicat orator:

„Quis enim erat qui non videret *humilitatem cum dignitate de amplitudine* contendere".

Immo vero: *humilitatem cum amplitudine de dignitate.* Homines obscuri (humiles) cum nobilibus (amplitudine) contendebant de obtinendis honoribus.

Sic saepe magistratus vocabulo *dignitate* significantur. Dabo duo insignia exempla:

Verr. L. IV § 45 iniustus praetor sic alloquens provincialem fingitur: „non es tu qui habeas quae tam bene facta sunt, meae dignitatis ista sunt".

p. Cluent. § 111 „ignobili loco natus ita vivit, ut nobilitatis dignitatem virtute tueri posse videatur". *Nobilitatis dignitas* = honores quos nobiles tenere solent.

J. J. H.

Digitized by Google

ANNOTATIONES CRITICAE AD PLUTARCHI OPERA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex huiusce vol. pag.* 222).

C. XXIV „Quondam" — notissima refertur narratiuncula ad Caesaris Serviliaeque amores pertinens — „in curiam allatam Caesari tabellam aiunt"

τοῦ δὲ Κάτωνος εἰς ὑποψίαν ἄγοντος τὸ πρᾶγμα καὶ διαβάλλοντος εἶναί τινας τοὺς κινουμένους καὶ κελεύοντος ἀναγιγνώσκειν τὰ γεγραμμένα κτἑ.

In εἶναί τινας τοὺς κινουμένους quid lateat nescio, sensu cassa esse video. Videtur hic lacuna utcunque expleta esse, certe in cod. C. verba κινουμένους καί omittuntur.

C. XXVIII Leni transpositione legendum esse ἡττώμενον καὶ πρὸς τὸ συμφέρον τρεπόμενον demonstravi Mnem. loco modo indicato (1905, 56).

C. XXIX Memmio Lucullum triumphi honore privare studenti restitit Cato

καὶ πολλὰς ὑπέμεινε διαβολὰς καὶ κατηγορίας. τέλος δὲ τῆς ἀρχῆς ἐκβαλλόμενος ὡς τυραννίδος τοσοῦτον ἐκράτησεν ὥστε τὸν Μέμμιον αὐτὸν ἀναγκάσαι τῶν δικῶν ἀποστῆναι καὶ φυγεῖν τὸν ἀγῶνα.

Qui dici possit Cato τῆς ἀρχῆς ἐκβαλλόμενος ὡς τυραννίδος non video. Nescio quo casu nata ea vocabula suspicor ex iis quae

Digitized by Google

supra de Metello narrantur, qui urbem reliquerit *Φεύγειν τὴν τυραννίδα βοῶν τὴν ἐκείνου.*

C. XXXIII Caesar exspectabat Catonem, qui in vincula ducebatur, precibus usurum:

ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνος ἦν δῆλος οὐδὲ μελλήσων τι ποιεῖν κτἑ.

Ante *τι* inseratur *τοιοῦτον.*

ib. Caesariani Publium Clodium

ἀπέδειξαν δήμαρχον ἐπὶ μισθῷ τῇ Κικέρωνος ἐξελάσει πάντα πρὸς χάριν ἐκείνοις πολιτευόμενον.

Immo vero *πολιτευσόμενον* et post *δήμαρχον* oratio incidenda ut haec evadat sententia: Clodius in omnibus rebus morem gerere Caesarianis paratus erat, dummodo hanc acciperet mercedem ut in exsilium pelleretur Cicero.

C. XXXVI In Ptolemaei bonis vendendis Cato

οὐδὲ τοῖς ἔθεσι τῆς ἀγορᾶς ἐπίστευε.

Pro *ἔθεσι* requitur vocabulum *magistratus* aliquos significans.

C. XLVIII Ipse Pompeius, qui lege sua reorum laudationes sustulisset, Munatio Planco

συγγράψας ἔπαινον ἐπὶ τῇ δίκῃ ἔδωκεν.

Nihil est *ἔδωκεν,* neque ullo modo cohaeret cum narratione sequenti. Fac enim „tradidit" significare, quid ea res habet quod vetare vel prohibere possit Cato? Sed lege *ἀνεγίγνωσκε,* omnia erunt quam planissima: laudationem illam, quam scriptam attulerat, Pompeius (aut sua voce aut per anagnostam) *recitare volebat,* at

ἐπισχόμενος ὁ Κάτων τὰ ὦτα ταῖς χερσὶν (ἔτυχε γὰρ δικάζων) ἐκώλυεν ἀναγινώσκεσθαι τὴν μαρτυρίαν.

C. XLIX In consulatus petitione repulsam tulit Cato

μήτε αὐτὸς ἐντυχεῖν ὑπὲρ αὐτοῦ πιθανὸς ὢν ἀλλ' ἐν ἤθει τὸ τοῦ βίου μᾶλλον ἀξίωμα βουλόμενος φυλάσσειν ἢ προσλαβεῖν τὸ τῆς ἀρχῆς ποιούμενος τὰς δεξιώσεις

neque amicis suis permittens blanditiis adversus plebem uti.

Admirationem movet adiectivum *πιθανός* cum infinitivo iunc-

Digitized by Google

tum. Sed hoc fortasse ferendum; at istud *ἐν ἤθει* nunquam mihi probabitur. Requiritur adiectivum quod *purum, sincerum, integrum* significet.

C. LIII In Sicilia, quae sorte ei obtigerat, Cato invenit Asinium Pollionem cum exercitu ab adversariis eo missum:

Ἀσίννιον μὲν οὖν ἔφη δυνατὸς εἶναι Σικελίας ἐκβαλεῖν, ἄλλης δὲ μείζονος ἐπερχομένης δυνάμεως οὐ βούλεσθαι τὴν νῆσον ἐμπολεμῶν ἀπολέσθαι.

Tolle gravem soloecismum pro *ἀπολέσθαι* legens *ἀπολέσαι*. Praecedentis verbi *βούλεσθαι* terminatio librarium in errorem induxit. Frequentissimum hoc in textu Plutarchi vitium.

C. LXIV Insignis Catonis virtus his verbis significatur:

πάλαι δὲ ἄνθρωπος αὐτὸν ἐγνωκὼς ἀνελεῖν δεινοὺς πόνους ἐπόνει ὑπὲρ ἄλλων.

Istud *ἄνθρωπος* unde pedem intulerit non video, una litura delendum esse constat. Insigni hic exemplo Sintenisius demonstrat iis qui per fas et nefas traditas lectiones defendere velint quidquid dicant argumenti habere vim videri. Annotat enim „cf. ad Pomp. 61". Quid enim ibi legitur?

ἦν δὲ καὶ παρ' αὐτὰ τὰ δεινὰ ζηλωτὸς ἀνὴρ τῆς πρὸς αὐτὸν εὐνοίας τῶν ἀνθρώπων.

Ergone quia, si *cum admiratione* aliquid de aliquo profertur, saepe *ἀνήρ* (nam sic hic quoque legendum, non *ἀνήρ*) ad sententiae subiectum clarius indicandum adhibetur (nullum autem orationis ornamentum illo frequentius, cf. notissimum ex Aristophane in Pluto exemplum vs. 339

τίνι τρόπῳ
Χρεμύλος πεπλούτηκ' ἐξαπίνης; οὐ πείθομαι.
καίτοι λόγος γ' ἦν νὴ τὸν Ἡρακλέα πολὺς
ἐν τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων
ὡς ἐξαπίνης ἀνὴρ γεγένηται πλούσιος)

ideo omnibus locis *ἄνθρωπος* addere licet? Haec tamen hic Sintenesii videtur esse ratiocinatio.

C. LXVII *λουσάμενος δὲ μετὰ πολλῶν ἐδείπνει [καθήμενος ὥσπερ εἰώθει μετὰ τὴν μάχην· οὐ γὰρ κατεκλίθη πλὴν καθεύδων] συνεδείπνουν δὲ πάντες οἱ ἑταῖροι.*

Digitized by Google

Deleantur inclusa. Ineptissime et ne satis accurate quidem sunt repetita e c. LVI:

ἐδείπνει δὲ καθήμενος ἀφ' ἧς ἡμέρας τὴν κατὰ Φάρσαλον ἧτταν ἔγνω· καὶ τοῦτο τῷ λοιπῷ προσέθηκε πένθει τὸ μὴ κατακλιθῆναι πλὴν καθεύδων.

Quae ibi suum sibi obtinent locum et accurate sunt enuntiata.

Agis I Ad gloriae cupidos conferri potest fabula de Ixione e nebula, quam Iunonem esse putabat, Centauros procreante:

καὶ γὰρ οὗτοι τῆς ἀρετῆς εἰδώλῳ τινὶ τῇ δόξῃ συνόντες .... νοθὰ καὶ μικτὰ πολλὰ πράττουσιν.

Aut inepte ipse Plutarchus imaginem a se inchoatam perturbat aut non *πράττουσιν* scripsit sed *γεννῶσιν* vel tale aliquid.

C. II Concedendum est adolescentibus ut laudibus delectentur:

φυόμεναι γὰρ ἐν τοῖς τηλικούτοις αἱ ἀρεταὶ καὶ βλαστάνουσαι τό τε κατορθούμενον, ὥς φησι Θεόφραστος, ἐκβεβαιοῦνται τοῖς ἐπαίνοις καὶ τὸ λοιπὸν αὔξονται μετὰ φρονήματος ἐπαιρόμεναι.

Quem in sententia locum istud *τὸ κατορθούμενον* teneat non video. Plane omittit interpres Didotianus. Verisimile est aliquid a Plutarcho scriptum fuisse cui postea opponeretur *καὶ τὸ λοιπόν* (quale est *τό τε πρῶτον*). Virtutes laudibus primum firmantur, deinde etiam augentur.

ib. (s. f.) *παραβάλωμεν δ' αὐτοῖς* (Gracchis) *Λακωνικὸν ζεῦγος δημαγωγῶν.*

Immo *παραβαλοῦμεν*. Non se ipse adhortatur scriptor, sed quid sit scripturus legentes facit certiores.

C. III Avaritia et luxu corrupta

τῶν πλείστων ἐξέπεσεν ἡ Σπάρτη καλῶν καὶ ταπεινὰ πράττουσα παρ' ἀξίαν διετέλει.

Respublica talibus indulgens vitiis iacet et despicitur (hoc enim est *ταπεινὰ πράττειν*), non hercle *παρ' ἀξίαν* sed *κατ' ἀξίαν*, quod fere significat *sua culpa*.

C. V Initium ea labes cepit a fine belli Peloponnesiaci; aliquamdiu tamen pristinus reipublicae status remanebat

Digitized by Google

τὸν οἴκων ὃν ὁ Λυκοῦργος ὥρισε φυλαττόντων ἀριθμὸν ἐν ταῖς διαδοχαῖς καὶ πατρὸς παιδὶ τὸν κλῆρον ἀπολείποντος.

Sic Sintenisius edidit; Muretus τῶν οἴκων ὤν. Neutrum vel intelligi potest. Unice verum est τῶν οἴκων ὃν: quamdiu familiae numerum a Lycurgo definitum servabant.

ib. Paucis exceptis totus populus egebat ideoque languebat τοὺς μὲν ἔξωθεν πολέμους ἀργῶς καὶ ἀπροθύμως ἀμυνόμενος κτἑ.

Non *bella*, opinor, sed *hostes* propulsant cives. Lege ergo πολεμίους.

C. VI Lycurgi leges restituente Agide seniores, utpote corrupti, metu perculsi

καθήπτοντο τοῦ Ἄγιδος ὀδυρομένου τὰ παρόντα πράγματα καὶ τὸ παλαιὸν ἀξίωμα τῆς Σπάρτης ἐπιποθοῦντος.

Parum aptum hic ὀδύρεσθαι verbum. Non *lamentabatur* Agis (parum hoc virum fortem et ad agendum paratum decet), sed praesens rerum status *indignationem* ei movebat. Verbum a Plutarcho scriptum non praesto.

C. VII Cum avunculo suo Agesilao Agis matrem suam adiit ut ei consilia sua probaret:

ἐπεὶ δὲ ταῦτα μὲν ὁ Ἀγησίλαος ἐδίδασκεν ὡς καλῶς ἕξει καὶ πραχθήσεται συμφερόντως, αὐτὸς δὲ ὁ βασιλεὺς ἐδεῖτο τῆς μητρὸς ἐπιδοῦναι πρὸς δόξαν αὐτῷ καὶ φιλοτιμίαν τὸν πλοῦτον κτἑ.

Transpone: ὁ μὲν Ἀγησίλαος. Non enim adeo hiatus reformidasse Plutarchum credo ut mallet suas ipse perturbare sententias.

C. IX Ipse Agis totam rem familiarem in aerarium conferebat πολλὴν οὖσαν ἐν τοῖς γεωργουμένοις καὶ νεμομένοις κτἑ.

Res ipsa clamat ἔν τε legendum esse.

C. XI Certo anni tempore Spartani, cum quoddam signum in coelo est observatum, regnum abrogant regibus

μέχρις ἂν ἐκ Δελφῶν ἢ Ὀλυμπίας χρησμὸς ἔλθῃ τοῖς ἡλωκόσι τῶν βασιλέων βοηθῶν.

Mire verba notata displicent. Quasi vero magnus Spartae fuerit regum numerus e quibus alii condemnentur, alii absolvantur. Utique τῶν βασιλέων delendum est.

Digitized by Google

C. XIII Persuadebat Agidi Agesilaus ut prius tabulas novas ferret

(ὡς) εὐκόλως ἂν αὐτῶν (de locupletibus agitur) καθ' ἡσυχίαν ἐνδεξομένων τὸν ἀνάδασμον.

Dele ἄν, sed et compositum ἐνδεξ. suspectum est. Denique videndum annon ante καθ' inserendum sit καί.

C. XV Non admodum perspicua est huius capitis narratio. Quid enim factum est postquam Aratus Aetolis permisit Megaram invadere? Ibine quieti substiterunt neque ultra Peloponnesiis exhibuerunt negotia? Hoc certum est sub finem capitis iniuria θαυμασθείς sollicitatum a Nabero. Rediit domum Agis laude ornatus propter modestiam exercitus quae c. XIII fuse est descripta.

C. XVI Agesilaus iste Agidis avunculus nihil non in suum convertens lucrum

τῶν βασιλέων τοῦ μὲν ὅλως καταφρονεῖν, τὸν δὲ Ἄγιν ἐβούλετο δοκεῖν διὰ τὴν συγγένειαν μᾶλλον ἢ διὰ τὴν βασίλειαν ἔν τινι τιμῇ τίθεσθαι.

Neque vocabulorum dispositio permittit ut infinitivum καταφρονεῖν cum δοκεῖν iungamus neque ipsa res quae traditur. Sic enim ea se habebat ut Agesilaus alterum regem plane et palam contemneret, adversus alterum speciem quandam servaret reverentiae, non quod rex ille esset sed quod sibi cognatus. Lege ergo κατεφρόνει.

ib. Agesilai avaritiam ultra non ferentes

ἀποκινδυνεύσαντες οἱ ἐχθροὶ καὶ συστάντες ἐκ Τεγέας ἀναφανδὸν τὸν Λεωνίδαν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν κατήγαγον.

Paulo obscurius vocibus οἱ ἐχθροί significantur Agesilai, Agidis, Cleombroti adversarii. Hi enim eiusdem erant factionis, licet ei avaritia sua Agesilaus magnopere noceret.

C. XVII Chilonis Leonidae filia

πρότερον μὲν ἀδικουμένῳ τῷ πατρὶ συνηδικεῖτο.

Minus aptum ultimum vocabulum. Significandum est filiam patris iniurias tamquam suas interpretatam esse ideoque a ma-

Digitized by Google

rito suo, illarum auctore, abiisse. Fortasse illud ἠδικεῖτο repetitum est e praecedenti ἀδικουμένῳ, et ἐλύπει vel eiusmodi aliquid expulit.

C. XVIII Dum Agis supplex sedebat in templo, simulati quidam amici eius insidias ei struebant

καί ποτε καὶ παραλαβόντες ἐπὶ λουτρὸν ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ κατήγαγον κτἑ.

Vix sanum istud παραλαβόντες. Requiritur fere ἐν μέσῳ λαβόντες.

C. XIX εἰώθει δὲ (Agis) καταβαίνειν ὅτε τύχοι πρὸς τὸ λουτρόν. Mire, certe insolite, ὅτε τύχοι dictum pro ὅτε καιρὸς εἴη.

Tunc ergo perfidi isti homines subito eum arripiunt, quorum unus eum collo obtorto trahit

ἄλλων δ' ἐπωθούντων ὄπισθεν ἐκ παρασκευῆς, οὐδενὸς βοηθοῦντος, ἀλλ' ἐρημίας οὔσης κτἑ.

Sic satis ridicule verba in editionibus distinguuntur, quasi vero, nisi istud ἐκ παρασκευῆς verbo ἐπωθεῖν esset additum, periculum esset ne putaremus illos homines miserum regem *forte* et nihil tale cogitantes propulisse. Transpone virgulam ut *ante*, non post, ἐκ παρακευῆς legatur, habebimus narrationem plenam perfectamque: consulto illud tempus elegerant scelesti illi, cum solitudo esset in viis ita ut nemo regi opem ferret.

ib. τοὺς ὑπηρέτας ἐκέλευον (ephori) ἄγειν (Agidem) εἰς τὴν καλουμένην Δεχάδα.

Miri nominis in codicibus aliae formae exstant hae: κεκάδα et δεκάδα. Dubium non est quin Καιάδαν sit legendum.

Cleomenes c. II Omnino tristissima et turpissima erat reipublicae Spartanae condicio

ἀσκήσεως δὲ καὶ σωφροσύνης νέων καὶ καρτερίας καὶ ἰσότητος οὐδ' ἀσφαλὲς ἦν τούτων τῶν περὶ Ἄγιν ἀπολωλότων μνημονεύειν.

In integrum haec restituuntur deleto τούτων, pro quo in codicibus τούτῳ, τοῦτο, τούτω leguntur: exercitationis, continentiae, fortitudinis (et omnino mascularum virtutum) ne mentionem quidem facere tutum erat, postquam Agis (qui illis virtutibus

Digitized by Google

reducendis operam dederat) erat interfectus. Recte sententiam loci reddidit Didotianus sic vertens: „mentionem .... facere periculosum erat, Agide *quod conatus ea fuisset in urbem reducere* interfecto." Vocabula notata, quae de suo addidit interpres, optime Plutarchi mentem illustrant. Ceterum vix opus est dicere verbis *τῶν περὶ Ἄγιν* ipsum Agidem significari.

ib. Tyrtaeus a Leonida dicebatur
ἀγαθὸς νέων ψυχὰς κακκαννην.
Alii codices alia, sed omnia leviter tantummodo inter se discrepantia. Unice verum est *κακκάρην*: narratur enim istud de Leonida ad illustrandum philosophi studium, qui Cleomenis adolescentis *φιλοτιμίαν προεκκαῦσαι* videtur.

C. III Deinde de rege iuvene haec narrantur:
ὄντος δ' αὐτῷ φίλου Ξενάρους, ἐραστοῦ γεγονότος (τοῦτο δὲ ἐμπνεῖσθαι Λακεδαιμόνιοι καλοῦσιν) ἀπεπειρᾶτο τούτου διαπυνθανόμενος τὸν Ἄγιν ὅποιος γένοιτο βασιλεύς.
Parenthesin non intelligo neque quidquam proficio Didotiana interpretatione: „Lacedaemonii *ἐμπνεῖσθαι* dicunt quasi *inspirari* Latine diceres."

C. IV *μέγας οὖν τῷ φρονήματι γεγονὼς ὁ Κλεομένης ἐθρασύνετο πρὸς τοὺς πολίτας καὶ τῶν παλαιῶν τινος αὐτοὺς ἀνεμίμνησκε βασιλέων εἰπόντος, ὅτι μάτην Λακεδαιμόνιοι πυνθάνονται περὶ τῶν πολεμίων, οὐ πόσοι εἰσὶν, ἀλλὰ ποῦ εἰσιν.*
Ergone simul civibus in memoriam revocat Cleomenes dictum illud nobile, et frustra illud fuisse ipsum vetustum regem illum declarantem facit? Non opinor, sed sic mihi Plutarchi manum restituere videor: *οὐ μάτην εἰπόντος ὅτι κτέ.*: „non temere illud in ore habere solebat, nam revera tales erant antiqui Spartani". Tenebrarum et caliginis, qualis ipse fuit, amatorem facit Sintenisius Cleomenem, hoc oraculo traditam defendens lectionem: „nempe Agidis dictum festive rei praesenti accommodavit Cleomenes".

C. V Collegam regni arcessere Agidis fratrem Archedemum statuit Cleomenes. Tum qui Agidem occiderant, metuentes ne ab ipsis poenas sumeret Archidemus

Digitized by Google

ἐδέξαντο μὲν αὐτὸν εἰς τὴν πόλιν παραγενόμενον κρύφα καὶ συγκατῆγον, εὐθὺς δ' ἀπέκτειναν.

Non placet ὕστερον πρότερον illud. Dixeris: „primum in urbem rediit Archidemus, deinde *in integrum restituere* eum volebant, certe velle se simulabant, scelesti illi". At *clam quibus* in urbem rediit? Ut opinor iisdem qui Agidem occiderant et ipsum in exilium pulerant. Hine ergo dici possunt eum *recepisse in urbem*? Omnino quae gesta sint et quo ordine me latet. Neque Plutarchi haec culpa, sed deliquit nescio quid librarius.

C. VI Hostes temere persequentes Lacedaemonios incidunt in χωρίον ἀμπέλων καὶ τάφρων καὶ τειχῶν μεστόν.

Delectat me campus ille *plenus murorum*. Didotianus exhibet „repletum ruderibus". Sed hoc si voluisset Plutarchus, quidni ἐρειπίων scripsisset? Non voluit; sed hic quoque dedit vocabulum ad vineas earumque cultum pertinens. Quid illud fuerit non statuo.

C. IX Sententiam quam voluit Plutarchus sic restitues:

τὸ κακῶς παθεῖν ἥκιστα δεδίασιν οἱ μάλιστα φοβούμενοι τὸ κακῶς ἀκοῦσαι.

Prius κακῶς ego addidi.

C. X Sensim omnem potentiam in se transulerunt ephori, quae olim fuerat regis:

σημεῖον δὲ τούτου τὸ μέχρι νῦν μεταπεμπομένων τὸν βασιλέα τῶν ἐφόρων τὸ πρῶτον ἀντιλέγειν καὶ τὸ δεύτερον, τὸ δὲ τρίτον καλούντων ἀναστάντα βαδίζειν πρὸς αὐτούς.

Ultima misere languent, excidisse post ἀναστάντα suspicor σχολῇ. In eo enim insignis spectabatur Agesilai adversus ephoros modestia quod *cantra vetustum illum morem* εἰ κληθείη θᾶττον ἢ βάδην accurrere solebat (Ages. c. IV).

C. XII In castris Spartanorum non erant histriones et alii ex eo genere hominum

τὰ μὲν πολλὰ μελετώντων τῶν νέων καὶ τῶν πρεσβυτέρων διδασκόντων.

Unica *delectatio* erat operam dare sententiolis brevibus et acutis.

Ne frustra quaeras *quam* ergo *seriam* rem discere soliti sint iuvenes et docere seniores, pro πολλά lege πολεμικά.

Digitized by Google

C. XIII Ne Plutarchus quidem suis caruit annotationibus quae a margine in textum irrepserunt. Ecce exemplum quo nullum disertius:

ξένους ἐστιῶν ζωμὸν αὐτοῖς μέλανα καὶ μάζαν [ὥσπερ ἔθος ἦν ἐν τοῖς Φιδιτίοις] παρέθηκεν.

C. XVI Subitus morbus quo parum apto tempore domum redire cogebatur Cleomenes

διελυμήνατο τὰ πράγματα τῆς Ἑλλάδος, ἀμωσγέπως ἐκ τῶν παρόντων ἀναλαβεῖν αὐτὴν ἔτι καὶ διαφυγεῖν τὴν Μακεδόνων ὕβριν καὶ πλεονεξίαν δυναμένην.

Fuit cum typothetae vitio haec sic edi putarem, sed video in Didotiana idem exstare. Et tamen quid certius quam *δυναμένης* esse legendum? Vides quam negligenter Plutarchus legi soleat.

ib. Laudat Cleomenem Plutarchus tamquam

τὴν πάτριον πολιτείαν, ὥσπερ ἁρμονίαν ἐκλελυμένην, ἀνακρουόμενον αὖθις ἐπὶ τὸν σώφρονα καὶ Δώριον ἐκεῖνον τοῦ Λυκούργου νόμον.

Absurde his adiicitur magistelli annotatio *καὶ βίον* qua omnis metaphorae perit venustas.

ib. s. f. Quod communem Graeciae causam Aratus tradidit Antigono causa est cur Plutarchus deploret humanae naturae infirmatem

εἰ μηδὲ ἐν ἤθεσιν οὕτως ἀξιολόγοις καὶ διαφόροις πρὸς ἀρετὴν ἐκφέρειν δύναται τὸ καλὸν ἀνεμέσητον.

De verbo *ἐκφέρειν* subdubito; certe male mentem scriptoris reddidit interpres Didotianus sic vertens: „quando nec in nobilibus et insigniter ad virtutem aptis ingeniis bonum absque ullo naevo *existere* potest". Nam, si sanum est *ἐκφέρειν*, vim habet *ad finem usque perferendi.*

C. XIX Quae hic leguntur: *τῶν δὲ Κορινθίων ἀμιλλωμένων — διαφυγεῖν* neque concinna sunt neque perspicua.

C. XXIII *ταύτην διαρπάσαι διανοηθεὶς ὁ Κλεομένης.*

Digitized by Google

Immo *ἀναρπάσαι*. Non agitur de regione diripienda sed de urbe subito impetu occupanda.

C. XXVI Vitato Antigoni exercitu subito ad Argos adest Cleomenes ibique fruges demetit, non cultris falcibusque sed gladiis ligneis

ὡς ἐπὶ παιδιᾷ χρωμένους ἐν τῷ πορεύεσθαι σὺν μηδενὶ πόνῳ πάντα συγκαταρρῖψαι καὶ διαφθεῖραι τὸν καρπόν.

Sicut nunc locus legitur istud *χρωμένους* quo vertas nescis. Sed lege *ὥστε* pro *ὡς ἐπί*, omnia erunt planissima.

ib. Merito homines Cleomenem admirabantur:

τὸ γὰρ ἐκ μιᾶς πόλεως ὁρμώμενον ὁμοῦ τῇ Μακεδόνων δυνάμει καὶ Πελοποννησίοις ἅπασι καὶ χορηγίᾳ βασιλικῇ πολεμεῖν καὶ μὴ μόνον ἄθικτον φυλάττοντα τὴν Λακωνικήν, ἀλλὰ καὶ χώραν κακῶς ποιοῦντα τὴν ἐκείνων

profecto magni est ducis.

Quid sit Graece scribere nesciat qui istud a me notatum *καί* Plutarcho vindicet.

C. XXXII Mire adhibetur verbum *διοικεῖν* in his

αὐτὸν καὶ τοὺς φίλους εὐτελῶς καὶ σωφρόνως διοικῶν.

Sed facilius tamen hoc fertur quam quod legitur *Cic.* c. 45: *διοικεῖν τὸ μειράκιον* hoc sensu: „suo arbitrio regere adolescentulum". Hunc equidem locum corruptum arbitror.

C. XXXIII Ptolemaeus moribus adeo depravatis erat ut

ὁπότε νήφοι μάλιστα καὶ σπουδαιότατος αὑτοῦ γένοιτο

Gallum ageret.

Dicitur hoc Graece *σπ. αὐτὸς αὑτοῦ*, quae structura si forte Plutarchi tempore in usu iam non erat, potuit eam a suo discere Herodoto.

ib. Qui Cleomenem videbant in Ptolemaei aula in ore habere solebant hoc dictum:

οὗτος [ὁ]λέων ἐν [τούτοις τοῖς] προβάτοις ἀναστρέφεται.

Deleantur inclusa, quae sensu cassa erant fiunt lepidissima.

Digitized by Google

C. XXXIV *ναῦς μὲν οὖν αἰτῶν καὶ στρατείαν ἀπεῖπε.*
Sintenisiis talia placeant; in Didotiana legitur, quod solum huc quadrat, *στρατιάν.*

Tib. Gracchus II C. Graccho seveniores homines vitio dabant quod argenteam supellectilem emisset
τιμῆς εἰς ἑκάστην λίτραν δραχμῶν χιλίων καὶ διακοσίων πεντήκοντα.
Hoc est: tanto pretio ut singulae librae tot constarent drachmis. Conferatur Parisinorum iocus de columna Luxoria.

ib. C. Gracchus in dicendo asper et ad iram propensus erat
ὥστε καὶ παρὰ γνώμην ἐν τῷ λέγειν ἐκφερόμενον πολλάκις ὑπ' ὀργῆς τήν τε φωνὴν ἀποξύνειν καὶ βλασφημεῖν καὶ συνταράττειν τὸν λόγον.
Aut *βλασφημεῖν* significat vocis aliquum lapsum vitiumve, aut aliud verbum, in quo illud inest, hic requiritur.

ib. Pone C. Gracchum stabat servus
ἔχων φωνασκικὸν ὄργανον ᾧ τοὺς φθόγγους ἀναβιβάζουσι.
Excidit hic quod in Gracchi causa vel primarium erat *καὶ καταβιβάζουσι.* Rectius Didotianus solum „sonos deprimunt" exhibet.

C. VII *τὸ δὲ πλεῖστον ἔοικεν ἐκ φιλοτιμίας καὶ τῶν ἐπαιρόντων τὸν Τιβέριον φίλων καὶ σοφιστῶν ἐκγενέσθαι τὰ τῆς διαφορᾶς* (inter Scipionem Gracchumque).
Simplex verbum *γενέσθαι* hic legatur.

C. VIII Laelius
ἐπεκλήθη σοφὸς ἢ φρόνιμος· ἑκάτερον γὰρ ἐδόκει σημαίνειν ὁ σάπιενς.
Nondum, ut opinor, Plutarchi aetate iam mortua erat lingua latina. Lege ergo *δοκεῖ* pro *ἐδόκει.*

C. X Octavii pertinacia incensus Gracchus leniorem legem, quam prius tulerat
ἐπανείλετο, τὸν δὲ ἡδίω τε τοῖς πολλοῖς καὶ σφοδρότερον ἐπὶ

Digitized by Google

τοὺς ἀδικοῦντας εἰσέφερεν ἤδη κελεύων ἐξίστασθαι τῆς χώρας ἣν ἐκέκτηντο παρὰ τοὺς προτέρους νόμους.

In his ἐπανείλετο est: „retinuit, non promulgavit, irritam fecit" (cf. C. Gracchus c. IV.) Cetera sensu carent nisi c. IX, ubi de priore lege haec leguntur:

οὓς γὰρ ἔδει δίκην τῆς ἀπειθείας δοῦναι καὶ μετὰ ζημίας ἣν παρὰ τοὺς νόμους ἐκαρποῦντο χώραν ἀφεῖναι, τούτους ἐκέλευσε τιμὴν προσλαμβάνοντας [ἐκβαίνειν ὧν ἀδίκως ἐκέκτηντο καὶ] παραδέχεσθαι τοὺς βοηθείας δεομένους τῶν πολιτῶν

verba inclusa, quae illic totam viciniam perturbant, delemus. Si perstant, nihil inter priorem et alteram Gracchi legem interest.

C. XII τῶν πλουσίων συνδραμόντων καὶ διασχόντων τὰς χεῖρας ὁ μὲν Ὀκτάβιος ἐσώθη μόλις ἐξαρπαγεὶς καὶ διαφυγὼν τὸν ὄχλον.

Frustra quaero quid sibi istud διασχόντων velit. Intelligerem si plebs dicta esset iunctis manibus inclusisse Octavium, eumque circulum nunc rumperent nobiles. Quod absurdum. Legendum censeo διανασχόντων: sublatis manibus, quae, ut opinor, gladios pugionesque tenebant, nobiles plebem reppulerunt.

C. XIV Titus Annius, Gracchi adversarius, erat

πρὸς τὰς ἐρωτήσεις καὶ τὰς ἀποκρίσεις ἄμαχος.

Aliquanto concinnius Plutarchus scripsit πρός τ' ἐρωτήσεις καὶ ἀποκρίσεις ἄμαχος. In fine capitis bis deleatur articulus in verbis καὶ τὸ λέγειν ἑτοιμότατον καὶ τὸ θαρρεῖν ἰταμώτατον.

C. XV Tribunatum Octavio ademptum ipsa quoque plebs aegre ferebat:

μέγα γάρ τι καὶ καλὸν ἐδόκει τὸ τῶν δημάρχων ἀξίωμα μέχρι τῆς ἡμέρας ἐκείνης διατετηρημένον ἀνηρῆσθαι καὶ καθυβρίσθαι.

Insanorum esse populus debet cui *eam ipsam ob causam* displiceat aliqua res quod sit *magna pulchraque*. Quantocius repone μέγα γάρ τι κακόν. Deinde videndum annon post ἀνηρῆσθαι exciderit aliquid quod *integrum* significet.

C. XX Priores inter patricios plebemque lites mutua sunt compositae reverentia

δοκεῖ δὲ καὶ τότε μὴ χαλεπῶς ἂν ἐνδοῦναι πικρηγορηθεὶς ὁ Τιβέριος, ἔτι δὲ ῥᾷον εἶξαι δίκα φόνου καὶ τραύμασιν ἐπιοῦσι.

Digitized by Google

Rectisime δοκεῖ Reiskius scripsit pro absurdo ἐδόκει, suam enim ipse Plutarchus sententiam hic profert. Sed ne sic quidem mihi liquet oppositionis ratio: non uti caede et vi *idem est* atque oratione uti.

C. Gracchus c. I C. Gracchus adolescens quod quaestor in Sardiniam mitteretur magnopere gaudebat, ét alias ob causas ét quia neque capessere iam respublicam auderet neque plebi vocanti posset resistere. Et tamen fama fert

τοῦτον ἄκρατον γενέσθαι δημαγωγὸν καὶ πολὺ τοῦ Τιβερίου λαμπρότερον πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν ὄχλων δόξαν. Οὐκ ἔχει δὲ οὕτω τὸ ἀληθές· ἀλλ' ἔοικεν ὑπ' ἀνάγκης τινὸς μᾶλλον οὗτος ἢ προαιρέσεως ἐμπεσεῖν εἰς τὴν πολιτείαν.

In his λαμπρότερον sanum esse non potest; requiritur adiectivum quod, cum verbis sequentibus iunctum, hominem *appetentem gratiae* significet. Deinde expellendum est οὗτος. Vide enim quam sit ingratum istud τοῦτον .... οὗτος. Aut adscripsit sciolus ad docendum uter Gracchus significaretur, aut aliquo infortunio e praecedenti οὕτω natum est.

C. IV ἀπομνημονεύεται δὲ καὶ τοῦ Γαίου πολλὰ ῥητορικῶς καὶ ἀγοραίως ὑπὲρ αὐτῆς (sc. τῆς μητρός) εἰρημένα πρός τινα τῶν ἐχθρῶν.

Secundum adverbium recte habet, commemorantur enim mox dicta admodum scurrilia et acerba. Sed pro ῥητορικῶς aliud exspectaveris.

C. VI Non solum legem Gracchi iudiciariam probavit populus ἀλλὰ κἀκείνῳ τοὺς κρίνοντας ἐκ τῶν ἱππέων ἔδωκε καταλέξαι. Immo vero κρινοῦντας.

C. IX Iniquissime senatus quaecunque Gracchus ageret repudiabat, sed laudabat Livium cum leges ferret Gracchanis magis populares

κἀκείνῳ μὲν .... ἀπηχθάνοντο, Λίβιος δὲ .... ἤρεσκεν αὐτοῖς.

Mire hic ἀπεχθάνεσθαι non *odio esse* sed *odisse* et *irasci* significat.

C. XVI Opimius consul non legatos ad senatum mittendos a Graccho eiusque sociis respondit

Digitized by Google

ἀλλὰ καταβάντας ὡς ὑπευθύνους πολίτας ἐπὶ κρίσιν καὶ παραδόντας αὐτοὺς οὕτως παραιτεῖσθαι τὴν ὀργήν.

Male in his πολίτας abundat.

Comp. Ag. et Cleom. et Gracch. c. II Tiberii Gracchi audacissimum facimus fuit

ἀνασῶσαι δημοσίους ἀγρούς.

Dici potest Gracchus populo suos sibi *recuperasse* agros, potest etiam agros e privatis publicos fecisse dici. Sed quod hic legitur sensu caret. Legendum videtur ἀναδάσασθαι, vocabulum Plutarcho dilectissimum; v. Agid. c. 12, Lyc. c. 8, Sol. c. 13, Arat. 38.

ib. Quem habuerint effectum Cleomenis res gestae sic declaratur:

ὀλίγου χρόνου τὴν Σπάρτην τῆς Πελοποννήσου κρατοῦσαν ἡ Ἑλλὰς ἐπεῖδε.

Neque ὀλίγου χρόνου significare potest, quod praebet Didotianus interpres, „brevi temporis spatio exacto", neque si posset verum illud esset. Nam numquam a Cleomene res eo est perducta. Sed *parum affuit* quin fieret illud, et hoc est quod vult Plutarchus. Lege ergo ὀλίγου abiecto χρόνου.

Demosthenes c. I Poetam qui docuit bonos viros tantummodo in nobilibus nasci urbibus sic refutat noster ut demonstret etiam obscurissima oppida tulisse non virtute sed, quod magis mirandum etiam, *arte* insignes viros. Et cur hoc magis sit mirandum sic exponit:

τὰς γὰρ ἄλλας τέχνας εἰκός ἐστιν

quoniam in opere spectantur et gloriam quaerunt in parvis oppidulis languescere.

τὴν δὲ ἀρετὴν

quoniam sibi sufficit in quovis posse loco clarescere.

Vides (aut plane caecutis) hic *opponi* inter se virtutem et artes, non artibus adnumerari virtutem. Dele ergo istud ἄλλας.

C. II Cum ego, qui nunquam Latine didicissem, venissem Romam, res mira mihi evenit

οὐ γὰρ οὕτως ἐκ τῶν ὀνομάτων τὰ πράγματα συνιέναι καὶ γνω-

Digitized by Google

ρίζειν συνέβαινεν ἡμῖν, ὡς ἐκ τῶν πραγμάτων ἀμωσγέπως εἴχομεν ἐμπειρίας ἐπακολουθεῖν διὰ ταῦτα καὶ τοῖς ὀνόμασι.

Verba saepe tentata ego sic refingenda censeo:

οὐ γὰρ ... ἡμῖν, ὡς ἐκ τῆς τῶν πραγμάτων ἐμπειρίας εἴχομεν ἐπακολουθεῖν ἀμωσγέπως καὶ τοῖς ὀνόμασιν, deleto *διὰ ταῦτα*, inserto *τῆς*, transposito *ἀμωσγέπως*. Qui res expertus novissem, *poteram* quodammodo etiam verba assequi. De ceteris huc pertinentibus vide Mnem. 1906 p. 307—316.

C. III „Inepti homines" ait Plutarchus „qui non verentur Demosthenis et Ciceronis inter se eloquentiam comparare in memoriam mihi revocant proverbium illud

δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία, ἣν ὁ περιττὸς ἐν ἅπασι Κεκίλιος ἀγνοήσας

Non, ut opinor, tam stultus Caecilius Calactinus visus est Plutarcho ut ignoraret in terra piscem nihil valere. Sed *hoc* nesciebat ineptum esse illum conatum. Hiatus ergo metu posito pro *ἣν* legamus *ὅ*.

ib. *Δημοσθένη γὰρ καὶ Κικέρωνα τὸν αὐτὸν ἔοικε πλάττων ἀπ' ἀρχῆς ὁ δαίμων ....*

Si *plane iidem* ab origine illi viri fuerunt, quid attinebat (id quod statim postea de eodem dicitur daemone) *similia* multa *admiscere*, tam quae ad eorem indolem quam quae ad vitae casus pertinerent? Lege: *ὁ αὐτὸς ... δαίμων*. Non unus daemon omnes creat homines sed alius alios. Demosthenes autem et Cicero ab eodem sunt creati, ideo tam multa habebant communia.

C. VI *Λαομέδοντα τὸν Ὀρχομένιον λέγουσι καχεξίαν τινὰ σπληνὸς ἀμυνόμενον δρόμοις μακροῖς χρῆσθαι.*

Immo *χρήσασθαι*, quemadmodum in procedente eadem narratione *ἐπιθέσθαι* et *γενέσθαι* legitur.

ib. Quid illud sit quod Demosthenis oratio dicatur primo tempore visa esse

βεβασανίσθαι τοῖς ἐνθυμήμασι πικρῶς ἄγαν καὶ κατακόρως

me latet. Didotianus: „contortis argumentis constare", iusto audacius et parum accurate. Quis enim *contortam* orationem *λόγον βεβασανισμένον* appellet? Neque *ἐνθύμημα* idem est quod

Digitized by Google

argumentum. Ecquid βεβαρύνθαι? Molestus est et satietatem movet orator cuius oratio *gravibus sententiis* (sic satis accurate illud ἐνθυμήμασι vertamus) nimis est *onerata.*

C. IX Lamachum sophistam ita confutavit Demosthenes et ita permovit auditores

ὥστε δείσαντα τῷ θορύβῳ τὸν σοφιστὴν ὑπεκδῦναι τῆς πανηγύρεως.

Tolle immanem soloecismum τὸν θόρυβον legendo.

C. XIII Δημάδης ἀπολογούμενος διὰ τὴν ἐν τῇ πολιτείᾳ μεταβολὴν ἔλεγεν, αὑτῷ μὲν αὐτὸν τἀναντία πολλάκις εἰρηκέναι, τῇ δὲ πόλει μηδέποτε.

Duo hinc sunt eximenda vocabula: αὐτόν, quia de se ipso loquitur Demades, et διά quia ἀπολογεῖσθαι διά τι nihili est.

C. XXII Viri est digni qui praesit reipublicae

τὰ οἰκεῖα πάθη καὶ πράγματα τοῖς δημοσίοις ἐπανέχοντα τηρεῖν τὸ ἀξίωμα.

Didotianus ἐπανέχειν vertit *postponere.* Quo iure nescio. Equidem ἐπαμπέχοντα legendum arbitror: *occultantem* et *operientem.* Cf. *non posse* c. XXI f. ἐπαμπεχομένοις καὶ ἀποκρυπτομένοις διὰ φόβον ἃς ἔχουσι δόξας. Vir negotia publica curans revera *dignitatem* suam servat, si privatos casus publicis obtegit, ita ut illi non appareant.

Cicero c. XV τοῦτο (agitur de senatusconsulto „videant consules") δ' οὐ πολλάκις, ἀλλ' ὅταν τι μέγα δείσῃ, ποιεῖν εἴωθεν ἡ ἐκκλησία.

Nimis languidum et vix rectum istud δείσῃ. Lege ὅταν μέγα τι δέος ᾖ: *cum magnum instat periculum.* Idem et Naberus vidit.

C. XVIII Catilinariorum consilia nullo negotio Cicero investigabat utpote

πολλοὺς μὲν ἔχων ἔξωθεν ἐπισκοποῦντας τὰ πραττόμενα καὶ συνεξιχνεύοντας αὐτῷ πολλοῖς δὲ τῶν μετέχειν δοκούντων τῆς συνωμοσίας διαλεγόμενος κρύφα καὶ πιστεύων.

Ultimam vocem sanam esse non credo; parum eam tutatur Schaeferi interpretamentum πιστοῖς χρώμενος. Neque eam vim verbum πιστεύειν habet unquam.

Digitized by Google

C. XXI Cum causa Catilinariorum in senatu ageretur, post Caesarem Cicero

ἀναστὰς ἐνεχείρησεν εἰς ἑκάτερον, τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ, τὰ δὲ τῇ γνώμῃ Καίσαρος συνειπών.

Frequentissimum apud Plutarchum — et ut opinor legitimum in scholis rhetorum — verbum, quod et hic restituatur, est *ἐπιχειρεῖν*, unde substantivum *ἐπιχείρημα*, quod et alibi legitur et *Ti. Gracchus* c. XV: *λόγον ἐν τῷ δήμῳ διεξῆλθεν, οὗ μικρὰ παραθέσθαι τῶν ἐπιχειρημάτων οὐκ ἄτοπον ἦν. In utramque partem disputare* est *ἐπιχειρεῖν εἰς ἑκάτερον.*

C. XXIV Pro *τρυφὴν ἰδίαν* legendum esse *τροφὴν ἡδεῖαν* demonstravi Mnem. 1905, 56. Si usquam, hic certe rem acu tetigi.

C. XXV De altero Crassi filio haec leguntur:

Ἀξιῷ τινὶ δοκῶν ὅμοιος εἶναι καὶ διὰ τοῦτο τῇ μητρὶ προστρίβόμενος αἰσχρὰν [ἐπὶ τῷ Ἀξίῳ] διαβολήν.

Ut urbane loquatur Plutarchus et Ciceronis iocus, qui sequitur, suam sibi servet venustatem, utique delenda sunt inclusa.

C. XXVI Iocus quo adversus Sestium, cum iam in eo esset ut a iudicibus absolveretur, Cicero usus dicitur: „utere tempore, cras enim eris privatus", admodum est obscurus. Quomodo enim sic perstringitur reus, qui toto suo iudicio fere solus verba fecit, patronis suis dicendi vix dedit facultatem?

C. XXX Iratus Ciceroni Caesar

κατεμαρτύρησεν ἐν τῷ δήμῳ μὴ δοκεῖν αὐτῷ καλῶς μηδὲ νομίμως ἄνδρας ἀκρίτους ἀνῃρῆσθαι [τοὺς περὶ Λέντλον καὶ Κέθηγον].

Delenda esse inclusa et res ipsa loquitur et docet vocabulum praecedens *ἄνδρας*. Sequitur

αὕτη γὰρ ἦν ἡ κατηγορία καὶ ἐπὶ τοῦθ' ὁ Κικέρων ἐκαλεῖτο.

Haec quo modo emendanda ut evadat sententia: „hoc crimine C. accusabatur"?

C. XXXII Philosophus, non orator dici voluit Cicero

Φιλοσοφίαν γὰρ ὡς ἔργον ἠρῆσθαι, ῥητορικῇ δ' ὀργάνῳ χρῆσθαι πολιτευόμενος ἐπὶ τὰς χρείας.

Digitized by Google

Ultima sic emendanda videntur ut haec oriatur sententia: „si quando, *necessitate coactus*, rempublicam capesseret".

C. XXXVIII Reprehendebat Ciceronem Cato quod Pompeium esset secutus: se enim aliter agere non potuisse

ἐκεῖνον δὲ χρησιμώτερον (ἂν ins.) *ὄντα τῇ πατρίδι καὶ τοῖς φίλοις εἰ μένων ἴσος ἐκεῖ πρὸς τὸ ἀποβαῖνον ἡρμόζετο*

stulte agere quod Caesari fieret inimicus.

Vereor ut simplex *ἴσος* significare possit *hominem neutris faventem partibus*, quapropter pro *ἐκεῖ* (quo facile hic caremus) legendum credo *ἑκατέρῳ*.

C. XXXIX Vehementer motum esse Caesarem, Cicerone orationem pro Ligario habente, narrant

τὸν γοῦν ἄνθρωπον ἀπέλυσε τῆς αἰτίας βεβιασμένος.

Hoc vult Plutarchum: „*sive vera sive falsa* ista omnia sunt quae traduntur, absolutum esse Ligarium constat". Lege ergo *δ' οὖν* pro *γοῦν*.

C. XLV Ciceronis in Antonium odium eum

προσεποίησε Καίσαρι νομίζοντι προσλαμβάνειν τῇ πολιτείᾳ τὴν ἐκείνου δύναμιν.

Post *Καίσαρι* excidit, quod facile fieri potuit, *κέρδος*. Suis artibus adiunxit Ciceronis eloquentiam, iure ratus hanc sibi magnopere profuturam.

Demetrius c. XI Enumeratis iam multis adulationibus, quibus adversus Antigonum Demetriumque usi sunt Athenienses, sic pergit:

τὸ δ' ὑπερφυέστατον ἐνθύμημα τοῦ Στρατοκλέους, οὗτος γὰρ ἦν ὁ τῶν σοφῶν τούτων καὶ περιττῶν καινουργὸς ἀρεσκευμάτων, ἔγραψεν, ὅπως οἱ πεμπόμενοι κατὰ ψήφισμα δημοσίᾳ πρὸς Ἀντίγονον ἢ Δημήτριον ἀντὶ πρεσβευτῶν θεωροὶ λέγοιντο.

Deleto demum *ἔγραψεν* ordine procedit sententia: „illud omnia superabat Stratoclis inventum ut e. q. s.". Sed et *κατὰ ψήφισμα δημοσίᾳ* mihi iusto verbosius videtur. Deleverim *κατὰ ψήφισμα*.

Digitized by Google

C. XVIII Solus omnium illorum, qui Alexandrum magnum sunt subsecuti, regulorum Cassander

τῶν ἄλλων αὐτὸν βασιλέα καὶ γραφόντων καὶ καλούντων, αὐτὸς ὥσπερ πρότερον εἰώθει, τὰς ἐπιστολὰς ἔγραφε.

Immo *ἐπέγραφε.*

C. XXX Demetrius spe, quam de Atheniensibus fovebat, delusus

τοῦ καθεστηκότος ἐξέστη δι' ὀργὴν αὐτοῦ.

Ultimum vocabulum una litura delendum videtur. „Iratus ob rem" Schaeferus annotat. Vides nihil esse quod non aliquod admittat interpretamentum.

C. XXXII Demetrius

Φίλαν τὴν γυναῖκα πρὸς Κάσανδρον ἔπεμψε τὸν ἀδελφὸν ἀπολυσομένην τὰς Πλειστάρχου κατηγορίας.

Cassander frater est Plistarchi, non Demetrii; delendum ergo *τὸν ἀδελφόν.*

C. XXXVIII Narrant Erasistratum medicum, cum intellexisset amore in morbum incidisse Seleucum iuniorem

τὰ συμπάσχειν μάλιστα τῇ ψυχῇ τρεπομένῃ μέρη καὶ κινήματα τοῦ σώματος ἐπισκοπεῖν.

Utique *καὶ κινήματα* delendum: nam *partes* quidem corporis simul cum mente *afficiuntur*, non vero *motus.*

ib. Inter indicia amoris et *ὄψεων ὑποδείξεις*, numerantur, e quibus vocabulis nullum extundo sensum. Ecquid *ὄψεως ὑπολείψεις*? Certe Sappho, quae hic citatur, et *ὀππάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημμα* dicit. Quam imitatus Catullus: „teguntur lumina nocte".

C. XLI Reprehendit auctor Demetrium

διαδούμενον καυσίαις διμίτροις.

Opinor *διμίτοις* ut indicetur quomodo causiae illae fuerint textae; ex eodem genere est quod subiicitur: *χρυσοπαρύφοις ἀλουργίσιν.*

C. XLIV Demetrii milites ad Pyrrhum deficiunt; cuius rei variae afferuntur causae, sed gravissima inest verbis

Digitized by Google

πάντως δὲ καὶ πρὸς ἕτερον καὶ πρὸς τοῦτον ἀπαλλαγῆναι τοῦ Δημητρίου ζητοῦντες.

Immo ἢ ... ἤ. Deficere vel ad Pyrrhum volebant milites vel ad alium, dummodo deficerent a Demetrio.

Antonius c. II Potestne aliquis, ut hic Curio, ἀπαίδευτος περὶ τὰς ἡδονάς dici?

C. IV Inter ea quibus Antonius sibi militum conciliabat gratiam commemoratur etiam κάθων ἐμφανής quod quid sit iuxta cum ignarissimis ignoro. Didotianus temere „compotatio aperta" praebet.

C. VI Nisi Iulius Caesar iam dudum civile bellum parasset, non propter tribunorum iniurias

οὕτως ἂν ἐπὶ καιροῦ

arma contra patriam sumpsisset. Didotianus „sic *subito*" praebet. Flagitat hoc sententia, sed ἐπὶ καιροῦ esse „subito" unde habet?

C. VII Antonius naves adducens Caesari, Dyrrhachii incluso, vento pellitur in saxa rupesque quibus cingitur sinus ille et certam exspectat perniciem.

ἄφνω δὲ τοῦ κόλπου πολὺν ἐκπνεύσαντος λίβα καὶ τοῦ κλύδωνος ἀπὸ τῆς γῆς εἰς τὸ πέλαγος διαχεομένου μεταβαλόμενος ἀπὸ τῆς γῆς καὶ πλέων σοβαρός κτἑ.

Inepte illud ἀπὸ τῆς γῆς repetitur: cursum vertit A. et altum petit.

C. IX Antonii adversarii reprehendebant eius

μεθ' ἡμέραν μὲν ὕπνους καὶ περιπάτους ἀλύοντος καὶ κραιπαλῶντος.

Pro περιπάτους Naberus coniecit πότους ἐπὶ πότους, quod refelli videtur sequente κραιπαλῶντος. Omnia in integrum restituuntur si ἤ legimus pro priore καί. Interdiu aut dormiebat Ant. aut, si per viam ambulabat, somno et crapula oppletus erat.

C. XI μετὰ δὲ ταῦτα προσελθὼν ἀναγορεῦσαι τὸν Δολαβέλλαν Caesar, concessit Antonio id fieri nolenti. Rectius προελθών, quamquam hoc quoque vix cum infinitivo iungi potest.

Digitized by Google

C. XXVI Cleopatrae fastus luxusque et aliis describitur et hisce:

παῖδες δὲ τοῖς γραφικοῖς Ἔρωσιν εἰκασμένοι παρ' ἑκάτερον ἑστῶτες ἐρρίπιζον.

Estne παρ' ἑκάτερον insolito prorsus modo positum pro ἑκατέρωθεν an inde aliqua librarii culpa natum?

ib. Prae ceteris Antonius in splendida Cleopatrae nave lumina admirabatur et alias ob causas et quia erant

συντεταγμένα πλαισίων καὶ περιφερειῶν τρόπῳ.

Obscurissima haec, neque multum proficimus Corais coniectura περιφερῶν.

C. XXVII Volebat epularum elegantia et luxu certare cum Cleopatra Antonius

ἀμφοῖν δὲ λειπόμενος καὶ κρατούμενος ἐν αὐτοῖς ἐκείνοις

de sua ipse iocabatur paupertate.

Immo ἐκείνης: cum in iis rebus illa esset inferior.

ib. Et sermo et venustas Cleopatrae

ἀνέφερέ τι κέντρον.

„Aculeum relinquebant" Didotianus. Haud dubie hoc requiritur, sed latet in textu tradito.

ib. πολλῶν δὲ λέγεται (Cleopatra) καὶ ἄλλων (praeter populos supra enumeratos) ἐκμαθεῖν γλώσσας τῶν πρὸ αὐτῆς βασιλέων οὐδὲ τὴν Αἰγυπτίαν ἀναισχομένων περιλαβεῖν διάλεκτον, ἐνίων δὲ καὶ τὸ μακεδονίζειν ἐκλιπόντων.

Quod Naberus coniecit αἰσχυνομένων non recte opponitur Cleopatrae πολυγλωσσίᾳ. Tradita lectio sincera videtur: priores reges Lagidae adeo erant superbi ut Aegyptiam linguam discere dedignarentur, nonnulli etiam Macedonicam dialectum missam facerent et artificiosa quadam Atthide uterentur.

C. XXVIII In narratione de Antonii filio aurum argentumque largiente et alia leguntur et haec:

μετὰ μικρὸν ἀψάμενόν τινα τῶν παίδων ἐν ἀγγείῳ τὰ ἐκπώματα προσφέρειν.

Digitized by Google

ἀψάμενον sanum esse non potest. Requiritur participium verbi quod *componere* significet.

C. XXIX Saepe Cleopatra ut Antonium imitaretur ancillae induebat vestem

καὶ γὰρ ἐκεῖνος οὕτως ἐπειρᾶτο σκευάζειν ἑαυτόν.

Absurdum est aliquem *conari* servilem vestem induere. Requiritur fere εἰώθει.

C. XLI Insolite dicitur:

παντάπασι τοὺς Πάρθους ἀπεγνωκότος Ἀντωνίου

hoc sensu: „cum iam de Parthis ne cogitaret quidem Antonius".

ib. Galli equites in Antonii exercitu impetu in Parthos facto

διεσκέδασαν αὐτοὺς οὐκέτι τῆς ἡμέρας ἐκείνης ὑπόδειγμα γενομένους.

Pro absurdo ὑπόδειγμα Naberus coniecit ὑπὸ δέργμα, quod, ut opinor, recipiet nemo. Verum esse videtur ὑπὸ χεῖρα, sed praeterea pro γενομένους legendum est γιγνομένους.

C. LI In longa descriptione de Antonio Cleopatram expectante ἐπεσκόπει, licet hiatum faciat, legendum pro ἐπισκοπεῖν, qui infinitivus nullo modo defendi potest. An credamus Plutarchum a Romanis usum infinitivi *historici* didicisse?

C. LIII Appropinquante Octavia Cleopatra omnibus modis se Antonii amore languescere simulabat:

πραγματευομένη δὲ πολλάκις ὀφθῆναι δακρύουσα ταχὺ τῶν δακρύων ἀφῄρει καὶ ἀπέκρυπτεν, ὡς δὴ βουλομένη λανθάνειν ἐκεῖνον.

Mire dictum τῶν δακρύων ἀφῄρει. Vitium latere videtur.

C. LVIII In bibliothecis Pergamenis

εἴκοσι μυριάδες βιβλίων ἁπλῶν ἦσαν.

Quae sunt βιβλία ἁπλᾶ? Ecquid volumina, non libri e pluribus constantes voluminibus?

ib. Et alia multa turpia Antonio vitio dabantur et

ἐν δὲ συνδείπνῳ πολλῶν παρόντων ἀναστάντα τρίβειν αὐτῆς τοὺς πόδας ἔκ τινος ὁρισμοῦ καὶ συνθήκης γενομένης.

Digitized by Google

Ultimis verbis significatur Antonium olim confirmasse se id ausurum (*συνθήκης*) et ei rei hunc diem praestituisse (*ὁρισμοῦ*).

C. LXIII *τοὺς ταρσοὺς τῶν νεῶν ἐγείρας καὶ πτερώσας.*
Ridicule hic locutionem poeticam *τὰς ναῦς πτερώσας* eiusque interpretamentum *τοὺς ταρσοὺς τῶν κωπῶν ἐγείρας* inter se permixta suspicor.

ib. ad Octavianum transfugit Domitius, quamvis aegrotans. Qua re cognita Antonius statim ad eum omnia eius bona, amicos, ministros misit:
καὶ Δομίτιος μὲν, ὥσπερ ἐπὶ τῷ μὴ λαθεῖν τὴν ἀπιστίαν αὐτοῦ καὶ προδοσίαν μεταβαλλόμενος, εὐθὺς ἐτελεύτησε.
Haec quid significent non video. Interpres dum „quasi detectae eum perfidiae et proditionis *poenitereť*" praebet, idem fateri videtur.

C. LXXVII Moriens Antonius Cleopatram admonet
τὰ μὲν ἑαυτῆς, ἂν ᾖ μὴ μετ' αἰσχύνης, σωτήρια τίθεσθαι .... αὐτὸν δὲ μὴ θρηνεῖν.
Corrupta videntur verba notata. Requiritur fere *ἐν ἀσφαλεῖ τίθεσθαι.*

C. LXXXVI De Cleopatrae aspide illa legimus haec:
λέγεται δὲ τὴν ἀσπίδα κομισθῆναι σὺν τοῖς σύκοις ἐκείνοις καὶ τοῖς θρίοις ἄνωθεν ἐπικαλυφθεῖσαν, οὕτω γὰρ τὴν Κλεοπάτραν κελεῦσαι.
Ne Naberi quidem coniectura *οὐ* pro *οὕτω* scribentis omnia in integrum videntur restituta. Nam non possunt inter se conciliari quae mox legimus *μηδ' αὐτῆς ἐπισταμένης προσπεσεῖν τὸ θηρίον* et *τὸν βραχίονα παρασχεῖν τῷ δήγματι γυμνώσασαν.*

Dio c. III Duas uxores habebat Dionysius, alteram peregrinam alteram civem. Et cupiebant quidem Syracusani potiorem apud eum esse civem illam, at alteri
προτέρᾳ ὑπῆρχε τεκούσῃ τὸν πρεσβεύοντα τῆς Διονυσίου γενεᾶς υἱὸν αὐτῇ βοηθεῖν πρὸς τὸ γένος
i. e. prior peperit, ergo hoc habebat quod Dionysii filius natu

Digitized by Google

maximus ei opem ferebat. Verba *πρὸς τὸ γένος* quid sibi velint satis est perspicuum; significatur iis hoc eam potuisse opponere ei rei, qua aemula pollebat, origini. Sed non sic Graece hoc dicitur. Est annotatio.

C. V Plato cum Dione primum disseruit de fortitudine, docuitque minime fortem esse tyrannum

ἐκ δὲ τούτου τραπόμενος περὶ δικαιοσύνης ἐδίδασκεν ὡς μακάριος μὲν ὁ τῶν δικαίων, ἄθλιος δ' ὁ τῶν ἀδίκων βίος.

Simul verbose et imperfecte dictum hoc, sensu enim caret simplex illud *τραπόμενος*. Lege *τρ. πρὸς δικαιοσύνην*: ad iustitiam se convertit; transiit ad iustitiam.

C. VI Ad bellum cum Carthaginiensibus Dionysio Dio promittit

θρέψειν αὐτὸς ἰδίοις τέλεσι καὶ παρέξειν εἰς τὸν πόλεμον αὐτῷ πεντήκοντα τριήρεις πλευσάς.

Nihili est *τριήρεις πλευσάς*. Lege *τρ. εὖ πλ.*

C. XIV Clamabant Dionis adversarii tyrannum philosophi artibus ad insaniam perductum omisso suo regio apparatu

ἐν Ἀκαδημίᾳ τὸ σιωπώμενον ἀγαθὸν ζητεῖν.

De isto *σιωπώμενον* dubito. Interpres *arcanum* praebet. Nisi corrupta lectio, equidem hunc potius esse credam sensum: quietum, taciturnum et omni splendore regio carens.

C. XXXII Suspicione in Dionem orta Syracusani novum quaerunt inveniuntque ducem Heraclidam; qui facillime ad se allexit

αὐτοὺς, οἳ τὸ σεμνὸν τοῦ Δίωνος .... ἀνεστρέφοντο.

Sanumne istud *αὐτοὺς, οἳ*: „eos, qui"? Certe corruptum, sed ut opinor operarii errore *ἀνεστρέφοντο*. Lege *ἀπεστρέφοντο*, aversabantur, oderant.

C. XXXIII Quidquid faciebat Dio, calumniae ei erant metuendae; sive Dionysium per inducias dimittebat (*ἀφιέναι κελεύοι ὑπόσπονδον*) in crimen incurrebat servati tyranni

εἴτε λυπεῖν μὴ βουλόμενος ἐπὶ τῆς πολιορκίας ἡσυχάζοι διατηρεῖν ἐδόκει τὸν πόλεμον.

Digitized by Google

Istud λυπεῖν quid sibi velit non perspicio; Didotianus „ne molestus esset populo", contra sententiae structuram, nam nullum aliud obiectum suppleri hic potest nisi Διονύσιον. Requiro aliquid quod praecedenti ἀφιέναι κελεύοι opponatur. Nonne ergo λύειν μὴ βουλόμενος est legendum?

C. XXXIV Sosis adversarius Dionis nudus et sanguine per caput effuso tamquam Dionis satellites fugiens procurrit et magnam populi in Dionem movet indignationem, qui rem faceret minime ferendam

εἰ φόνοις καὶ κινδύνοις τῶν πολιτῶν ἀφαιρεῖται τὴν παρρησίαν.

Nullus hic Naberiano κονδύλοις locus; non vibices ille homo monstrat sed vulnera. Vix mortem *mortisque periculum* effugerat.

C. XXXVIII Novi duces creati clam Dione milites eius ad suas pertraxerunt partes

ἐπαγγελλόμενοι καὶ τῆς πολιτείας ἰσομοιρίαν.

Aut abundat καί, aut ante ἐπαγγελλόμενοι excidit aliquid, fortasse μισθόν.

C. XXXIX Supplex Dio manus tendebat ad cives monstrabatque arcem

περίπλεων πολεμίων οὖσαν ὑπερφαινομένων τὰ τείχη καὶ τὰ γιγνόμενα καθορώντων.

Graecumne istud? Praesidii nihil in varia lectione φαινομένων.

C. XLII Expulso reiectoque Dione Syracusani, cum urbs eorum a copiis regiis diriperetur, sentiebant quidem sed dicere non audebant

εἰς ὃν μόνον ἦν καὶ λοιπὸν ἀπερείσασθαι τὴν ἐλπίδα.

Expuncto καί egregia fiunt quae ante erant sensu cassa.

C. XLV Quanta maxima potest celeritate Dio civibus suis auxilio venit

καὶ τοὺς μὲν ἐλαφροὺς εὐθὺς ἀφῆκεν ἐλθεῖν πρὸς τὴν ἀκρόπολιν .... τοὺς δ' ὁπλίτας αὐτὸς συνέταττε.

Dubium non est quin recte cod. F. ἐλθεῖν omittat; recte tum duae res inter re opponuntur: levis armaturae milites statim

Digitized by Google

ad arcem dimisit, ad arcem se convertere iis permisit, hoplitas aliquamdiu secum retinuit.

C. XLVII Iam victori Dioni se dedunt priores adversarii precanturque clemens esse velit erga ipsos

οἳ περὶ οὗ πρότερον ἐστάσιασαν πρὸς αὐτὸν νῦν ἥκουσιν ἡττᾶσθαι τῆς ἀρετῆς ὁμολογοῦντες.

Non cohaerent haec; post *ἥκουσιν* excidit participium quod *ultro afferentes* significet.

C. L *μηδενὸς δὲ τοῖς πολιορκουμένοις βοηθοῦντος, ἐπιλιπόντος δὲ σίτου, τῶν δὲ μισθοφόρων γιγνομένων πονηρῶν*

arcem Dionysii filius tradidit Dioni.

De *πονηρῶν* dubito; ieiunum et puerile videtur.

ib. Ad patrem abit tyranni filius cum suis omnibus; laetissimum hoc civibus spectaculum

οὐδενὸς δὲ τῶν ἐν Συρακούσαις ἀπολιπόντος ἐκείνην τὴν ὄψιν ἀλλὰ καὶ τοὺς μὴ παρόντας ἐπιβοωμένων ὅτι τὴν ἡμέραν ταύτην .... οὐκ ἐφορῶσιν.

De *mortuis* sermonem esse docet verbum *ἐφορᾶν*, rectius ergo foret *τοὺς μηκέτ' ὄντας*. Sed etiam de *ἐπιβοωμένων* dubito; requiritur aliquid quod *commiserationem* significet.

C. LII Iusto severior Platoni videbatur Dio, sed morem magistro ille non gerebat, et quia natura, erat pertinacior

ἀντισπᾶν τε τοὺς Συρακοσίους ἄγαν ἀνειμένους καὶ διατεθρυμμένους προθυμούμενος.

Non placet compositum istud.

C. LVII Paulo obscrurior est narratio de caede Dionis et ideo suspecta quia duae deinceps sententiae eodem modo clauduntur: *οὐδεὶς δ' ἑτόλμα τὰς θύρας ἀνοῖξαι* et *οὐκ ἐτόλμα βοηθεῖν.*

Brutus c. VI Dicere solebat Brutus

ὡς οἱ μηδὲν ἀρνεῖσθαι δυνάμενοι δοκοῦσιν αὐτῷ μὴ καλῶς τὴν ὥραν διατεθεῖσθαι.

Digitized by Google

Sensus horum me fugit, et quod interpres dat: *male illos tempus suum collocasse* hinc quam alienissimum videtur.

C. XII Mire dictum:

πόρρωθεν αὐτοῖς τοιαύτην τινὰ κύκλῳ περιβαλόντος ἐν τῷ διαλέγεσθαι καὶ συμφιλοσοφεῖν πεῖραν

hoc sensu: „cum inter philosophicas disceptationes per ambages sententiam eorum Brutus exquisivisset de Caesare occidendo".

ib. Ita consilium suum Brutus sociique celarunt

ὥστε μαντείαις καὶ φάσμασι καὶ ἱεροῖς ὑπὸ τῶν θεῶν προδεικνυμένην ἄπιστον γενέσθαι τὴν πρᾶξιν.

Immo *ἄπυστον*: nemo quidquam de consilio Caesaris necandi cognovit, quamquam portenta deorum illud antea significarunt.

C. XVII Bruto inter percussores conspecto Caesar involvit caput, corpusque praebet ictibus

οἱ δ' ἀφειδῶς ἀναπεπλεγμένοι πολλοῖς περὶ τὸ σῶμα χρώμενοι τοῖς ξίφεσιν ἀλλήλους ἐτίτρωσκον.

Non me hinc extrico et *περὶ τὸ σῶμα*, cum proxime praecedat *παρέδωκε τὸ σῶμα*, displicet.

C. XVIII Caesare occiso ad libertatem cives vocat Brutus

τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἦσαν ἀλαλαγμοὶ καὶ διαδρομαὶ τῷ πάθει κατὰ τύχην ἐπιγιγνόμεναι πλείονα τὸν θόρυβον ἐποίησαν.

Ut e vocabulorum serie vix cohaerente venusta nascatur periodus, exime *ἦσαν*.

Sequitur:

ὡς δὲ οὔτε φόνος ἄλλος οὔτε ἁρπαγή τινος ἐγίγνετο τῶν κειμένων

haud dubitantes in Capitolium conveniunt.

Ultima non intelligo, nulli enim praeter ipsum Caesarem iacent mortui. Didotianus haec habet: „neque direptio *vel minima*". Videtur ergo *τὰ κείμενα* accipere *de rebus quae neglectae iacent.* Quod neque in verbis Graecis inest et sententiam praebet satis absurdam.

C. XXIII Proficiscente Bruto Porcia primum dolorem celavit.

Digitized by Google

Sed perturbavit eius animum tabula in qua Hector pictus erat cum uxore et filiolo:

ταῦτα θεωμένην τὴν Πορκίαν ἡ τοῦ πάθους εἴκων ἐξέτηξε· καὶ πολλάκις φοιτῶσα τῆς ἡμέρας ἔκλαιεν.

Ad tabulam scilicet illam identidem cursitabat; sed hoc Graece erat enuntiandum. Lege *προσφοιτῶσα*.

C. XXIV Brutus lautiore convivio homines quosdam excipiebat:

καὶ γὰρ ἦν ἡμέρα καθ' ἣν ἐγεγόνει πρῶτον ὁ Βροῦτος.

Quis unquam illud „dies quo natus erat" enuntiavit addito „primum"?

C. XXV *ἐκ τούτου πεντήκοντα μὲν αὐτῷ μυριάδας Ἀντίστιος ἀφ' ὧν ἦγε καὶ αὐτὸς εἰς Ἰταλίαν χρημάτων ἔδωκεν.*

Vis vocabulorum *καὶ αὐτός* interpretem fugit, qui „ipse" dedit. Sed continuatur narratio praecedentis capitis de navigiis quibus Carysti Brutus obviam venit et quae *μετὰ χρημάτων* Romam iter habebant. Est ergo *καὶ αὐτός* et ipse i. e. item ut ille nauarchus de quo modo narratum est.

C. XXVII Traiecturo in Asiam Bruto nuntiatur interea Romae res esse conversas

ὁ γὰρ νέος Καῖσαρ ηὐξήθη ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐπ' Ἀντώνιον

metuebaturque ne illo pulso rerum potiretur.

Legendum ergo *ηὔξητο*.

C. XXXI Xanthii insania quadam abrepti suam ipsi urbem igni dederunt delendam

ὤφθη δὲ τῆς πόλεως διαφθαρείσης γυνὴ κρεμαμένη μὲν ἐξ ἀγχόνης, παιδίον δὲ νεκρὸν ἐξηρτημένη τοῦ τραχήλου, λαμπάδι δὲ καιομένῃ τὴν οἰκίαν ὑφάπτουσα.

Ea res Bruto flebilis visa est; mihi tam absurda videtur ut a Plutarcho sic narratam non possim credere.

C. XXXV Conquerenti Cassio quod nimis severus Brutus iudex sit de iniuriis a suis amicis commissis, hic respondet satius fuisse Caesaris amicorum iniurias perpeti quam suorum inultas sinere:

Digitized by Google

ἐκείνοις μὲν γὰρ ἀνανδρίας, ἀδικίας δὲ δόξα μετὰ κινδύνων ἡμῖν καὶ πόνων πρόσεστι.

Quod „deteriores" habent *νῦν δὲ ἀδικίας* rectum videtur, et pro *ἐκείνοις* (*ἐκείνως* X) legendum *ἐκεῖ*.

C. XXXVII Cum portentum a se visum Brutus narrasset Cassio, hic Epicureorum ratione usus: „talia" ait „ipsa mens de nihilo format"

κηρῷ μὲν γὰρ ἔοικεν ἡ τύπωσις, ψυχῇ δὲ ἀνθρώπου τὸ πλαττόμενον καὶ τὸ πλάττον ἐχούσῃ τὸ αὐτὸ ῥᾷστα ποικίλλειν αὐτὴν καὶ σχηματίζειν δι' ἑαυτῆς ὑπάρχει.

Arena sine calce; et tamen id ipsum quod unice verum est dudum est coniectum, sed more suo id sprevit Sintenisius quoniam „optimus codex" aliud quid habeat. In X enim non *ἔοικεν* est sed *ἔξωθεν*, quo recepto tantummodo *αὐτήν* in *αὐτήν* est mutandum ut egregia haec evadat sententia: „cera extrinsecus imaginem accipit, sed in mente humana id quod format et quod formatur idem est; facillime ergo illa se in omnes potest convertere figuras". In praecedentibus *ὑγρὸν μέν τι καὶ ἀπατηλὸν ἡ αἴσθησις, ἔτι δ' ὀξυτέρα ἡ διάνοια κινεῖν αὐτὸ καὶ μεταβάλλειν ἀπ' οὐδενὸς ὑπάρχοντος εἰς πᾶσαν ἰδέαν* pro *αὐτό* e cod. C. *αὐτήν* est reponendum.

Sequitur:

δηλοῦσι δὲ αἱ κατὰ τοὺς ὕπνους τροπαὶ τῶν ὀνείρων ἃς τρέπεται τὸ φανταστικὸν ἐξ ἀρχῆς βραχείας παντοδαπὰ καὶ πάθη καὶ εἴδωλα γινόμενον.

Immo vero *γεννῶν* et delendum *τῶν ὀνείρων*. Sic sententia eleganter decurrit et egregie illustratur illud quod supra legimus: „in mente humana quod format et quod formatur idem est": *τὸ φανταστικὸν γεννᾷ τροπάς* et *τροπὰς τρέπεται*, simul parit et subit mutationes.

C. XL Quid sentiat de voluntaria morte a Cassio rogatus Brutus respondet: „si deus mihi non concesserit victoriam"

ἀπαλλάξομαι τὴν τύχην ἐπαινῶν· Μαρτίαις εἰδοῖς δοὺς τῇ πατρίδι τὸν ἐμαυτοῦ βίον ἄλλον ἔζησα δι' ἐκείνην ἐλεύθερον καὶ ἔνδοξον.

Insere *γάρ* post *Μαρτίαις* ut *rationem reddat* Brutus cur laudet fortunam.

Digitized by Google

C. XLI *ἀπὸ τῶν ἑλῶν οἷς περιεστρατοπέδευον ....*
Hoc qui exercitus facere possit dicat qui haec sana putet. Mihi constat *παρεστατοπέδευον* esse legendum. Sequens *περικόπτοντες* causa fuit corruptelae.

ib. *μαχεῖσθαι ... χρήσασθαι — ἐπιταράσσειν.*
Quis credat tria haec ab uno *προσδοκῶσα* pendere posse? Lege ergo *χρήσεσθαι* et *ἐπιταράξειν.*

C. XLIII De Cassio haec legimus:
οὔτε τὴν πρώτην ἐκδρομὴν τῶν περὶ Βροῦτον ἡδέως εἶδεν ... οὔθ' ὅτι κρατοῦντες εὐθὺς ὥρμησαν ἐφ' ἁρπαγήν ... ἤρεσκεν αὐτῷ.
Hic claudatur sententia et abiiciatur *τὰ πραττόμενα.*

C. XLV (Brutus) *τῶν δὲ ἐλευθέρων τοὺς μὲν ἀπέλυε.*
Quoniam his alii nulli opponuntur, vide annon *τοὺς πλείστους ἀπέλυε* sit legendum.

Comparatio Dionis et Bruti c. III *περὶ δὲ Βρούτου τῶν ἐχθρῶν ἦν ἀκούειν*
de nulla alia re quam de libertate reddenda civibus eum cogitasse. Lege *καὶ τῶν ἐχθρῶν.* Bruto etiam inimici honestum dederunt testimonium.

Artaxerxes c. V Spartani cuiusdam lĭbertatem loquendi sic per tribunum refutavit Artaxerxes:
σοὶ μὲν ἔξεστιν εἰπεῖν ἃ βασιλεῖ βούλει, ἐμοὶ δὲ καὶ λέγειν καὶ ποιεῖν.
Exstat et alia lectio: *εἰπεῖν βασιλεῖ ἃ βούλει.* Si recte Sintenisius statuit *βασιλεῖ* esse interpretamentum sequentis *ἐμοί*, duo hic habemus, eaque admodum insignia, exempla annotationis, quae sedem in textu *quaerit* etiam. Vide de Embl. in Plut. p. 3 sq.

C. VI Quo tempore Statirae insidiari coeperit Parysatis, de ea re alia tradit Dinon, alia Ctesias, cui hoc argumento adstipulatur Plutarchus:
οὔτε ἀγνοεῖν τὸν χρόνον εἰκός ἐστι παρόντα ταῖς πράξεσιν, οὔτε ἐκὼν αἰτίαν εἶχεν ἐκ τοῦ χρόνου μεταστῆσαι τὸ ἔργον, ὡς ἐπράχθη

Digitized by Google

διηγούμενος, οἷα πάσχει πολλάκις ὁ λόγος αὐτοῦ πρὸς τὸ μυθῶδες καὶ δραματικὸν ἐκτρεπόμενος τῆς ἀληθείας.

Constructio admodum impedita, in qua istud οἷα πάσχει nil habet quo referatur. Omnia satis bene procedunt, si ὡς ἐπράχθη διηγούμενος eximitur.

C. VIII Cum praeclare pugnam apud Cynaxam narraverit Xenophon, insanum sit iterum narrare velle

πλὴν ὅσα τῶν ἀξίων λόγου παρῆλθεν εἰπεῖν ἐκεῖνον.

Nonne ἐκεῖνος legendum? Impersonale verbum παριέναι suspectum est.

ib. Graeci milites in ea pugna non eum habebant locum quem oportebat, non Cyri culpa

ἀλλ' ἐκεῖ Κλέαρχον ἐκέλευε τάττεσθαι κατὰ μέσον· ὁ δ' αὐτῷ μέλειν εἰπὼν ... τὸ πᾶν διέφθειρεν.

Lege ἐκεῖνος pro ἐκεῖ ut recte Cyrus et Clearchus inter se opponantur, et μελήσειν pro μέλειν ne pereat notum illud ἐμοὶ μελήσει.

C. XI Cauniorum qui prius Cyri milites amicos rati deinde se in hostes illatos sentiunt unus

ἐτόλμησεν ἀγνοῶν ἐξόπισθεν βαλεῖν τὸν Κῦρον ἀκοντίῳ.

Sana haec esse non videntur. Fortasse delendum ἀγνοῶν ut aptissima haec nascatur sententia: ausus est tergum ferire; regis fratrem, si in se conversum habuisset, laedere ausus non esset (bene enim eum notum habebat). Aut οὐκ ἀγνοῶν legendum.

ib. Iocose dictum:

ὁ Κτησίου λόγος, ᾧ καθάπερ ἀμβλεῖ ξιφιδίῳ μόλις ἀναιρῶν τὸν ἄνθρωπον ἀνήρηκεν.

Sed ἀναιρῶν ... ἀνήρηκε sanum esse non potest. Ecquid ἀναιρῶν delendum?

C. XIV τὸν δ' ἄθλιον Κᾶρα κοινόν τι πάθος ἐξ ἀβελτερίας κατέσχε.

Immo καινόν, nisi forte communis est sors stultorum ἐπὶ δέκα ἡμέρας στρεβλοῦσθαι, τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξορύττεσθαι aliaque dirissima quae invenit Parysatis.

Digitized by Google

C. XVI *σκαφὰς δύο πεποιημένας ἐφαρμόζειν ἀλλήλαις.*

Sententia perspicua: „duas scaphas ita factas ut inter se quadrent". Sed structura insolita, neque intelligimus quidni pro *π. ἐφαρμόζειν* Plutarchus *ἐφαρμοζούσας* scripserit.

C. XX Ad incitas ab Agesilao redactus Artaxerxes

ἔπεμψε Τιμοκράτην τὸν Ῥόδιον εἰς τὴν Ἑλλάδα χρυσίον πολὺ κομίζοντα, [διδόναι καὶ] διαφθείρειν τοὺς πλεῖστον ἐν ταῖς πόλεσι δυναμένους κελεύσας.

Dele puerile additamentum.

C. XXI De Antalcida eiusque pace haec legimus:

σπουδάσας βασιλεῖ διεπράξατο τὰς ἐν Ἀσίᾳ πόλεις Ἑλληνίδας ἁπάσας καὶ νήσους, ὅσαι προσκυροῦσιν Ἀσίᾳ, παρεῖναι Λακεδαιμονίους αὐτῷ κεκτῆσθαι Φόρων ὑποτελεῖς.

Sententia mire contorta, unde fortasse eximendum istud *κεκτῆσθαι*, quod plane inutiliter eam onerat.

C. XXIII Rex Tissaphernem occidit

ταῖς διαβολαῖς αὐτοῦ τῆς Παρυσάτιδος συνεπιθεμένης.

Haec vix intelligo. Interpres: „Parysatide etiam calumnias adversus eum *augente*" parum accurate. Si sic ut traditum est Plutarchus scripsit, metaphora usus est, qua Tissaphernem *aggrediuntur* ét calumniae aliorum ét Parysatis.

ib. Cognito filium suae ipsius filiae amore captum, Parysatis quo eum sibi devinciret, primum filiae illius laudabat formam moresque

τέλος γοῦν γῆμαι τὴν κόρην ἔπεισε καὶ γνησίαν ἀποδεῖξαι γυναῖκα χαίρειν ἐάσαντα δόξας Ἑλλήνων καὶ νόμους, Πέρσαις δὲ νόμον αὐτὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ καὶ δικαιωτὴν αἰσχρῶν καὶ καλῶν ἀποδεδειγμένον.

Pro *γοῦν*, cui nullus hic locus, legatur *δέ*, et sequens *δέ* deleatur: *apud barbaros suprema lex est voluntas regis sive rex ipse.*

C. XXIV Cum in Cadusiorum sterilem terram expeditionem faceret, rex in summam incidit inopiam

οὐδὲν γὰρ ἐδώδιμον ἦν λαμβάνειν οὐδὲ ἔξωθεν ἐπεισάγεσθαι, τὰ

Digitized by Google

δὲ ὑποζύγια μόνον κατέκοπτον, ὥστε ὄνου κεφαλὴν μόλις δραχμῶν ἑξήκοντα ὤνιον εἶναι.

Istud μόνον quid sibi vult? An hoc „tantummodo mactabant, non ad onera subvehenda adhibebant" ita ut simul ratio reddatur cur extrinsecus nihil advectum fuerit et cur carnes asinorum tanti factae sint?

ib. In hac difficultate Tiribazus, vir astutus, regi opem tulit: ad alterum Cadusiorum regem profectus ipse est, ad alterum filium misit; utrique uterque persuasit alterum regem inducias cum Artaxerxe facere velle

τούτοις ἐπείσθησαν ἀμφότεροι καὶ φθονεῖν ἀλλήλοις νομίζοντες

alter cum Tiridate alter cum Tiridatis filio legatos ad Artaxerxem misit. Istud φθονεῖν ἀλλήλοις νομίζοντες possis utcunque sic vertere: „inter se invidere soliti" (nam quod Didotianus dat: „alter alterum sibi invidere pacificationem putantes" prorsus nihili est). Sed hoc quoque misere languet. Exspectas consilium inter se *nocendi*, quod habebis si lenissima emendatione legeris φθάνειν ἀλλήλους ν.

C. XXVI ἐκ δὲ τούτου προσεῖχεν ἀρξάμενος αὐτῇ. En quo interdum et Plutarchum ducat hiatus vitandi studium!

C. XXIX Admonente et adhortante Tiribazo Darius patri struit insidias,

καὶ πολλῶν ἤδη συνισταμένων εὐνοῦχος ἐδήλωσε τῷ βασιλεῖ τὴν ἐπιβουλὴν καὶ τὸν τρόπον εἰδὼς ἀκριβῶς.

Delendum καί videtur: insidias indicabat, bene gnarus quomodo eas ad finem perducere fuerit constitutum.

Aratus c. I „Mitto ad te, Polycrates, proavi tui Arati vitam, non quod te ignorare eius res gestas arbitrer sed ut filiis tuis domestica possis proponere quae imitentur exempla"

Φιλαύτου γὰρ ἀνδρὸς, οὐ φιλοκάλου, πάντως ἀεὶ βέλτιστον ἡγεῖσθαι.

Sensu cassa ista et varia lectio πάντως ἀεὶ βελτίω αὐτὸν ἡγεῖσθαι desperantis videtur coniectura; illud enim non est viri qui se suaque amat, sed qui plane mente captus est. Quid sit legendum nescio.

Digitized by Google

C. III Plane caruisse eloquentia Aratum efficere noli

ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ἃ παρέργως καὶ ὑπὸ χεῖρα διὰ τῶν ἐπιτυχόντων ὀνομάτων ἀμιλλησάμενος κατέλιπε.

Interpres *ἀμιλλησάμενος* vertit „festinanter". Quin recte non dubitarem si *praesentis* esset temporis participium. Nunc *ἐπέχω.*

C. VI Bellicam exercitationem conditio temporis Arato praebuit, instrumenta bellica ei componebat Euphranor

ἄνδρας δ' αὐτῷ τῶν μὲν ἐν Ἄργει φίλων ἕκαστος ἐξ ὀλίγων δέκα παρέσχεν

ipse e suis famulis triginta armabat.

Istud *ἐξ ὀλίγων* quid sit nescio. Scripsitne fortasse Plutarchus *εἰ ὀλίγον*, quod fere est „ut minimum"?

C. VIII Comprehensis tyranni satellitibus postridie mane populus concurrebat; plenum erat theatrum

ἔτι πρὸς τὴν ἄδηλον αἰωρουμένων φήμην καὶ σαφὲς οὐδὲν εἰδότων ὑπὲρ τῶν πραττομένων.

Istud *ὑπέρ* inseruit sciolus qui, ne inter se dependerent genitivi, totam structuram corrupit.

C. X Aratus amicitias inimicitiasque ad publicum commodum dirigebat; ita non tam firmus erat amicus quam inimicus lenis

ὑπὸ τῆς πολιτείας ἐπ' ἀμφότερα τῷ καιρῷ μεταβαλλόμενος, ὁμονοίας ἐθνῶν καὶ κοινωνίας πόλεων καὶ συνεδρίου καὶ θεάτρου μίαν φωνὴν ἀφιέντος.

Isti genitivi *ὁμονοίας* et *κοινωνίας* unde pendent? Omnino totus hic locus tam male cohaeret ut nullum aptum praebeat sensum. Sed lenissima coniectura disertus fit venutusque; etenim pro *ἐθνῶν* (cui vocabulo nullus est locus) legendum *ἐρῶν* et *πόλεως* pro *πόλεων*: „concordiam amabat et concordiae prospiciebat non solum totius urbis sed etiam cuiusvis in urbe conventus ubi omnes eodem utebantur sermone". Verum me vidisse apparet ex iis quibus continuatur enumeratio virtutum: *ὡς οὐδενὸς ἄλλου τῶν καλῶν ἐραστής.*

C. XVI *ὁ μὲν γὰρ Ἰσθμὸς ἐμφράσσων τὰς θαλάσσας εἰς ταὐτὸ συνάγει τῷ τόπῳ καὶ συνάπτει τὴν ἤπειρον ἡμῶν.*

Istud *τῷ τόπῳ* melius abesset.

Digitized by Google

C. XVIII Corinthi quatuor fratrum unus Diocles inter tyranni custodes militabat; tres aurum in arce sunt furati, quorum unus Sicyone mensario cuidam narravit se, ad fratrem euntem, vidisse moenium partem quandam admodum humilem. Hic mensarius

εἶτα, ὦ βέλτιστε, διὰ μικρὸν οὕτω χρυσίον ἀναστπᾶτε τὰς βασιλικὰς πράξεις

cum possitis intra horae spatium divites fieri?

In *πράξεις* quid lateat non video; verbum *ἀναστπᾶν* demonstrat de *cistis effringendis* sermonem esse. Vidit hoc is cui lectionem *Φράξεις* debemus, sed huius coniectura non utendum censeo.

Tum ille

τότε μὲν ὡμολόγησεν ἀποπειρᾶσθαι τοῦ Διοκλέους.

Immo *ἀποπειράσεσθαι*: „fratris tentabo animum" ait.

C. XXI Ipsiusne Plutarchi est ista explicatio cur qui clam escendere aliquo velint calceamenta sua exuant? Mihi eo indigna videtur. Est enim huiuscemodi:

οὔτε γὰρ ψόφον ποιοῦσι πολὺν οὔτ' ὀλισθήματα λαμβάνουσιν οἱ γυμνοῖς τοῖς ποσὶν ἀντιλαμβανόμενοι τῶν κλιμάκων.

ib. Urbe ab Arati socii occupata et alia fiebant tumultum significantia et

Φῶτα πολλὰ τὰ μὲν κάτωθεν ἤδη τὰ δὲ ἄνωθεν ἀπὸ τῆς ἄκρας περιέλαμπε.

Cur istud *ἤδη* (an hiatus vitandi causa?) in alienam sedem est traiectum? Debebat enim post *πολλά* poni.

C. XXII Primum Aratus luctabatur per salebras tenebrasque

εἶτα θαυμάσιον οἷον ἡ σελήνη λέγεται διαστέλλουσα τὰ νέφη καὶ ὑπολαβοῦσα τῆς ὁδοῦ τὸ χαλεπώτατον σαφηνίζειν.

Sensu cassum istud; unice vera videtur lectio x *ὑπολάμπουσα*.

ib. Parti sociorum Arati qui iam vicerant nuntiatur

συμπεπλέχθαι τοῖς πολεμίοις τὸν Ἄρατον ἀμυνομένοις εὐρώστως καὶ μέγαν ἀγῶνα περὶ αὐτὸ τὸ τεῖχος εἶναι καὶ τάχους δεῖν τῆς βοηθείας.

Immo *τὴν βοηθείαν*. Non opem solum ferre debent, sed et res ipsa festinationem requirit.

Digitized by Google

C. XXIII Victor Aratus sed nimio fractus labore, dum ei in theatro plaudebat populus,

μεταλαβὼν εἰς τὴν δεξιὰν τὸ δόρυ καὶ τὸ γόνυ καὶ τὸ σῶμα τῇ ῥοπῇ μικρὸν ἐγκλίνας καὶ ἀπερεισάμενος εἱστήκει πολὺν χρόνον.

Isto *τῇ ῥοπῇ* quid faciam nescio.

ib. Idem Theophrastum, unum e ducibus regiis

ἀνεῖλεν οὐ βουλόμενον ἀπαλλάττεσθαι.

Immo vero *διαλλάττεσθαι*. Opponitur enim Archelao quem *ἀφῆκεν ὑποχείριον γενόμενον* i. e. quia in deditionem venerat.

C. XXIV Urbe sua liberata praeclare nunc hic nunc illic rem gessit Aratus

οὕτω δ' ἴσχυσεν ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς ὥστε, εἰ μὴ κατ' ἐνιαυτὸν ἐξῆν, παρ' ἐνιαυτὸν αἱρεῖσθαι στρατηγὸν αὐτόν.

Lege *ἐπεί*.

C. XXIX Narratio de Aristippo tyranno ab Arato circumvento, nisi omnia me fallunt, tota perturbatur isto *εἰς Κόρινθον*, quod ante *ἤδη σκοταῖος ἐκ Κεγχρεῶν ὑποστρέψας* legitur.

Paulo post in narratione de scurrilibus iocis quibus in aula tyrannorum Aratus petebatur, Naberi coniectura *παρείχετο* pro *παρείλετο* hoc mali habet quod abesse *αὐτὸς* non potest: „ipse ansam dedit", neque nunc unde genitivi *κολακευόντων* all. pendeant apparet.

C. XXX Lydiades Megalopolitanus tyrannidis cupidus factus erat

λόγους ψευδεῖς καὶ κενοὺς λεγομένους περὶ τυραννίδος, ὡς μακαρίου καὶ θαυμαστοῦ πράγματος, εἰς μέγα Φρόνημα παραδεξάμενος.

Sanane haec? Ergo hac utitur metaphora Plutarchus ut iuvenis ferociam (mentem gloriae appetentem) vas esse dicat in quod illae sententiae ingerantur.

C. XXXIII Non a se sed ab Ergino Piraeum occupatum contendebat Aratus, rem parum credibilem

τὸν γὰρ Ἐργῖνον, ἄνθρωπον ἰδιώτην καὶ Σύρον, ἀπ' οὐδενὸς ἦν εἰκότος ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι τὴν τοιαύτην πρᾶξιν.

Mira locutio pro *οὐδαμῶς εἰκὸς ἦν*.

Digitized by Google

C. XXXV Aristomachus Argivus iam in eo est ut suadente Arato tyrannidem omittat. Sed

ὁ Λυδιάδης ἔτι στρατηγῶν καὶ φιλοτιμούμενος ἴδιον αὐτοῦ πολίτευμα τοῦτο πρὸς τοὺς Ἀχαιοὺς γενέσθαι, τοῦ μὲν Ἀράτου κατηγόρει πρὸς Ἀριστόμαχον κτἑ.

Quid nunc πρὸς τοὺς Ἀχαιούς significet dixerit nemo, sed statim post φιλοτιμούμενος pone, egregiam hanc nancisceris sententiam: ea re gloriari apud Achaeos, in foederis Achaici contionibus, cupiebat.

C. XXXVIII Magna Achaeis nascebantur pericula

οὐκέθ' ὡς πρότερον ἀτρέμα καὶ σχέδην τοῦ Κλεομένους ἐπιβαίνοντος οὐδ' ἐμπλεκομένου ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς.

Istud ἐμπ. τ. π. α. quid sit prorsus me latet

C. XLIII Antigonus Aratum

ἐνδοτέρω τῆς χρείας προσηγάγετο.

Hoc quid sit nescio; requiritur: „interioribus consiliis adhibuit."

C. XLV In longa rerum enumeratione, quas Arato Achaei vitio dabant, ut structurae constet ratio ante ἠτιῶντο inserendum est καί.

ib. Quod Achaei Mantineenses durius tractaverunt vindictae studio potest excusari. Nam licet crudele sit sic cognato uti populo

ἀλλ' ἐν ἀνάγκαις γλυκὺ γίγνεται καὶ οὐ σκληρὸν κατὰ Σιμωνίδην ὥσπερ ἀλγοῦντι τῷ θυμῷ καὶ φλεγμαίνοντι θεραπείαν καὶ ἀναπλήρωσιν προσφερόντων.

Ut bene structa evadat sententia, lege προσφέρειν.

C. LIII Obscurissimum est istud oraculum Sicyoniis datum de Arati honoribus et sepulchro.

C. LIV Venena magica Aratum iuniorem

παρέτρεψεν εἰς δεινὰς καὶ ἀλλοκότους ἐπιφοράς.

Quo sensu dictum ultimum vocabulum?

Digitized by Google

Quae ad *Galbae* et *Othonis* vitas annotavi vide in meis *Analectis Taciteis* p. 292—302. Pauca quaedam hic addantur:

Galba c. II ὅσα τοῖς Καισάρων ἔργοις καὶ πάθεσι συμπέπτωκε

Mire dictum hoc, quocunque modo dativos illos accipis.

C. V. Quae sunt illae κατὰ μέρος ἐλευθερώσεις quas ἀποδώσειν τοῖς δεομένοις Galba promisit?

C. IX Quo sensu et quo consilio verba ὁμολογῶν γε Νυμφιδίας εἶναι sunt adiecta?

DE OVIDIO IN EXILIUM PROFICISCENTE.

Pont. II, 3, 83 sq. sic poeta Maximum amicum alloquitur:

Ultima me tecum vidit maestisque cadentes
Excepit lacrimas Aethalis Ilva genis.

Quicunque Kornii inspexerit apparatum criticum, illud *Aethalis Ilva* Rutgersii non solum ingeniosam coniecturam sed certissimam esse emendationem videbit. Codices enim, qui aliquam habent auctoritatem, *Aethali silva* et *Ithali silva* praebent, ita ut satis appareat ceterorum lectionem *Italis ora* esse interpolationem temerariam. Ergo in exsilium proficiscens poeta cum illo amico fuit in insula *Ilva* ibique ei vale dixit. Quid obsecro Corinthum petenti ut inde Tomos vela daret cum *Ilva* insula? Non, ut opinor, ei licuit ultro citroque vagari, cui certus esset praestitutus abeundi dies:

Tr. I, 3, 5 sq.

Iam prope lux aderat qua me discedere Caesar
Finibus extremae iusserat Ausoniae

idque primo mane (vs. 72 *Lucifer ortus erat*). An forte animi causa cum illo amico Ilvam excucurrerat, ibique de sua damnatione certior factus non rediit domum sed statim eo quo iubebatur se contulit? Dixeris hoc propter versus qui statim eos a quibus feci initium excipiunt (Pont. II, 3, 85):

cum tibi quaerenti, num verus nuntius esset,
attulerat culpae quem mala fama meae,
inter confessum dubie dubieque negantem
haerebam.

Sed quomodo hoc cum Tr. I, 3 concilies, quae elegia tota est de damnato ex ipsis aedibus suis in exsilium proficiscente?

J. J. H.

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e pag.* 50).

XXXVIII.

LOCORUM HOMERICORUM QUI IMMERITO VITUPERATI SUNT DEFENSIO.

> Of all poetry, and especially of all epic poetry, the author's name is Legion. Legion supplies the materials, the final poet fuses all into a new form. In Homer the form has reached perfection.
>
> ANDREW LANG The World of Homer 254.

Dum paro commentarium exegeticum in Iliadem et Odysseam, qui iam absolutus fere est et tum cum bibliopolae rationes tulerint proditurus, identidem incidi in carminum illorum locos quosdam, ab aliis philologis improbatos, qui aut omni labe carere mihi viderentur aut multo levioribus criminibus premi quam illi perhibuissent. Et quoniam eiusmodi criminibus solis iam fulcitur opinio eorum qui Iliadem vel Odysseam verum integrumque poema esse negantes ex variis carminibus carminumve laciniis utrumque epos consarcinatum esse perhibent, operae pretium videtur potiores certe e locis Homericis, qui ita sunt comparati, tractasse; quin optimo iure a me, qui doctrinam Wolfianam nuper verbis apertis abdicaverim, posci potest ut quid igitur sentiam de eiusmodi criminibus, quae plurimis at-

Digitized by Google

que acutissimis philologis magni momenti sunt visa, non minus aperte ostendam. In hac autem Bibliotheca aliquanto fusius de iis disserere licebit quam in angustiis commentarii exegetici; quem cum componebam, hanc legem mihi scripsi et fideliter servavi, ut ea sola commemorarem, quae vera et utilia mihi viderentur, reticerem quae falsa vel inutilia, — non disputaturus igitur contra eos interpretes sive antiquiores sive recentiores, a quibus discederem, sed eam solam singulorum locorum interpretationem, quam rectam ducerem, prolaturus, simul sic operam dans ut eas quas reicerem aliorum philologorum opiniones, si possem, refellerem. Non enim compendium aliquod, quo varias variorum sententias ad quaestionem quae dicitur Homericam pertinentes complecterer, compositurus eram, sed ipsa carmina Homerica quam brevissime possem pro viribus illustraturus. Ingentis ambitus opus conscribere haud sane fuisset difficile, materies certe non deerat, qua obruitur fere quisquis aliquantisper his rebus operam dat; sed talia aversatur mea indoles, neque spes erat me aliis hac ratione satis utilem fore. Ea autem via, quam inii, fieri potuit sane — immo necessario fere debuit — ut praetermitterem hic illic quae legentibus plus potuissent prodesse quam quae ipse annotarem, — nam omnes saepe et in multis erramus, nostras ipsorum opiniones immerito alienis praeferentes eam ipsam ob causam quod sint nostrae, mentis nostrae proles, — sed tamen hac via et hac sola assequi posse mihi videbar id quod appetebam, ut commentarium succinctum eundemque satis bene cohaerentem offerrem iis qui mea utriusque carminis editione essent usuri.

Est autem mira doctrinae Wolfianae nostra aetate condicio. Nam ea, quae ipse olim Wolf opinioni suae subiecit fundamenta, ita iam computruerunt ut ne levissima quidem suspicio iis possit inniti, nedum ingens illa structura, quae vocatur quaestio Homerica, iis sustineri etiam queat. Wolfius poetam, qui magni ambitus poema aevo Homerico componere vellet, assimulabat viro qui in media terra navem praegrandem fabricaretur, nullo dein mari usurus in quod navigium suum deduceret ut ibi navigaret; pauperem enim illam Graeciam et in plurimas civitates discissam priscis cantoribus nullos praebuisse auditores, qui tantae molis carminibus, quantae sunt Ilias et Odyssea, inde ab

Digitized by Google

initio usque ad exitum aurem praeberent. At sub Schliemanni ligone e plurimorum saeculorum oblivio surrexit iam Mycene ἡ πολύχρυσος, surrexit regia Tirynthis; alii eius exemplo instigati in Cretae solo nudarunt rudera aedium ingentium atque splendidarum, aevi Minoi quod iam vocatur testes locupletissimos, et priscum illud aevum quantum arte, quantum vario cultu valuerit, quam divites reges habuerit, quam potentes, undique nisi caecutientibus apparuit, — nec iam dubitare potest quisquam quin principes perantiqui, qui in illis aedibus regnarunt, et cantores suos habuerint, cenae regali ita ut in Odyssea Phemius et Demodocus et tertius ille cantor, qui Clytaemestrae a consiliis fuit, adhibitos ea condicione ut carminibus exhilararent convivas, τοῦτο γὰρ δαιτὸς ἀνάθημά ἐστι. In hesterni autem convivii fine qui carmen inciderat, quidni hodie pergeret, inde profectus ubi tunc substitisset? Sic ad finem carmen sive brevius sive longius deducere facile poterat, tot diebus usus quot requireret carminis ambitus et ipsius regis ceterorumque auditorum animus sibi concederet; quo autem meliores essent cantores, eo plures deinceps dies animus convivarum iis concessurus erat. Postquam vero priscorum illorum ϝανάκτων turres corruerunt, ubinam fuerunt auditoria, quae ad carmina praelonga componenda poetas pellicere possent? Ut in breviora conciderentur et plura e singulis fierent tunc ratio tulit potius quam ut varia in unum iungerentur vel etiam tenui arte conglutinarentur.

At tantae molis carmina sine arte scribendi fieri potuisse Wolfius negabat. Potuisse sic fieri maioris etiam ambitus carmina et alibi facta esse revera, mentem autem humanam — id quod ne ipse quidem Wolfius negabat — satis esse capacem ad multa milia versuum memoria complectenda, saepius est demonstratum, et fuit qui optimo iure perhiberet nihil quod nos, qui nunc vivimus, miremur habere hanc priscorum cantorum facultatem, nam nostra aetate quemlibet, qui modicae sit eruditionis, multo plura quam illos memoria servare et cum opus sit statim inde expromere posse, facilius autem esse quae argumento coniuncta et ipso metro vincta sint recordari, si praesertim inde a pueritia huic arti adsueveris, quam quae doctrina hodierna praebeat, ut scitu utilia, sic inter se non cohaerentia.

Digitized by Google

Mox autem apparuit hanc quidem quaestionem prorsus ad nihil rediisse, nam vetusti cantores si sola memoria carmina sua servare aut non possent aut nollent, nihil obstitisse quominus scripto ea mandarent, quoniam in Graecia ars scribendi, ut in diem melius perspicitur, saeculis aliquot — fortasse multis — ante poetarum illorum aetatem fuit cognita.

En corruerunt fundamenta, quibus confisus Wolfius negabat verum carmen esse posse Iliadem, verum carmen Odysseam, multorum poetarum priscorum opera iussu Pisistrati ab Atticis quibusdam poetis notae inferioris colligata carminum integrorum aliquam speciem ementiri post Bentleium et alios perhibens. Hoc autem ultimum ex veterum quibusdam notitiis neque admodum crebris aut antiquis — nam Ciceronem aetate nulla superat — neque admodum perspicuis efficere posse sibi videbatur. Sed *collegisse* Homeri opera Pisistratus fertur [1]), non *finxisse* opera aliena inter se colligando; itaque sive multum sive aliquid sive prorsus nihil his notitiis tribuimus, ad id quod Wolfius perhibuit confirmandum nulla inde duci possunt argumenta, sed id unum quod, etiam si nemo olim perhibuisset, cuilibet tamen veri simile videri deberet, fortasse inde efficitur: tunc cum Athenis ad celebrandos ludos Panathenaicos certamina rhapsodorum sunt instituta vel restaurata, sive Solonis sive Pisistrati vel etiam Hipparchi praecipua hac in re fuit sollertia, operam esse datam ut carminum epicorum exemplar publicum constitueretur, cuius auctoritate in posterum caveretur ne cantores in vetustis illis carminibus recitandis audacius vel neglegentius versati adulterarent quae tradita accepissent et pro Homericis venditarent quae ipsi excogitassent. Haec vero quaestio, sive e nubibus est suspensa sive proba aliqua traditione nititur, ad textus recensionem pertinet, non ad ipsorum carminum compositionem. Id quod grammatici Alexandrini fecerunt aevo Ptolemaeorum, quatuor saeculis ante facere conati sunt viri quibus Pisistratus, vel quisquis fuit, mandavit textus Homerici editionem in usum publicum, si quidem fide satis digna sunt quae hac de re tradita accepimus. Ad *textus Atheniensis*, unde recen-

1) „Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse ut nunc habemus" (Cic. de Orat. III 34).

Digitized by Google

tioris aevi exemplaria fluxerunt aut omnia aut pleraque, non ad *ipsorum carminum* originem haec quaestio pertinet.

Haec, quae paucis verbis nunc indicasse satis ducimus, sunt enim certa, explorata, in vulgus nota, dum melius sensim homines perspiciunt, interim aedes, cui Wolfius fundamenta adeo debilia substruxerat, ab aliis altius altiusque est educta et plurimis ingenii atque eruditionis inventis ornata. Splendidum autem illud aedificium, quod pyramidi inversae fuit qui lepide assimularet, ne labasceret omni vi et machinis obnitendum erat perpetuo; itaque si qua pars ruinam minabatur, cito advehebantur sudes quibus fulcirentur damnosa, et urgente interdum periculo quaelibet arripiebantur ligna quae ad manum essent, quin fuerunt qui studio et diligentia plus quam opibus ingenii valentes etiam putres ridicas et titiones ambustos afferrent ad opus commune sustentandum. Sed contra veritatem nihil valent hominum quamvis strenuorum audacium sagacium conamina: ut Mantineae moenia tum cum vi aquarum soluta est ima eorum pars, sic aedificium doctrinae Wolfianae novas identidem rimas ducebat, et, quo altius evehebatur, eo magis infra fatiscebat; vi caeca divellebantur quae olim bene cohaeserant, modo haec, modo illa pars concidebat, et dum nova struuntur, id quod unum decorumque fuerat magis magisque eam speciem praebere coepit quam ipsa carmina Homerica praebere Wolfius perhibuerat: non iam domus erat, sed domuum plurimarum erant particulae in unius domus speciem fallacem utcunque coniunctae.

Nam cum *externa* eaque firmissima argumenta doctrinae suae substruxisse credebatur Wolfius, ab his profecti viri docti qui eum secuti sunt argumenta *interna* ex ipsis carminibus ducere coeperunt, sic secum reputantes: integrum carmen neque Iliadem neque Odysseam inde ab initio fuisse, itaque iis qui mentis acumine satis valerent spem esse naevos originem illorum operum testantes indagandi et particulas primitivas inter se secernendi, quae Musis haud faventibus olim coaluissent. Quae studia quantum profuerint ad priscorum poetarum dictionem et artem metricam adque ipsum aevum Homericum melius cognoscenda, dum singuli versus, singula singulorum versuum verba, singulae singulorum verborum formae severa trutina pensitantur, neque

Digitized by Google

quicquam neglegitur quod ad verum inveniendum utilitatis aliquid habere videatur, id nihil adtinet nunc dicere; hic quoque πόλεμος, εἰ μὴ πάντων, ἀλλὰ πολλῶν γοῦν ἀγαθῶν πατὴρ ἐγένετο, et postquam per integrum saeculum et quod excurrit quaestio Homerica a plurimis philologis est versata, multo melius iam prisca illa carmina et ipsorum poetarum aevum nobis innotuerunt quam innotuerant patribus nostris ipsisve Graecis. Sed secundarium hoc fuit illorum studiorum emolumentum. Verum cum homines quaerunt mente sincera et spreto suo ipsorum commodo, fieri non potest quin et aliis et sibi ipsis prosint, etiamsi id quod quaerunt non inveniant: ad asinas inveniendas qui exierat iuvenis Hebraeus coronam regiam invenit. Id vero, ad quod indagandum studia illa Homerica fuerant suscepta, non est inventum neque potuit inveniri, quoniam umbram vanam et fallacem persequebantur qui iis se dederant.

Quid enim? Postquam externa illa argumenta, quibus Wolfius fuerat confisus, ad nihil sunt redacta, quid restabat? Non iam poterant philologi iis innisi in carminibus epicis quaerere argumenta interna, quae externis illis superstruerentur. Ab ipsis iam carminibus proficiscendum erat: manibus tenebant duo carmina, quae quin vera essent carmina ut dubitarent, nihil eos movebat quod aliunde ductum esset, nihil urgebat, nisi forte ipsorum carminum ea esset condicio ut hominibus, qui sobrio iudicio uterentur, credibile videri non posset talia a vero aliquo poeta in unum opus olim fuisse coniuncta. At ipsi Graeci, inter quos nata sunt ea carmina, minime dubitarunt quin carmen sincerum esset Ilias, carmen sincerum Odyssea, aut quin pulcherrimum et illud esset et hoc, et post eos minime dubitarunt multa hominum genera. Ipse Wolfius vix unam alteramque comissuram hic illic detexisse sibi visus fuerat, nihil autem non bene continuatum, nihil praeposterum, nihil perturbatum in utrovis carmine inveniri profitebatur, Odysseae praesertim admirabilem compagem summis laudibus efferens et *nimis bene* potius quam *nimis male* aut illam aut Iliadem compositam esse perhibens, nimis videlicet decora esse illa carmina quam ut prisca credi possent. Alia iam rerum est facies: nostra aetate quaestio Homerica eo rediit ut dicerent critici: mihi in utroque carmine quaedam tantopere displicent ut vero poetae ea imputare neque

Digitized by Google

possim neque velim. A regione rerum quae sciri et demonstrari ad regionem rerum quae sentiri tantum possint ea quaestio est translata: — periculosae profecto opus aleae! Nonne meminimus quid de Miltonis carmine epico Bentleius — Bentleius ille, inquam, quem omnes etiamnunc suspicimus, — demonstrare posse sibi visus sit olim? Et nihilo minus apertum critici recentioris de Scotico quodam carmine disputantis errorem nuper contulit Andreas Lang [1]). Et quoniam quot homines, tot sunt sententiae, minime est mirandum in diversissima mox criticos discessisse et vix decimum vel vigesimum quemque e versibus epicis effugisse omnium criticorum severitatem. Eo autem audaciores esse solent homines, quo obtusior iis est sentiendi facultas, et quo longius distant a poesi et a carminum pangendorum facultate, eo maiore fiducia solent decernere quid deceat verum poetam, quid non.

Mihi quid acciderit dicam: felix quem faciunt aliena pericula cautum! Anni iam sunt plus quam triginta ex quo aetatem iuvenilem egressus Homero ita ut qui sui sunt iuris operam dare coepi. A *lingua* Homerica proficiscebar. Hanc ita tractabam ut si unius aevi, unius hominis esset, et in his studiis si quid profeci quodve aliis quoque utile esse posset praestiti, in Enchiridio dictionis Epicae inveniri id potest. Mox textum Homericum edere visum est: hunc quoque ita tractavi ut si unius hominis, unius aetatis dictio, quatenus quidem fieri id posset, esset restituenda. At idem cum de carminum epicorum compositione et origine interrogabar vel me ipse interrogabam, ne dubitabam quidem quin quadamtenus certe sequendi essent acuti illi philologi, qui alius alio confidentior demonstratum ivissent non vera ea esse carmina sed strues fragmentorum epicorum rudi arte consarcinatorum, de optima ratione in partes primitivas ea solvendi dissentientes sola. Nempe his opinionibus non puer quidem — nam pater optimus, qui antiquitatis amore me imbuit et linguas veteres me docuit, talia quam maxime aversabatur, — sed inde ab aetate iuvenili fueram innutritus. Bis edidi

1) „Auld Maitland". Cf. A. Lang, The World of Homer, 293 sq.: „The critic „was acute, ingenious, even brilliant, but he had scanty knowledge of the facts in „the case".

Digitized by Google

textum Iliadis et Odysseae: etiam commentario exegetico aliquando ea carmina illustrare in votis erat, sed absolvenda prius erat fabularum Aristophanearum, quam interim susceperam, editio et in alia officia identidem avocabar; quod autem praesertim me retinebat, ad Homerum interpretandum nondum satis paratum me sentiebam. Tertium Homerus edendus erat, et nactus tandem eram quod diu desideraveram otium. Totus iam uni Homero incubui et virium periculum in eo interpretando facere mecum decrevi. Prius autem absolvi textus novam recognitionem, et notas exegeticas, quae hic illic inter criticas notas editionum priorum irrepserant, delevi cunctas. Dein commentarios scribere coepi et quaestiones nonnullas, de quibus quod operae pretium esset proferre posse me sperabam, separatim elaborare. Sic et in alia incidi et in id quod cuiusmodi aliis videatur nescio, meum animum aliquantisper veluti stupore quodam feriit, erat enim mihi novum et prorsus inexpectatum: res quae in Iliade narrantur non nono — ut credi solet — belli anno sed sub ipsum belli initium gestas esse ab Iliadis poeta sumi. Et novum hoc mihi erat et certum videbatur; sed quo ea observatio tenderet nondum intellegebam. Pergebam in commentariis componendis et quae in Iliade vel in Odyssea inter se non concinere minusve apte cohaerere viderentur sedulo enotabam, atque adeo appetebam talia. Sed multo frequentius incidebam in carminum illorum partes optime me iudice concinnatas et ipsa vi poetica impense placentes, dein mirabundus intellegebam alios philologos eos ipsos locos gravissimis criminibus petivisse iisque usos esse ad demonstrandum fieri non potuisse ut carmen tam male compositum ex unius poetae ingenio progigneretur.

Sic sensim et inscius eo sum deductus quo vocabat Veritas, donec mihi dixi: o bone, mitte aliquantisper varia illa, quibus tam diu stipatus et tantum non obrutus fuisti, aliorum philologorum quantumvis clarorum et sagacium commenta: unum Homerum consule et tecum reputa reverane male cohaerere quae tradita acceperis tibi videantur. Fac periculum an defendere possis quae culpantur, si praeconceptis opinionibus quibuslibet abiectis pro unius poetae opere, quod esse fertur et a patribus est habita, habeas Iliadem, habeas Odysseam. Feci periculum:

Digitized by Google

didici minus credule fidem habere sententiis alienis de priscorum poetarum arte prolatis, et mox animum feriit verum. Sensi Wolfianum me revera numquam fuisse, ne tum quidem cum esse quam maxime mihi viderer, sed aliorum opiniones me protulisse cum meas ipsius proferre me putarem, in animi autem imo fundo semper vixisse persuasionem, quae aliquantisper quidem sopita fuisset, nunc vero totum animum impleret: carmina, vera carmina, carmina pulcherrima meaque laude maiora esse Iliadem et Odysseam; hanc ob causam me per sex septemve lustra libentissime iis corrigendis et interpretandis me dedisse. Et nunc demum quae de dictione poetarum epicorum olim protuleram operamque quam textui carminum recte constituendo impenderam fundamento certo et idoneo non carere laetus sentiebam. Absurda vero iam multa mihi videbantur quae de utriusque carminis origine et compositione olim credideram, fortasse perhibueram, nec pauca quae alii; et dum magis sensim confirmata est nova persuasio et artem illorum carminum melius perspicere coepi, magis in diem ea admirari didici et singulas eorum partes rectius interpretari.

Una haec via salutis. Non ex aliorum libris sed ex ipso Homero petenda est Homeri scientia, in uno Homero potest inveniri. Non ab Aristarcho vel Bentleio vel Wolfio aliove aliquo critico recentiore est ordiendum, sed ab ipso poeta. Haec autem non scribo ut persuadeam Wolfianis, — quo cognomine cum honoris tum brevitatis causa uti nunc liceat, — nam expertus scio ad persuadendum talia parum valere nisi apud eos quibus vel sic satis sit persuasum. Non multum sequentia prodesse poterunt iis qui pro certo atque explorato habeant opera musiva esse Iliadem et Odysseam, non vera carmina. His opto ut vitae ratio et ipsos aliquando eo ducat ut uni Homero in silvarum latebras aliumve angulum tranquillum secum ablato per multos menses deinceps toti dare se possint, eruditionis sive alienae sive suae ipsorum interim obliti: non dubito quin poeta mox et ipsos eo sit deducturus quo alios plurimos et me deduxit, frustra aliquantisper reluctatum. Minus fortasse magnifice quam antea dein sentient de sua ipsorum aliorumve philologorum doctrina et mentis acumine, sed multo magis proderunt iis prisci aevi opera immortalia. Et tunc si quis eorum inciderit in meos

Digitized by Google

qualescunque commentarios Homericos, ex his quoque utilitatis aliquid fortasse ducere poterit. Qui vero recens a schola Wolfianorum ad Iliadem vel ad Odysseam accedit, is quin usque quaque vitia, errores, ampullas oratorias quaeque praeterea artis ingeniique defectum arguere solent, deprehendere sibi videatur fieri vix potest; talia enim inventurum se expectat et quaerit sciens vel etiam inscius. Huius autem commentationis aliquam partem si quis eorum legerit, mox subridens, sat scio, e manibus eam seponet. Nempe, ut cum Goethio loquamur:

Oblatum spernit qui nil desiderat ipse:
At sua cui sordent, huic nova grata manent [1]).

Et ipse olim sprevi quae praebebant opera aliorum criticorum similia perhibentium: iam pudet referre; rectius vero postquam de priscis carminibus iudicare didici, magna cum voluptate magnoque cum emolumento legi quae proximo anno in eam quam et ipse protuli sententiam disputata sunt a viris philologis compluribus: Andrew Lang [2]), J. W. Mackail [3]), A. Shewan [4]), C. Rothe [5]), H. Draheim [6]), D. Mülder [7]), nec non quae et olim Lang, Rothe, alii ad Iliadem Odysseamque illustrando defendendas scripserunt.

Non facile videlicet eo quis pervenit ut sinat hac de re sibi persuaderi, sed stomachari potius et fere succensere incipit obloquentibus. Nam hi si verum obtineant, quam multa erunt dediscenda quae improbo labore prius didiceris? Quam multa, quae haud exigui pretii videbantur, reicienda et e mente pellenda erunt, ut fiat spatium quo nova haec — immo vetustissima quaeque ipsorum fuit Graecorum — opinio recipiatur! Sed operae est pretium: ditior mox, quam fuit, fiet qui pauperior sic factus esse sibi videbitur: scio expertus et testimonii, ut spero, est mihi dictio; ἄλις πάντεσσιν Ὅμηρος. Habuerunt et aliae gentes plurimae cantores, qui strenua heroum facinora

1) Wer fertig ist, dem ist nichts recht zu machen:
Ein werdender wird immer dankbar sein.

2) The World of Homer, Septemb. 1910.
3) Lectures on Greek Poetry, 1910.
4) The Lay of Dolon, 1911.
5) Die Ilias als Dichtung, August. 1910.
6) Die Odyssee als Kunstwerk, 1910.
7) Die Ilias und ihre Quellen, Ostern 1910.

Digitized by Google

carmine celebrarent: una Graecia habuit magnum poetam, qui ex eiusmodi carminum per hominum ora volitantium materie componeret epos. Quod qui divellit, non pristinae poesi suum nitorem restituere conatur, sed ipsum carmen in carmine immortali necare.

Sed ad ipsas res veniamus.

Initio carminis, ubi poeta dicit se Achillis Iram carmine celebraturum, quae Achivis multa mala attulerit utque multorum heroum caesorum corpora canibus et vulturibus relinquerentur effecerit, fuere qui ultimum hoc mirarentur; ipsum enim bellum id tulisse ut interficerentur milites. Sed obscuri nihil manet quodve minus placeat, si ad ψυχὰς ἡρώων et ad αὐτούς supplemus *Achivorum* nomen e verbis proximis repetitum. Hoc enim voluit poeta, qui de solis *Achivis* iam loquitur, Troiani quot caesi quot a feris laniati fuerint non rogans nunc. Achilles nisi iratus a pugna abstinuisset, Troiani prima pugna victi fuissent et urbs αὐτοβοεὶ fortasse fuisset capta, Achivorum autem principes nonnisi pauci cecidissent neque ullus ex iis praeda animalium rapacium fuisset factus.

Spectat igitur poeta pugnas secundam et tertiam, cum Troiani victores campum obtinuerunt, multi autem Achivi iacuerunt κυνῶν μέλπηθρα.

Nam post primam Achivorum cum Troianis pugnam (Δ—H), quae anceps fere fuit, licet Achivi aliquanto superiores inde discesserint, induciae sunt initae, ut utrique exercitui fieret facultas suos sepeliendi. Sed in fugam effusam qui coniciuntur, qualis fuit Achivorum post pugnas secundam et tertiam, corpora suorum auferre nequeunt, quae ab hostibus non sepeliuntur, sed feris relinquuntur. Non insolitae tunc id fuit crudelitatis, sed belli usus id ferebat, et a prisci aevi moribus ne ea quidem saevities abhorrebat, qua corpus principis interemti — nam de solis principibus nunc, ut semper fere apud poetam, fit sermo — a victore κεκρεουργημένον canibus familiaribus proiciebatur ὠμὰ δάσασθαι [1]). Sic Hector nudum corpus Patrocli ῥερυσσάμενος κυσὶν ἔμελλε δώσειν [2]) eiusque caput urbis propugnaculis infixurus

1) Cf. Ψ 21.

2) Cf. P 126 sq., 289—291.

Digitized by Google

erat [1]), minime praeter saeculi sui morem saevus neque ira immodica flagrans; sic Philistaei olim corpus Sauli capite truncum suae urbis muro affixerunt [2]). Patroclo quominus tristis haec post mortem fieret contumelia, qua animis aditus ad sedes inferorum praecludebatur [3]), intercesserunt Aiax et Menelaus; sed multi alii ex Achivorum ducibus misere sic perierunt. De Pandaro vero vel Sarpedone aliisve ducibus Troianorum horumve sociorum vel de ipso Hectore quid sit factum, id nihil nunc ad rem.

Quod autem poeta in parenthesi addit: Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή, id vertendum est: *sic Iovi fuit placitum*. Secundum Iovis videlicet voluntatem fieri quicquid fiat, nihil fieri nisi quod Διὶ ὑπερμενέϊ φίλον sit [4]), poetae nostro fuit persuasum, licet in carmen suum receperit nonnulla e carminibus vetustioribus petita, quae Iovem a Iunone vel a Minerva superatum ostenderent. Idem autem Achillem fecit aliquando dicentem:

ἀλλά ποθι Ζεὺς
ἤθελ' Ἀχαιοῖσιν θάνατον πολέεσσι γενέσθαι [5]).

Prisci vero interpretes Aristophanes et Aristarchus illud quod poeta mox expositurus est Iovis consilium, ad Achillem ulciscendum initum, intellegebant, non sine specie aliqua veri, non recte tamen; nam et simplicior est prior quam indicavimus ratio et propterea praesertim praeferenda quod auditores, qui nihildum audivissent de Thetidis ad Iovem precibus, haec verba recte interpretari non potuissent, si poeta id voluisset quod putabant interpretes Alexandrini. Omnino autem hinc alienum est, quod fuere qui huc traherent, Iovis consilium ante bellum Thebanum initum, numerum mortalium ingentibus caedibus imminuendi, ne mole prolis nimis crebrae premeretur Terra. Quae fabella in Cypriis fuit commemorata [6]), recentioris autem aetatis videtur fuisse quam fuit poetae Iliadis; sed etiamsi poetae nostro cognita fuerit, ab eo in carmine non est respecta.

---

1) Cf. Σ 176 sq.
2) Cf. Sam. I 31 § 9 sq.
3) Cf. Ψ 71—74.
4) Cf. B 116 al.
5) Cf. T 273 sq.
6) Cf. etiam Eur. Or. 1642 Hel. 38—40.

Digitized by Google

Quae de *Chrysae filia* patri erepta, mox Apolline iubente ei reddita, habet Ilias, multis non satis concinne narrata videntur, sed interpolationis indicia praebere manifesta. Sunt tamen quam maxime simplicia et perspicua, neque difficile videtur indicare cur haec ipsa et cur sic narraverit poeta. Sunt autem haec:

cum Achivi in Troadem pervenissent et Thebe aliisque urbibus parum firmis expugnatis cum alias mulieres plurimas in praeda ingenti inde abduxissent captivas tum filiam Chrysae, qui Apollinis erat sacerdos, mox pater Chryse, ubi habitabat, venit ad naves Achivorum.

Sacerdotis Apollinis filiam puellam de qua mox rixatum est cur dixit poeta?

Quia *Apollinis* Achivos telis suis petentis *ira* erat explicanda [1]).

Cur autem *non in ipsa Chryse urbe*, ubi habitabat eius pater, captam?

Quia illic captari *non potuit*. Nam sacrosancti erant sacerdotes, et his horumve familiaribus non pepercisse impietatis fuisset, qualis minime cadebat in Achivos, Iovis aram nullam praetervectos quin in ea sacrificarent, ut ipse Agamemnon claris verbis professus est [2]); Apollo autem, cui Calchas debebat scientiam suam, Achivis et antehac et nunc salutarem [3]), quin simili honore ab iis fuerit habitus dubitari nequit, et *Achivis amicum* ipse huius dei sacerdos Chryses se praestitit optima quaevis ipsamque victoriam iis apprecando [4]).

Si quis tamen dubitet, reputet secum quid *Ismari* postea fecerit *Ulixes*: urbem vastavit, ἀλόχους καὶ κτήματα πολλὰ inde rapuit, sed Apollinis sacerdoti Maroni huiusque uxori et liberis pepercit [5]). Itaque si Chrysae filia tum cum Achivi in Troadem venerunt degisset apud patrem in urbe Chryse, vel potius ἐν ἄλσεϊ δενδρεόεντι, huic urbi affini, ubi dei erat τέμενος βωμός τε θυήεις, omnino tuta ibi fuisset, etiamsi urbs ab Achivis capta esset. *Non* captam autem sumsit poeta, nam Chrysen ad deum suum dicentem fecit: „*Chrysen tueris*" [6]).

---

1) Cf. quae hac de re disputavi Mnem. 1910 pag. 386 sq.
2) Cf. Θ 238—241.
3) Cf. A 70—72 et 385.
4) Cf. A 18 sq.
5) Cf. ι 40, 199—201.
6) Cf. vs. 37.

Digitized by Google

Cur vero *Thebae*, non Lyrnessi vel Pedasi alibive Chryseidem captam fuisse poeta finxerit, rogare inutile: talia rogari poetae nolunt. Erunt fortasse qui et poetam et audientes id scivisse censeant, in antiquiore enim aliquo carmine id fuisse narratum: mihi haec explicandi ratio, licet multis aliis locis Homericis eam valere probe sciam, veri nunc parum videtur similis. Nam totum hoc episodium a poeta ex feraci suo ingenio expromtum ipsamque Chryseidem ibi natam arbitror, et hanc ob causam eum ne proprium quidem nomen huic puellae dedisse, sed solo patris vel urbis natalis nomine eam designasse, quippe qui nullum eius nomen e poesi vetustiore accepisset traditum.

Venit pater ad castra Achivorum, impune enim illuc venire potuit, *ille solus* e cunctis patribus fratribus maritis orbatis; dei enim sui sceptro et infula protegebatur: ceteri aut interemti erant aut, si vita salva ex urbium suarum excidio effugerant, opibus spoliati non habebant quae afferrent ἄποινα ad captivas redimendas.

Supplex oravit sacerdos πάντας Ἀχαιούς [1]), nam Agamemnoni filiam suam dono datam esse nesciebat. Sed frustra supplicavit, nam reddere puellam pulcherrimam Agamemnon noluit, ira efflagravit, et novimus cetera.

Reddita tamen tandem est puella Calchante iubente et Chrysen navi reducta. *Cur navi?* Erat tamen Troadis haec urbs, Tenedo fere opposita [2]), et in ipsa Troade iam versabantur Achivi.

Nempe iter maritimum iuxta littus multo erat facilius et magis expeditum quam per terrae hostilis interiora; ad patrem adducta est puella ea via qua abducta. Nam Theben cum vastaturus erat Achilles, *classe* illuc est profectus [3]), non dubium igitur quin eadem via redierit. Poetam nostrum *insulam* aliquam Chrysen in Lemni vicinia sitam cogitasse, ut postea Sophoclem [4]), non est cur putemus.

At *iter* illud, quo Chryseis in urbem natalem est reducta,

---

1) Cf. vs. 17.

2) Cf. Strabo 604, qui ipse tamen in Adramyttii potius vicinia quaerebat Chrysen Homericam. — Homerus ab Achivorum castris tractu terrae vel maris haud magno disiunctam sibi finxit.

3) Cf. Ψ 829.

4) Cf. Lemniarum fr. 349 et Philoct. 270.

Digitized by Google

plurimis suspicionem movit. Cur praesertim? Quia Odysseae dictionem referunt multa quae illic leguntur! — Mirum crimen quodque facile possit dilui. Nam quae dictio huius loci cum Odyssea habet communia, cuiusmodi sunt? Sunt quae ad iter navale et duo versus [1]) qui ad sacrificium pertinent. Nullum autem praeter hoc unum iter navale habet Ilias, complura vero habet Odyssea: quid mirum nunc quoque, ut saepissime in dictione epica, easdem res eisdem verbis fuisse narratas, malum erectum vel demissum, navem appulsam, cetera quae sunt huiusmodi iisdem versibus versuumve particulis utrobique esse expressa. An remis pro velis in itinere uti milites oportuit, vel antennam cum velo sursum attrahere tum cum portum intraturis funes laxandi essent potius, ut quae de Ulixis hoc itinere poeta narravit hodie legentibus placere possent et sui iuris ipse poeta esse videretur? Et cum ad aram hostiae sunt adductae, dein mactatae, ossa femoralia in dei honorem combusta vinoque conspersa esse non licuit iisdem verbis referre quibus in Odyssea id est relatum? Odysseam imitatus esse is cui haec Iliadis particula debetur ideone a quoquam creditur? Quidni Iliadem poeta Odysseae? Quidni uterque poeta usus esse versibus quibusdam formularibus saepius antea in arte epica usurpatis?

A 297—303.

ἄλλο δέ τοι ϝερέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι.
χερσὶ μὲν οὔ τοι ἐγώ γε μαχέσσομαι εἵνεκα κούρης,
οὔτε σοὶ οὔτε τιν' ἄλλῳ, ἐπεί μ' ἀφέλεσθέ γε δόντες·
τῶν δ' ἄλλων ἅ μοί ἐστι θοῇ παρὰ νηῒ μελαίνῃ,
τῶν οὔ κεν τι φέροις ἀνελὼν ἀτέκοντος ἐμεῖο.
εἶ δ' ἄγε μήν, πείρησαι, ἵνα γνώωσι καὶ οἵδε·
αἶψά τοι αἷμα κελαινὸν ἐρωήσει περὶ δουρί.

Haud exiguum periculum est ne Achillis haec verba legentibus displiceant et non suo pretio aestimata ad herois imaginem deturpandam valere videantur potius quam ad talem qualem poeta eam mente vidit nobis ante oculos collocandam. Legentibus, inquam. Nam audientibus olim poeta voce, fortasse et vultu ipsoque gestu, clare indicavit quomodo essent accipienda,

1) Cf. A 462 sq. = γ 458 sq.

Digitized by Google

postea indicarunt cantores qui Iliadem recitabant, si quidem in arte sua aliquid valebant; neque quisquam ea aetate potuit dubitare qua mente ita loqueretur iuvenis iratus. Valet de his versibus id quod de Agamemnonis verbis in versu 117, qui versus Zenodoto legenti, non audienti, obelo dignus est visus:

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σαὸν ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι!

Hunc versum placida voce subiunge proximo, et videbitur ieiunus, inutilis, quam primum delendus. At cum risu amaro profer — et audies hominem iratum sic exclamantem: „o tu, omnium sacerdotum mihi molestissime semper, ergone pulcherrimam mihique carissimam puellam illam, quae honoris causa mihi nuper ab exercitu e praeda communi dono est data, reddere me iubes? At fiet quod iussisti, quoniam fieri hoc ad pestilentiam sedandam necessarium esse tu perhibes. *Malo profecto — εἰ μὴ μαίνομαι — salvos esse meos quam perire!*" Quid rex sine copiis!

Mentem loquentis ira exacerbatam egregie pingit asyndeton. Olim, cum *βούλεσθαι malle*, non *velle* significare nondum satis esset perspectum [1]), suspecti aliquid hunc versum habere potuisse intellegimus: hodie suspectus cuiquam videri nequit.

Idem autem, quod de hoc versu, valet de versibus supra exciptis. His mirum quoddam *βάθος* inesse videri potest legentibus vel sine vocis ulla varietate recitantibus. Siccine igitur animum demittit Achilles ille, qui modo ensem in Agamemnonem stringebat, et vanis minis animum furore aestuantem exonerans „id quod poscis" ait „tibi dabo, sed aliud quid si post „hac a me poposceris, non concedam", sine periculo sic fortis, quoniam non de rebus posthac concedendis rixatur, sed de una ea puella, quam Agamemnon ei erepturus est?

Iniquissime iudicet qui sic secum reputet, et totum contextum in infamiam aliquam immeritam facile sic adducat. Non enim concedentis et aliquantulum perterriti sunt verba Achillis, quae attulimus, sed magis etiam quam antea irati, licet dextram cohibeat, et insigni cum contemtu loquentis. Aspernatur iam Briseidem, licet carissima ei hactenus fuerit [2]) et nunc

1) De ipso hoc versu mira invenias apud interpretes antiquiores.
2) Cf. I 342 sq.

Digitized by Google

quoque sit, sed cordis voci aurem iam praebere non vult: aspernatur puellam, utpote donum a rege inviso ceterisque Achivis cum illo facientibus sibi oblatum. Cunctis stomachatur [1]), nam a cunctis derelictum se sensit cum pro salute communi verba faceret. Itaque *non depugnaturus tecum sum de puella*, ait, et vocem *puellam* proferens omnem suam iram in ea voce evomere videtur, *neque tecum neque cum alio quoquam: adimitis scilicet* — sic in cunctos confert culpam iniuriae, qua ab Agamemnone affici se siverint ceteri, — *quam dederatis! At propria quae mihi sunt, quae non debeo munificentiae vestrae, ea vi tuebor si quis auferre conetur!* — Sic Achilles etiam I 367 ea quae ἔλαχε sive *sorte ducta e praeda accepit* — aurum aes ferrum mulieres captivas — et γέρας illud, quod Agamemnon ei *dono dederat*, inter se opponit. *Illa* servabit et si opus sit defendet: eripere conetur modo qui velit! *Hoc* nihili facit, spernit, proicit, nam ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα. Abit furore stimulatus et siccis mox oculis videbit praecones Briseidem e tabernaculo suo abducentes.

Eundem quem hoc loco contemtum vox κούρη habet in Achillis cum Agamemnone in gratiam redeuntis verbis:

ἦ ἄρ τι τόδ' ἀμφοτέροισιν ἄρειον
ἔπλετο, σοὶ καὶ ἐμοί, ὅτε νωΐ περ ἀχνυμένω κῆρ
θυμοβόρῳ ἔριδι μενεήναμεν εἵνεκα κούρης [2]).

Hoc igitur satius nobis fuit, de puella rixari! Nos scilicet, Achivorum tu potentissimus et ego, qui inter eos sum fortissimus, maluimus levem ob causam rixam inire cum maximo detrimento exercitus, quam alter alteri cedere.

A 397—400. ἔφησθα κελαινεφέϊ Κρονίωνι
οἵη ἐν ἀθανάτοισιν ἀγειρέα λοιγὸν ἀμῦναι,
ὁππότε μιν ξυνδῆσαι Ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι,
Ἥρη τ' ἠδὲ Ποσειδάων καὶ Παλλὰς Ἀθήνη.

Haec Achillis ad matrem verba et sequentia non sane congruunt cum aliis poetae nostri notionibus, multum tamen abest ut inde

---

1) Patet igitur Zenodotum versum 299 misere corrupisse pro ἐπεί μ' ἀφέλεσθέ γε δόντες scribendo ἐπεί β' ἐθέλεις ἀφελέσθαι.

2) T 56 sqq.

Digitized by Google

sequatur manui alienae ea deberi. Verum est Iovi illi, quem poeta dicere soleat omnipotentem, ceteros caelites mente et viribus longe superantem, a Iunone Minerva Neptuno periculum esse nullum potuisse, et eum qui uno nisu ceteros deos deasque cunctos ad se trahere posset invitos, si luberet [1]), a tribus eorum vinciri non potuisse, certe non potuisse vi aperta [2]). Sed talia ut passim in carmen admitteret poetam movit atque adeo coegit infirmitas mentis humanae in rebus divinis sibi informandis nunquam satis sibi constantis, et carminum vetustiorum materie dum utitur, haud raro eo est adductus ut ea quoque reciperet quae ipsius de Olympiis opinionibus refragarentur. Manifesta autem hoc loco sunt vestigia fabulae nostro carmine antiquioris, Iunonem Neptunum Minervam etiam ante preces Thetidis, quas Iliadis poeta excogitavit, Iovi infensos exhibentis [3]): Troiae hostes deo urbis tutelari sive numina Argiva numini Idaeo.

A 421 sqq. Thetidis ad Achillem haec sunt verba:

ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν νηυσὶ παρήμενος ὠκυπόροισι
μήνι' Ἀχαιοῖσιν, πολέμου δ' ἀποπαύεο πάμπαν.
Ζεὺς γὰρ ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
χθιζὸς ἔβη κατὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.
δωδεκάτῃ δέ τοι αὖτις ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε κτέ.

Iovem tunc, cum Thetis filio suo promisit se patrem deorum supplicem adituram, in Olympo non adfuisse poeta finxit, ut dierum aliquot intervallum fieret, per quos Agamemnon propter iram Achillis in littore Troadis inutiliter cum copiis desidere cogeretur, cum urbem, ad quam expugnandam adesset, vellet petere: sic enim et ipsum et ceteros duces somnio fallaci aures libentissime mox esse praebituros. Et in pectus Achillis pugnam et bellum desiderantis [4]) interim altius penetravit Agamemnonis odium, nihil nisi quod durum saevum implacabile esset ibi relinquens.

Quod autem Olympios *heri* ad Aethiopes abiisse Thetis ait, multi inde ab aevo interpretum Alexandrinorum sunt mirati,

1) Cf. Θ 18 sqq.
2) Somno sopitus (ut Ξ 352 sqq.) potuit sane.
3) Item A 520 sq.; cf. B 13—15 = 30 sqq. = 67 sqq.
4) Cf. A 492.

Digitized by Google

multi indignati, multi hic certe iuncturam fabularum inter se non congruentium manifestam deprehendi sunt opinati; nam Thetis si recte nunc dicat caelites heri Olympum reliquisse, non potuisse carminis initio Minervam inde descendere a Iunone missam [1]), *eodem* enim *die* Thetidem cum filio collocutam. Nempe sic videtur lectoribus hodiernis. Itaque fuere qui poetae hanc neglegentiam verbis elevare conarentur, — parum probabiliter, nam fieri vix potuit ut tam cito suorum ipsius verborum poeta oblivisceretur. Alii *deos* quidem in Aethiopiam abiisse sunt suspicati, *deas* vero interim nidum servasse; quae etiamsi non ridicula videatur quaestionis solutio, non tamen potest placere iis qui meminerint altero Iliadis loco, ubi caelitum apud Aethiopes epulantium fit mentio, *Iridem* certe deam cum ceteris illuc abiisse dici [2]). Sed frustra operam dederunt interpretes ut solverent ἀπορίαν quae nulla esset. Alia videlicet atque nobis poetae est dies computandi ratio; qui tempus per νυχθήμερα dirimit, a *solis occasu* vel potius ab *ortu noctis* — nam ἐπέρχεται κνέφας [3]), ὄρνυται οὐρανόθεν νύξ [4]), — *usque ad sequentis diei finem.* Hinc explicatur frequens et constans iunctura verborum νύκτας τε καὶ ἤματα (vel ἦμαρ), quam versuum numeri minime commendabant aut poscebant; nam salvo metro etiam ἤματα καὶ νύκτας potuit dici et certas ob causas revera dictum est Ψ 186, ubi Venus Hectoris corpus tutata esse dicitur *non solum interdiu, sed etiam noctu,* cum oberrant ferae rapaces, et κ 142, ubi Ulixis socii δύο ἤματα καὶ δύο νύκτας moesti et ieiuni in littore iacuisse dicuntur, per illum igitur diem quo advenerunt et per noctem quae insecuta est, nec non die proximo atque adeo per noctem alteram.

Certa et aperta haec tempus computandi ratio est Θ 541, ubi Hector postquam nocte ingruente [5]) copias suas excubias in campo aperto agere iussit, ut Achivos, quos hodie in castra compulerunt, primo mane denuo possint aggredi, sic perorat victoria hodierna elatus et veluti vaticinans: *cras periculum fa-*

1) Vs. 194, 222.
2) Cf. Ψ 205—207.
3) Cf. A 475 al. Θ 468 Φ 232.
4) Cf. ι 69.
5) Cf. Θ 485 sq.

Digitized by Google

cito Diomedes an vincere me possit etiam! At non poterit, opinor, sed cum multis suorum caesus iacebit

ἠελίοι' ἀνιόντος ἐς αὔριον. εἰ γὰρ ἐγὼν ὥς
εἴην ἀθάνατος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα,
τιοίμην δ' ὡς τίετ' Ἀθηναίη καὶ Ἀπόλλων,
ὡς νῦν ἡμέρη ἥδε κακὸν Φέρει Ἀργείοισι.

Hic praesens Φέρειν de re futura usurpatum animi de eventu ne dubitantis quidem est indicium, ut in Achillis de sua sorte verbis: *mater ait me* διχθαδίας κῆρας Φερέμεν θανάτοιο τέλοσδε [1]) sive *duo fata diversa me leto esse datura*, vel loco Aristophaneo ubi in vaticiniis esse dicitur ὡς ὁ Παφλαγὼν ἀπόλλυται i. e. ἀπολεῖται [2]), et similia apud Homerum aliosque sunt multa. Dicitur igitur ἡμέρη ἥδε is dies cuius pars obscura iam adest, pars autem lucida sive αὔριον, per quam pugnatur, post temporis aliquid aderit.

Nihilo minus manifesta res est in libro T, ubi Agamemnon ad Achillem *ministri mei* ait *afferent tibi dona, quae meo nomine tibi*

χθιζὸς ἐνὶ κλισίῃσιν ὑπέσχετο δῖος Ὀδυσσεύς [3]),

itemque mox ad Ulixem: *affer Achilli dona, quae ei*

χθιζὸν ὑπέστημεν δώσειν [4]).

Nam postquam Achivi praelio secundo profligati in castra confugerunt, sera vespera legati ad Achillem missi sunt Ulixes et Aiax et dona plurima nomine Agamemnonis ei promiserunt si iram mittere vellet [5]), dein per totum diem sequentem aestuavit pugna tertia, in qua pugna cecidit Patroclus, tum nox altera intercessit [6]), qua nocte Vulcanus nova arma Achilli cudit, iamque his quae modo excripsimus verbis utitur Agamemnon. *Nudius tertius* igitur, ut nos loquimur, legati illi ad Achillem exorandum sunt missi; sed Homero, cui nox est pars prior τοῦ νυχθημέρου, dies ille, quo Agamemnonem ea quae vidimus verba dixisse finxit, initium tum habuit cum Iuno pugna tertia finita solem πέμψεν ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοὰς ἀτέκοντα νέεσθαι [7]), *heri* autem accidisse dicuntur quaecunque inde a solis occasu eo, qui pugnae secundae finem fecit, usque ad finem pugnae tertiae sunt gesta [8]).

1) Cf. I 411.
2) Ar. Eq. 127.
3) Cf. T 141.
4) Cf. T 195.
5) Cf. I init.
6) Cf. Σ 239 sq.
7) Cf. Σ 11.
8) Cf. Θ 485—Σ 1.1.

Digitized by Google

Sunt sane interpretes bene multi, qui hoc quoque Iliadis loco rationem temporis misere turbatam esse censeant, aut poetam dormitasse perhibentes aut argumentum hinc sumentes quo demonstrent quam tenui arte quantaque socordia conglutinata sint fragmenta illa carminum vetustorum, quae Ilias iam nomine communi vocentur; sed nunc quoque, ut passim, prodest meminisse versiculi Popiani:

Non vates nutat, sed nos mala somnia vexant [1]).

Iamque ad primi libri locum illum, unde digressi sumus, redeamus, ut ibi quoque optime omnia procedere demonstremus, nihil hic esse turbatum, nihil obscurum, nullum errorem, nullam neglegentiam subesse. *Ineunte die,* ut mos et ea aetate et postea ferebat [2]), Achilles milites convocavit in concionem, quae sub meridiem est dimissa. Adfuit tum *tempus cenae,* τοῦ δείπνου: cenarunt igitur Achivi, cenarunt di Olympii, hi autem non in Iovis aedibus illo die cenarunt, sed in Aethiopiam epulatum abierunt, ubi quin dicto citius et iusto diei tempore adfuerint, — nam tam accurate iam Musis invitis nec tamen ut spero iratis haec sunt exploranda, ut dilui possit crimen iniquum, — non est cur dubitemus, quoniam θεῶν αἰψηρὰ sunt κέλευθα. *Per reliquum diem* lustrati sunt Achivi, et Chryseis ab Ulixe ad patrem navi est reducta. *Sub noctem* Agamemnon Briseidem ad se adduci iussit, ut Chryseidis qui fuerat in eius toro locum obtineret; παρὰ νῆας Ἀχαιῶν sive per castra, inde a cornu quod Achilles cum Myrmidonibus suis obtinebat usque ad tabernaculum Agamemnonis, palam et omnibus militibus videntibus Achillis ancilla a praeconibus est deducta, et sic consummatum est dedecus quo Agamemnon eum affecit. *Dein* Achilles ira et dolore aestuans — nam ut iustam uxorem illam mulierem amabat — relictis castris consedit in littore deserto, et spectans per ingens aequor ponti, quod nox ingruens late tegebat umbris purpureis [3]), matrem dilectam flebilibus verbis invocavit, — nunc enim plorare eum non vetabat honoris studium, — verus etiam puer; quae cum adfuit, *per silentium nocturnum* sive postridie eius diei

---

1) 't Is not Homer that nods, but we that dream.
2) Cf. B 48 sqq. β 6 γ 138 Aristoph. Ach. 20 Eccl. 741 al.
3) Vs. 349 sq.

Digitized by Google

quo cum Agamemnone est rixatus apud eam conquestus est sortem suam iniquam.

Nonne satius est sic hunc locum interpretari quam sumere — id quod in rerum natura quomodo esse potuit unquam? — poetam post versus ducentos [1]) sive intra horae partem dimidiam oblitum fuisse rei quam modo narrasset? Aut recentioris alicuius aevi hominem ignotum, diversa cum conglutinaret, non animadvertisse *heri* accidisse iam dici quae *eo ipso die* brevi ante essent facta? Diversa autem? Aliudne igitur carmen olim rixam regum, aliud Achillem de ea cum matre collocutum habuisse, in animum sibi inducit quisquam? An imitatori eique admodum socordi, sua genuinis interserenti, tribuendum videtur herois iuvenis illud cum matre dea colloquium, quod etiamnunc legentium pectus penitus commovet et admiratione percellit? Nae in novas identidem salebras incidunt qui vitium hoc Iliadis loco cernere sibi videntur et causam eius vitii indicare conantur.

Unum addo. Poeta versibus 430—487, quibus narrat Ulixis Chrysen iter [2]), non continuat ordinem chronologicum, sed redit ad illum temporis articulum unde versu 317 est profectus ut prius res Achillis enarraret. Nunc quomodo Chryseis interim patri suo reddita fuerit refert. Verba αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς εἰς Χρύσην ἵκανεν valent igitur: *interim Chrysen pervenerat Ulixes*. Nota haec et manifesta, et fortasse inutile fuit hic ea indicasse; sed cavendum videbatur ne hac quoque re aliquis posset abuti ad temporis rationes, quae sunt in primo libro, vituperandas. Similia et alibi possunt observari et in proxima vicinia; nam vs. 488 verba αὐτὰρ ὃ μήνις significant: *interim* — illo die et sequentibus — *Achilles pergebat succensere*, in castris desidens, et in vs. 493 (ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐκ τοῖο δυωδεκάτη γένετ' ἠώς) voce ἐκ τοῖο reditur ad eum diem quo Achilles cum matre est collocutus. Eadem ratione Ω 31 voce ἐκ τοῖο reditur ad narrationis partem priorem sive eum diem quo Hector est mortuus.

A 592. Rogarunt quidam — nam quid non rogarunt homines ex quo carmina epica non recitari sed lectitari et a magistris

1) Vs. 221—424.
2) De quo cf. pag. 345 sq.

Digitized by Google

sedulo discipulis explicari sunt coepta! — quomodo Vulcanus *per totum diem cecidisse* nunc posset dici, cum tamen ea esset deorum celeritas ut dicto citius eo quo tenderent pervenire solerent [1])?

Satius fuerit talia non rogasse, neque hoc loco dum fruimur, ubi et quam celsa sit deorum regia et quam gravi casu Vulcanus terrae Lemniae impegerit, vivide significatur, aliorum locorum Homericorum, qui ab eo alieni sunt, meminisse. Si tamen cum illis eum componere lubet, nihil invenitur quod discrepet; dissimiles sunt, non incongrui. Nam sola *vi gravitatis* motus qui ex aedibus caelestibus in terram est delapsus, is sub solis demum occasum eo pervenit; qui vero *proprio motu* proruunt caelites, intra brevissimum temporis articulum adesse solent quo velint, quoniam omnia possunt di, spatii et temporis vinculis exempti et eminus quoque videntes audientes agentes quae velint.

B 29—33. Fallax species, quam ad Agamemnonem dormientem misit Iuppiter, huius dei verbis *in bellum arma tuos milites*, eum iubet,

> νῦν γάρ κεν ἕλοις πόλιν εὐρυάγυιαν
> Τρώων, οὐ γὰρ ἔτ' ἀμφὶς Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
> ἀθάνατοι φράζονται· ἐπέγναμψεν γὰρ ἅπαντας
> Ἥρη λισσομένη, Τρώεσσι δὲ κήδε' ἐφῆπται
> ἐκ Διός.

Vocis νῦν quae sit vis facile sentimus. Per dies duodecim post rixam ducum nihil est actum [2]), sed inertes desederunt milites in castris, ne armis quidem sumtis; nam Achillis Myrmidonumque auxilio destitutus Agamemnon ceterum exercitum post pestilentiam multo rariorem factum in hostes Troiam versus ducere non est ausus. Et capienda tamen est urbs! Iam igitur — species nocturna ait, quae Nestoris figuram sumsit, — opus aggrediendum est tandem! Sat morarum: etiam sine Achille Troia potest capi!

Sed verba sequentia aliquid interpretationis requirunt. Nam Somnii his verbis fallacibus auditis dixeris Agamemnonem hac-

1) Cf. Δ 75 sqq. Ε 770—772 Ν 20 Ω 78 sq. al.
2) Cf. Α 423—427.

Digitized by Google

tenus ne dubitasse quidem quin Iuppiter urbi faveret, nunc vero ut alia omnia credat permovendum esse Somnii verbis. Nullaene igitur requirebantur preces Thetidis ad Iovem Troianis conciliandum?

Non haec fuit poetae mens, sed nunc quoque, ut passim [1]), quae de deorum — Iovis (Idaei) praesertim et Apollinis (Pergameni) — studiis ferebant fabulae priscae, a suis ipsius notionibus quam maxime discrepantia, cum his utcunque conciliat.

Id quod *factum esse* Agamemnoni dicere nunc iubetur species fallax, mox in ipsa Iliade fieri revera videbimus [2]), et summam quandam theologiae Homericae — quatenus quidem vatis ingenio versatili convenit theologiae vocabulum — habent Iovis ad Iunonem verba [3]): *non coactus quidem — nam cogi nequeo — sed tamen invitus tibi cedo,*

σοὶ ἔδωκα ϝεκὼν ἀϝέκοντί γε θυμῷ.

Id ipsum, quod in priscis fabulis enarrandis poetae nostro saepe molestum fuit, his verbis indicatur. Nam deus Troianus quin a dea Argiva cogi vel vinci aliquando potuisset, poetae antiquissimi ne dubitarunt quidem: Iuppiter vero Homericus ceteros caelites consilio robore auctoritate longe superat.

B 50 sqq. Experrectus Agamemnon haud ita magnifice sentit de spe vincendi, quam ostentavit ei species nocturna. Itaque urbem quidem hodie aggredi — ut iussus est — secum decernit, Somnii promissis stimulatus, prius tamen cum ceteris regibus ipsoque exercitu de ea re deliberare, ne culpa consilii male initi in ipsum solum recidere possit, si res male cesserit.

Hanc qui huius loci explicationem dedit Andreas Lang, vir δημοτικώτατος et in gentium multarum poesi epica habitans, suspicatus est post versum 41 unum duosve versus intercidisse, totum igitur locum sic fere olim fuisse recitatum:

35 ὣς ἄρα φωνήσας ἀπεβήσετο, τὸν δ' ἔλιπ' αὖθι
τὰ φρονέοντ' ἀνὰ θυμὸν ἃ ῥ' οὐ τελέεσθαι ἔμελλον.
Φῆ γὰρ ὅ γ' αἱρήσειν Πριάμου πόλιν ἤματι κείνῳ,

1) Cf. supra ad A 397—400.
2) Cf. Δ initio.
3) Cf. Δ 43.

Digitized by Google

νήπιος, οὐδὲ τὰ ϝείδε' ἅ ῥα Ζεὺς μήδετο ϝέργα. κτέ.
41 ἤγρετο δ' ἐξ ὕπνου, θεία δέ μιν ἀμφέχυτ' ὀμφή.
〈'δϝίζε δὲ ϝὸν κατὰ θυμόν, ἐπεὶ σάφα ϝείδε' ὀνείρους
οὐ πάντας πιστοὺς Φοιτᾶν διὰ νύκτα μέλαιναν.〉
ἕζετο δ' ὀρθωθείς, μαλακὸν δ' ἐνέδυνε χιτῶνα, κτέ.
εἵλετο δὲ σκῆπτρον πατρώϊον, ἄφθιτον αἰεί·
σὺν τῷ ἔβη κατὰ νῆας Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων. κτέ.
50 αὐτὰρ ὃ κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισ' ἐκέλευε
κηρύσσειν ἀγορήνδε κάρη κομάοντας Ἀχαιούς.
οἱ μὲν ἐκήρυσσον, τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα.
βουλὴν δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων κτέ.

Et probabiliter profecto Langius sic Agamemnonis ipsiusque poetae mentem est interpretatus; vix tamen videtur necessarium sumere mutilatam esse hanc partem textus traditi.

B 73—75. Sequuntur versus qui et aliis criticis plurimis et mihi suspicionem moverunt diu: nunc quin et genuini sint et apti non dubito. Sunt Agamemnonis senatores dimissuri verba:

πρῶτα δ' ἐγὼ πέπεσιν πειρήσομαι, ἦ θέμις ἐστί,
καὶ φεύγειν σὺν νηυσὶ πολυκλήϊσι κελεύσω·
ὔμες δ' ἄλλοθεν ἄλλος ἐρητύειν πεπέεσσι.

His versibus poeta viam sibi paravit ad sequentia, quae finxit ad exemplum priscae alicuius narrationis de Achivis et ipso eorum duce Agamemnone fugam meditantibus [1]), sed interventu Minervae prohibitis quominus re infecta domum reverterentur. Eam fabulam poeta noster huic Iliadis loco inseruit ita mutatam ut Agamemnonem callido artificio ea suadere faceret quae, ab aliis ducibus doli consciis mox refutata, milites post pestilentiam et regum rixam animum despondentes in bellum alacriores denuo essent redditura.

Quod Agamemnonis sive ipsius poetae consilium strenue nuper et feliciter defendit Didericus Mülder, et simili dolo Ferdinandus Cortes dux Hispanus prospero eventu aliquando usus esse fertur. In ipsa autem Iliade eo dolo, quo nunc rex hominum, utitur rex deorum Δ 5 sqq., is quoque non ex animi sententia locutus, ut mox ab uxore et filia refutari et in contraria ab iis permo-

1) Ut I 17—28 (et vicin.) Λ 13 sq. Ξ 74—81.

Digitized by Google

veri possit. Nam Achivorum cum Troianis foedus si permanebit et Helena reddetur, belli finis erit, dedecus igitur Achilli illatum Iuppiter ulcisci non poterit; quapropter coram Iunone et Minerva id suadet quod has aegre laturas optime novit, haud invitus — licet invitum se perhibeat — dein concessurus bellum redintegrari iubentibus. Itaque postquam Iuno verbis violentissimis Iovi est oblocuta, hic ei cessit, et Iunone iubente in deorum conventu decretum est fore ut bellum, quod nuper coortum esset, non foedere facto ante finiretur quam ad manus esset ventum, sed usque ad Troiae excidium continuaretur. Et sic Iuppiter id quod volebat est assecutus, fit enim id quod fieri iubere sine dedecore non poterat, ut Troiani caelitibus instigantibus violarent inducias sanctissimis iuramentis confirmatas.

Quod vero — ut ad librum B redeamus — milites, qui post longi desidii taedia alacerrimi in concionem confluxere vocati, multo etiam alacrius in naves properaturi erant ut primum dux exercitus eos reditum parare iuberet, et tam cito dilapsuri ut aurem nullus praeberet Nestori vel Diomedi surgenti ut prudenti oratione Agamemnoni ex composito obloqueretur et copias manere iuberet, id Agamemnon secum non reputaverat. Itaque turpiter concidit callidum quod ille putaverat consilium, et a suis derelictus coepit sentire quid esset sine Achille bellum gerere, melius mox sensurus; nam frustra illo die Ilium oppugnavit, et diebus sequentibus misere profligatae sunt eius copiae.

De navium ducum copiarum recensione fuse disputare non est in animo. Quam sive ipsi Iliadis poetae tribuimus, quae mea est opinio, — nam Bergkium ita sequor ut e carmine antiquiore, *classem in bellum profecturam* pingenti, eam a nostro poeta transsumtam arbitrer, inserta autem ab eo esse nonnulla quae Achivorum *aciem in Troiae planitie instructam* spectarent, — sive postmodo manu aliena additam esse arbitramur, nihil ea res refert de Iliadis compositione disputantium. *Poterat* hoc episodium salvo cetero carmine abesse, potest igitur salvo carmine ex eo eximi, et in exemplaribus sive antiquioribus sive recentioribus nonnullis revera est omissum. Quamquam nullum hinc duci potest argumentum ad indagandam Catalogi originem. Quem qui

Digitized by Google

omiserunt editores, non propterea omittebant quod *spurium* ducerent, sed quod lectoribus *parum gratum* esse scirent, libentius igitur emturis libri B exemplaria aliquanto minus ampla et minus pretiosa, quae ea parte carerent.

Quod autem modo perhibebam, poetam Iliadis ea, quae olim *de classe Troadem versus iter initura* dicta fuissent, transtulisse in sui carminis eum locum ubi *copiarum aciem instructam* verbis pinxit, id optime potest illustrari collata ea Iliadis parte ubi Troianorum et Achivorum de navibus pugnam narravit [1]). Nam illam quoque carminis partem a poeta adumbratam esse ad vetustius aliquod carmen, fieri vix potest quin sentiat qui hoc agat [2]). In prisco illo carmine narrata fuit Troianorum cum Achivis *ad oram Troianam primum appellentibus* pugna, in qua pugna interemtus est *Protesilaus* νηὸς ἀποθρώσκων πρώτιστος Ἀχαιῶν [3]), cum omnium primus in littus hostile desiliret. Hanc ob causam navem Protesilai — ducis dudum mortui — a Troianis ante ceteras petitam et incensam dixit poeta Iliadis, hanc ob causam Aiacem ingentes per navium tabulata saltus ducentem et ξύστῳ ναυμάχῳ hostes repellentem pinxit. Aptissima haec fuerunt pugnae navali eiusmodi, qualis fuit cum Brasidas ad littus Pyli classem frustra adursit [4]), vel cum Caesar ad oram Britanniae appellere est conatus [5]). Nunc pugnae quae in littore circa naves subductas aestuavit ab Iliadis poeta adaptata sunt. Et feliciter sane sunt adaptata; nam naves Protesilai, qui primus cum suis littus obtinere olim est conatus, tum cum hostes repulsi in urbem confugissent primas subductas esse, altius igitur quam ceteras in littus fuisse protractas, — quoniam πρόκρσσαι naves stabant [6]), — iamque Hectori in castra ipsasque naves irruenti fuisse proximas [7]), probabiliter poeta sumsit. Attamen sentimus in hac carminis parte, qua Hector adortus

---

1) Cf. praesertim O 676—686 et 704—728.

2) Cf. Mnemos. 1906 p. 305; nuper in eandem sententiam disputavit Didericus Mülder.

3) Cf. B 701 sq.

4) Thuc. IV 11.

5) Caes. Bell. Gall. IV 25.

6) Cf. Ξ 35.

7) Cf. N 681.

Digitized by Google

est navem *ποντοπόρον καλὴν ὠκύαλον*, — vana in sicco haec epitheta! — *ἦ Πρωτεσίλαον ἔνεικε εἰς Τροίην, οὐδ' αὖτις ἀπήγαγε πατρίδα γαῖαν*, quoniam *νηὸς ἀποθρῴσκων* ille interemtus est, poetam usum esse argumento quod praeberet carmen alienum.

At audio increpantem me quempiam: „poetamne tu vocas eum qui compilator dicendus sit potius, et spurium istum catalogum defendere vis collata alia Iliadis parte, quae magis quam aliae multae manifesta habeat manus interpolantis indicia? Adeone igitur rudis es tu, qui de Iliadis compositione sententiam ferre sustines, ut nescias quid de heroum *bigis* Aristarchus docuerit [1]) nec iam ignoret quisquam, qui quidem philologi nomine dignus sit? Si vero nosti illa, nonne sentis ea doctrina damnari ipsum illum locum libri O, de quo nunc disputas, ibi enim et *quatuor* equos coniunctos commemorari et — quod non minus certum est aevi recentioris indicium — virum eorum *dorso* vectum? *Curru* vehuntur heroes, non equitant, et *binis*, non quaternis equis utuntur: apage igitur insiticia, tu autem desine tandem spuria spuriis tueri!"

Audio quae saepe audivi et indignor prisci carminis partem pulcherrimam ope syllogismi quatuor terminorum damnatam. Qui hic est syllogismus:

quae genuinae vel priscae sunt carminum epicorum partes, heroes bigis in bellum vectos ostendunt;

atqui in libro O quatuor equis coniunctis inequitat homo quidam, qui neque heros est, neque in bellum vehitur, neque curru utitur:

ergo inter Iliadis partes priscas et genuinas hic locus non est recensendus.

Hunc paralogismum qui excogitarunt eoque usi sunt ad Iliadem discerpendam, iis opto — nihil mali, bona enim fide errarunt, sed opto ut aliquando iis contingat comparationem nihilo deteriorem excogitare et versibus includere, quam est Homerica illa Aiacis cum equisone per equorum dorsa salienti. Quam carminis vetusti partem donec arte sua aequaverit recentior aliquis criticus vel poeta, — sed poetae de prisci poetae opere minus severe iudicare solent! — satius erit non pro subditiciis

1) Cf. Θ 185.

Digitized by Google

habuisse quae non nisi summi poetae ars potuerit in lucem proferre.

Et quidnam suspecti habeat locus de quo loquimur? Non dorso equorum insidebant heroes, sed bigis in pugnam vehebantur: res certa et in vulgus nota, neque latet rei causa; nam *exiguae staturae* erant equi quibus utebantur, parum similes robustis illis equis, qui medio aevo quod dici solet milites ferro vestitos in bellum tulerunt, et potius cum *Sigynnorum* equis pusillis comparandi, qui σμικροὶ μὲν ἦσαν καὶ ἀδύνατοι ἄνδρας φέρειν, ζευγνύμενοι δὲ ὑφ' ἅρματα ὀξύτατοι [1]), vel cum *mannis Scoticis* et aliunde et e Gualteri Scoti fabula quadam romanensi cuivis notissimis. Exigui illi equi Homerici bellatoribus ferendis minus erant idonei [2]); itaque tum cum res tulit ut Iliadis poeta heroes quosdam dorso equorum insidentes semel tamen ostenderet, — dicimus finem Doloneae, de qua Iliadis parte posthac fusius disputaturi sumus, — cavens ne auditores Diomedem ingentis staturae virum et Ulixem rapido cursu sic in Achivorum castra vectos mirari possent, prius narravit hos equos *staturae insolitae* fuisse, nam Dolonem dicere fecit:

„τοὺς δὴ καλλίστους ἵππους Ἴδον ἠδὲ μεγίστους" [3]).

Sed ad *bellum* et pugnas et gravis armaturae viros spectant haec omnia, ad duces militum ut robore sic et pondere corporis atque armorum vulgus hominum superantes. Modicae staturae viros nullisque armis onustos quin dorso ferre potuerint equi Homerici, non dubitabit qui sapiat; nam procul aberat aetas poetae a praehistorico illo aevo, quo per terram hominibus fortasse etiam carentem circumvagatum est *hipparion* illud exiguae molis animal, ex quo genus equinum saeculis volventibus est prognatum et tandem excrevit in ingentis staturae beluas illas, quibus currus doliis cerevisiae onusti iam solent protrahi.

Neque vero dubitare quin *equitandi* artem aequales poetae calluerint prudentis est hominis. Quam artem arte aurigandi vel antiquiorem fuisse clamat ratio. Nam feram laqueis et vi brachiorum domare, dein domitae dorso insilire, ut difficile et periculosum, sic aliquanto tamen facilius fuit quam currum struere,

---

1) Cf. Herodot. V 9.

2) Recte sic Ridgeway.

3) Cf. K 436.

Digitized by Google

dein animal ferociens levi impressu freni regere iugo ligatum.

Quid autem poeta eo de quo disputamus loco libri O? Aiacis illius, cuius *robur* et *fortitudinem* cum alibi tum in hac carminis parte celebravit, quanta et *agilitas* fuisset, quoniam verbis pingere non poterat, imagine usus est ad eam significandam. Pastor, divitis alicuius viri minister, equos quatuor semiferos, quippe qui in latae planitiei libertate adoleverint μετὰ ῥήθεσι καὶ νομῷ ἵππων [1]), ex armento selectos vi et arte captavit lorisque inter se iunxit [2]), mox in quadrigarum aliquo cursu usurpandos; nam in certaminibus equestribus, ubi nullum ab hostibus erat periculum, tota igitur ars aurigae equis regendis impendi et horum numerus augeri impune poterat, etiam quaterni equi curribus iungebantur [3]). Iamque per viam, qua e pratis in urbem pervenitur, equos eos indomitos rapido cursu adigit in domini sui aedes, interim tempus terens per equorum dorsa saltando, equitandi incredibiliter peritum sic se ostendens viatoribus, qui anxii et admirantes secedunt. Equisones Hungaricos vel Mexicanos cogitemus oportet, si imaginem menti poetae obversatam et ipsi percipere velimus.

Sic igitur per navium tabulata tum cucurrit Aiax, saltu audaci intervalla navium identidem transmittens, ut illuc festinaret ubi maximum esset periculum:

ὡς ὅτ' ἀνὴρ ἵπποισι κελητίζειν ἐὺ εἰδώς,
ὅς τ' ἐπεὶ ἐκ πολέων πίσυρας συναείρεται ἵππους,
σεύας ἐκ πεδίοιο μέγα προτὶ ἄστυ δίηται
λαοφόρον καθ' ὁδόν, πολέες δέ τε θηήσαντο
ἀνέρες ἠδὲ γυναῖκες, — ὁ δ' ἔμπεδον ἀσφαλὲς αἰεὶ
θρῴσκων ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον ἀμείβεται, οἱ δὲ πέτονται, —
ὣς Αἴας ἐπὶ πολλὰ θοάων ἴκρια νηῶν
φοίτασε μακρὰ βιβάς.

Inter *atticae interpolationis* exempla manifesta referri solent quae de Erechtheo in utroque carmine leguntur. Quo iure eo

1) Cf. Z 511. Ingentia armenta, quorum Δ 500 Υ 221 alibi fit mentio, nemo intra stabulorum aliquorum angustias coacta sibi finget.

2) *Currus* nullam hic fieri mentionem, id dici vix opus.

3) Item Λ 699; cf. etiam ν 81. Praeterea meminimus equorum παρηόρων, quorum etiam in bello duobus locis Homericis fit mentio.

Digitized by Google

referantur videant alii [1]), ego satis nunc habeo pro viribus illos locos illustrasse; nam a multis parum recte intellegi mihi videntur. Sunt hi (B 546—552 et η 80 sq.):

οἳ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον, ἐὺ κτίμενον πτολίεθρον,
δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὃν ποτ' Ἀθήνη
θρέψε Διὸς θυγάτηρ, — τέκε δὲ ζείδωρος ἄρουρα, —
κὰδ δ' ἐν Ἀθήνῃσ' εἷσεν, ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ·
ἔνθα δέ μιν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖσ' ἱλάονται
κοῦροι Ἀθηναίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν·
τῶν αὖθ' ἡγεμόνευεν υἱὸς Πετεοῖο Μενεσθεύς.

et: *Minerva reliquit Scheriam,*

ἵκετο δ' εἰς Μαραθῶνα καὶ εὐρυάγυιαν Ἀθήνην,
δῦνε δ' Ἐρεχθῆος πυκινὸν δόμον.

His locis si quis *aedem* vetustam, *Erechtheum* aliquod praehistoricum, ei quod postea fuit subsimile, mente sibi fingit, fallitur. Non est ea, ut antehac demonstratum ivi, vocis νηοῦ apud poetam nostrum potestas, neque nunc eiusmodi quicquam ille cogitavit. Erechtheus, Atheniensium τῶν αὐτοχθόνων genitor, ex Terrae Matris gremio feraci natus, a Minerva urbis dea educatus est, quemadmodum Phaëthon a Venere in suo delubro est collocatus [2]). Eodem autem tendunt fabulae, apud Homerum non obviae, quae sunt de *Cecrope anguipede* et de *sacro serpente* arcis Atheniensium custode. Die festo Erechtheus ab Atheniensibus quotannis cultus fuisse nunc dicitur; nam ad *eum*, non ad *deam Minervam*, pronomen μιν referendum esse cum totus enuntiati decursus testatur tum genus masculinum hostiarum: *deabus* mactabantur vaccae et oves [3]).

Cuiusmodi vero νηόν Minervae cum Erechtheo communem poeta Iliadis dicat, docet verbum δύνειν Odysseae loco usurpatum. *Antrum Erechthei subterraneum*, quod fuit in Athenarum arce, sive *domum daemonis anguiformis* Minerva intrasse dicitur caelo lapsa, similis igitur stellae caducae, ut tum cum in mediam Troianorum aciem e caelo desiluit [4]). Sic *Apollo* intravit olim *antrum Delphicum*:

---

1) B 553—555 postmodo additi esse et mihi videntur, sed de his versibus non iam loquimur.

2) Hes. Theog. 990 sq.

3) Cf. Γ 103 sq. al.

4) Cf. Δ 75—79.

Digitized by Google

ἀστέρι ρειδόμενος μέσῳ ἤματι· τοῦ δ' ἀπὸ πολλαὶ
σπινθαρίδες ποτάοντο, σέλας δ' εἰς οὐρανὸν ἷκε·
εἰς δ' ἄδυτον κατέδυνε διὰ τριπόδων ἐριτίμων [1]).

Itaque Minervae πίονα νηόν intellegimus fuisse locum sacrum in arce Athenarum, antrum daemonis anguiformis includentem; quem *oliva*, arbore deae illi sacra, inumbratum fuisse satis certum videtur, nullum illo aevo habuisse *aedificium* ligneum vel lapideum, certissimum.

Γ 121. Versum initialem τῆς τειχοσκοπίας:

Ἶρις δ' αὖθ' Ἑλένῃ λευκωλένῳ ἄγγελος ἦλθε

fuere qui mirarentur, hoc enim uno loco Iridem nullo deo vel dea iubente nuntium sua sponte perferre; et sic infamiae aliquid facile cum huic versui tum ipsi Tichoscopiae adhaereat, quam pro carmine singulari multi habuerunt, nullo profecto, quod satis idoneum esset, argumento confisi ab Iliade alienum ducentes episodium cum venustissimum tum necessarium fere, certe utilissimum, quoniam poeta ipsam mulierem, quae belli ingentis causa fuit, oculis nostris admirantibus in eo exhibuit. Quod autem optimo sane iure est observatum, Helenae cum Priamo colloquium illud parum aptum fuisse nono belli anno, id ad nihil recidit postquam est perspectum ipsum belli exordium ab Iliadis poeta pingi. Et quod de Iride modo dicebamus, id hanc Iliadis partem cum vicinis artissime cohaerere testatur potius quam singulare hoc olim fuisse carmen. Nam quis Iridem misisset ideo nunc non dixit poeta quia pridem dixerat. Postquam deorum nuntia *Iovis iussu* adiit Priamum ut hostes appropinquare ei nuntiaret [2]), mox τῆς αὐτῆς ὁδοῦ adiit Paridis aedes vicinas, ut Helenam in moenia evocaret. Temporis quidem aliquid intercessit inter utrumque nuntium, sed id nihil nunc refert et a poeta suo iure est neglectum; nam quid egisset Iris dum copiae ab Hectore in pugnam ex urbe sunt eductae, id nemo, opinor, ex poeta audire unquam cupivit.

Ε 127—132. Minerva Diomedem ad strenue pugnandum postquam hortata est, addit:

1) H. Ap. 441—448; cf. I 404 sq. vel h. Merc. 246—251.
2) Cf. Β 786 sqq.

Digitized by Google

ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἔλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν,
ὄφρ' εὖ γιγνώσκῃς ἠμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα.
τῷ νῦν, αἴ κε θεὸς πειρώμενος ἐνθάδ' ἵκηται,
μή τι σύ γ' ἀθανάτοισι θεοῖσ' ἀντικρὺ μάχεσθαι
τοῖς ἄλλοισ'· ἀτὰρ εἴ κε Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη
ἔλθῃσ' εἰς πόλεμον, τήν γ' οὐτάμεν ὀξέϊ χαλκῷ.

Itaque heros, cui caelites cernendi facultas sic aliquantisper est tributa, immortales una Venere excepta aggredi vetitus, hanc mox hasta feriit Aeneae opitulatam, dein Venere fugata iterum

Αἰνείᾳ ἐπόρουσε,
γιγνώσκων ὅ τοι αὐτὸς ὑπείρεχε χεῖρας Ἀπόλλων [1]):

pugnae ardore stimulante *Aeneam iterum est adortus, licet videret eum ab ipso Apolline* — urbis praeside — *protegi*, non spretis igitur verbis Minervae, nam hominem petivit, non deum, frustra tamen, nam rettudit ei clipeum Apollo et recedere iussit. Itaque heros

ἀνεχάζετο τυτθὸν ὀπίσσω,
μῆνιν ἀλευάμενος ἑκατηβόλου Ἀπόλλωνος [2]).

Denuo tum ad eum accedens Minerva Martem ferire iussit et in illum deum irruenti comitem se adiunxit atque opitulata est: Venerem imbellem deam heros solus vincere potuerat, sed ad Belli deum superandum parum valebat sine deae λαοσσόου auxilio.

Graviter vulneratus Mars in Olympum aufugit, et sic robur Troianorum, qui illo deo duce superiores aliquantisper in praelio fuerant, egregie est debilitatum.

Iamque Venere et Marte e planitie Troiana abactis, Minerva abiit, et solis mortalibus res fuit permissa [3]). Sed Diomedes id nesciens cum mox Glauco, heroi fortissimo, corporis specie et armis aureis conspicuo, occursavisset, an hic quoque esset deorum aliquis dubitans et memor verborum Minervae ab immortalibus abstinere iubentis „*si quis*" ait „*es e caelitibus,*

σὺ κεν ἐγώ γε θεοῖσιν ἐπουρανίοισι μαχοίμην" [4]),

1) Cf. E 433.
2) Cf. E 443 sq.
3) Cf. Z 1. Rediit Minerva cum Paridem in pugnam reversum cum Hectore stragem Achivorum edere vidit (H 17—21); statim autem obviam ei tunc ivit Apollo.
4) Z 128 sq.

Digitized by Google

breviter sic locutus, nam magis sedata oratione in otio domestico utentis fuisset: *„si deus es, ⟨non aggrediar te, nam⟩ cum dis non sum pugnaturus"*.

Ultima haec Diomedis verba nisi ab iis, quibus libri E versus ei, quos supra excripsimus, sint cogniti, intellegi nequeunt, et ad ea illustranda prorsus sufficiunt quae olim annotavit Heyne: „Diomedis animo haec insidebant ex pugna cum Venere et Marte; aliis in mentem non venisset quaerere", *ῥήματι* hoc *βραχεῖ καὶ ξυνεστραμμένῳ* refutans crimina et ante et post eum saepe prolata ab iis qui perhibuerunt haec verba in ore Diomedis, qui modo Venerem et Martem vulnerasset, ferri non posse.

Dea postquam abiit, rediit heros ad pristinam pietatem, quae a caelitibus abstinere iubebat, ut et ipsa Minerva ei mandaverat [1]).

E 355. Locutio *μάχης ἐπ' ἀριστερά* in Iliade hoc loco primum obvia quid poetae valeat accurate definire operae pretium videtur, quoniam pugnarum narrationem haec locutio interdum turbare creditur. Est tamen haudquaquam obscura, neque unquam neglegenter ea usus est poeta, sed ita semper ut luculenter appareat ei certam aliquam ante mentis oculos versatam esse imaginem loci ubi Achivos cum Troianis dimicantes verbis pinxit. De qua imagine conferantur velim quae anno proximo in hac bibliotheca scripsi [2]). Singuli autem loci sunt considerandi, et ita quidem considerandi ut habeatur ratio personae loquentis. Dixerit quispiam minime opus esse rem tam simplicem et apertam disertis verbis hic enuntiari, sed expertus scio neglectam hanc observationem haud exiguorum errorum causam extitisse. Videbimus autem *μάχης ἀριστερά* dici semper quae geruntur in ea campi parte quae *Scamandro* est *vicina*.

De rebus scenicis qui loquuntur, cum a parte dextra vel sinistra aliquid fieri vel cerni dicunt, *spectatorum*, non *actorum*, qui his obversi sunt, rationem habere solent. Iliadis vero poeta, in cuius mente vivunt et moventur quaecunque narrat, iis quos loquentes et agentes inducit ipse adstare sibi videtur et cum iis oculos in hostes convertere, actor idem et spectator. Itaque

1) Cf. et E 815—824.
2) Cf. Mnem. 1910 p. 366—368.

Digitized by Google

cum castra Achivorum petuntur, ipse, ut Troiani, castra ea habet ante oculos; a *sinistra* igitur ei est flumen, obversum autem ab ea parte est castrorum illud cornu, quod *dextrum* est dicendum si Achivorum habetur ratio, sive cornu illud quod obtinuit Aiax. Achilles autem et Myrmidones, qui in altero castrorum cornu naves et tabernacula habebant, longius quam ceteri a flumine fuere remoti; et quoniam praesertim prope flumen pugna aestuavit, facile sic intellegitur qui sit factum ut Achilles res quae fiebant eminus tantum animadverterit tum quoque cum in proxima castrorum vicinia est dimicatum.

Quae autem diximus, valere de iis quos excripturi sumus locis, statim inspicientibus apparebit, plura igitur de iis observari non est opus:

Λ 497 sq.: οὐδέ πω Ἕκτωρ
'πεύθετ', ἐπεί ῥα μάχης ἐπ' ἀριστερὰ 'μάρνατο πάσης.

M 118: *Asius* hasta Idomenei confossus est,
'ῥίσατο γὰρ νηῶν ἐπ' ἀριστερά.

N 674 sq.: *Hector* dum prope medias Achivorum naves pugnat, non animadvertit
ὅττι ῥά τοι νηῶν ἐπ' ἀριστερὰ 'δηϊόοντο
λαοὶ ὑπ' Ἀργείων

sive *laborare sinistrum sui exercitus cornu*, quod insectabantur Idomeneus aliique duces.

N 765: *Hector* in praelium et Achivorum vallum suos cogens Paridem
ηὗρε μάχης ἐπ' ἀριστερὰ δακρυόεσσης.

His igitur locis similis est is unde profecti sumus; ibi enim Venus, quae stat *a parte Troianorum*, postquam a Diomede vulnerata, dein ab Iride e pugnae tumultu abducta est,
ηὗρεν ἔπειτα μάχης ἐπ' ἀριστερὰ θοῦρον Ἄρηα
ἥμενον· ἠερὶ δ' ἔγχος ἐκέκλιτο καὶ ταχέ' ἵππω.

Adiit Martem prope flumen Scamandrum sedentem [1]), qui hastam nubi acclinaverat, — *solidas* enim nubes sibi fingit poeta [2]), — bigas ibi pasci interim sinens [3]), ut mox Iuno [4]).

1) Cf. vs. 36.
2) Cf. E 749—751 Υ 150, 446 al.
3) Per zeugmatis figuram verbum κλίνεσθαι etiam ad *equos* refertur.
4) Cf. vs. 774—777.

Digitized by Google

Alia, minime tamen contraria, est ratio versuum P 116 et 682, non enim de *Troianorum* ducibus ibi fit sermo, sed de *Menelao*. Hic autem illis locis *respicit* versus naves, a manu igitur sinistra habet flumen:

'στῆ δὲ μεταστρεφθείς, ἐπεὶ ἵκετο ϝέθνος ἑταίρων,
παπταίνων Αἴαντα μέγαν, Τελαμώνιον υἱόν.
τὸν δὲ μάλ' αἶψ' ἐνόησε μάχης ἐπ' ἀριστερὰ πάσης.

et: *ex acie abiit Menelaus, et aciem Achivorum dum oculis lustrat, Antilochum quem quaerit*

μάλ' αἶψ' ἐνόησε μάχης ἐπ' ἀριστερὰ πάσης.

Etiam alia ratio est versuum N 308 sq. et 326, ubi Meriones et Idomeneus *de exercitu hostili* sibi opposito loquuntur. Rogat Meriones, Idomenei comes:

Δευκαλίδη, πῇ τ' ἂρ μέμονας καταδύμεν' ὅμιλον;
ἢ ἐπὶ δεξιόφιν παντὸς στρατοῦ ἢ ἀνὰ μέσσους;
ἢ ἐπ' ἀριστερόφιν;

mediumne hostium agmen invasurus es, an dextrum eorum cornu, an sinistrum (Scamandro vicinum)? Cui Idomeneus respondet: *mediam castrorum partem alii tuebuntur,*

νῶϊν δ' ὧδ' ἐπ' ἀριστέρ' ἔχε στρατοῦ,

tu vero sinistrum hostium cornu pete. De *dextro* hostium cornu tacet [1]), quia ab ea parte minus erat periculi; ibi enim *Achilles* naves et tabernacula habebat; qui licet pugnae non iam esset particeps, sat cito tamen Troianos repulsurus erat si castrorum partem eam, quam ipse obtinebat, adorirentur [2]), neque quisquam dubitabat quin posset repellere. Et *hanc* ipsam ob causam poeta identidem narravit a Scamandri potissimum parte pugnatum esse.

Denique versus quidam bis obvius hic commemorandus est, licet a quaestione in qua versamur sit alienus, ubi Troianorum exercitum aquila praetervolans ἐπ' ἀριστερὰ ἐϝέργειν dicitur [3]). Illic ἐϝέργειν verbum eo sensu est adhibitum quo apud Herodotum Xerxis copiae, montem vel regionem aliquam dum praetervehuntur, ἐν ἀριστερῇ vel ἐν δεξιῇ ἀπέργειν dicuntur haud

1) Est ea pars exercitus Troiani quae πρὸς ἁλός excubare dicitur K 428; ἐσχατίη πολέμοιο idem locus audit Υ 328 sq.

2) Cf. I 650—655.

3) Cf. M 201 = 219.

Digitized by Google

uno loco [1]). Aquila, quae *ab oriente* veniens, ut omina quaelibet [2]), frontem aciei Troianorum *septentrionem* spectantium *sinistrorsum* praetervolat, milites habet a parte sinistra. Hoc igitur loco ἐπ' ἀριστερά *aquilae* ratione habita dicitur, non Troianorum.

E 576—579. Paucis verbis defungi licet de his versibus. Occiditur hoc loco Pylaemenes is, qui N 658 etiam inter vivos commemoratur. Hanc molestiam Zenodotus removere conatus est coniectura inepta, nam altero loco pro nomine Πυλαιμένεος sive *eius* qui *in porta hostes manet* = *urbem defendit* substituebat quod nihil est Κυλαιμένεος. Aristarchus *homonymos* viros duos ab Homero commemoratos esse sibi persuasit, et ut hanc rem, quae veri est dissimillima, credibilem certe redderet, cuncta nomina homonyma per totum Homerum sedulo enotabat. Nemo est hodie qui Aristarcho adstipuletur: discrepare alterum versum ab altero inter omnes constat; itaque aut versus N 658 sq. postmodo insertos esse — quod facile potuit fieri — sumendum est, aut ipsum poetam illic memoria esse lapsum, id quod minime inauditae fuit socordiae. „In *Esmond*, Thackeray makes similar errors" (A. Lang), et e Shakespearii Goethii Schilleri aliorum poetarum operibus nihilo leviores errores prolati sunt a Carolo Rothio, Othone Jaegero, aliis.

Nullum igitur, quod aliquam persuasionem habeat, hinc peti potest argumentum ab iis quibus Ilias e variorum carminum fragmentis consarcinata videtur. Neque plus valet Adrastus post mortem [3]) iterum a Diomede occisus [4]), tertium a Patroclo [5]). Nam hic revera utendum videtur ea quam modo commemoravimus doctrina Aristarchi: pro homonymis hos homines habuisse videtur poeta Iliadis.

(*Continuabuntur*).

1) Cf. Herodot. VII 43, 110, 112 VIII 35, nec non apud Homerum B 617, 845 Ω 544.

2) Nam sic interpretandi videntur M 238—240.

3) Cf. Z 63.

4) Cf. Λ 333.

5) Cf. Π 694.

Digitized by Google

DE TIBULLO POETÁ.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Qui nuper docta sane et copiosa disputatione demonstravit Tibullum iniuria semper visum esse amorum cantorem praestantissimum, F. Iacobyus professor Kieloniensis, is cum omnino fundamentis a se iactis — et sunt ea solidissima vastissimaque — satis confidere videatur, semel, nisi me legentem fefellit opinio, haud leviter dubitare incipit, ideoque rem, unde dubitatio illa nascitur, obiter tantummodo attingit et quam primum ad alia omnia transit. Sed tota illa disputatio qualis sit primum videndum. Legitur in Musei Rhenani vol. 64 et 65, impletque paginas 86, et novimus paginas illas constipatis literis: si eas ad mensuram editionis alicuius pervulgatae referimus, dici potest vir clarissimus de singulis poetae versibus plus quaternarum paginarum conscripsisse commentarium. En eximiam doctrinam summaque dignam admiratione! Sed quis non sponte intelligit quantae molis fuerit de suo laudis fastigio poetam depellere quem tot saecula amassent maximique fecissent, et ad abiectissimam illam detrudere hominum nationem, qui de ea re quam neque norint neque senserint unquam e variis atque undique collectis laciniis canoras conflent nugas? Et quid de Tibullo nos iudicemus, si verum est quod docet Iacobyus eum modo Horatium, modo Propertium imitatum, carmen scribere coepisse de vitae rusticae felicitate, sed in medio labore illo subito intellexisse, cum ex distichis illud esset compositum, utique aliquid esse inserendum de amore, ut iusta nasceretur elegia,

Digitized by Google

qualem postularet librorum de arte poetica caput eo pertinens; cumque poetae Romani nullum alium amorem notum haberent quam eum quem nova Graecorum comoedia in scenam introduxisset, ideo Tibullum laudibus illis vitae simplicis, qualis fuit hominum qui Saturno regnante vixerunt, addidisse versiculos quibus nobis ante oculos ponitur adolescentulus aliquis Menandreus, quem mulierculae levissimae amor variis modis vexat et ad omne nocturnorum impellit genus proeliorum. Sed nolo cum docto illo Hercule inire certamen; sentio enim quam infirmus meus sit clipeus et quam brevis gladius. Tantummodo submissa voce plenusque timoris et dubitationis hanc pronuntio coniecturam: esse quasdam res quas satius sit omnino non tangere quam nimis solida ponderosaque obruere atque prosternere doctrina. Esto: Iacobyo iudice e prima Tibulli elegia luce clarius apparet quid esset canere amorem neque scivisse Tibullum neque curasse. Suum amorem, nam mirum aliquid et Tibullo evenit et severo qui eum condemnavit iudici .... fecit enim (et quin fecerit neque ego dubito neque dubitat Iacobyus) Tibullus quinque elegiolas paulo plus centum continentes versus, sed in quibus omnia insunt quae in arte elegiaca splendent nitentque. Nihil unquam apud ullum cantatum est populum quod illis praestet: tam penitus sentit poeta ipsam rem de qua agitur, tantam in promptu habet lepidissimorum copiam ornamentorum quibus eam legentibus commendet. Heinius, ubi in editione sua ad eas pervenit, continere se non potest quin exclamet sermone illo elegantissimo, quo tunc viri docti apud Germanos uti et poterant et solebant:

„sequuntur carmina ad meum sensum mellitissima et venustissima ex tota antiquitate Romana" e. q. s.

neque minus est honorificum testimonium quod iis sermone suo patrio dat Baehrensius, qui inter eos, qui elegiacis Romanis operam dederunt, semper primarium tenebit locum: quamvis enim multa protulerit quae nemini mortalium possint placere

πολλοῖσιν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθεῖται ψόγον.

Haec enim eius sunt verba: „es muss ein Dichter ersten Ranges gewesen sein, der diese *anmuthigsten Perlen* römischer Poesie uns geliefert hat".

Atque elegiolae illae, quae suos sibi habebunt admiratores, quamdiu in honore literae erunt, elegiolae in quibus haud facile

Digitized by Google

dicas arsne maior sit an veritas, *amorem* habent argumentum, non ipsius poetae, sed Sulpiciae cuiusdam et Cerinthi, Graeculi venusti; sed sive poeta Sulpiciam inducit loquentem sive ipse suis verbis amorem eius cantat, omnia semper vitae, semper ardoris plena sunt sinceri. Profecto difficile dictu est in natura rerum, earum praesertim quae ad mentem humanam pertinent

quid possit oriri
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens

sed hoc equidem confidenter pronuntiaverim tale hominis monstrum exstare nunquam potuisse, qui quamdiu alienos cantet amores omnes omnium saeculorum poetas aut vincat aut certe aequiparet, sed simulatque proprios affectus ad elegias referre incipiat adolescentulus fiat ineptissimus, qui Orbilii sui locos teneat in promptuque habeat sed adeo omnis sit iudicii venustatisque expers ut ne illos quidem ipsos apte possit disponere. Non enim hoc aliquis hic possit uti perfugio ut alii alia aetati poetae adscribat carmina: iuvenem enim vix triginta annorum obiisse Tibullum e Marsi constat verbis [1]):

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios

et, nisi constaret, tamen hae elegiolae, quamvis sint perfecti et consummati poetae, tamen iuvenilem prae se ferunt ardorem, auctoremque produnt eius aetatis cuius fuit Tibullus cum librum, qui in editionibus primus est, ederet in lucem, secundum aut ederet aut componeret.

Non ergo sine causa Baehrensius de elegiolarum nostrarum poeta haec pronuntiat:

„Gruppe zweifelte nicht daran dass sie von Tibull's Meisterhand stammen. Allein die Darstellung ist zu ruhig, zu objectiv und streng an die Sache sich haltend als dass man dem stets subjectiven, stets abschweifenden und von einander wiederstrebenden Gefühlen hin und her geworfenen Tibull so etwas zutrauen könnte".

In quo ingeniosissimi critici iudicio haud pauca insunt quae lubenter mea facio. Egregie hic veri Tibulli vera describitur

1) V. Cartaltium Introd. c. 1.

Digitized by Google

indoles. Dicebam me impugnare nolle editam illam firmissimeque munitam stupendae doctrinae arcem quam Iacobyus exstruxit, neque contra eius copias undique ferratas misellam Tibulli elegiam primam defendere ausim. Neque enim quid sibi ea componenda poeta voluisset unquam bene intellexi, neque nunc intelligo. Sed iusto iniquius propter unam elegiam de toto poetae opere Iacobyum statuisse mihi pro certo constat. Ego, si mihi demonstrandum est, quid inter Romanos intersit elegiacos, hisce uti soleo formulis: Ovidius per totam vitam lascivus fuit adolescentulus, qui „quae bene cederent nesciret relinquere" [1]); et nimis bene ei cedebant omnia; ergo, ne tristissimas quidem res tractans serius esse potest sed ludibrio habet et semet ipsum et argumentum suum et vel maxime legentes. Propertius quod semel arripuit argumentum ei totum se dedit ardentissimoque id amplexatur amore; ut est fervido vehementique ingenio ita quaecunque ei in mentem veniunt imagines atque ornamenta poetica — et est eorum ingens numerus — profundit, non omnem quidem negligens ordinem sed ita tamen ut intelligere eum is tantummodo possit qui se in eius insinuaverit familiaritatem .... ergoque eum habeat in deliciis. At Tibullus somniantis instar ab alia specie et cogitatione ad aliam delabitur, cognatam quidem priori sed tamen leviter ab ea discrepantem, donec tandem eo rem deduxerit ut non minus quam qui carmen eius legit unde illud fecerit initium oblitus esse videatur. Vides meum de Tibullo iudicium mire cum Baehrensiano illo concinere. Quod ne de nihilo fictum videatur *unam* eius hic percurram elegiam; qua si ut totam poetae indolem in clara ponam luce mihi contigerit, aequior mihi fuisse videbor iudex quam qui una elegia usus eum turpi condemnavit iudicio. Sumam libri primi tertiam, quae mihi semper visa est ceteris omnibus praestare.

Cohorti praetoriae adscriptum se et cum Messalla ad bellum profectum poeta, in insula Corcyra, ubi in morbum sit implicitus, relictum conqueritur. De morbo illo lamentatur, qui quin sibi sit futurus funestus non dubitat; Isidem invocat quam sua Delia semper tam pie coluerit; „at ego" ait „a patriis potius

1) Sen. Rh. IX, 5.

Digitized by Google

diis opem petam: o quam felices erant antiqui homines Saturno regnante; tum nulla navis mare sulcabat; at nunc mihi in remota insula est moriendum; — iam paratum poeta habet titulum suum sepulcralem —; una res me solatur quod mihi, fideli Amoris cultori, in campis Elysiis certum est paratum domicilium; est et scelerata quaedam sedes apud inferos: eo deveniunt quicunque Amorem laeserunt; ergo, Delia, etiam atque etiam te moneo casta maneas fidelisque". Iuvat ultimos elegiae exscribere versus, ne referendum mihi eorum sit argumentum, quod nemo mortalium suis invertere possit verbis quin turpiter corrumpat:

At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colu,
At circa gravibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittat opus.
Tum veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar caelo missus adesse tibi:
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

Atque ex animi sententia tecum hoc, Albi, precamur, candidum pectus! Nam amamus te et ingenium tuum admiramur; verum, heus tu, morbus iste quorsum abiit, quorsum Phaeacum insula, quorsum tu ipse Messallae comes? In nubium, ut opinor, rempublicam avium cantu personantem amoenissimo.

Baehrensianae editionis exemplari, quo uti soleo, elegiarum Tibulli omnium praemisi brevem conspectum quem ad usum meum composui; quem cum conscripsissem totius rei hanc quodammodo summam feci:

Quae nova sint vere fers, Albi, pauca, sed illa
Lumine quam claro quam proprioque nitent!
Tam lepideque tuas calles adiungere gemmas
Antiquae gazae, fiat ut *omne* novum.

Non, hercle, ego negaverim saepe admodum esse difficile poetam nostrum per inflexas suas tortuosasque comitari semitas, ut

Digitized by Google

mirandum non sit identidem viros doctos ad omne transpositionum confugisse genus. Minus etiam negare ausim saepe nos ad desperationem adigi doctrina illa antiquaria qua legentes obruit poeta; istam vero Phoebi laudationem (II, 5) qui enucleaverit „virum putabo", qui ullo modo laudare voluerit „hominem non putabo". Sed multo lubentius declaro Tibullum legenti mihi verum poetam stare ante oculos, qui multis egregiisque virtutibus vitia compenset in carminum dispositione praesertim conspicua. *Gemmas* vero illas, quas dicebam, quo magis agnoscamus, unam etiam percupram elegiam, libri II sextam, quae illarum continet splendidissimam.

„Malbrouck s'en va-t-en guerre". Immo vero: „castra Macer sequitur. Sed huc quoque eum Amor comitabitur; aut si militibus Amor parcit, ego quoque do nomen militiae. Nam et ego fortis sum, sed me clausae puellae fores frangunt debilitantque. O quam miser ego sum; mori vellem nisi Spes me sustentaret — sequitur illius deae praestantissima laudatio sex versus implens — illa mihi promittit Nemesim mihi lenem fore facilemque. Parce mihi, Nemesis, hoc te obsecro per dulcissimae sororculae memoriam ...." Hic inseritur immortale illud episodium de puellula illa saeva morte rapta, quod totum exscribam ne quidquam praeclari artificii pereat:

Parce, per immatura tuae precor ossa sororis:
Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro
Et madefacta meis serta feram lacrimis;
Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo
Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem:
Illius ut verbis, sis mihi lenta veto,
Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
Maestaque sopitae stet soror ante torum,
Qualis ab excelsa praeceps delapsa fenestra
Venit ad infernos sanguinolenta lacus.

„Sed contineo me, ne tristis fiat mea Nemisis, et tristem eam esse nolo, non ita de me est merita; non enim ipsa me tam reddidit miserum, ipsa insons est; malorum omnium sola lena causa est; haec me oppugnat, haec efficit ut anxius identidem memetipsum rogem

Digitized by Google

Quisve meam teneat, quot teneatve modis.
Tunc tibi, lena, precor diras: satis anxia vives [1])
Moverit e votis pars quotacunque deos."

Atque haec tam variis abundans ornamentis elegia non plus viginti septem implet disticha. Ecquid iure de gemmis dixi efficientibus ut totum quodammode novum existeret carmen? Esto, habemus poetam duorum librorum, in quibus tam multa deprehendimus admiramurque praeclara ut si quid minus placet — dummodo ne nimis doctrinam nostram grammaticam amemus — nosmet ipsos quam poetam accusare malimus. Quid vero si eiusdem esse sumpserimus quinque elegiolas, a libris illis satis diversas, sed in suo genere tam praeclaras ut nulla eos digne sit laudatura aetas? Nonne revera *magnum* nacti erimus poetam, quem numquam nobis eripi simus passuri, etiamsi omnes nostri saeculi coniurent Cratetes Zenodotique eique admoveant rationes illas quas unice veras esse pronuntiaverint qui nunc regii sunt philologi? Et quidni sumamus? Tamquam Tibulli nobis sunt traditae — hoc, per se spectatum, leve est, nam Tibulli nomen prae se ferunt etiam ineptae illae *Lygdami* elegiae et puerilis iste *Panegyricus Messalae*, sed accedit aliquid quod codicibus egregium addat praesidium: de Sulpicia quadam agitur, muliere nobili, quae in tutela est Messalae, quo patrono utebatur Tibullus, et tantum non certum est illum Messalam fuisse Sulpiciae avunculum. Nonne obstinatae sit iniquitatis contendere etiam ut praeclaro hoc titulo Tibullum nostrum spoliemus? Nonne Baehrensius propter discrepantiam quae inter libros et elegiolas intersit illas librorum auctori abiudicans sibi arrogat quod non suae sit dicionis? Rideremus eum si contenderet non unius esse hominis bene Graece et bene Latine scrire; quanto maiore eum rideamus iure definientem quid poeta possit, quid non possit? Sed quid hic Baehrensium impugno? [2]) Nostrae

1) Sic legendum censeo, *vives*, non *vivas*; futurum requirit et syntaxis et sententia: non in votum sed in rei ex votis nasciturae demonstrationem exire hic locus debet; denique *satis* recte cum futuro, male cum coniunctivo iungitur. Quodsi quis dicat *vivas* hic esse ζώῃς ἄν, is me adiuvet, non refellat. Cur enim poeta elegerit id quod ambiguum esset, reliquerit quod disertum?

2) Olim plerumque elegiolae nostrae Tibullo abiudicabantur, certe Tibulli eas esse negarunt Brouckhusius et Heinius. Praeclara, profecto, nomina, sed me Cartaltii rationes magis movent.

Digitized by Google

aetatis viri docti, quorum summa iam est auctoritas, Cartaltium dico Iacobyumque, quin elegiolae nostrae Tibulli sint non dubitant. Ad hos ergo provoco donec exstiterit qui ad Baehrensii redire malit rationes.

Profecto magnus poeta fuit Tibullus, sed nobis, sero natae posteritati, talem se in elegiolis multo magis quam in libris exhibet. Has ergo paulo accuratius aspiciamus; sic fortasse in clariore etiam luce eius ponere virtutes poterimus, certe aptam ea res nobis praebebit facultatem de uno alteroque versu nostrae proferendae sententiae.

Prima ergo elegiola poeta Sulpiciae describit veneres, contemplari se eam fingens dum Kalendis Martiis rem facit divinam. Et primis quidem versibus Martem ipsum ad eam advocat, suntque illi versus mirae festivitatis, ibi *tenerorum* lusor amorum terribilem belli deum ludibrio habet:

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars *magne*, Kalendis:
Spectatum e caelo, *si sapis*, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet: at tu, violente, caveto
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.

In quibus illud *si sapis* parum accurate Heinius sic explicat: „si iudicium et sensum elegantiae habes". Nam inest quidem illud his verbis, sed potius subest; quod aperte poeta dicit hoc est: „nisi mavis tua culpa carere spectaculo quo nullum tibi unquam pulchrius est oblatum". Sic proprius illud *si sapis* accedit ad usitatam hanc formulae significationem, ut quem sic alloqueris periculi alicuius vitandi admoneas; eleganter simul et accurate Wunderlichius ad Catulli versum 35, 7:

Quare, si sapiet, viam vorabit

annotat: „si rebus suis satis prospiciet".

Ne quis autem versu 3, de prosodia nimis sollicitus, *sed* legat pro *at*, concessa licentia poetam usum moneo ut ingratum vitaret sonum ignoss*cet sed*.

Tum (omitto distichon quod in hac causa minoris est momenti) sic puellae veneres poeta laudat:

Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim subsequiturque Decor.
Seu solvit crines, fusis decet esset capillis:

Digitized by Google

Seu compsit, comptis est veneranda comis.
Urit, seu Tyria voluit procedere palla;
Urit seu nivea candida veste venit.

Haud equidem mirer si quis, ne Tibullum elegiolarum nostrarum poetam faciat, Ovidio eas ascribat. De eo etiam Baehrensius cogitasse videtur cum haec scriberet:

„Im Kreise Messalla's verkehrten doch nicht blosz solche Dilettanten, wie wir sie in Lygdamus, dem Verfasser des Panegyricus, des Culex u. s. w. kennen! Zu demselben gehörten doch auch wahre Dichter wie Ovid und andere".

Nam quod addit:

„Ja, wer will uns verbürgen, dass nich Messalla selbst die Liebe seiner Nichte poëtisch zu verklären unternahm?"

ludere vir praestantissimus videtur.

Certe sex hi versiculi quodammodo colorem quendam habent Ovidianum; sed quam verecunde se intra iustos continet terminos noster. Ovidius vix viginti hic contentus fuisset versibus.

Est et alius poeta, cuius hic recordamur, Propertius. Cui enim non illa *seu — seu* in mentem vocant distichon notissimum:

Seu quidquid fecit, sive est quodcunque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia?

Sed nunc quoque uterque poeta est qualis esse solet: vehementior ardentiorque Propertius, lenior placidiorque Tibullus.

Talem ergo puellam dignam poeta clamat rebus quas orbis terrarum fert pretiosissimis. Has quoque sex enumerat versibus (15—20), tum quod quatuor versuum invocatione carmen inchoavit, quatuor versuum invocatione claudit (21—24). Nulla unquam elegia aptius elegantiusque fuit composita. Lubet rem in tabula proponere:

Invocatio ad Martem	II disticha
transitorium distichon	I
Sulpiciae veneres describuntur	III distichis
vs. 13 sq. transitorium distichon	I
Dona Sulpiciae offerenda describuntur	III distichis
Clauditur carmen Musarum et Apollinis invocatione	II disticha implente.

De hac pauca etiam dicenda restant:

Digitized by Google

21 Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis,
Et testudinea Phoebe superbe lyra.
Hoc sollemne sacrum multos *haec sumet* in annos:
Dignior est vestro nulla puella choro.

vs. 23 *haec sumet* edidit Baehrensius, sed sensit utique coniunctivo opus esse, nam coniecit *haec visat*, quod nemo, ut opinor, probabit. Quanto rectius codicis Guelferbytani manus secunda *sumat* praebet! Sed ne hoc quidem Tibullus scribere potuit; non enim tolerandum videtur istud „*hoc* sacrum *haec* sumat". Intellexit hoc, ut opinor, Scaliger qui *consummet* legi iubet. Sed huic verbo nullus hic locus est; requiritur verbum quod, ut ita dicam, nullum proprium habeat colorem, sed rem quam simplicissime significet. Praestantissima ergo est lectio quam „Itali" non excogitasse sed servasse videntur: *celebretur*. Vide quam egregie nunc egregiae elegiae decurrat clausula:

Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis,
Et testudinea, Phoebe superbe, lyra.
Hoc sollemne sacrum multos *celebretur* in annos:
Dignior est *vestro* nulla puella choro.

Nonne suavissime, et ad sensum aptissime, pronomina variantur, interiecto verbo in passivo?

Et quale futurum totum hoc corpusculum eroticum promittit praefatio, quam iam percucurrimus, talem se praebet, uberius promissis etiam, statim quae prima sequitur elegiola: venustissima est facetissimaque. Hic autem non Sulpiciam poeta laudat sed ipsam loquentem inducit: anxia est sollicitaque, nam venatum profectus est Cerinthus. Iam primi quatuor versus rem nos docent quam mox in usum nostrum possimus convertere. Certe tam lepidi sunt ut me quin exscribam non possim continere:

Parce meo iuveni, seu quis bona pascua campi
Seu colis umbrosi devia montis aper,
Nec tibi sit duros acuisse in praelia dentes:
Incolumem custos hunc mihi servet Amor.

Parce meo iuveni: nonne et e tribus hisce vocabulis et e toto huius loci colore, qui materculam deceat dilecto timentem filiolo, *maturam* agnoscis virginem de adolescentulo, vixdum pueritiam egresso, sollicitam? Sequuntur haec:

Digitized by Google

5 Sed procul abducit venandi Delia cura:
O pereant silvae, deficiantque canes!
Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
Claudentem teneras laedere velle manus?

Hic ego versu 5 semper suspicor non *sed* legendum esse verum *nam*. Quod fortasse non necessarium, dummodo recordemur post enuntiatum *negativum* semper *sed* vernacule ita esse vertendum tamquam si *nam* legeretur. Tamen ad meam me coniecturam statim reducit initium loci quem poeta subiicit:

Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram,
Ipsa ego velocis quaeram vestigia cervi
Et demam celeri ferrea vincla cani.

Eadem enim particula tam brevi spatio repetita maculam quandam aspergit tantae venustati, levem quidem sed tamen maculam.

Additque haec quae quam maxime quam sibi tum sit grata futura venatio significent:

Tunc mihi, tunc placeant silvae, si lux mea, tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas.

Totum hoc ἀπροσδόκητον, haud nego, Ovidiani aliquid habet. In mentem mihi certe hic noti illi versus veniunt, qui et ipsi rem modo commemoratam quodammodo in contrarium vertunt:

Quoque loco tecum fuerim quotiesque, Cupassi,
Narrabo dominae quotque quibusque locis.

Sed tamen in illo quoque adhibendo flosculo quanto verecundior Tibullus, quantoque sincerior! Et quam egregie Sulpicia hoc utitur artificio ut sui erga fidelem virginem officii admoneat puerum, iam levem fortasse:

Tunc veniat licet ad casses, illaesus abibit,
Ne Veneris cupidae gaudia turbet, aper.
Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianae,
Caste puer, casta retia tange manu;
Et quaecunque meo furtim subrepit amori,
Incidat in saevas diripienda feras.

Habent haec quoque colorem Ovidianum; sed Ovidius hic quantopere indulsisset ingenio suo (cogita modo de Cephalo et Procride in Metamorphosesin), quantoque ipsa brevitate disertior Tibullus!

Digitized by Google

Fere totam iam aureolam exscripsi elegiam. Duo tantum supersunt versiculi quibus egregie clauditur:

At tu venandi studium concede parenti
Et celer in nostros ipse recurre sinus.

Hic quoque agnoscimus adolescentulum qui nondum sui sit iuris, immo vero vix robustus satis ut identidem patrem venantem comitari ei liceat. Et, quod simul nos docet totam hanc narratiunculam de Sulpiciae Cerinthique amore non de nihilo fictam sed ex ipsa vita sumptam, videmus Graeculum illum obscuriore loco natum, qui patrem habeat venando quaerentem victum.

Longe aliud est tertiae elegiolae argumentum: aegrotat Sulpicia. Hoc ornamento nullus liber de amore carere potest, sed vide quanta in communi quoque illo atque adeo decantato loco sit praestantissimi poetae ars. Non amatorem inducit querentem de periculo ambobus imminente sed ipse pro iis medicae artis deum invocat. Iam quantum illud sit periculum apparet e repetitione quam primum exhibet distichon:

Huc ades et tenerae morbos expelle puellae
Huc ades, intonsa Phoebe superbe coma.

Et tamquam si nondum sufficiat illa, obtestandi adiicit formulam

Crede mihi, propera

i. e. noli putare me ante tempus metuere: festinatione opus est. Quoque magis deum permoveat, eum admonet honoris, quem nunc possit obtinere:

nec te iam, Phoebe, pigebit
Formosae medicas applicuisse manus.

Memor hic, si recte video, poeta est locorum apud alios poetas (non enim apud Lucilium solum illud olim lectum fuisse suspicor), ubi Apollo se *pulchrum* quidem dici sed neque diis neque hominibus venerabilem videri queritur. Plura sunt in hac elegia quae eodem tendere videntur, et fortasse ad hanc lucem mox locum quendam corruptum sanare poterimus.

Tum quid Apollini sit faciendum sic describitur:

Effice ne macies pallentes occupet artus
Neu notet informis pallida membra color.
Et quodcunque mali est et quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis evehat amnis aquis.

Digitized by Google

Sancte, veni, tecumque feras, quicunque sapores
Quicunque et cantus corpora fessa levant.

vs. 5 sq. *pallentes .... pallida.* Tam ineptam repetitionem ab egregio profectam credamus poeta? Non credidit Baehrensius, neque credit Cartaltius, sed hic tamen accipere non audet quod offerunt *οἱ στιγματίαι*, quamquam unice verum illud est: *candida.* In praecedentibus egregie dicitur „effice ne macies pallentes occupet artus" i. e. effice ne tabescat pallescatque Sulpicia; sed in enuntiato „neu notet informis .... membra color" substantivum *membra* epitheton requirit quod *oppositum* sit illi quo substantivum *color* ornatur. Nullum autem aptius quam *candida* illud „Italorum". *Candida membra* formosae sunt virginis integrisque florentis viribus corporis.

Versu 8 quantocius recipiatur Heinsii emendatio *devehat.* Non enim, ut opinor, *fluvii* est *evehere* sed *venti* quidquid leve est in montium tollentis cacumina.

Propter Cerinthum se haec precari sic poeta declarat:

Neu iuvenem torque, metuit qui fata puellae
Votaque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vovet, interdum quod langueat illa
Dicit in aeternos aspera verba deos.

Sed subito ad ipsum conversus Cerinthum sic pergit:

15 Pone metum Cerinthe: deus non laedit amantes
Tu modo semper ama: salva puella tibi est.
21 Nil opus est fletu: lacrimis erit aptius uti
Si quando fuerit tristior illa tibi.
17 At nunc tota tua est, te solum candida secum
Cogitat, et frustra credula turba sedet.

Hanc versuum transpositionem, quam numeris additis significavi, nemo nostri temporis editorum tam tenax est traditi quin lubenter ab „Italis" recipiat. Tam multa tamque egregia illi nobis viri iam donaverunt ut satis mirari non possim cur hodierni philologi saepe etiam lenissimas eorum emendationes tam anxie vitent. Quod, quaeso, est istud periculum? An verum esse desiit quod innumeris excussis codicibus pronuntiavit Baehrensius (Tib. Praef. p. IX):

„sane haud raro *praeclara opera* corruptelas antiquas sustulerunt"?

Digitized by Google

Haud, ut opinor, magnum capiet respublica nostra detrimentum etiamsi iusto saepius erimus obsecuti talibus viris, quorum *praeclara* interdum enituit opera! Sed de ipsis versibus videamus. Haud dissimilis hic nobis Cerinthus depingitur Protesilai Ovidiani, de quo sua Laodamia haec exclamat:

Bella gerant alii, Protesilaus amat.

Hic, si fieri potest, festivior etiam Ovidius quam Tibullus. Certe admodum utilis hic locus est ad demonstrandum etiam in simillimis adhibendis ornamentis quantopere hi poetae inter se discrepent. Quod ideo toties moneo quia semper metuo ne quando Baehrensiana illa suspicio, de qua supra dixi, renascatur. Sed multo maius hoc videtur periculum ne aliquando aliquis nobis obtrudatur imitator Ovidii, qui hasce elegiolas confinxerit. Nobis iam constat harum poetam Ovidio parem et tamen ab eo admodum diversum fuisse. Sed nusquam clarius quam hic apparet quanto ille artificio sibi transitum ad nova argumenta parare soleat. Velut hic aptissime Cerinthi metu utitur ad Sulpiciae fidem confirmandam. Fidelem enim futuram certa spes est eam quae de se haec affirmari legat:

At nunc tota tua est, te solum candida secum
Cogitat et frustra credula turba sedet.

Frustra credula turba sedet. Nihil unquam legi festivius: adsidet Sulpiciae foribus amatorum turba, sed frustra credunt miseri unquam sibi apertum iri ianuam!

Iam exhausit materiem suam praeclarus poeta, clauditque carmen nova Apollinis invocatione:

Phoebe, fave; *laus magna tibi tribuetur in uno*
Corpore servato restituisse duos.

Haec quoque Ovidianum habent colorem, sed subito novi aliquid noster adiicit quod peculiare toti praebeat carmini decus:

Iam celeber, iam *laetus* eris, cum debita reddet
Certatim sanctis *laetus* uterque focis.
Tum te felicem dicet pia turba deorum,
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

Sed hic ante omnia turpissima est delenda macula. Nam in servitutem addictus sit lectionibus traditis qui in tersissimo poeta istam ferat repetitionem *laetus* ... *laetus*. Prudenter omnino et lepide annotat Cartaltius: „il semble qu'ici Tibulle ait eu une

Digitized by Google

raison pour insister sur le fait que le dénouement, joyeux pour les deux amants, le sera aussi pour le dieu sauveur", sed pauperculi poetae est tale requirere auxilium. Nihil enim tam inepte dictum est quin eiusmodi possit defendi explicationibus. Me si roges quid Tibullus scripserit, nihil mihi aptius pro priore *laetus* (nam secundum illud unice verum est) reponi posse respondeam quam *magnus*. Nam ét hoc loco ét, quemadmodum modo dicebam, etiam in primis carminis versibus nobis ante oculos ponitur deus, quem sortis suae poeniteat, quem homines diligant amentque magis quam venerentur metuantque, cuiusque in Olympo ars lenis clemensque sordeat si comparetur cum Iovis, Martis aliorum telis armisque. „At si Sulpiciae salutem attuleris" poeta ait

Tunc te felicem dicet pia turba deorum
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

Profecto praeclara haec praeclari carminis clausula!

Quarta elegiola denuo verba facit Sulpicia. Res enim adest quae sponte eam faciat disertam. Cerinthi alluxit natalis dies. En aptissimam optima quaeque precandi dilectissimo adolescentulo occasionem! Atque sic intimos suos expromere orditur sensus:

En qui te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus
Atque inter festos semper habendus erit.

Istud *en qui* Baehrensi est, miro hic quoque indulgentis illi studio spernendi id quod simplex nimis videretur, quamvis esset traditum et omnes expleret numeros. In codicibus enim O legitur, quod sensu cassum, *et qui*, sed codex F *qui mihi* exhibet; rectissime: carere enim hic dativo nullo modo possumus; *hic dies te, Cerinthe, dedit* nihili est; *hic dies te mihi dedit* decet puellam totam amori suo deditam. Sed non solum ideo *qui mihi te, Cerinthe, dies dedit* est legendum quia eiusmodi enuntiatum suum sibi requirit dativum, sed quia sic demum nascitur sententia quae ipsam rem clara perfundat luce. Amat virgo Romana Graeculum, vernulam, ut opinor, certe obscuriore loco natum et amat maturior iam puerulum. Num quidquam magis eam decet quam illius pueri diem natalem vocare diem quo ipsa eum nacta sit tamquam dulce aliquod munusculum suaeque vitae suavissimum oblectamentum?

Digitized by Google

Te nascente novum Parcae cecinere puellis
Servitium et dederunt regna superba tibi.

Adultam fere fuisse virginem suspicor Sulpiciam cum Cerinthus nasceretur, sed iam tum in fatis erat ut post multos alios hic eam nova exureret flamma prae qua priores suos amores contemneret et nihili faceret. Hoc evenisse ipsa sic testatur:

Uror ego ante alios: iuvat hoc, Cerinthe, quod uror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.

En unum distichon quod si Tibulli est (et quidni, obsecro, eius sit? Quis unquam talium versiculorum poeta sub alieno potuit latere nomine?) satis eum vindicat a Iacobyano crimine. Talemne poetam amori canendo non fuisse idoneum!

Fortunatam se tali amore Sulpicia praedicat

Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta
Perque tuos oculos per geniumque rogo.

Leviusculum fortasse est quod moneo, sed nihil contemnendum quod a quavis macula huiuscemodi defendat versiculos; rectissime *per te* edidit Baehrensius, spreta varia lectione *te per*.

Iam ad ipsum genium conversa precatur:

Magne Geni, cape tura libens votisque faveto,
Si modo, cum de me cogitat, ille calet.

Denuo hic quod praestantissimum est „Italis" debemus, qui nobis illud *calet* vel servarunt vel revocarunt ab inferis; in codicibus O *valet* legitur, quod sensu cassum, in F *volet*, quod turpissimum abiectissimumque. Sed minus felices mihi fuisse videntur in coniiciendo *magne* legendum esse eo loco ubi in suis codicibus aut lacunam haberent aut, quod exhibent O, *mane*. Rem acu tetigit Puccius emendatione sua *alme*. Denique *tura* equidem non tangerem, si nulla re extrinsecus allata mihi moveretur dubitatio. Sed *οἱ στιγματίαι dona* praebent, iure ut opinor. Nam si *tura* scripsisset Tibullus, quis unquam in animum induceret ut pro eo *dona* poneret? Contra *dona* a poeta esse profectum, cui supra scripta annotatio *tura* (*thura* dant codices) in textum aberraverit perquam est verisimile.

Sed dum precatur, metus Sulpiciae obiicitur: qui, quaeris. Fortasse inanis, minime tamen a re alienus:

Quodsi forte alios iam nunc suspirat amores,
Tunc precor infidos, sancte, relinque focos.

Digitized by Google

Iam nunc: agnoscisne adolescentulum vixdum amori maturum, quem se sibi soli servaturam sperat quidem Sulpicia, sed sollicita sperat timorisque plena?

Tantusque timor iste ut iam sui eam misereat; lacrimantis enim et singultientis sunt quae subiicit:

Nec tu sis iniusta Venus: vel serviat aeque
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.

Sed laeta timorem spes lenit atque adeo tollit:

Sed potius valida teneamur uterque catena,
Nulla queat posthac nos soluisse dies.

Hic quoque rem acu tetegisse videntur „Itali", qui cum in exemplo suo post *posthac* lacunam haberent, illam voce *quam* explerunt. Minus fuerunt felices qui excogitaverunt *nos*, quod in G et in V a manu secunda legitur, quodque recepit Baehrensius; ingrata enim pronominis repetitio quae inest in *teneamur* .... *nos*, sententia vero relativa a *cetera* dependens lepidissime loci structuram variat. Cartaltius, credo ne quidquam miseris deberet Italis, a Rossbergio recepit *hanc*; mihi vehementer displicet ingratus sonus in *posthanc hanc*.

Nam haud de nihilo natam spem illam sibi persuasissimum habet amans puella:

Optat idem iuvenis quod nos, sed tectius optat
Nam pudet haec illum dicere verba palam.

Ipsa, quae diu iam in Amoris militaverit castris haud sine gloria, nova hac exsultat superbitque victoria; puero rubor genas notat quamvis se victorem sentiat. Hic pudor ut tollatur opus est, iam in amplexus anxie exspectantis advolabit virginis. Sed fortasse ne opus quidem est: si pudorem suum vincere non poterit puer, in tempore aderit Natalis ipse, quem ture et precibus sibi puella reddidit propitium. Hunc ergo denuo invocat:

At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
Annue: quid refert, clamne palamne roget?

Unquamne lepidius clausam vidisti lepidam elegiolam? Poterat sane hos versiculos et Ovidius facere (quis praeter eum et Tibullum potuerit non video), sed si fecisset, aliquamdiu etiam, ut opinor, in venustissimo esset immoratus invento ... et sic ultro id corrupisset. Praeclarus poeta noster in tempore se continet.

Digitized by Google

Atque quemadmodum in toto opusculo omnia quam maximo sunt disposita artificio, sic hoc carmen de Cerinthi die natali respondens sibi habet carmen de die natali Sulpiciae, illo dignissimum simulque aptissimum ad totum libellum claudendum. Quo magis dolendum est quod haud pauca illud commaculant vitia, quae quo modo sint sananda haud facile quisquam pro certo statuat. Totum percurramus, sic aptissime de singulis nostram proponemus sententiam simulque quam praeclarae hic quoque poetae splendeant virtutes indicabimus.

Non loquentem inducit puellam sed pro ea verba facit ipse poeta et a dea, cuius ille dies, optima quaeque precatur. Iam in primo disticho molestiae nihil est:

Natalis Iuno, sanctos cape turis acervos
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Omnia hic sunt verba praestantissimo electa artificio egregieque demonstrant de gravissima iam agi re, quae poetae quam maxime cordi sit. Accedit quod hic rem docemur quam scire nostri magnopere intersit: *docta puella* Sulpicia appellatur, id est carmina facit, nec solum carmina sed quae ipsi Tibullo minime inepta videantur, hoc est cur eius amores sua illustrare arte non dedignatus sit.

Sed sequentis distichi iam prima vox legentem retinet. Est autem illud huiuscemodi:

Tota tibi est hodie, tibi se laetissima compsit
Staret ut ante tuos conspicienda focos.

Tota sanum esse non potest; primum verum non est Sulpiciam totam iam se tradidisse Iunoni Natali: maiorem, ut opinor, sui partem suo servat Cerintho. Neque si verum esset, id sic latine posset significari: *tota tibi est.* Hoc certe sensit Guietus, sed quod reposuit „*tota tua* est" risum movet: sumpsisse id videtur praestantissimus criticus e sui temporis epistolis, quarum illa iam tum fuerit legitima clausula. Aut si ex elegiola 3 (IV, 4) vs. 17 sumpsit, non reputavit peculiare et a nostri loci sententia plane diversum illius esse consilium. Postquam enim Cerinthum his versibus leviter admonuit periculi in quovis amore semper imminentis ne fidem puella rumpat:

Nil opus est fletu: lacrimis erit aptius uti
Si quando fuerit tristior illa tibi

Digitized by Google

statim addit poeta:

At nunc tota tua est

ubi illud *tota tua* suam sibi vim habet, qua nostro loco plane caret.

Canterus *lota* correxit, ad sensum recte estque lenis sane ea correctio, sed ipsum vocabulum parum decere videtur totius carminis venustatem. Ambabus arriperem manibus Baehrensii *culta*, si certo scirem recte *colendi* et *comendi* verba sic inter se opponi ut illud ad *vestitum*, hoc ad *capillorum ornatum* referatur. Credo tamen ita se rem habere.

Sequuntur duo disticha quae integerrima ad nos pervenerunt. Plena ergo adest et libera admirandi facultas:

Illa quidem ornandi causas tibi, diva, relegat:
Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, neu quis divellat amantes,
Sed iuveni quaeso mutua vincla para.

Nemo hic, ut opinor, inconstantiae poetam accusabit, qui modo (in praecedenti carmine) Sulpiciam fecerit suum amorem quam apertissime profitentem sed nunc eam (isto *occulte velit*) inducat reticentem illum celantemque. Alia decent pro se loquentem ipsam Sulpiciam, alia poetam eius causam agentem apud summam dearum; hoc est eandem rem variare non „prodigialiter" sed venustissime: ne levissima quidem colorum discrimina praeclarum nostrum fugiunt artificem. Ad Cerinthum quod pertinet, quem hic *iuvenem* poeta vocat (quod moneo non, hercle, quod metuam, ne quis dubitare possit quin de Cerintho sermo sit, sed quia mox ea res observata nobis utilis esse poterit), quod in praecedenti elegia versu 17

optat idem iuvenis quod nos, sed tectius optat

utcunque dissimulavit Sulpicia, id hic poeta palam proloquitur: Cerintho, utpote puero, nihildum subolere de virginis maioris natu ardore.

Additque hanc rationem poeta:

Sic bene compones: *ullae* non ille puellae
Servire aut cuiquam dignior illa viro.

Sic plerumque nunc editur secundum „meliores" codices, spernitur quod *οἱ στιγματίαι* praebent *ulli*. At ego hic quoque illis obtemperandum censeo, non propter ineptum quendam „purismum" quem vocant, sed quia incredibile mihi videtur tralaticiam

Digitized by Google

formam *ulli* sprevisse Tibullum, scilicet ut nobis obtrudere posset ingrate sonans istud *ullae . . . puellae.*

Iam sibi fingit exauditas preces suas poeta, iam mutuo amori ut faveant Superi exoptat:

Nec possit cupidos vigilans deprendere custos
Fallendique vias mille ministret Amor.

Sed hic, ne quid dissimulem, ex arte de poesi amatoria topica locum adhibuit parum hisce aptum amoribus. Etenim *custos* ille nos tantum non cogit de *nupta* cogitare, quam suspicax custodiat maritus. In matrem sollicitam vel gravem avunculum minus ille convenit. Cerinthi vero patrem hic nobis significari caro prospicientem filiolo minime crediderim. Sed in tanta aptissimorum ornamentorum copia facile unum hoc vitium legentem fallit.

Iam ad sacrificium, quod a Sulpicia paratur, deam poeta advocat:

15 Praecipit en natae mater studiosa quod optat
Illa aliud tacita .... mente rogat.

Praecipit en Baehrensius edidit ex Heinsii coniectura. Sed si tanto obloqui fas est viro, hic eum a scopo aberrasse certa mihi stat sententia. Quid enim? In praecedenti disticho:

Annue purpureaque veni perlucida palla
Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero

sacrificium describitur. Num ergo in eo tam insignes sunt *matris* partes ut eam nobis interiectione *en* tamquam primarium quoddam sacrificii ornamentum demonstrari consentaneum sit? Immo vero, commemorari illa potest sed leviter tantummodo atque in transitu, deinde quantocius hinc abire debet neque ulla vel nobis vel filiae exhibere negotia. Habebimus hoc si .... sed primum videamus unde Heinsianum illud *en* natum sit. In codicibus est *praecipit et* et *praecipit at*, putavitque Heinsius suum *en* in illud *et* errore librarii abiisse. Sed hic, si quid video, summum criticum fefellit ratio: tam *et* quam *at* sunt emendandi conamina a librariis proposita qui in suo exemplari *praecipit* haberent intelligerentque unam desiderari syllabam ut iustus fieret hexameter. Quorum hic „ipsam rem putavit": *praecipiat* enim legendum est, quemadmodum vidit Drenckhahnius; *opponuntur* inter se mater et filia sic: „praecipiat mater, i. e. „*quamvis* mater praecipiat . . . illa (filia) . . . rogat". Iam habemus lineamenta, quomodo supplenda sit tabula sponte apparet; a codicibus recentissimis et interpolatis" suma-

Digitized by Google

mus *quid* pro *quod*, a codicis Guelferbytani secunda manu „interpolatrice" *optet* pro *optat*, aptissimam e tenebris in lucem reduxerimus hanc protasin:

Praecipiat natae mater studiosa quid optet

in qua unum etiam restat vocabulum de quo pauca dicamus: *studiosa*. Leniter hoc epitheto *ridetur* bona mater: is enim locis qualis hic est *studiosus* dicitur, qui intempestiva cura diligentiaque se eorum immiscet negotiis, qui ipsi probe norunt quid sibi sit agendum, quibus nullis opus iam est tutoribus magistrisque. Paulo post hac observatione utemur ad versum quendam corruptum sanandum, nunc nobis iam elucet egregie cum illo *studiosa* coniunctivum concessivum *praecipiat* iungi.

Habemus protasin

Praecipiat natae mater studiosa quid optet.

In apodosi

Illa aliud tacita mente rogat

parvam reliquimus lacunam, quae quomodo sit supplenda iam videamus. Ad sensum nihil deest, addi tantummodo aliquid potest quod eum exornet, illustret, corroboret. Nihil horum est in Baehrensii coniectura *iam tua*. Immo vero sensu cassum illud est, aut certe plane supervacuum. An iterum sumus docendi Sulpiciam uni Iunoni Natali eiusque sacrificio mentem habere deditam? Quod ne verum quidem est: quamvis enim magni faciat deam illam, pluris ei, ut opinor, Cerinthus suus est, et in ipsa re divina facienda de suo amore potissimum cogitat. Et si verum esset, cur hic illud commemoraretur? Eane causa est cur aliud filia roget quam mater? Et *causam* hic esse afferendam cur suo iure a matre filia dissentiat quis non videt? Utinam hic istud mutandi studium repressisset Baehrensius, nam quod *codicum consensus* praebet ipsum illud est quod solum iam cum sententiae emolumento possit addi: *iam sua*.

Praecipiat natae mater studiosa quid optet,
Illa aliud tacita, iam sua, mente rogat.

Quidquamne poterat excogitari quod salsius esset iocosiusque, ipsique rei de qua agitur accommodatius? Adest sacrificio etiam mater sedula, et, quemadmodum fieri solet, filiae praeit verba anus, talium rerum, ut ipsa putat, peritissima; non intelligit quam intempestivum istud sit studium; non, hercle, ei res est

Digitized by Google

cum rudi puella quae docenda etiam et manu ducenda sit; iam adulta est illa et in hoc certe negotio ipsa matre multo prudentior: matre opus non est, quamvis multa illa praecipiat, probe novit filia quibus nunc opus sit precibus. Etenim:

Uritur, ut celeres urunt altaria flammae,
Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.

Venustissime sic poeta variat quod modo (el. praec. vs. 5 sq.) ipsam Sulpiciam fecit confitentem:

Uror ego ante alias: *iuvat* hoc, Cerinthe, *quod uror.*

Iam nihil his addi potest praeter aptam clausulam; aptior autem nulla cogitari potest quam qua poeta a dea petat ut se huic amori quam maxime praebeat propitiam. Et talem ab eo additam fuisse clausulam etiamnunc apparet: corrupta enim sunt vocabula sed vel sic perlucet sententia. Traditum est:

Si iuveni grata veniet cum proximus annus
Hic idem votis iam vetus esset amor

nisi quod priore versu codex F habet *sis iuveni* et cod. G a manu secunda *sit iuveni.* Pentameter tantum non sanus, certe facile persanandus lenissima Baehrensii medicina, ingeniose pro *esset* reponentis *exstet.* Idem *ratus* proposuit pro *vetus,* quod melius erat non tangere. De *novo* die natali cogitat poeta, nonne facetissime precatur ut dies ille *veterem* inveniat amorem? Vota efficient ut talis *exstet* ille, quod paulo melius quam deteriorum lectio *adsit* ..... Sed dum scribo haec, dubitare incipio. Certe *exstet* facile in *esset* potuit corrumpi, sed minusne verisimile illud *esset* ex *assit* (quemadmodum plerumque pro *adsit* scribitur) natum esse? Et nonne ipsum illud *adsit* tantum non flagitatur? Post annum denuo Iuno Natalis invocabitur, praebebit aurem praecibus, sed amor, quae nunc invocandi causa — *abest* autem quodammodo ille, quamdiu lentus Cerinthus — tunc *aderit* et aderit *vetus,* utpote qui per integrum annum ceperit incrementum.

Difficilius vero de hexametro quidquam pro certo statuere, certe de eius priore parte. Nam sive ante *veniet* cum Baehrensio inseruerimus *ut,* sive cum Gruppio *ac* vel *et,* inde a particula omnia bene decurrunt. Pro *si iuveni grata* alii alia coniecerunt. Lachmannus *μυστηριῶδες* illud et vere Lachmannianum *si iuveni gratae;* Rigletus *si iuveni gratum,* quod aut sensu cassum aut certe languidissimum. Cartaltius vero e cod. F recepit *sis iuveni*

Digitized by Google

grata, tamquam si hoc nulli esset obnoxium dubitationi. Non reputavit praestantissimus criticus *iuvenem* esse Cerinthum. An putemus poetam, cum modo (praecl. el. 17) Sulpiciam dicentem fecerit

optat idem iuvenis quod nos, sed tectius optat

subito nunc eodem vocabulo ipsam Sulpiciam significare? Multo ergo, quod ad sensum attinet, rectius reposuerunt

Baehrensius: Diva, veni grata,

Gruppius : Sis, Iuno, grata.

Sed utraque haec lectio duplici mihi laborare videtur vitio. Primum vix credo recte *gratam* dici deam quae *propitia* sit, deinde nimis subito hae preces adiiciuntur iis quae praecedunt: a vocabulo quale est *ergo* incipiendus erat hexameter. Ergone suspicemur non illius hexametri solum caput esse truncatum sed ante eum excidisse praeterea integrum distichon quo poeta a versibus

Uritur, ut celeres urunt altaria flammae,

Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit

vehementem Sulpiciae amorem pingentibus ad preces, totum corpusculum claudentes, sibi pararit transitum? Hoc minime esse verisimile statim apparebit. Sed quocunque modo illud sit sanandum vitium, hoc vel sic pro certo statuere nobis licet venustiorem excogitari nullam potuisse clausulam quam qua, hocce iam misso die natali, ad illum qui post annum sit oriturus alludatur. Profecto hoc nemo unquam in mentem sibi inducet ut putet post illud *iam vetus adsit amor* quidquam periisse.

Integrum (nam pauca illa quae indicavimus vitia poetae mentem nunquam obscurant) ad nos totum opusculum pervenit summamque in eo conficiendo limandoque a poeta adhibitam diligentiam statim nobis vel obiter illud aspicientibus apparet. Ne Archimedes quidem ipse accuratius potuisset describere. Medium locum omnium longissima tenet elegia: ipse ibi poeta loquitur; neque mirum eam ceteris paulo evasisse longiorem (26 versuum est), rem enim gravissimam tractat, morbum Sulpiciae. Et, quoniam in medio posita est, quodammodo iure suo supra ceteras eminet. Ab utraque parte elegiam habet qua Sulpicia ipsa verba facit, ambae 44 praebent versus; quae praecedit 24 est versuum exhibetque Sulpiciam conquerentem

Digitized by Google

de Cerintho venatum profecto, quae sequitur Sulpiciam 20 versibus nobis Cerinthi diem natalem celebrantem ponit ante oculos; denuo tres hae elegiae ab utraque parte elegiam habent in qua poeta loquitur, hae quoque 44 implent versus iterumque praecedens 24, sequens 20: illa poeta describit Sulpiciam qualem eam est contemplatus Kalendis Martiis, hac poeta eius diem natalem cantat. Non amo in disputationibus philologicis figuras illas numeris impletas: plerumque enim illae legentes perturbant magis quam edocent, aut rei demonstrandae inserviunt quam veram esse vix ipse earum auctor credere possit. Verum hancce mihi considera tabulam:

I	**Poeta** de S. rem divinam faciente	24 versus		
II	**Sulpicia** de Cerintho venante	24 versus		
III	**Poeta** de Sulpiciae morbo	26 versus	44	44
IV	**Sulpicia** de C^{i} die natali	20 versus		
V	**Poeta** de S^{ae} die natali	20 versus		

concedes, ut opinor, luce clarius apparere poetae iam ab initio certum stetisse consilium libelli componendi, qui in se teres esset atque rotundus, atque praeclare ei rem cessisse: nihil unquam vidimus limatius perfectiusque. Equidem cum Iacobyo Cartaltioque Tibullum fuisse illum mihi habeo persuasissimum. Sed id dum mecum volvo, vix verba invenio quibus eum satis digne laudem. Ille poeta qui tamquam in somnio „sensim sine sensu" ab alia ad aliam aberrare soleat imaginem, donec tandem eo sit delapsus, quo neque ipse potuerit suspicari neque quisquam eorum quos secum per varia illa sed tamen inter se cognata et omnia amoenissima spectacula traxerit, subito fit artifex subtilissimus qui eximia diligentia lepidissimos suos disponat lapillos, et dum molesto hoc perfungitur labore tamen nullam amittit virtutum earum quae verum faciunt poetam; vivunt omnia spirantque et, quod maioris in hac re momenti etiam, multa ipsum illum nobis ante oculos Albium ponunt, quem iure tantopere amamus, quem ceteris omnibus poetis magis in deliciis habuisse videntur aequales. Profecto tantus artifex si nobis in aliqua elegia minus probatur, est cur nosmet ipsos potius quam illum dormitare suspicemur!

Nil admirari; haec summa iam in philologica arte lex esse videtur. Ridentur fere qui otiose desidentes aliquo delectantur

Digitized by Google

poeta latino. Opus esse clamant viri docti ut accurata sedulaque inquisitione quo modo quodque natum sit carmen efficiamus, quid sibi eo pangendo proposuerit poeta in clara ponamus luce, denique ut unde singula ornamenta, etiam minutissima, collegerit ille investigemus. At ego ad bene intelligendum carmen aliquod utique necessarium esse eius originem in promptu habere vix crediderim, aut nullum unquam carmen exstitit exsistetve quod quisquam legentium intelligere possit. Illa enim nota esse potest soli poetae ipsi, ceteri omnes coniecturas de ea facere possunt, quae quamvis sint ingeniose excogitatae solidisque confirmatae argumentis, semper periculum erit ne inveniatur id quod nusquam terrarum fuerit unquam. Etenim prudens dictum illud quod cuivis in mentem venit, qui subtilem aliquam audit disputationem „ingeniosius quam verius" quid significet norunt qui sermonis latini paulo interiorem aliquam sibi pararunt notitiam. Atqui illud „ingeniosum quidem sed non verum" admonere nos potest ne nimium tribuamus doctrinae illi quae in poetis quoque tractandis admirari vetet, scire conari iubeat, tamquam si omnia possint ad geometriae exigi normas [1]). In inquirendo vero loco unde vel minutissimum quodque sit prolatum ornamentum qui modum non tenet semper et ubique rem eo deducet ut nos doceat omnia quae Graeci Romanique scripserunt auctorem habere ... Cadmum illum qui primus e Phoenicia literas attulerit. Contra si quis aliquod carmen revera amat, in deliciis habet, admiratur, si quis poetae alicuius voce delenitur, si verba eius ita tenet memoria ut evelli non posse videantur, non est cur dubitet quin id quod voluerit poeta aliquatenus certe sit assecutus. In poetarum studio *amare est intelligere.*

Sed hic eo contenti esse non possumus. Elegiolae enim illae, quas iam perlegimus, quamvis nobis venustae, pulchrae, admirabiles videantur, tantum non cogimur praeterea de earum cogitare origine. Nam supersunt praeterea ipsius Sulpiciae versiculi, quorum Cerinthus est argumentum. Iam brevitati simulque perspicuitati consulentes his *epistolia* dabimus nomen, quod

1) Ludicrum dedi exemplum carminis illis ipsis magnopere probati qui non solum originem eius ignorarent sed, quod multo etiam iocosius, falsissimam sibi eius originem animo finxissent, in *Decennii* mei *poetici* praefatione p. VII sq. Secundum id quod supra dixi illud exemplum sumpsi e meis ipsius carminibus.

Digitized by Google

apte a suo Catullo sumpsit Baehrensius, ita enim scripti sunt; Tibulli de Sulpicia carmina *elegiolas* appellare pergemus. Elegiolas autem epistolia statim excipiunt, ergo qui illas perlegit, haec quoque est lecturus et fieri non potest quin quae inter illos intercedat ratio libellos rogare incipiat. Nam aliquam intercedere rationem certo est certius, neque unquam quisquam credidit vel crediturus est fortuito esse factum ut alter libellus tam multa cum altero habeat communia. Immo quod in epistoliis breviter simpliciterque dictum significatumque est id in elegiolis cum cura disponitur, amplificatur, exornatur, constat ergo harum poetam illis tamquam rudi materia esse usum in qua ingenium suum artemque excerceret. Quae res quam egregie ei cesserit iam vidimus. Sed non opus est ut diu in hac quaestione immoremur. Est enim hic mira quaedam et rara inter philologos concordia, eaque fuit iamdudum. Sulpiciam quandam fuisse quae revera adolescentuli obscuro loco nati, cui Cerinthus verum nomen erat, amore capta esset inter omnes constat. Atque Sulpiciam veros animi sensus chartae mandasse non ut in vulgus notescerent sed ut quae pectore clausa tenere iam non posset non solum γῇ τε κοὐρανῷ narraret sed etiam certis quibusdam hominibus, quibuscum vivere consuesset, quam apertissime exponeret consentiunt omnes. Neque ipsa Sulpicia quae fuerit iam dubitatur: quidni enim sit filia illius Sulpicii, quae Valeriam duxit uxorem Messalarum sororem? Ipsa enim Sulpicia se a Messalla custodiri haud tecte conqueritur: quis potius eo iure utatur quam avunculus puellae, cuius mater oommemoratur (non ab ipsa quidem sed a poeta qui eius epistolia exornavit), siletur pater? Sic simul intelligitur quo modo epistolia in corpus Tibullianum sint recepta: e domo enim Messallae, quo patrono usus est Tibullus, sunt profecta. Neque mirum ea sic in Tibulli pervenisse manus.

Hactenus ergo diu communis quidam fuit inter viros doctos consensus. Unum etiam deerat ut tota res sicut gesta est in clara poneretur luce, utque quomodo ex epistoliis natae essent elegiolae iam plane constaret. Hoc autem lepidissime indagavit venustissimeque, ut solet, exposuit Cartaltius. Sulpicia versiculis aegram suam mentem quodammodo est solata; illos non ad amatum misit puerum, sed cum non posset non sentire eos, quamvis rudes essent parumque limati, tamen propter ipsum,

Digitized by Google

quem spirarent amorem, minime esse abiiciendos, Tibullo, poetae clarissimo suique avunculi clienti, eos tradidit tamquam materiem e qua iustum efficeret corpusculum poeticum. Lubet ipsa ingeniosissimi viri exscribere verba; nullus enim in egregio libro locus est qui illi praestet [1]).

„Ce sont des effusions, qu'elle a consignées pour elle-même, mais qu'elle n'a pas fait tenir à l'interessé. Or elle les a rédigées en vers; ces vers sont précieux pour nous; ils nous revèlent l'âme fière d'une patricienne, qui se donne sans se dégrader à quelqu'un qu'elle juge digne d'elle malgré la différence des conditions, impérieuse, hautaine, tendre et délicate. En a-t-elle senti tout le mérite? L'amoureuse satisfaite a-t-elle eu quelque vanité d'auteur? Cela est possible puisqu'elle les a conservés. En tout cas il semble qu'elle ne les a pas considérés comme le témoignage suffisant d'un si beau roman; après y avoir mis une préface, elle les a transmis à un poète de profession, pour qu'il les transformât en élegies régulières, en une oeuvre d'art qui lui fit faire figure devant la postérité."

Equidem lubenter haec mea facio. Multo enim mihi verisimilius videtur *rogatum* a Sulpicia Tibullum quae illa sic temere in chartam coniecisset ita expolivisse ut iustarum elegiarum iustum nasceretur corpus, quam, cum forte epistolia Sulpiciae ad Tibullum essent allata, nescio quo modo in mentem venisse praeclaro poetae posse hinc aliquid fieri quod idoneis de arte poetica iudicibus probaretur. Sed quocunque modo in animum induxerit Tibullus ut Sulpiciae Cerinthique amores suis illustraret versibus, egregie ei rem cessisse quis negaverit? Quaecunque ei suppeditavit Medea illa animo aegra amore saevo saucia, ea omnia venustissime in suum usum convertit, exornavit, supplevit, auxit, postremo struxit opusculum poeticum tam accurate compositum dispositumque ut in literis latinis nihil eo nomine par ei haberi possit. Et cum tanta cura ille libellus limaretur, nihil tamen peribat eorum quae et nobis epistolia legentibns placent et haud dubie Tibullo quoque placuerunt; nihil usquam putidi deprehendis, nihil quod magistellum sapiat; non inanes tibi umbrae proponuntur sed vivi Cerinthus Sulpi-

1) Tibulle et les auteurs du Corpus Tibullianum par A. Carthalt. Paris Colin 1909.

Digitized by Google

ciaque stant ante oculos. Sed quaecunque sunt libelli Tibulliani virtutes, et multae eae sunt eximiaeque, tamen est cur Sulpiciae epistolia pluris etiam faciam. Elegiolas illas nisi haberemus, deesse nobis aliquid vix sentiremus, sed integra staret et inconcussa literarum latinarum aeterna illa gloria, quam nihil delebit unquam obscurabitve. Sed quae chartae mandavit Sulpicia si periissent, amissemus aliquid quod semper et ubique fuit rarissimum, in literis vero Romanis propemodum exstat unicum. Saepe queruntur homines quod apud scriptores poetasque latinos omnia nimis sint artificiosa, quod semper et ubique illi eorum quae in schola didicissent in librisque suis legissent adeo fuerint memores ut saepe canerent scriberentque quae neque vidissent neque experti essent unquam. Et, dummodo in ea re modum ne excedant, iure queruntur. Omnino apud quemvis poetam latinum difficile dictu est quid verum atque ex ipsa vita sumptum sit, quid secundum topicae artis praecepta fictum atque exornatum. At in Sulpiciae epistoliis nihil est quod non ipsam vitam nullo fucatam referat artificio, ipsumque illud quod in Tibulliano opusculo laudamus admiramurque maxime, id omne a Sulpicia sua habet: illa ei vivos illos spirantesque praebuit homines, huic acceptum est referendum quod veros quoque quosdam Romanae mulieris amores nobis cognoscere licet. Accedit aliquid quod epistoliorum pretium mirum quantum auget. *Mores* certi populi certaeque aetatis qui cognoscere cupit, is, si sapit, praecipue dabit operam ut quatenus *corrupti* et *depravati* tunc mores fuerint quam accuratissime definire possit. Nunc qui antiquos perambulat Pompeios, cum ad locum illum aediles metuentem pervenit, eius fores clausas videt et a duce suo audit neque pretio neque precibus ut aperiantur posse impetrari. Si hospes ille est vir qui antiquitati Romanae dat operam, vehementer dolet hac quoque in re obtemperatum pudicitiae illi Anglicae, non, hercle, quod verbis obscenis turpibusque imaginibus tantopere delectetur sed quia suis oculis quomodo aetate imperatoria vixerint municipii modici incolae videre cupit. Hic ceterorum domicilia nihil eum quod sit magni pretii docent: frugi alicuius coci pistorisve vitam tunc eandem fere quam nunc fuisse vel sic lubenter credit; sed multum proficeret, si quodammodo lenones lupasque et qui inter eos vitam degere

Digitized by Google

sint soliti praesentes posset contemplari. Hoc est cur in praeclaro illo Museo Provinciali, quod Augustae Trevirorum est, inter tot res cognitu dignissimas, quas illud egregie dispositas visentibus exhibet, nihil philologum magis moveat quam quae eo sunt allata ex officina falsarii, qui venae deterioris nummos pro aureis vendendo rem fecerit: haec enim insigni eum docent exemplo mores Romanos cum omnibus suis vitiis etiam in extremos imperii penetrasse angulos. Epistolia autem nostra viva veritatis voce testantur aetate Augusti fieri potuisse ut femina Romana summo loco nata non solum Graeculum aliquem vernam deperiret sed etiam amorem suum palam proloqueretur, nec proloqueretur solum sed etiam gloriaretur illo, tantumque afuisse ut eam aversarentur qui eundem inter cives tenerent locum, ut qui apud illos in summo esset honore poeta dignissimam illam putaret materiem cui illustrandae caeleste suum ingenium adhiberet. Tum demum intelliget cui se labori adcinxerit Augustus cum moribus Romanis emendandis operam dare inciperet. Profecto non unam ob causam operae pretium videtur epistolia cum pulvisculo excutere. Quod hic eo lubentius faciam quia haud ita pauca mihi afferre posse videor ad versus quosdam emendandos rectiusve interpretandos. Qua in re si me non fefellerit spes, etiam elegiolis aliquid lucis attulisse videbor. Age iam percurramus omnia! Initium facimus ab eo quod in codicibus et editionibus secundum tenet locum; ab eo enim res ipsa initium cepit. Hoc primum fecit Sulpicia, ultimum vero id quod nunc primum ponitur. Id si primus mortalium vidit Cartaltius, non solum ingenium viri praestantissimi admiror, sed etiam, atque, si fieri potest magis, verecundiam, qui non disertis llud proloquatur verbis: iure invento suo gloriatus esset, tam lepidum illud est tantaeque in hisce disquisitionibus utilitatis.

Incipit ergo legentes facere certiores Sulpicia de periculo quodam sibi imminenti; hoc nisi in tempore arceatur, de se et amore suo actum esse conqueritur. Metus enim est ne a Cerintho suo divellatur idque eo die quem laetissimum fore sibi promiserit. Primum enim distichon est huiuscemodi:

Invisus natalis adest, qui rure molesto
Et sine Cerintho tristis agendus erit.

Hic de utrius die natali sermo sit quaerimus etiam? Quis,

Digitized by Google

obsecro, haec legens: „odi natalem istum qui (mihi) agendus erit sine Cerintho" semet ipsum cogere poterit ut de *Cerinthi* cogitet die natali? Hoc posse videntur viri docti, quos novicius iste exagitat morbus, quam *ἰταλοφοβίαν* appellare lubet: dummodo ne a miseris illis Italis quidquam accipiant, quidvis perpeti et quidvis credere sunt parati. Atqui versus cuiusdam, de quo paulo post erit agendus, lectio quaedam Italorum exstat quae si recipitur luce clarius apparet hic quoque de *Sulpiciae* agi die natali; ergo id ne fiat, hic res eo est detorquenda ut *Cerinthi* dies natalis significetur. Quasi vero quisquam si quem audit querentem: „mihi dies natalis erit peragendus sine uxore," putare possit eum non de *suo* sed de uxoris loqui die natali! Mox rei quam hic defendo non minus certum indicabo argumentum.

Omnino tristis ea res puellae videtur; sic enim rogat:

Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae
Atque Arretino frigidus amnis agro.

In pentametro equidem semper suspicor Sulpiciam scripsisse *Arretini* ... *agri*. Quare enim hic ablativum posuerit a certo usu sine ullo versiculi sui emolumento, immo cum gravissimo damno, recedens?

Quis ille sit qui sibi illud paret periculum et quo id faciat consilio ipsa nos docet lepidissimo qui sequitur versiculo:

Iam, nimium Messala mei studiose, quiescas.

Quam vim illud *studiose* hic habeat egregie nos docet Tibulli distichon quod modo ita emendatum protulimus:

Praecipiat natae mater studiosa quid optet:
Illa aliud tacita, iam sua, mente rogat.

Quemadmodum illic mater, sic hic Messalla *inepte studiosus* inducitur, qui de muliere matura iam sit sollicitus eamque suo die natali rus abducere velit ne illum cum amatore suo laetius peragat quam gentium Sulpiciae Valeriaeque ferat gravitas.

Lepidissimum hunc hexametrum pentameter excipit, qui nunc misere corruptus circumfertur. Sed minime de eo desperandum videtur. „Optimi" enim codices haec habent:

Neu tempestivae saepe propinque viae.

Quae quoniam plane sunt sensu cassa videamus ecquid Itali nobis possint prodesse. Hi autem pro *neu* dant *non*, quod certe nos docet, si id docendi etiam sumus, praeclare Robertum Un-

Digitized by Google

gerum pro *saepe* reposuisse *saeve*. Restat *intempestivae viae* quod corruptum esse demonstrat genitivus ille a nullo substantivo verbove dependens. An putemus *quiescendi* verbum unquam cum genitivo fuisse constructum? Sed hic vix ulla emendatione opus est: *tempestivae* enim natum est e *tempestiva ē*, quod cum semel in unum vocabulum coaluisset, simul istud *viae* peperit. Ne quis autem miretur hic nullum adiectivo *tempestivus* addi dativum, hunc exscribo locum e Livio (V, 12): „orationem tempestivam de concordia ordinum." Iam lepidissimum ab inferis rediit Sulpiciae distichon:

Iam nimium, Messala mei studiose, quiescas,
Non tempestiva est, saeve propinque, via.

Cur autem non tempestiva illa sit via ipsa docet haec addens:

Hic animum sensusque meos abducta relinquo
Arbitrio quamvis non sinis esse meo.

Hic equidem mordicus retineo codicum A et V lectionem *quamvis* pro qua cur Baehrensius e codice G receperit *quoniam* me fugit. Etiam minus intelligo cur idem *quom me* malit. Egregium enim illud *quamvis* toti disticho praebet sensum hunc: quamvis operam des ut mihi adimas libertatem, nunquam poteris prohibere quominus mente animoque illic sim ubi Cerinthum meum esse novi.

Sed sublatum esse illud periculum e primo iam sequentis poematii cognoscimus disticho. Gaudio enim exsultans amatorem suum ibi rogat Sulpicia:

Scis iter ex animo sublatum triste puellae?

Additque:

Natali Romae iam licet esse **suo**.

Laeti lubentesque illud *suo* ab Italis recipimus, ceteri dant *tuo*, unde nata absurda illa primi praecedentis epistolii distichi interpretatio, quam modo notavimus. Gaudiique sui iustam hanc profert causam amoris plena mulier:

Omnibus ille dies nobis genialis agetur,
Qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

Iterum hic „praeclara" Italorum illa elucet „opera". In „melioribus" codicibus horum versuum prior sic legitur:

Omnibus ille dies nobis natalis agatur

Digitized by Google

quod Cartaltio probari vix ipsi affirmanti crederem; suspicor imprudentem eum ita edidisse. Quis enim unquam tam ineptus fuit ut sic loqueretur: „natalis ille dies nobis natalis agatur"? Nam cum proxime praecedat vox *natali*, nil refert utrum *ille dies* an *ille dies natalis* legatur. Quae solet esse omnium in codicibus vitiorum causa ea hic quoque exstitit: *mens* librarii aberravit ita ut vocabulum, quod ei *sententia* loci subiiciebat, sponte e calamo exiret simulatque vocabulum illi aliquo modo simile scribendum esset. Quid Tibullus dedisset Itali viderunt: *genialis*, pro quo vix poterat quia ab oscitante librario *natalis* daretur. Aut natum est istud *natalis* ex *annotatione* vocabulis *ille dies* adscripta. Sed recepta Italiorum correctione unum etiam restat: ut pro *agatur* rescribamus *agetur*. Non enim festiva illa turba quam, ut olim Clodia, secum Sulpicia habet, quamque verbis *omnibus nobis* significat, *admonenda* est ut hilariter illum sumat diem, sponte id *faciet*, quod futurum lepide sic Sulpicia praedicit:

Omnibus ille dies nobis genialis agetur.

Baehrensius pro illo *genialis* legere maluit *tam laetus*, scilicet ut ultimo epistolii versu

Qui nec opinanti nunc tibi forte venit

qui in *quam* mutare posset. Sed hic quod codices praebent nullo laborat vitio; illud autem eiusmodi est ut a Baehrensio, qui cum omnibus nostrae aetatis Italophobis ipsam rem de qua agitur prave accepit, intelligi non potuerit. Hic enim versus vel firmissimum praebet argumentum de *Sulpicae* hic agi die natali. Etenim si exspectasset Cerinthus *suum* diem natalem absente Sulpicia tristem fore, non posset dici ei *venire* dies natalis remanente in urbe Sulpicia. Contra si verum est quod nobis Itali praebent — et quin verum sit dubitari qui potest? — idem illud egregie dicitur. Quid enim? Iam miser ille adolescentulus magnae tristitiae conceperat animo imaginem: se Sulpiciae die natali solum in urbe fore, illa rus abducta. At subito laetissimus ad eum perfertur nuntius remansuram Sulpiciam diemque illum sibi fore festivissimum. Nonne revera nunc *nec opinanti venit* dies ille?

Amantium irae amoris integratio, nullaque amatoria fabula omnibus est numeris absoluta nisi inter amantes exsistunt suspiciones iurgia rixae. Ergo et Sulpiciae obiicitur metus ne sibi

Digitized by Google

paelex sit exorta, graviterque et acerbe de ea re cum Cerintho suo expostulat. Primum novi epistolii distichon sic est traditum:

Gratumst securus multum quod iam tibi de me
Permittis, subito ne male inepta cadam.

Sed dubitari nequit quin Heinsius pro *permittis* coniiciens *promittis* rem acu tetigerit. Nam *multum sibi de aliquo permittere* Belgicum quidem est („zich veel ten opzichte van iemand veroorloven") et fortasse etiam Gallicum Germanicumve: Latinum non est. At *promittis* egregie huc quadrat: *multum sibi de aliquo promittere* est: optima quaeque de aliquo exspectare, illum, quidquid evenerit, sibi amicum mansurum fidelem sibi habere persuasum. Quid autem Sulpiciam nostram magis decet quam exclamatio illa: „gratumst quod tibi iam multum de me promittis"? Iram suam ironia obtegit admodum perlucida. Nam vera haec eius mens est: „perfide, itane de te merui? haeccine meae in amore constantiae merces ut iam alio te conferas, cum tibi sit persuasum me ne sic quidem peccaturam rivalesve tibi praelaturam?"

Nunc omnia optime se habent:

Gratumst, securus multum quod iam tibi de me
Promittis subito ne male inepta cadam

dummodo recordemur quae hic loquatur. Artem enim Sulpiciae — si recte hic de *arte* loquimur — nemo unquam salsius rectiusque descripsit quam Gruppius, singulari acumine vir, qui nunc iusto magis contemnitur negligiturque: *„muliebrem sermonem* in versibus eius agnosci dixit („das weibliche Latin"). Nam sic res se habet: versus facere quid sit haud ignorat, sed non semper invenit id quod praesenti rei sit aptissimum; accedit quod tanto abripitur ardore ut sibimet imperitare nequeat: suis se verbis impedit, haeret interdum, titubat. Ex ipsis eius apparet verbis id quod modo dicebam, veram, quam in plerisque elegiis frustra quaerimus, in epistoliis illis spirare vitam. Velut hic sic sunt iungenda verba: *securus ne cadam*, ut *securus* sit accipiendum tamquam si esset *non anxius, non metuens*, structura admodum contorta et insolita.

Iam quae sit illa Sulpiciae aemula, certe qualem sibi eam fingat Sulpicia quid quaerimus? Ipsa loquitur res: e faece mulierum esse debet. Quod sic Sappho nostra declarat:

Digitized by Google

Sit tibi cura togae potior pressumque quasillo
Scortum quam Servi filia Sulpicia.

Hic equidem nullam video causam quidni *Sulpicii* legamus: probe ipsa intelligere potuit quanto illud esset aptius venustiusque. Sed multo gravius in hisce versiculis remanere debebit vitium quod ego tollere nec possum nec volo: ipsa enim sic scripsit Sulpicia *pressum quasillo scortum*, quod admodum est ridiculum. Quasilli enim quae fuerit forma neque novi neque curo; scire satis est *lanae* continendae fuisse destinatum; *manu* ergo tenebatur, quemadmodum est in versu Propertii, ubi ex palmari Burmanni emendatione hoc de se narrat Hercules:

Et manibus duris apta quasilla tuli

ut satis sit absurdum sibi fingere mulierem quasillum humeris vel capite portantem. Neque, ut opinor, sibi finxit Sulpicia, sed quemadmodum apud Ovidium legitur:

Cantantis pariter pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillae decipiturque *labor*

ita illa hic de *penso* cogitavit *gravi*, ut est apud eundem Propertium:

Et graviora rependit iniquis pensa quasillis

volebatque durum *gravemque* ancillae significare *laborem*, sed eum ita significavit ut legentibus non posset non movere risum.

Sed solatur se eo solatio quo uti solent mulieres de amatoribus perfidis poenam sumere cupientes. Ultimum enim distichon sic in „optimis" legitur codicibus:

Solliciti sunt pro nobis quibus illa dolori est
Ne credam ignoto maxima causa toro.

Hic importunum istud *credam* certa emendatione *cedam* sanavit Statius. Restat *dolori est* quod nullam admittit interpretationem. Sed recepta lenissima Rigleri coniectura *dolori* totum persanatur distichon. Hoc enim vult Sulpicia: „solliciti sunt pro nobis ne ignoto cedam toro ii quibus illa est maxima doloris causa" ut pronomine *illa* Cerinthi significetur perfidia. Hic quoque praeiracundia sibi ipsa imperare nescit Sulpicia; non loquitur sed balbutit. At quid sibi velit minime est obscurum; tritum istud et pervulgatum Cerintho minatur

Mene ergo haud vis habere?
Benest: et sunt alii

quemadmodum me puero ancillae nostrae cantare solebant.

Digitized by Google

Ut iustum existat corpusculum de amore poeticum etiam aegrotare debent amantes aut certe eorum alteruter. Rem ipsam sibi a Sulpicia traditam servavit Tibullus, Sulpiciamque nobis exhibuit in morbum implicitam. Sed quod ille viginti sex versibus pulcherrimis exornavit id illa brevi epistolio declarat quod hic exscribam:

Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae
Quod mea nunc vexat corpora fessa calor?
A! ego non aliter tristes evincere morbos
Optarim quam te si quoque velle putem.
At mihi quid prosit morbos evincere, quom tu
Nostra potes lento pectore ferre mala?

Vix quidquam in his mutandum fuit. Versu 5 rectissime *at* a codice F recepit Baehrensius; Cartaltii hic ego rationes non intelligo: dat enim *an*; sed quid istud *an quid* sibi vult? Eodem versu *quom* Baehrensii est; codices *quod* et *quid* habent; Scaliger *ubi* coniecit; equidem nescio an optimum sit *si* quod codicis V secunda manus exhibet. Cetera omnia sana sunt et perspicua, non tamen ab omni parte probanda. Versu 4 praestaret *si te quoque* quam *te si quoque*, sed ipsa hic vocabula perturbasse Sulpicia videtur. At hoc levius; multo gravius est vitium in verbis *morbos evincere*, quae tamen puellae nostrae admodum placuisse videntur, quae ea etiam repetierit. Sed non sunt huius loci. Quid sit *morbos evincere* docere nos potest poeta multo exercitatior Ovidius, qui in narratione de Argo haec habet:

illé tamen pugnat molles evincere somnos.

Recte ergo *morbum evincere* is dicitur qui animo firmo obstinatoque infirmum corpus suum perdurare cogit, non is qui dis bene iuvantibus sublevatur viresque suas recuperat. Sed amor non curat minima.

Amator exclusus vel ab amica relictus deceptusve suum sibi locum in elegiis habet amatoriis et, si non adest, fingitur. Sulpicia vero nostra numquam quidquam fingit: usus ei suppeditat locos quibus opus est. Ipsa amatorem suum reliquit idque eo tempore cum eum totum suis iam teneret vinculis obstrictum. Mox tamen stultitia sua atque adeo dementia intellecta tantum

Digitized by Google

non prosternit se ante pedes eius seque his excusat defenditque versibus quos pectore prompsit ab imo:

Ne tibi sim, mea lux, aeque iam fervida cura,
Ac videor paucos ante fuisse dies,
Si quicquam tota commisi stulta iuventa
Cuius me fatear poenituisse magis,
Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens dissimulare meum.

Totum statim exscripsi epistolium, idque non unam ob causam. Primum versui tertio grammaticorum illud σημείωσαι appingo ne quem illud *tota iuventa* fugiat. Tota iuventa! agnoscisne mulierem iam paulo maturiorem? Quis enim de *tota* sua iuventa loquitur nisi sentit eam aut praeteriisse aut certe aliquot iam implevisse annos? Sed hoc fortasse etiam possit videri levius. Multo graviorem nobis suppeditat rem totum poematium bene intellectum expensumque. Unquamne quidquam vidisti limatius tersiusque, unquamne quidquam quod sic esset omnibus absolutum numeris? Atque tale ut obtineremus κειμήλιον nulla opus fuit emendatione, nulla viri docti coniectura. Omnia nobis ipsi praebent codices. Haec nobis res primum dat facultatem tota Sulpiciae ars qualis sit recte intelligendi. Satis est versata in literis, satis accurate poetas suos legit, satis magnam in promptu habet vocabulorum materiem ut cum res quam optime cedit, id est cum αὐτὴ ἑαυτῆς est δεινοτάτη, versiculos struere possit in quibus nullus Aristarchus quidquam reprehendat quique rem ipsam totam exhauriant. Plerumque tamen omne committit errorum genus, qui excusari quidem possint sed et debeant. Sic versus facere solent qui ea re delectantur non τέχνην ἔχουσι τὴν ποίησιν. Et deinde nusquam melius quam hic videmus Sulpiciae epistolia ficti nihil habere sed omnia ipsam vitam verosque referre amores. Quid enim? Cum aegrotat, cum ne ab amatore suo abripiatur metuit, cum gaudio exsultat quod cum illo remanere sibi liceat, cum exortam sibi suspicatur paelicem, tum quid agat loquaturve nescit, tum se non continet sed quaecunque ei in mentem veniunt sic temere effundit, de vitiis corrigendis limandisve versibus ne cogitat quidem. At postquam impetum quendam animi sui secuta fecit aliquid quod postea poeniteat, simulatque suae sibi culpae fit conscia et quod deli-

Digitized by Google

quit reparare decernit, sponte ad se redit et mente sedata quid sit dicendum scribendumve considerare potest. Tum iam non balbutit titubatque sed sermone utitur puro, liquido, apte disposito.

Et impetravit veniam quam sic ex animi sententia petivit, veniaque illa secum adduxit id ipsum quod diu speraverat, modo anxia sollicitaque, modo laetissima quaeque exspectans. Nunc eam exsultare gaudio quid miremur? Ipsa nobis quantopere tota mente trepidet sermone suo fatetur, nam redeunt vitia sententiaeque perturbatae. „Tandem" exclamat

Tandem venit amor, qualem texisse pudori
Quam nudasse alicui sit mihi fama magis.

Bis illud „tandem" posui quo magis appareret quam recte Cartaltius hoc epistolium in Sulpiciae Cerinthique amoribus ultimum tenere locum, hoc post cetera omnia ab ea scriptum statuisset. Iterum ipsa praestantissimi viri exscribere verba lubet, et quia tam sunt egregia facundaque et quia insunt pauca quae moveant dubitationem.

„En tête de ces pièces elle en a mis une autre, qui leur est sûrement postérieure; car elle a le caractère d'une conclusion; c'est un chant de victoire; elle est arrivée à ses fins; elle est sûre que Cerinthus répond à sa passion; mais il ne semble pas que se soit uniquement pour se réjouir de son triomphe qu'elle l'ait composée. Cette fois elle s'adresse au public; elle prend une attitude, celle d'une grande dame qui, bravant l'opinion vulgaire, avoue sa faute et s'en fait gloire; elle lève le masque et veut aimer à visage découvert; elle convient qu'elle est une pécheresse, mais non une de ces pécheresses timides qui entretiennent avec leurs amants une correspondance mystérieuse; elle ne s'abaisse pas à ces manèges clandestins".

Hic ego non video cur ab ipsa Sulpicia hoc epistolium ceteris praemissum sumamus. Quidni ipsa ultimum posuerit? An potuit hoc corpusculum, quod ab ea compositum lubenter Cartaltio concedo, aptius inchoari quam ab eo malo unde ipsa res cepit initium, diem illum natalem ruri peragendum dico, aptiusque claudi quam plenis hisce gaudii superbiaeque verbis: „cum digna fuisse ferar"?

Sed nolo ultra cum egregio critico de re levioris certare momenti. Quod autem idem sic pergit: „ceci prouve que les pièces

Digitized by Google

IV, 8—12, qu'on appelle les billets de Sulpicia, et dont trois, 9 [1]), 10 [2]), 11 [3]), ont pourtant un caractère épistolaire, n'ont jamais été envoyés a Cerinthus; ce sont des effusions, qu'elle a consignées pour elle même, mais qu'elle n'a pas fait tenir à l'interressé" id ita verum esse concedo ut tamen credam saepius soli a sola omnia haec recitata epistolia.

Nunc paulo accuratius versus iam citatos examinemus. Si versu 1 recte codex V *pudore* dat (in aliis est *pudori*), haud dubium est quin versu secundo recipienda sit Italorum correctio *minor*. Tum omnia luce sunt clariora:

Tandem venit amor qualem texisse pudore
Quam nudasse alicui sit mihi fama minor

i. e. multo malo amorem meum proloqui quam celare pudore, nam gloriae mihi duco quod mutuus ille amor sit. Sed metus est ne ipsa Sulpicia non tam perspicue sit locuta. In codice enim Ambrosiano vs. 1 bis legitur et semel *pudore* habet, semel *pudori*. Verisimile ergo sic Sulpiciam scripsisse:

Tandem venit amor, qualem texisse pudori
Quam nudasse alicui sit mihi fama magis.

Atque sic edidit Cartaltius, ut hic lateat sensus: „magis me puderet amorem meum celare quam nunc glorior quod eum proloquar". Lateat, aio, nam exsultans gaudio se verbis suis impedit mulier et invita Cassandram imitatur.

Bonum factum quod tamen sequenti disticho aperte nos docet quid tandem factum sit:

Exorata meis illum Cytherea Camenis
Attulit in nostrum deposuitque sinum.

Minus certe sunt perspicua quae statim subiiciuntur:

Exsolvit promissa Venus: mea gaudia narret,
Dicetur si quis non habuisse sua.

Sed hic ipsa obscuritas nescio quam affert venustatem. Hoc enim ista „mea ... sua" sibi velle aliquo quidem labore sed fit perspicuum tamen: „nil famam curo rumoresque hominum; scio enim cum maxima de me indignatione fore sermones ... illarum

1) Scis iter ex animo sublatum triste puellae?
2) Gratumst, securus multum quod iam tibi de me | Promittis.
3) Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae.

Digitized by Google

quae ipsae minus quam ego propitiam habuerunt Venerem", quod lepidissimum vitaeque plenum.

Tum iterum quam maxime in ore se hominum esse cupere sic declarat:

Non ego signatis quicquam mandare tabellis
Ne legat id nemo quam meus ante velim.

Hic pro *ne* Itali dant *ut*, et haud dubie iusto plures istae sunt negationes. Sed Sulpiciae ipsius illud videtur vitium, quod si sustulerimus remanebit etiam verborum *quam meus ante* confusio, quam ab ipsa profectam nemo unquam, ut opinor, negabit.

Neque vitii immune distichon quo et epistolium hoc et totum libellum suum clausit:

Sed peccasse iuvat, vultus componere famae
Taedet: cum digno digna fuisse ferar.

Post ea quae iam dixit Sulpicia pro isto *sed* aliquid requiritur quod multo sit nervosius. Suus hic locus est particulis *immo vero* sed tale aliquid quomodo in suo poneret pentametro non inveniebat parum exercitata poetria.

Denique haud abs re videtur omnia quae commisit Sulpicia sub unum dare conspectum vitia. Sunt ergo haec:

1 *securus ne cadam* pro *non veritus ne cadam*
2 lanificam, quae nimio urgetur labore, appellat *pressum quasillo scortum.*
3 mire turbata sunt vocabula in hisce:
solliciti sunt pro nobis, quibus illa doloris
ne cedam ignoto maxima causa toro
et quorsum *illa* pertineat haud parvus est labor quaerere.
4 *te si quoque* pro *si te quoque.*
5 bis *evincere morbos* hoc sensu *morbo levari.*
6 *texisse pudori quam nudasse mihi fama magis* obscure dictum.
7 abundat negatio in *ne ... nemo.*
8 *sed* metri causa pro *immo vero.*

Haud pauca ea esse vides in quadraginta versiculorum corpusculo. Simulque sunt eiusmodi ut ex illis quoque ipsius libelli agnoscas indolem: non in scholae umbra haec succrevit arbor, amoris eam ardor procreavit.

Sensim a suo sibi argumento delapsa est nostra disputatio,

Digitized by Google

sed non sine idonea causa factum illud est. Cum enim qualis quantusque poeta Tibullus esset illis praecipue elegiolis demonstrare vellem, quibus Sulpiciae et Cerinthi amores celebrasset ille, non poteram de ipsius Sulpiciae tacere epistoliis e quibus Tibulli natus esset libellus; quae cum haud ita paucis locis emendanda vel accuratius illustranda essent, paulo diutius in iis sum immoratus. Sed nunc tamen ad nostrum propositum et ad ipsum Tibullum redeo. Praeter elegiolas de Sulpiciae Cerinthique amoribus farrago [1]) illa, quae in codicibus maioribus Tibulli libris est adiecta, duas etiam continet elegias quas nunc vix quisquam est virorum doctorum quin Tibullo ascribat. Apud Baehrensium leguntur paginis 85 sq. et „epigrammata" appellantur, in aliis editionibus numeris IV, 13 et IV, 14 sunt ornata. Neque sine causa idonea Tibulli esse censentur: praeclari sunt poetae, vix quidquam invenias quod in toto genere amatorio iis praestet ... et priore earum ipse se poeta *Tibullum* appellat. Non, hercle, nostra aetate tam pertinaci obstinatoque animo Tibullum impugnant philologi ut eo quoque nitantur spoliare eum decore quod ipso nomine cuius sit declarat. Altera autem cum priore satis arte cohaeret, certe nulla causa est cur eam ab illa divellamus. Ab hac nunc fiat initium. Non plus quatuor habet versus: ipsa ergo brevitas eam Baehrensiano illo nomine dignam facit, neque ab illo alienum est argumentum. Sunt enim quatuor illi versus huiuscemodi:

Rumor ait crebro nostram peccare puellam.
Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non haec sunt nostro sine facta dolore:
Quid miserum torques, rumor acerbe? tace.

Annotat Heynius: „miri leporis et urbanitatis epigramma. Placet amator qui, de puellae perfidia sollicitus, tantum hoc in votis habet, ut ipse surdus sit" et iure annotat, Quo magis mireris eum haec statim addere: „an Tibullum auctorem habeat, credere licet et non licet". Aequiores certe nostra aetate in hac causa Tibullus nactus est iudices. Sed ipsum adspiciamus epigramma. Unquamne quidquam vidisti acutius salsiusque? Ne ipsa quidem

1) Iniuria illam in editionibus dividi in *duos* libros, cum olim uno fuerit comprehensa libro, Baehrensius demonstrat Tib. Bl. p. 48 sq.

Digitized by Google

Martialis epigrammata tantum habent leporem. Sed et Tibullum hic agnoscimus: in deliciis enim ei τὸ ἀπροσδόκητον fuisse cum e maioribus eius apparet elegiis, tum ex elegiolis de Sulpicia et Cerintho cognovimus. Tum — et hoc quoque proprium et peculiare Tibulli — veros sincerosque animi affectus subesse huic ioco sentimus. Revera sollicitum eum reddiderunt rumores illi quos tam belle repudiare et audire nolle se simulat. Revera metuere incipit ne rivalis aliquis puellam suam a se avertat aut iam averterit. Haec causa est cur haud iniuria fortasse Cartaltius suspicetur puellam, de qua hic sermo sit, esse Glyceram illam, cuius perfidia ne poetam ad „miserabiles decantandos elegos" adigat Horatius carmine suo I, 33 [1]) dat operam. Vide omnino suavissimam Cartaltii de his amoribus deque Horatii Tibullique amicitia disputationem in utilissimo eius venustissimoque libro p. 24—32.

Sed quamvis lepidum hoc sit „epigramma", maiorem tamen iustioremque movet admirationem quod praecedit. Cuius iam statim primi versus nos docent non cum levi quodam moxque interituro hic nobis rem esse animi impetu. Consummatus iam ille amor est et res ipsa ratum eum fecit:

Nulla tuum nobis subducet femina lectum
Hoc primum iuncta est foedere nostra Venus.

Sed, ne quid dissimulem, in isto *primum* haereo. Non enim, ut opinor, hoc, quod hic significatur, *initium* habere solet amor, sed sic demum omnibus suis impletur numeris. An „hoc *primum* foedere iuncta est" significat „tum *denique* verum amoris initum

---

1) Leviusculum videri possit quod de hoc Horatii carmine dicturus hic sum, sed fortasse ipsa levitas illud commendat. Vitium enim suavissimos illos occupat versus quod leni, immo vix ulla, correctione tolli possit, quo facto pristinus denique nitor carmini redditur. Semper prima eius stropha sic editur:

Albi, ne doleas plus nimium memor
Inmitis Glycerae neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.

Ut *ne doleas* sit *noli dolere* et sequentes strophae prorsus ab hac divellantur. Sed pro colo pone semicolon, *ne doleas* fit ἵνα μὴ ἄχθῃ et totum carmen sic decurrit: „Albi, ne iusto magis propter Glycerae doleas perfidiam (hoc tibi dico)" sequuntur exempla amantium, spretorum ab iis qui et ipsi spernuntur ab iis quos amant; et sic carmen clauditur: „sic ludere saeva Venus solet; ipse quoque illam eius sum expertus crudelitatem (et tamen non despondeo animum, ergo me respice et erige te)."

Digitized by Google

foedus est?" Satis ergo obscure poeta loquitur. Suspicor illud *primum* natum e compendio q̃m (quoniam). Certe aptissimum foret

Hoc quoniam iuncta est foedere nostra Venus

i. e. quandoquidem hoc foedere semel amor noster est consummatus, nulla tibi unquam existet paelex cuius causa frangam illud. Etenim:

Tu mihi sola places, nec iam te praeter in urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.

Hic ἀπροσδοκητον illud suum lepidissimum profert poeta:

Atque utinam possis uni mihi bella videri
Displiceas aliis: sic ego tutus ero.
Nil opus invidia est, procul absit gloria vulgi:
Qui sapit in tacito gaudeat ille sinu.

Hic ego *possis* a„deterioribus" sumpsi, „meliorum" *posses* quibus argumentis nunc docti defendant editores scire nolim. Heynius recte *possis* edidit.

Neque mirum hic prodire ruris et solitudinis amatorem illum verum sincerumque Tibullum quem novimus:

Sic ego secretis possum bene vivere silvis,
Qua nulla humano sit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen et in solis tu mihi turba locis.

In quibus versibus vel unum illud *in solis tu mihi turba locis* summum prodit artificem.

Neque minus Tibullum nostrum agnoscimus in iis quae sequuntur:

Nunc licet e caelo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra deficietque Venus.

Fere eadem enim nos legere meminimus in maiorum elegiarum una. Quem locum velim norunt omnes, sed, vere dicam, huiusce verecundia magis mihi placet quam illius nimia audacia.

Additque, quod in tali argumento tritum satis et obsoletum, iusiurandum:

Haec tibi sancta tuae Iunonis numina iuro,
Quae sola ante alios est mihi magna deos

sed ipsum illud tritum et obsoletum ei subiicit unam ex illis, quas dixi, gemmis, quae si quid unquam in arte poetica exstitit *novi*, hic certe illud peperit:

Digitized by Google

Quid facio demens? eheu mea pignora cedo.
Iuravi stulte: proderat iste timor

i. e. antea, cum timere etiam poteras ne ego aliquando peccarem, ego quodammodo securus poteram esse, pignore enim te tenebam obstrictam, sed nunc illud tibi pignus tradidi meque solum adstrinxi vinculo:

Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures:
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Iam *facias* quodcunque voles, tuus usque manebo,
Nec fugiam notae servitium dominae.

Dubiumne, obsecro, esse potest quin iure Cartaltius egregiam Luciani Muelleri coniecturam *facias* pro *faciam* recepit in textum? Praeclara nunc demum omnia, sed praeclarior etiam ipsa carminis clausula:

Sed Veneris sanctae considam vinctus ad aras.
Haec notat iniustos supplicibusque favet.

Ecquid ante oculos nunc habes amatorem certum sincerumque, sed simul miserum et ad tristitiam popensum, cui iure suus metuat Horatius ne aliquando de se suaque, cui natus est, arte desperet?

Solvi nomen meum: poetam mihi dilectum ut potui defendi a nimis severo iudicio. Nunc unum hoc etiam addo et sic finem facio. Legat mihi aliquis deinceps duos illos locos quos e maioribus citavi elegiis (de suo repentino ad Deliam reditu I, 3, 83—94 et de sororcula Nemesis II, 6, 29—40), elegiolas de Sulpicia (quae Tibulli non esse non possunt), denique duo haecce „epigrammata" ... quamvis magni mecum Iacobyanam faciat doctrinam, tamen vix risum tenebit cum legerit illum poetam MALO AD ID DELAPSUM OMINE CARMINUM GENUS QUOD SUA IPSUM INDOLES ET NATURA VETARET TANGERE!

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e pag.* 368).

E 715 sq. Iuno Minervam sic alloquitur:

ἦ ῥ' ἅλιον τὸν μῦθον ὑπέστημεν Μενελάῳ,
Ἴλιον ἐκπέρσαντ' ἐϋτειχέα ἀπονέεσθαι.

Nullam alibi apud Homerum huius promissi *Menelao* dati mentionem fieri fuere qui observarent; *Agamemnoni* id promissum fuisse. Quod si iustum est crimen, non grave est profecto, immo ne crimen quidem vocandum, quoniam poeta passim sumsit multa, quae non nisi verbo indicavit, audientibus cognita fuisse e carminibus antiquioribus, nec dubium quin suo iure sumserit. Sed observatio illa haudquaquam est vera, spectatur enim res saepius alibi in Iliade commemorata. Achivis in Troiam expeditionem suscepturis Iuppiter sive di victoriam promiserunt [1]), — Achivis, praesertim igitur *Agamemnoni*, eorum duci. Itaque hic:

Ζεὺς πρίν μοι ὑπέσχετο καὶ κατένευσε
Ἴλιον ἐκπέρσαντ' ἐϋτειχέα ἀπονέεσθαι [2]).

At nihilo minus, immo etiam magis, *Menelao*, nam huius causa expeditio illa est suscepta. Famam quaerebat alter Atrida, at alter uxorem et bona erepta.

Ceterum dubitari potest — sed ad hos versus sive laudandos sive vituperandos id non pertinet — verbi ὑπέστημεν subiectum utrum *nos caelites* (Iuppiter ceterique Olympii) cogitaverit poeta,

1) Cf. B 299 sqq. I 49.
2) B 112 sq.

Digitized by Google

an *tu et ego*, ut promissum illud ab iis potissimum deabus Menelao datum esse dicatur quae prae ceteris numinibus ei faverent, ἀρηγόνες, ut ipse Iuppiter Homericus loquitur [1]), αὐτῷ οὖσαι.

E 733—742. Minerva postquam pro palla induit tunicam, — nam una veste utebantur mulieres [2]), — ne veste longiore impediretur, „Iovis arma" sumsit aegidem et galeam. Aegis illa Iovis αἰγιόχοιο propria fuit, sed etiam Apollo atque Minerva saepius ea sunt usi. Fuit autem *vellus*, sed vellus *aureum* et a Vulcano fabricatum [3]), is enim faber caelestis artem ex auro fila tenuissima ἠΰτ' ἀράχνια λεπτά [4]) ducendi callebat. Recordamur nunc *aureorum arietum* Phrixi et Atrei, nec non *aureae iubae* equorum divinorum [5]) et *aureae cristae* qua Achillis galea ἠΦαιστότευκτος fuit ornata [6]), itaque non miramur aegidem tam flexilem fuisse ut vivi Achillis vel mortui Hectoris humeris posset *circumvolvi* [7]).

„At aegidem, quam nunc sumere dicitur Minerva, iam tenebat", fuere qui obicerent; nam tum cum Agamemnonis praecones in aciem vocarunt milites, inter hos dea versata ardorem martium iis civit

αἰγίδ' ἔχουσ' ἐρίτιμον ἀγήραον ἀθανάτην τε [8]).

Vana profecto obiectio! Non leve hoc est crimen, sed de nihilo confectum. Hic, si usquam, iuvat meminisse κατὰ τὸ σιωπώμενον apud Homerum plurima fieri et fieri debere, ne taedium intolerabile fiat audientibus vel legentibus, quoniam

le secret d'ennuyer est celui de tout dire.

Nam Minervam interim vidimus cum ceteris Olympiis in Iovis aedibus sedentem [9]), dein caelo lapsam, ut sumta iuvenis Troiani specie Pandarum instigaret ad inducias sceleste violandas. An aegidem eam tum servasse credit quisquam? Credimusne poetam eiusmodi quid voluisse? Immo — si urgenda sunt talia! — Minerva postquam copias Achivorum incitavit ad pugnam strenue ineundam, in caelum reversa reposuit aegidem in Iovis

1) Cf. Δ 7.
2) Cf. ε 229 sq.
3) Cf. Ο 308—310.
4) Cf. θ 280.
5) Cf. Θ 42 Ν 24.
6) Cf. Σ 611 Τ 383.
7) Cf. Σ 203 sq. Ω 20 sq.
8) Cf. Β 447.
9) Cf. Δ initio.

Digitized by Google

unde sumserat conclavi, dein intravit deorum cenaculum. Neque enim homines neque caelites armati epulabantur aut concionabantur. Nunc autem, cum Iunonem et Minervam in ipsum bellum se parantes poeta ostendit, alterius currum, alterius arma splendidis verbis pingit. Nunc demum ut pingeret res tulit.

E 875. Mars a Diomede Minerva adiuvante vulneratus sic apud Iovem patrem expostulat:

σοὶ πάντες μαχόμεσθα· σὺ γὰρ τέκες ἄφρονα κούρην,
tibi stomachamur [1]) *omnes, tu enim istius pater es.*

„Omnes, — non tamen ei caelites qui cum Achivis faciebant Iovi hanc ob causam irasci potuerunt" fuit qui obiceret.

At eiusdem generis haec est obiectio ac si quis perhibeat non recte in nostratium sermone familiari eum qui defessus sit „tam lassum quam sit canis" dici, vel qui pluvia fuerit perfusus „tam humidum quam felem", non enim omnes semper canes fatigari neque omnes feles madere. Nempe grammatice qui loqui malint, potius fortasse dicant: „tam sum lassus quam est canis defessus et lingua exserta anhelans", vel: „tu tam es uvidus quam est felis quae in aquam coniecta vix vita salva inde emersit, villos humore conglutinatos trahens"; sic autem qui loquatur, audientes taedio enecet. Et nostro loco si non Mars loqueretur, deus iuvenis dolore cruciatus et ira percitus, sed grammaticus aliquis caelestis, haec fere fortasse dixisset: „nos omnes qui Troianis favemus non Minervae soli et tibi qui eam genuisti succensemus, sed etiam Iunoni Neptuno ceteris caelitibus iis, quos ipsa Iuno tum cogitavit cum: οὔ τοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι! Iovem increpuit" [2]).

At ne hoc quidem concedendum est hunc versum improbantibus. Nam Mars non ideo Iovi omnes caelites succensere ait quod *bellum* ciere Minervam siverit, sed quod *negotia* semper ea dea ipsis dis *facessat*, id quod nulli Olympiorum gratum esse potuit. „Semper et omnibus", — nempe hodie Veneri et Marti. Sic loqui solent qui irati sunt.

Sed quid immoramur versui qui non nisi crimine inani fuit petitus!

1) Verbum μάχεσθαι ut A 8 I 32 al.
2) Cf. Δ 29.

Digitized by Google

Z 86 sqq. De Hectore pugna aestuante in urbem reverso quae dicenda videbantur nuper dixi [1]); nunc non est cur ea repetam vel retractem.

Z 326. δαιμόνι', οὐ μὲν καλὰ χόλον τόνδ' ἔνθεο θυμῷ.

Hectoris haec verba quoniam ab aliis aliter explicari video et quid significarent plus semel olim ipse dubitavi, quomodo interpretanda nunc arbitrer exponendum videtur. Apparebit, ut spero, optime hunc locum cum vicinis cohaerere neque suspecti habere quicquam.

Paris igitur postquam a Menelao pugna singulari victus est cunctis Achivis et Troianis spectantibus, subito eorum oculis ereptus — nam Venus eum densa nube circumdedit et domum in ipsius cubiculum reduxit — nusquam comparuit. Mirari tum omnes, circumspicere, mox indignari, et si quis Menelao eum denuo sistere potuisset, fecisset; nam et Achivis et Troianis eorumque sociis Paris ῥῖσον ἀπηχθετο κηρὶ μελαίνῃ [2]). Ipse Hector, qui verbis contemtus plenis eum ad pugnam singularem ineundam modo stimulaverat et tantum non coëgerat [3]), egregie est indignatus, et quo magis mordacibus probris milites prosciderunt ducem meticulosum, qui ut vitam servaret, ex hostium conspectu mirifica et plane incredibili celeritate aufugisset, — sic enim putabant, — eo magis et Hector stomachatus est fratri ignavo, dum bellum furit quod ipsius culpa concitasset in tuto alicubi latitanti. Brevi post ipse Hector in urbem redux eum anquisivit, vel collo obtorto, si opus esset, in aciem eum retracturus. Adiit splendidas eius aedes in arce structas, ubi asservabat praedam illi, quem fugerat, Menelao olim ereptam. Invenit hominem apud uxorem in cubiculo sedentem. Putavit autem Paridem eam potissimum ob causam domi latitare quod puderet taederetque criminum quibus a civibus iam peteretur. Itaque sibi ceterisque Troianis succensere eum arbitratus *pro pudor!* increpuit: *tune domi nunc desides tuis ipsius civibus infensus?* Criminibus probrosis sane modo te proscidimus, cum

1) Cf. Mnem. 1910 pag. 349.
2) Cf. Γ 454.
3) Cf. Γ 39 sqq.

Digitized by Google

Menelaum in te irruentem fugisti, proscidimus cum pugna singulari ab eo victus periculo te subduxisti. Libenter tunc ei tradidissemus te, si potuissemus: vera haec, sed quid mirum civium animos a te esse alienatos, utpote a belli nuper coorti auctore! Dum aberant Achivi, multi potuerunt credere nihil eiusmodi futurum; iam vero, cum instant hostes, metu omnes cives perculsi praedonem regium, qui Menelao imparem se praestitit, vultu et verbis lacessunt. Fer quam commeruisti contumeliam, et virum tandem aliquando non inter feminas tantum sed et inter viros te praesta hostes ab urbe tua repellendo.

Respondet Paris: *non irae sed dolori volebam indulgere cum victus in thalamo me abdidi*[1]*; vel sponte autem in aviem eram reversurus.* Mox fratrem ad copias redeuntem strenuus et alacer comitatur.

Z 431—439. Maritum in praelium et hostes ruentem ut in urbe retineat Andromache, ultima ad eum haec dicit:

ἀλλ' ἄγε νῦν ἐλέαιρε καὶ αὐτόθι μίμν' ἐπὶ πύργῳ,
μὴ παῖδ' ὀρφανικὸν θήῃς χήρην τε γυναῖκα.
λαὸν δὲ στῆσον παρ' ἐρινεόν, ἔνθα μάλιστα
ἀμβατός ἐστι πόλις καὶ ἐπίδρομον ἔπλετο τεῖχος.
τρὶς γὰρ τῇ γ' ἐλθόντες ἐπειρήσανθ' οἱ ἄριστοι
ἀμφ' Αἴαντε δύω καὶ ἀγακλυτὸν Ἰδομενῆα
ἠδ' ἀμφ' Ἀτρεΐδας καὶ Τυδέος ἄλκιμον υἱόν·
ἤ ποθί τίς σφιν ἐνίσπε θεοπροπίων ἐῢ ϝειδώς,
ἤ νυ καὶ αὐτῶν θυμὸς ἐποτρύνει καὶ ἀνώγει.

Horum versuum septem postremos, ab Aristarcho et post eum ab aliis multis vituperatos, defendere conabor.

Andromache igitur postquam dixit: „noli denuo in hostes irruere", ne vana et prorsus irrita locuta fuerit, nam ducis est hostes arcere, addit quod et marito minus periculosum esse putat et urbi aeque utile: „milites" — non aliquos, sed cunctum exercitum, — „colloca potius ante eam muri partem, quae facilius quam ceterae potest conscendi. Hic hostes opperire, ne ultro pete in planitie".

Femineum sane consilium! Quod si improbatur a milite ali-

1) Vs. 335; ubi Τρώων χόλῳ significat *ira erga Troianos.*

Digitized by Google

quo belli perito, facile ei adstipulamur omnes, scimus enim non defendentium se sed hostes strenue aggredientium in bellis victoriam esse solere, et nullam unquam oppugnatam esse urbem quin citius tardiusve sit capta, nisi prius in campo aperto profligati essent qui eam obsiderent. Sed si quis ipsum poetam vituperat propterea quod ducis uxorem omnes ingenii vires intendentem ad causas interserendas, quibus maritum intra urbis moenia retineret, talia dicere fecerit, testatur se non agnoscere artem poetae, alia mulieri belli ignarae verba et consilia tribuentis, alia ipsis ducibus. Hector sciebat Achivos adoriendos et in ipsa planitie vincendos esse, si Troia esset mansura: Andromache nesciebat.

Illustratur autem noster locus fabula a Pindaro commemorata [1]): Apollinem et Neptunum Aeaco adiutore esse usos cum Troiae moenia struerent, ab ea autem parte, quam Aeacus extruxisset, eius posteris fato concessum esse aditum. Sic igitur Homeri verba interpretemur: muros Troiae a Neptuno sive solo [2]) sive adiuvante Apolline [3]) extructos [4]) unum habuisse locum ubi quamcunque ob causam — nam et in hac carminis parte et alibi poeta hac de re tacuit, immerito sic Aristarcho suspicionem movens, — possent expugnari. Hoc arcanum ne a vate aliquo Achivis reclusum fuerit Andromachen vereri, in illum enim locum hostes plus semel modo fecisse impetum, cum Troiani absente duce [5]) et ipso deo qui eis praeerat vulnerato [6]) minus strenue pugnarent [7]). Pluribus verbis id a poeta enarrari nihil opus fuit, quivis enim auditor sensit inferiores sic aliquantisper factos esse Troianos; nunc poeta breviter indicat quam prope tunc ad urbem Achivi accesserint. Fac autem mentitam nunc Andromachen: mendacium erit muliere de vita mariti sollicita non indignum. Sed haudquaquam mentitam arbitror, auditores autem optime scivisse quo tenderent verba poetae *θεοπρόπια* commemorantis.

Qui hos versus reicit, gemmam aspernatur.

---

1) Cf. Ol. VIII 40—58.
2) Cf. Φ 446.
3) Cf. H 452.
4) Cf. Θ 519 Φ 526.
5) Cf. Z 86 sqq.
6) Cf. E fin.
7) Cf. H 4—7.

Digitized by Google

H 17—322. Venio nunc ad eam Iliadis partem, quam cum alia quadam parte in unum carmen satis apte potuisse coniungi plurimi critici negarunt, quibus et ego nimis diu sum adstipulatus. Dico Aiacis et Hectoris pugnam singularem, quae post Menelai cum Paride certamen ferri non posse multis videtur, ab aliis autem ita defenditur ut dura crimina praeferas. Iliadi postmodo insertam esse diu putavi: nunc nullus dubito quin et ipsi Iliadis poetae debeatur et laude sit dignissima.

Quod unum nunc concedendum est, id poetae Iliadis dedecus nullum affert: eum in hac carminis parte — ut alibi passim — usum esse materie aliunde desumta. At tam apte eam materiem suo carmini inseruit ut nihil sit hoc loco quod iure possit vituperari. Videamus singula.

Cum per magnam diei partem vario marte pugnatum esset et superiores aliquantisper facti Achivi vel ad proximam urbis viciniam accessissent, dein Hector et Paris in aciem reversi eos reppulerunt magnamque eorum stragem dederunt. Tum e caelo rediit Minerva ut suis opitularetur, cui obviam statim ruit Apollo; dein his dis placuit pugnam sistere — ad occasum enim iam vergebat sol — et solos Hectorem Achivorumque aliquem ducem in certamen singulare committere.

Hoc igitur certamen post Menelai cum Paride illud alterum multi molestum esse censent; at utile potius dicendum est atque adeo necessarium. Quid enim? Hectore auctore [1]) initae sunt induciae et sollemni iureiurando confirmatae, ut Menelao fieret occasio cum Paride ex composito decertandi. At Paris cum eo certamine profligatus esset, a Venere ereptus est victori, et sic eventum res nullum habuit. Dum autem dubitatum est quid iam deberet fieri, scelere Pandari violatae sunt induciae itaque piaculo obstricti sunt Troiani. Cuius delicti dedecore ipse praesertim Hector exercitus Troiani dux pollutum se sensit, iamque iubente Troiae praeside Apolline secum decernit corrigere quae frater et socius Lycius peccarint, quatenus quidem possit. Suae ipsius saluti invigilavit Paris: honori consulet Hector!

Adiit igitur hostes et eos allocutus est. Dixerit quispiam

1) Cf. Γ 86 sqq.

Digitized by Google

praelium subito sic interrumpi non potuisse; at in ea praeliorum specie, quam poeta ostendere nobis solet, qua promachi per spatium inter utrumque exercitum patens alter in alterum incurrunt identidem et verbis prius quam hastis inter se petunt, ea res non est incredibilis. Hectoris autem, non Achivorum male tunc habitorum [1]), fuit eiusmodi quid facere.

Quid autem dicit ad duces Achivorum, postquam pugnae intermissio est facta? „Inducias, quas inieramus, ad eventum per„duci non sivit pater caelestis": quod verum est, nam ipsi caelites Paridem morti instanti eripuerunt, dein ut foedere violato bellum cieretur effecerunt: „bellum igitur vitare non licuit: „doleo, sed mutare id nequeo. Quod vero possum, id iam praesto: „en ipse adsum qui pugnam singularem cum fortissimo quoque „vestrum ineam. Sic maculam fratris a Menelao victi et ipsius „Menelai ex insidiis sceleste vulnerati delere conabor; inferior „autem si ego quoque fiam, non ut ille aufugiam" [2]).

Honoris igitur *causa*, ἐξ ἔριδος sive περὶ ἔριδος [3]), Hector est dimicaturus. Nam haec est vocis ἔριδος vis; quam si quis *discordiam* dicat latine, procul discedat ab Homerica vocis vi. Est *laudis amor* ille, quem Hesiodus noto loco [4]) celebravit, *studium generosum*, quod prohibet quominus metui indulgeant milites [5]). Haec dea libri Λ initio Agamemnonem et ceteros Achivos incitat ad pugnam strenue ineundam, spretis consiliis quae suggerebat timor. Et praesto iam est auxilium Pelei verbis ab Heynio damnatis, cui olim et ego adstipulabar, filium in bellum abeuntem sic admonentis: *„animum generosum modeste compescere te oportet, fili,*

ληγέμεναι δ' ἔριδος κακομηχάνου, ὄφρα σε μᾶλλον
τίωσ' Ἀργείων ἠμὲν νεοὶ ἠδὲ γέροντες" [6]).

Hic ἔριδα verte *discordiam* vel *rixam* — et cum Heynio dices Achillem a patre non potuisse admoneri ut *finem faceret rixae* quam postea cum Agamemnone initurus esset; at Peleus filium

1) Cf. vs. 18.
2) Cf. vs. 69—91.
3) Cf. vs. 111, 303, al.
4) Op. 11—24.
5) Nostrum *eergevoel*; saepe etiam *eerzucht* vertendum. Quod cum *nimium* fit studium, tum demum vituperatione dignum fit; tum θυμοβόρος (T 58) fit ἔρις, quod suo cum malo expertus est Achilles (cf. Σ 107).
6) Cf. I 257 sq.

Digitized by Google

abiturum ne *immodico laudis illi studio*, quo inde a primis pueritiae annis fuisset stimulatus, in posterum quoque indulgeret adhortatus est, sic enim et iunioribus et senioribus inter Argivos, quibuscum iam in bellum proficisceretur, magis gratum fore: eo plus honoris accepturum quo minus sibi posceret.

Sed ad Hectorem redeamus. Unam igitur laudem hic appetebat cum Achivorum principes in certamen singulare provocavit. Condiciones nullae sunt propositae, neque circumscriptum est spatium intra quod pugnandum esset [1]). Quid enim? Fugere et sic victum se fateri alterutri licebat, si vellet. Nihil hac pugna, ut Menelai cum Paride pugna, decerni aut debebat aut poterat.

Adstabant utrinque copiae

ἀσπίσι καὶ κορύθεσσι καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι [2]),

i. e. *clipeis exutis innisi*, — nam *horrendi* verbum ultimo nomini soli convenit, — *galeati, hastis erectis*, non iam in hostem intentis, *et solo infixis:*

ἀσπίσι κεκλίμενοι, παρὰ δ' ἔγχεα μάκρ' ἐπεπήγει [3]).

Provocanti autem Hectori cum nullus ex ceteris ducibus aurem praeberet, ipse Menelaus in medium processit et κατεδύσετο τεύχεα καλά [4]) sive *clipeo resumto* — de lorica exuta denuoque induta non esse cogitandum dici vix est opus — *in pugnam se paravit.* Sed ἀναΐξαντες sive *proruentes* ceteri reges, quod *immotum standi* verbo ἧσθαι opponitur nunc participium [5]), eum retinuerunt et clipeum ei ademerunt [6]), dein sorte ducta Hectori adversarius designatus est Aiax Telamonius. Qui pugnam initurus „voce submissa pro mea salute preces facite", ad sodales ait, „ne hostes incantamentis aliove artificio verba vestra irrita facere possint". Dein vero se ipse reprehendens heros, ne timere videatur, „quamquam quid loquor", addit: „palam modo precamini! per me licet: neminem nos Achivi metuimus". Immerito critici cum prisci tum recentiores multi hos versus, in quibus ipsa vita veluti cernitur et auditur, vituperarunt.

---

1) Ut Γ 315.
2) H 62.
3) Ut dicitur Γ 135.
4) H 103. Item mox Aiax vs. 206 sq.; Cf. Δ 222 al.
5) Item Δ 114.
6) Cf. H 122.

Digitized by Google

Conferenda est Helena verba cum egregio erga maritum contemtu retractans [1]).

Mox armatus et Hectori oppositus Aiax superbe ridens *βλοσυροῖσι προσώπασι*, quo clarius significet se eum minime timere,

ἀλλ' ἄρχε μάχης ἠδὲ πτολέμοιο

ait [2]): *incipe modo; telum tuum quomodo vitem scio. Ego vero si pugnandi initium fecero, tibi hastam torquendi occasio nulla erit.* Nam haec verborum contemtim ab ingentis molis bellatore prolatorum est vis, et commentarii instar sunt Neptuni cum Apolline pugnam singularem inituri verba [3]):

ἄρχε . . .· οὐ γὰρ ἐμοί γε
καλόν, ἐπεὶ πρότερον 'γενόμην καὶ πλείονα ϝοῖδα.

Sic superciliose — nam eiusmodi urbanitas contemtum et irrisionem habet — dux ille gallicus *„tirez les premiers"* ad hostes dixit aut dixisse fertur. Itaque Hector iratus *ergone pueri vel mulierculae imbellis me instar habes?* exclamat.

Coepta est pugna, vulneratus est Hector, dein saxo ab Aiace percussus concidit, sed denuo exsiliens stricto gladio adversarium cominus aggressurus erat, nisi intercessissent praecones, noctem ingruere et honori satis iam datum esse prolocuti. Aurem iis praebuit Hector et diremto sic certamine donum Aiaci dedit ensem suum, hic Hectori suum cingulum. Et sic huic episodio eum finem fecit poeta Iliadis quem unum facere ei poterat. Hectori mortem illaturus erat Achilles, Aiax post utriusque mortem ipse se leto daturus.

H 337—464. Sequuntur versus quibus Achivi auctore Nestore fossam et aggerem ante castra duxisse narrantur. Haec quoque carminis pars a multis est improbata, immerito profecto. Nam quid miri habuit Nestoris illud consilium, cum prima pugna male cessisset, — non enim capta est urbs, ut speraverat Agamemnon [4]), — naves et tabernacula et praedam et praesertim

---

1) Cf. Γ 432—436.
2) Cf. H 232.
3) Cf. Φ 439 sq.
4) Cf. *νῦν* B 12, 29, 66, 330.

Digitized by Google

ossa caesorum munimento protegi iubentis? Sed de hac re iam antehac disputavi [1]).

Interim [2]) in Troiae arce deliberarunt primores Troianorum, et fuerunt qui pacem ab Achivis peti iuberent. At Paris speravit et confidit Achivos, qui illo die urbem capere non potuissent neque admodum feliciter pugnavissent, ne postea quidem victores evasuros, — expectans videlicet id quod optaret et praedam suam e manibus mittere recusans. Qui ceteris iunioribus ipsique Priamo patri nunc quoque — ut ante bellum initum — persuasit. Neque is erat Paris qui invitus cogi posse videretur [3]). Aliter sane sensit Diomedes in ducum Achivorum concilio sententiam dicens, iuvenis ferocissimus, strenuus semper et ad hostes petendos paratissimus: non devictos quidem esse Troianos, versus urbem tamen repulsos, et Hectorem, qui die exeunte pugna singulari cum Aiace congressus esset, inferiorem inde evasisse, quod autem gravissimum esset, Troianos foedere violato deorum iram sibi conciliasse; devotam iam esse illam gentem, *Τρώεσσιν ὀλέθρου πείρατ' ἐφῆφθαι* [4]).

Optime haec omnia decurrunt et inter se cohaerent. Sed versus 443—464, qui salvo contextu possunt omitti, postmodo insertos esse probabilis videtur veterum criticorum opinio. Quos versus qui fecit [5]), *murum lapideum*, non *aggerem*, Achivorum castris circumdatum finxisse sibi videtur. Quod ni fecisset, vix erat cur deos opus illud mortalium tantopere admiratos diceret. Nam aggere castra cingere cuiusvis exercitus est; intra unius diei spatium perfici id haud difficulter potuit, et postea nunquam non sic bellum gesserunt Romani. Neque opus illud magnopere miratus est Hector [6]); quem nimis quidem contemtim, utpote hostem, de eo locutum esse facile intellegimus, sed ridiculus fuisset si tam proterve vilipendisset munimenta, quae ipsis caelitibus invidiam movissent. Et miraculi instar fuisset murus lapideus tam cito structus.

---

1) Cf. Mnemos. 1906 p. 199 et 261, 1, 1910 p. 380.
2) Cf. H 361—364.
3) Cf. H 393 Z 522.
4) Cf. H 401 sq.
5) Memor fortasse Neptuni in Odyssea de Phaeacum erga Ulixem benevolentia cum Iove expostulantis ν 127 sqq.
6) Cf. Θ 178.

Digitized by Google

Molestiam autem chronologicam habent versus 430—435: *Achivi, perinde atque Troiani, caesorum suorum corpora collecta et rogo imposita cremarunt;*

ἦμος δ' οὐκ ἄρα πω ἠὼς, ἔτι δ' ἀμφιλύκη νύξ,
τῆμος ἄρ' ἀμφὶ πυρὴν κριτὸς ἤγρετο [1]) λαὸς Ἀχαιῶν,
τύμβον δ' ἀμφ' αὐτὴν ἕν' ἐποίεον κτέ.

Nam fert ratio ut magnam diei partem Achivi et Troiani tristi negotio mortuos anquirendi colligendi cremandi insumserint, dein expectari necesse fuit dum ingentis rogi flammae concide-rent. Hoc igitur dicitur versu 432:

ἐν δὲ πυρὶ πρήσαντες ἔβαν κοίλας ἐπὶ νῆας [2]).

Dein nox intercessit, ut post *Patrocli* et post *Hectoris* corpus combustum [3]), et proximi demum diei initio Achivi ossa mor-tuorum legerunt (vs. 433 sq.), dein vallum struxerunt. Sed fatendum est aut ipsum poetam in temporis decursu indicando non admodum diligentem nunc se praestitisse, aut in textu tradito desiderari quaedam, quibus rerum ordo et prioris diei finis accuratius olim fuerint indicati.

Si vero sumamus poetam de *uno* tantum die loqui vs. 381—465, cum in alias molestias incidamus, tum non habeamus quomodo cum versuum 372 et 381 voce ἠῶθεν aut cum versu 421: ἠέλιος ... νέον προσέβαλλεν ἀρούρας conciliemus versum 433: *nondum aurora sed diluculum erat;* nam *prius* est νὺξ ἀμφιλύκη quam ἠέλιος προσβάλλει ἀρούρας, et ἠόος *iamdudum* facta est mentio. Sic igitur oporteat verbum ἤγρετο vertamus: *interim convenerat,* alios igitur caesorum corpora collegisse, alios interim rogum struxisse rati; atqui *convenerunt* poeta ait *circa bustum,* non: *ad rogum struendum convenerunt* (vel potius: *ligna congesserunt*).

Manet igitur quod diximus: ante unum diem quam mortuo-rum ossa sepulta sunt et fossa est facta, rogum esse erectum, et recte olim Heyne perhibuit: „inde a versu 432 alter dies succedere putandus est, quo vallum absolvitur".

Denique pauca sunt dicenda de Nestoris ad Agamemnonem verbis 334 sq.: *cum alluxerit, mortuorum corpora in castra con-geremus et cremabimus*

1) Sic Duentzer (a verbo ἀγείρειν) pro ἔγρετο.
2) Versus 431 sq. del. Leaf, quem sequi iam nolim.
3) Cf. Ψ 226—257 Ω 788.

Digitized by Google

τυτθὸν ἀπὸ πρὸ νεῶν, ὥς κ' ὀστέα παισὶ τέκαστος
τοίκαδ' ἄγῃ, ὅτε κ' αὖτε νεώμεθα πατρίδα γαῖαν.

Hic sequendus videtur Aristarchus, obelo hos versus confodiens, singularem enim πυρήν vs. 336, adiectivum ἄκριτον vs. 337 et 436, verbum ἐνήεον vs. 431 docere de secernendis singulis corporibus poetam non cogitasse, neque in patriam ossa defunctorum reportare morem fuisse militibus, testibus vs. 86 al. [1]); cum praesertim et Troiani cineres suorum reliquerint in loco ubi cremati erant [2]). Neque apte dicta sunt: ὥς κ' ὀστέα παισὶ τέκαστος ἄγῃ.

Quod Aeschylus hos versus cognitos habuisse videtur [3]), id nihil nunc ad rem.

Θ 1 sqq. Venimus nunc ad eum Iliadis librum, cui priscum nomen κόλος μάχη sive *praelium mutilum* infamiam aliquam videtur allevisse; multi certe critici, in his sagacissimi, severe admodum de eo iudicarunt. Cur vero? Paucis complectemur quae in hac carminis parte narrantur.

Iuppiter promisso, quod Thetidi dedit, hodie stare secum decrevit: gravi clade Achivi a Troianis afficientur, dein precibus Achillem adibunt. Quod ut possit fieri, ceteros caelites hodie a pugna abstinere iubet, gravissimis minis additis; nam „*si quis*" ait „*conetur*

ἢ Τρώεσσιν ἀρηγέμεν ἢ Δαναοῖσι [4]),

male a me mulcabitur". Sic id quod potissimum curae est in posteriore enuntiati parte collocat, cuius maius est pondus.

Curru dein ipse Iuppiter in Idae cacumen vectus ex edito illo loco fulmen misit in copias Achivorum, Troianos initio diei denuo aggressorum. Circa meridiem terga dederunt Agamemnonis milites et fuga effusa repetiverunt castra. Ipse ille Diomedes, qui proximo die tanta facinora perpetraverat et urbi perniciem instare certissimum duxerat [5]), in castra equos convertit, quamvis invitissimus. Sed hostes insequentes ab aggere certe rep-

1) Cf. Δ 174 Σ 332 γ 108 sqq.
2) Cf. vs. 429.
3) Cf. Agam. 436—445.
4) Cf. Θ 11.
5) Cf. Η 401 sq.

Digitized by Google

pulit, ceteris principibus adiuvantibus, donec finem pugnae fecit solis occasus.

De materie autem, qua in hac carminis parte effingenda poeta usus est, cum disputamus, iuvat observasse Iovem tum cum in *Olympo* sedeat Achivis favere, ut Iunonem vel Minervam, cum vero in *Ida*, Troianis, et vestigia aevi pristini, quo deus Idaeus totus Troianorum, deus Olympius totus Achivorum fuit, clare agnoscimus [1]). Sed nihil haec observatio ad Iliadis compositionem: neque laudem habet ullam neque crimen. Poeta noster, cui Iuppiter fuit pater deorum Olympius, ut incongrua ita ut posset concinnaret, Iovem tum, cum Troianis opem laturus esset, in Troadem aliquantisper *migrasse* finxit. Et splendidis profecto versibus pinxit deum illuc bigis vectum.

Haec igitur quae diximus habet liber Θ: haec minus apte composita esse minusve bene cum cetero carmine cohaerere perhibere potest quis, probare non potest. Et quod attinet ad veterum observationem, *mutilam* hanc pugnam propterea fuisse vocatam quod prior eius pars paucis tantum versibus [2]) fuerit indicata, posterioris narratio subito abrupta fuerit [3]), haec si vera est nominis interpretatio — nam pugnam *sine deorum interventu gestam* olim sic significatam esse fortasse suspicetur quispiam — et nihil aliud si sibi vult nisi ipsam rem verbis exprimere, ut vera sic inutilis est; si vero criminis vel suspicionis aliquid habet, et poetam minus bene nunc rem suam egisse vel ipsius carminis hanc partem postmodo mutilatam fuisse sic indicatur, strenue et quam primum est reicienda.

Nam suo profecto iure et prudenti consilio poeta de pugnae *initio*, quod memoratu dignum nihil habuit, breviter id unum dixit, per priorem diei partem aequo marte pugnatum fuisse; *posteriorem* vero pugnae partem, qua profligati sunt Achivi, varie et ornate pinxit: Iovis fulmine Achivos semel et iterum conturbatos, Diomedem invitum in fugam se vertentem, Teucrum ceterosque Achivorum principes ab ipsis castris Troianos vix arcentes, Iunonem furore trepidantem cum suos misere pereuntes

---

1) Cf. etiam Λ 80—84 et vicini.
2) Vs. 60—67.
3) Vs. 349.

Digitized by Google

vidit, et prius a Neptuno auxilium frustra petentem, dein ipsam cum Minerva ad opem Achivis ferendam e caelo ruentem, mox vero iteratis Iovis minis perterritam et in aedes Olympias redeuntem. Paucis autem verbis poeta res illo die gestas enarrandi sic finem fecit:

ἐν δ' ἔπεσ' Ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,
ἕλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.
Τρωσὶν μέν ῥ' ἀτέκουσιν ἔδυ φάος, αὐτὰρ Ἀχαιοὺς
ἀσπασίη τρίλλιστος ἐπήλυθε νὺξ ἐρεβεννή [1]).

Haecine *mutila* dicenda est pugnae narratio? Ergone Iunonis ea trepidatio, qua ut vel Iovis iussis adversaretur huiusque minas aliquantisper neglegeret est permota, parum valet ad significandum periculum, in quo versati sunt Achivi? Et adiectiva illa ἀσπασίη τρίλλιστος nonne Achivos anxios, defessos, de ipsa salute paene desperantes, quales mox poeta exhibebit in libro I et in libri K initio, clarius nunc nobis ostendunt quam effici poterat versibus aliquot fuse et oratorie haec omnia enarrantibus?

Sed breviter interpretanda sunt quae huius libri initio Iuppiter Minervae apud se expostulanti respondet. Quae postquam ad patrem ceteros caelites a pugna hodie abstinere verbis minacissimis iubentem dixit: „obediendum est sane, tu enim es pater et rex; sed miseret Achivorum, qui si nostro auxilio destituantur, inferiores fient", Iuppiter „bono animo esto", ait, „non enim quod tibi male velim, neque quod exercitum gentis cui faves delere velim, ita sum locutus. Quod a bello abstinere vos iussi, id non est cur animo despondeas; non enim eum eventum habitura est Achivorum expeditio ut re infecta pereant. Manet quod decrevimus [2]): Ilium expugnabitur."

Haec est vis verborum:

θάρσεε, Τριτογένεια, φίλον τέκος· οὔ νύ τι θυμῷ
πρόφρονι μυθέομαι, ἐθέλω δέ τοι ἤπιος εἶναι [3]).

Significat autem θυμῷ πρόφρονι in Iovis ore: *mente Achivis infesta et eorum perniciei intenta*, quemadmodum modo [4]) πρόφρων

1) Vs. 485—488.
2) Cf. Δ init.
3) Cf. Θ 39 sq.
4) Cf. vs. 23.

Digitized by Google

ϝερύσσαι dixit *ita trahere ut qui serio agentes omnes vires intendunt.* Gallicum *pour tout de bon* id quod vult pater deorum vel ipse poeta optime reddit. Eadem versuum quos excripsimus vis est loco parallelo [1]), ubi Iovi ambigenti an Hectorem Achilli persequenti eripiat Minerva sic obloquitur: „tune igitur virum mortalem vis servare fato et caelitibus ceteris invitis?" Dein Iuppiter: *„bono animo esto,"* ait, *„filia carissima; non stat mihi consilium, libenter autem tibi obtempero".* Et addit:

ϝέρξον ὅπῃ δή τοι νόος ἔπλετο, μηδέ τ' ἐρώει.

Etiam de versibus qui sequuntur [2]) aliquid observasse fortasse utile fuerit:

ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφεβεβήκει,
καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
Τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων,
εἵλκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ' αἴσιμον ἦμαρ Ἀχαιῶν.

Huius librae quae Iovi *utilitas* nunc fuerit fortasse rogaverit quispiam: non rogabit qui sapiat. Deo, cui certum staret consilium, neque necessaria neque utilis aut nunc aut alio tempore esse potuit bilanx. Sed ipsi *poetae* fuit utilis ad vividam imaginem animis audientium obiciendam. Aliis imaginibus poeta idem tum significavit cum *duo vasa* in limine Iovis, bona et mala inde hominibus dispensantis, monstravit collocata [3]), et tum cum *filum vitae* commemoravit [4]).

Θ 325—329. Hector Teucrum arcum in se intendentem

παρ' ὦμον, ὅθι κληῖς ἀποϝέργει
αὐχένα τε στῆθός τε, μάλιστα δὲ καίριόν ἐστι,
τῇ ῥ' ἐπὶ ϝοὶ μεμαῶτα βάλεν λίθῳ ὀκριόεντι,
ῥῆξε δέ ϝοι νευρήν· νάρκησε δὲ χεὶρ ἐπὶ καρπῷ.
στῆ δὲ γνὺξ ἐριπών, τόξον δέ ϝοι ἔκπεσε χειρός.

Hic non *arcus nervus* voce νευρῇ videtur indicari, ut in versu proximo 324 et loco subsimili Ο 463—470, sed Heyne videtur

1) Cf. Χ 182 sqq.
2) Cf. Θ 68—72.
3) Cf. Ω 527—533.
4) Cf. Τ 127 sq. al.

Digitized by Google

sequendus esse, qui *tendinem humeri* est interpretatus. Nam non *partem* solam *corporis*, quae ictu feritur (παρ' ὦμον), sed et ictus *effectum* indicare solet poeta, et melius inter se cohaerent versus 328 pars prior et posterior si sic reddimus: *saxo ei iugulum feriit, quo ictu divulsus est tendo, ita ut brachium torperet.* Fortasse autem νεῦρον, non νευρήν fuit olim, Π 316 certe νεῦρα, non νευραί dicuntur corporis humani tendines. Nostra tamen lingua eiusmodi discrimen non habet, neque linguae vicinae aut Latina [1]).

Quodsi recte Heyne locum est interpretatus, optime congruunt Teucri verba postero die, cum Iuppiter ei arcum e manibus excussisset et huius nervum fregisset, sic querentis: *„pro numen malignum, quod mihi*

νευρὴν ἐξέρρηξε νεόστροφον, ἣν ἐνέδησα
πρώϊον, ὄφρ' ἀνέχοιτο θαμὰ θρῴσκοντας ὀϊστούς" [2]).

Nam novum nervum ei quo pridie usus fuerat tum substituit. Si vero in secundo praelio ruptus ei est nervus arcus, sequentis diei initio novum nervum huic illigare debuit — non veritus ne nervus prior diutius iam usurpatus in pugna rumperetur, sed propterea quod nullum iam nervum arcus haberet.

At postero die sive in pugna tertia arcum tenere quomodo potuit, si eo die de quo nunc loquimur sive in pugna secunda ei divulsus est brachii tendo?

Respondemus rogando. Qui potuit *Aeneas*, cum fractum ei esset femur et divulsi essent tendines [3]), post unius duarumve horarum spatium [4]) in praelium redire corpore sanato et viribus integris? Et Apollinis Latonae Dianae si miraculum hoc fuisse dicitur [5]), filio Veneris egregie faventium, pergimus rogare quomodo *Sarpedon*, cum in primo praelio concidisset femore perfosso multoque sanguine amisso [6]), post quatriduum plurima facinora fortissima edere et cum ipso Patroclo confligere potuerit? [7]) Nempe ipsius Iovis filius hic fuit ideoque naturae legi-

1) *Pees, Sehne, nervus*, al.
2) Cf. O 469 sq.
3) Cf. E 307.
4) Ibid. vs 541.
5) Sic et Mars a Paeeone medico caelesti dicto citius sanatus est, E 904.
6) Cf. E 660—698.
7) Cf. M 397 sqq. Π 419 sqq.

Digitized by Google

bus a numinibus est exemtus? Quid igitur *Diomedes*, patre mortali natus homo, cui in primo praelio brachium dextrum sagitta est perforatum? A dea stimulatus pugnam continuavit, vulneravit Aeneam, Venerem, ipsum Martem, necavit plurimos, et sequentium quoque praeliorum pars magna fuit, in tertio autem praelio cum denuo fuisset vulneratus, Paris enim pedem dextrum ei sagitta transfixit [1]), mox tamen ludorum funebrium fuit particeps. Quid *Glaucus*, qui brachio dextro vulnerato cum hastam tenere nequiret et dolore vehementissimo cruciaretur, ad Apollinem est precatus, hic autem ἔπαυστ' ὀδύνας, αἷμα δ' ἐτέρσηνε, μένος δέ οἱ ἔμβαλε θυμῷ [2]), itaque in praelium reversus Glaucus mox unum e ducibus Myrmidonum hasta interemit [3]).

Talia igitur et facere poterant di et faciebant. Artem autem illam divinam callebat etiam Chiron Centaurorum cultissimus, qui eam docuit Aesculapium et Achillem. Achilles docuit Patroclum, itaque hic Eurypyli graviter vulnerati femur apto remedio curavit. Aesculapius autem docuit filios suos Podalirium et Machaonem, qui quantum ea arte valuerint ostendit Menelaus non letali quidem vulnere affectus, tali tamen ut sanguine ei perfunderentur crura, dein dicto citius a Machaone sanatus [4]) et extemplo in pugnam ruens [5]). Itaque non mirum est etiam Agamemnonem et Ulixem, cum in praelio tertio gravia vulnera accepissent, tam cito esse sanatos ut postero die concionem certe possent adire hastae innisi; Ulixes autem brevi post cursu vicit in ludis funebribus.

Nihil hic certe valet vulgatum illud et decantatum crimen carminis e diversorum carminum fragmentis contaminati, nam unus idemque poeta quin Menelaum vel Diomedem vel Glaucum vel Aeneam et vulnerari fecerit et dicto citius sanari dubitare nemo potest.

Quae cum ita sint, non est cur negemus etiam Teucri tendinem illam, quam laesit saxum ab Hectore coniectum, tam cito et tam bene a Machaone potuisse sanari ut die proximo

1) Cf. Λ 376—388.
2) Cf. Π 528 sq.
3) Ibid. vs. 594.
4) Cf. Δ 218 sq.
5) Cf. E 50.

Digitized by Google

heros arcum denuo intendere potuerit. Prodiit tum post alios [1]), quieti igitur aliquid dare eum iusserat medicus; cum vero prodiisset, strenue ut antea se gessit. Illo autem die, perinde atque pridie, dum arcu utitur, prohibitus est quominus pergeret sagittari; nam, ut supra iam vidimus, Iuppiter arcus nervum ei fregit et ipsum arcum e manu excussit [2]). Quomodo autem? Immissone fulmine? Dixeris poetam hoc voluisse, quoniam Teucer *metu est perculsus* et *a deo* arcum sibi ereptum esse statim intellexit. Fortasse tamen praestat hanc rem non urgere, quoniam certi nihil dixit ipse poeta. Quicquid id est, patet poetam *bis* usum esse prisco argumento, quod hoc fuit: „Teucro" vel potius — nomine omisso — „Achivorum principi Troianos insectanti arcum excutit deus Troiae defensor". Altero loco in heroem mortalem abiit ἕκτωρ ille, qui οἷος ἐρύετο Τίλιον ἱρήν, non caeleste autem telum iacit sed lapidem terrestrem, altero mansit qui fuit primitus: deus ex Idae cacumine fulmina torquens in urbis suae hostes. Conferri potest e. g. argumentum item priscum, quod fuit huiuscemodi: „Achivorum principem sagitta ferit Troiae defensor"; id enim Iliadis poetae praebuit Diomedem a Pandaro [3]) eundemque a Paride [4]) sagitta vulneratum nec non Achillem a Paride ipsove Apolline sagitta interemtum [5]).

I 1 sqq. Nonus liber et egregiis laudibus a plurimis est elatus et tamen a plurimis damnatus. Quam potissimum ob causam? Quod critici sibi persuaserunt libri undecimi quosdam versus intellegi non posse si liber nonus antecesserit. Sunt autem Achillis, Achivorum cladem gravissimam spectantis, haec ad Patroclum verba:

νῦν δ᾽ἴω περὶ γούνατ᾽ ἐμὰ στήσεσθαι Ἀχαιοὺς
λισσομένους· χρηὼ γὰρ ἱκάνεται οὐκέτ᾽ ἀνεκτός [6]).

Dici haec non potuisse ab eo viro ad quem exorandum proxima vespera venissent Achivorum legati, illi quos dicimus

1) Cf. M 336.
2) Cf. O 469 sqq.
3) Cf. E 95 sqq.
4) Cf. Λ 369 sqq.
5) Cf. X 359 sq.
6) Cf. Λ 609 sq.

Digitized by Google.

critici arbitrantur. Non agnoverunt igitur discrimen quod interest inter legationem principum sera vespera et veluti clam ab Agamemnone ad Achillem missam et id quod nunc expectat iuvenis Agamemnonem pessime perosus: fore ut ipse exercitus circumfusus et ad pedes eius advolutus ut ignoscat sibi et a morte instante se servet efflictim precetur. „Iam, iam" exclamat, „satisfiet mihi:

νῦν δ'ἴω περὶ γούνατ' ἐμὰ στήσεσθαι Ἀχαιοὺς
λισσομένους· χρηὼ γὰρ ἱκάνεται οὐκέτ' ἀνεκτός".

Ut Ulixem et Aiacem ad Achillem mitteret Agamemnon, a Nestore intra tabernaculi regii parietes permotus est, non nisi paucis regibus praesentibus [1]); per caliginem nocturnam tum illi heroem iratum adierunt, at ille superbe aspernatus est eorum preces, aspernatus est promissa regis nomine sibi oblata. Nunc illos ipsos venturos arbitratur, qui tum viderunt Briseidem ex eius tabernaculo ad Agamemnonem deductam neque prohibuerunt quominus sic consummaretur contumelia, quam minatus ei fuerat Agamemnon. Omnes iam duces et vel milites gregarii pallidi trepidique Achillem palam γουνάσσονται γνὺξ ἐριπόντες [2]) sive πρόχυν καθεζόμενοι [3]), nam hoc est περὶ γούνατα ἵστασθαι. Hi supplices adibunt eum quem tum propudio haberi viderunt et siverunt, hi ampla dona ei offerent, hi Briseidem ei reddituri sunt [4]).

Hanc gradationem habent libri I et Λ inter se collati. Deme autem ex Iliade τὴν πρεσβείαν totumque librum nonum: mox subibit mirari cur in libro undecimo Achilles Patroclum allocutus nullam ipsius Agamemnonis mentionem fecerit?

„At" — illi pergunt — „etiamsi concedamus ea quam commendas ratione explicari posse libri *undecimi* istos versus, at restant quam maxime incommoda et plane intolerabilia quae in libro *decimo sexto* ad Patroclum Achilles dicit: *impudenter iam castris nostris inequitant Troiani: meam scilicet galeam non vident;*

---

1) Cf. I 68—113.
2) Cf. Ε 309 al.
3) Cf. I 470.
4) Cf. πρὸς πάντων Δαναῶν Π 85 et ἀφέλεσθε δόντες Α 299.

Digitized by Google

τάχα κεν φεύγοντες ἐναύλους
πλήσειαν νεκύων, εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων
ἤπια τειδείη [1]).

„Si bene ei vellet Agamemnon, non fugerent nunc Achivi: at nonne bene nunc ei vult Agamemnon? Nonne splendida dona ei obtulit ipsamque suam filiam in matrimonium daturum se promisit?"

Sic illi; itaque male versa verba, male intellecta criminis iniquissimi causa extiterunt. Nam non id quod illi aiunt Achilles dicit, sed vertendum est: *si Agamemnon amicus mihi esset*, i. e. *si tum non despicatui me habuisset, sed amicus mihi mansisset.* Odit Achilles atque contemnit regem et dona ferentem, neque ἤπιον sibi ducit propterea quod metu permotus opum aliquid per alios offerri sibi iusserit.

Sed paullo etiam altius res est repetenda; nam et vicina Achillis verba [2]) parum recte explicata errorum causa extiterunt. Qui postquam cachinno maligno explosit Patroclum et puellulae lacrimosae assimulavit, huius dolorem impense mirari se nullamque eius causam sibi cognitam esse fingens, dein indignato amico utque se certe in praelium rúere sineret precato, si ipse quamcunque ob causam nollet, non iam ridens sed irae effrenae indulgens: „dubitare qui potes cur a pugna ego abstineam!" respondit. „An nescis quid perpessus sim, quid minatus? Non „ideo quiesco quod meae cuti caveam quodve a Iove sim iussus „pugna abstinere, sed quia contumelia affectus sum intolerabili. „Hoc est quod doleo et gravissime quidem doleo. Sed quid at„tinet illam ob causam perpetuo stomachari": — i. e. iram identidem suscitare de eius causa disputando [3]): — „scis quid „dixerim: ego tum in pugnam me accingam cum in meas „ipsius naves Troiani incurrent [4]). Tu vero hostes adoriaris per „me licet." — Sequuntur quae iam excripsimus verba, dein

1) Cf. Π 69—73.

2) Cf. Π 48—100.

3) Non significat sic Achilles se de ira sua aliquid iam remittere, sed προτετύχθαι ἐάσομεν, ut nostrum *dat zullen wij laten rusten*, id valet quod Ω 524 οὔ τις πρῆξις πέλεται: *nihil prodest iram verbis etiam incendere.* Ira Achilles nihilo minus nunc aestuat quam ante.

4) Cf. I 650—652.

Digitized by Google

Patroclum iubet, naves cum servaverit, hostibus repulsis redire et Troianos Achivosque inter se porro trucidare sinere; tum in iram plane furibundam erumpens denique et qualis etiam tot diebus post iniuriam acceptam praeterlapsis sibi sit mens aperte ostendens „ad unum omnes si pereant isti, et nos duo si relinquamur soli, bene sit!" exclamat, — non reputans videlicet, quippe iratus, si pereant omnes, nullos mox fore qui sibi satisdent, nullos quos vincere possit ipse.

Meras igitur minas Achilles hoc loco evomit; felle singula eius verba sunt imbuta. Multum autem abest ut aut nunc — quod sunt qui putent — mitiorem quam ante se praestet aut proxima vespera se praestiterit, cum legatis abeuntibus dixit se hostes repulsurum si suas ipsius naves peterent. Odii et contumeliae plena ea quoque erant verba, promissi nihil habebant; nam eiusmodi quid ab Achille promitti minime oportuit, quoniam dementis fuisset ne se ipsum quidem defendere velle. Sui suorumque solorum curam se habere, ceteros reges eorumque copias nihili facere, claris durisque verbis tum quoque ostendebat iuvenis irae impotens: „meis modo militibus meisque navi„bus bene sit, vos vestrave nihil curo: his autem ne Hector „ignem inferat ego cavebo!"

I 34—39. Quod nemo nescit, post pugnam secundam Diomedes Agamemnonem suo gladio iugulans in memoriam ei revocat verba quibus Agamemnon iniquius nuper ipsum increpuit. „Prior me carpsisti", ait, „nam virtutem meam coram „militibus vilipendisti (ante primam pugnam); at tibi regiam „quidem potestatem dedit Iuppiter, sed denegavit virtutem bel„licam". — Respicitur igitur nunc notus locus τῆς ἐπιπολήσεως [1]) et artissime inter se cohaerent haec. Re, non verbis, regis illa iurgia iam refutavit Diomedes, et talem in concione nunc se praestat qualem ante in praeliis: strenuum, imperterritum, cedere nescium.

I 66—88. Hoc quoque saepius est observatum, sed identidem erit observandum quamdiu erunt qui Iliadem verum carmen

1) Δ 370 sqq.

Digitized by Google

esse negent: poetam nunc viam ad sequentia sibi parare et aptissime quidem parare. Nam quoniam hostium copiae in vicinia castrorum Achivorum noctem transigunt, fert ratio ut Achivi aliquos excubitores ante vallum vigilare iubeant; horum autem excubitorum non temere nunc fit mentio, quod subineptum foret, sed ut ad res quae in libro K commemorantur enarrandas commodus mox transitus sit futurus [1]). Utilissima igitur haec sunt in carmine etiam librum K complexo, at damnari eadem oportet ab iis qui illum librum a contextu segregare velint: hiabit igitur foeda lacuna in libri I initio, nam illis versibus evulsis vicini inter se coniungi satis apte non poterunt; mox molestus erit vs. 94, quo illi respiciuntur, et sic frustatim discerpentur quae per se spectata ne minimam quidem suspicionem movebant neque quicquam habebant quod displiceret.

In *nono* igitur libro rationem *decimi* haberi videmus, at etiam — ut coniungamus quae eodem tendunt — in *decimo quarto*. Nam, — viri doctissimi Shewan sagax haec est observatio [2]), — quae libri Ξ initio narrantur satis intellegi nequeunt nisi libri K habita ratione.

Nestor enim, qui quin praelio tertio inde ab initio cum ceteris regibus adfuerit dubitari nequit et postquam aliquantisper pugnatum fuit prope Scamandrum strenue rem gerens a poeta ostenditur, curru dein Machaonem vulneratum in castra et suum ipsius tabernaculum deduxit, ubi cum Patroclo mox collocutus est aliquantisper, cui dedit consilium ab Achille petendi ut ipsi liceret in hostes irruere [3]); brevi autem post, cum magis magisque ingrueret hostium impetus et ipsis iam castris maximum instaret periculum, in pugnam redire secum decrevit, itaque

σάκος εἶλε τετυγμένον υἷος ἑοῖο,
κείμενον ἐν κλισίῃ, Θρασυμήδεος ἱπποδάμοιο,
χαλκῷ παμφαίνον· ὃ δ' ἔχ' ἀσπίδα πατρὸς ἑοῖο [4]).

1) Cf. K 56, 126 sq., 180 sqq.

2) Anno 1906; cf. Andrew Lang Homer and his Age p. 276—278, The World of Homer p. 252 et ipse Shewan The Lay of Dolon p. 144.

3) Λ 501 sqq.

4) Ξ 9—11.

Digitized by Google

Haec quorsum? In sequenti carminis parte nihil est quod huc referri possit. Cur igitur narravit poeta? Temerene prorsus, inepte igitur? Hodiene filium suum quam ipsum se aureo illo clipeo, τοῦ κλέος οὐρανὸν ἵκε [1]), uti satius duxit senex, viliore contentus ipse? Minime, sed Thrasymedes patris clipeo propterea est usus quod suo ipsius uti non potuit. Nam proxima nocte Thrasymedes cum praeesset excubitoribus inter aggerem et fossam vigilantibus, aereum suum clipeum commodavit Diomedi [2]); qui cum ab expeditione nocturna rediit, in tabernaculum suum eum secum rettulit. Thrasymedes autem interim non inermis mansit, custos inutilis, sed pater suum clipeum mox ei misit — sic enim poetae mens, leviusculas has res non nisi paucis verbis nunc significantis, est interpretanda — aut ipse Thrasymedes unum e vigilibus misit qui eum peteret e Nestoris tabernaculo [3]). Primo autem mane cum Thrasymedes ceterique vigiles ipso illo loco ante castra, ubi excubias egerant, prandium sumsissent, ut et cenam vespertinam sumserant [4]), in aciem sunt profecti; Nestor vero cum et ipse ad pugnam se armaret, in tabernaculo suo invenit clipeum filii sui, quem Diomedes illuc referendum modo curaverat; hoc igitur sumto Nestor praelium iniit.

Sic rem sibi informavit poeta, sed quae modo indicavimus singula enarrare omnia, operae pretium non duxit, neque erat profecto operae pretium.

Ineptum autem fuerit rogasse cur Diomedes clipeum non iam sibi utilem Thrasymedi non tum reddiderit cum ab expeditione nocturna reversus in castra rediret, vel cur Nestor et filius ante praelium non permutarint clipeos per ministros? Si tamen roget quispiam, respondendum erit: quia non sic libuit poetae.

Qui vero librum K ab Iliade alienum ducunt, qua de re mox plura erunt dicenda, aut sumere debent ipsum τῆς Δολωνείας poetam, cum eo consilio illud carmen composuisset ut Iliadis pars fieret, versus quos modo tetigimus libro Ξ callida fraude inseruisse, — potuisse igitur inserere, — quo firmius id quod

1) Cf. Θ 192.
2) Cf. K 255—257.
3) Cf. K 76.
4) Cf. I 88.

Digitized by Google

ipsius ingenium elaborasset cum maiore carmine coalesceret, aut tum cum e variorum carminum fragmentis Ilias composita fuerit, eum qui illud quoque carmen in opus suum musivum recepisset illos versus inseruisse ab ipso confictos. Credant alii talia, non ego. Sic enim suspecta habebuntur quae *nimis bene* congruere credantur, ut olim quae *non satis*.

I 168 sqq.

Φοίνιξ μὲν πρώτιστα Διὶ φίλος ἡγησάσθω κτἑ.

Multis suspicionem movit Phoenix hoc carminis loco primum commemoratus. Immerito profecto. Nam sic solet poeta: rerum locorum hominum tum demum rationem habet et mentionem facit cum carmini id ducit utile; itaque e plurimis nominibus, quae cum ipsi tum auditoribus cognita fuerunt e carminibus vetustioribus, pro re nata in suum usum convertit quicquid poscit eius carminis, quod ipse pangit, contextus, et tum demum cum poscit contextus. Haud aliter Patroclum, ut hoc exemplo nunc utamur, auditoribus primum proponit initio carminis [1]). Iuveni autem irato quem opponeret nullus erat aptior quam eius τροφεὺς καὶ διδάσκαλος, senex annis ipsaque vita maturatus, Nestor alter. Hunc Peleus filio imperito adiunxerat expeditionis socium, ut et Patroclum, amicum natu maiorem. Nunc senex alumnum suum admoniturus est ne immodice et nimis diu indulgeat iracundiae, sed suo tempore τὴν κακομήχανον ἔριδα [2]) coërceat. Nam iusta quidem fuit Achillis ira, — ex Minervae ore id audivimus carminis initio [3]), sensit Thetis, sensit ipse quem Thetis supplex adiit Iuppiter, et sensimus omnes; — at nunc ei est satisfactum, nam desiderant eum Achivi a Troianis profligati, ante ceteros desiderat is qui eum laesit Agamemnon; non probi autem, non pii hominis est eum, qui supplex ut sibi ignoscatur petat et ad satisdandum sit paratissimus, inclementer repellere, ipsisque dis id invisum esse, poenae caelesti obnoxium fieri qui precibus vinci nesciat, nam et Preces Iovi curae esse, e senis prudentissimi ore audiet iuvenis iracundus. Deme ex Iliade Phoenicis ad

1) Cf. A 307, 337.
2) Cf. pag. 419.
3) Cf. A 211—214.

Digitized by Google

eum monita, deme quae de Meleagro hic ei narravit, sic veluti in speculo ipsius imaginem sortemque futuram, si cedere nolit, ei ostentans, et e carmine evellitur pars vitalis. Necesse est vera audiverit Achilles ex ore amici senis, ut mox dolorem Patrocli necati pervicacia sua commeruisse videatur neque sors iuvenis sine ulla sua culpa infelicis μιαρόν τι habere dici possit.

Sumsit autem poeta Phoenicem non — ut Patroclum — in Achillis tabernaculo regio degisse, sed suum sibi habuisse tabernaculum, ubi dormiret et viveret [1]). Inscio igitur Achille facere poterat quod liberet, iamque cum ceteris principibus — nam princeps erat, quem Peleus ἀφνειὸν ἔθηκε, πολὺν δέ τοι ὤπασε λαόν [2]), — adfuit concilio in tabernaculo Agamemnonis post praelium secundum habito. Alterius senis Nestoris iussu dein in tabernaculum Achillis ivit ante ceteros, — hoc enim est πρῶτα ἡγήσασθαι [3]), — ut mox ibi adesset cum venirent legati ab Agamemnone missi et suis monitis eorum preces adiuvare posset; pro sua autem prudentia Achillem non certiorem fecit consilii modo ab Agamemnone initi [4]), non narravit ei se principum concilio adfuisse ipsum, sed ad alumnum visendum se venire dixit aliamve causam finxit; nam poeta hac de re tacuit. Brevi post legati publice missi *Aiax* et *Ulixes*, alter Achivorum fortissimus, alter prudentissimus, comitantibus praeconibus *Odio* Aiacis et *Eurybate* Ulixis [5]), Achillem convenerunt.

Recte olim locum interpretatus est Aristarchus, Crateti oblocutus; postea vero dualis numerus τὼ ἐβάτην [6]) causa fuit suspicionis tam audacis quam infelicis, qua Phoenix e prisco carmine exulare est iussus, cum inter *legatos ambos* et *senem amicum*, qui *prior* Achillem visit, quale discrimen poeta fecisset non satis perspiceretur et ἡγήσασθαι illud de Phoenice dictum perperam explicaretur *ducere ceteros legatos*.

In Achillis tabernaculum pervenerunt legati quo tempore Achilles et Patroclus et qui tertius modo accesserat Phoenix

1) Cf. vs. 427, 658—662.
2) Cf. vs. 483.
3) Cf. vs. 168.
4) Cf. vs. 193.
5) Cf. B 184 τ 247 et A 320.
6) Cf. vs. 192.

Digitized by Google

post cenam vespertinam etiam convivabantur. Inexpectatum autem eorum adventum miratus Achilles — nam stomachantem nemo illis diebus viserat — „salvete mihi", dixit: „cari profecto venistis, nec dubium est quin serii aliquid agatis; mihi autem etiam irato vos omnium Achivorum estis carissimi". Postquam autem cibo et vino appositis, ut iubebat lex hospitalitatis, legati iusto honore sunt habiti,

'νεῦσ' Αἴας Φοίνικι. 'νόησε δὲ δῖος 'Οδυσσεύς,
πλησάμενος δ' οἴνοιο δέπας [2]) 'δέδεκτ' 'Αχιλῆα.

Hi quoque versus verbis admodum severis a multis criticis sunt damnati: etiam clarius quam ante iam apparere nomen Phoenicis a textu primitivo fuisse alienum et postmodo fuisse invectum; olim fuisse: „'νεῦσ' Αἴας 'Οδυσῆϊ, *itaque hic loqui coepit*". Crimen inane: optime cohaerent et decurrunt quae narrat poeta. Aiax Phoenici clam Achille nutu capitis — non enim verbis poterat — significavit tempus proloquendi quae mandasset Agamemnon iam venisse sibi videri. Sensit id et Ulixes, itaque loquendi fecit initium; hunc enim verba facturum in via inter se constituerant — sic facile rem nobis fingimus — vel iusserant id principes. Nam ipsa res id ferebat, quoniam facundia plurimum valebat Ulixes [3]), Aiax autem manibus quam lingua promptior erat. In fine demum colloquii et Aiax pauca verba dixit indignatus ad Achillem permovendum parum valida [4]).

I 337—343. De his versibus nunc disputare fortasse inutile, quoniam recte saepius explicatos a quoquam parum etiam intellegi vix videtur credibile; sed quoniam fuere qui criminarentur, ἄλοχον puellam captivam hoc loco vitiose dici rati, paucis tamen illustrandi videntur. Sunt igitur hi:

τί δὲ δεῖ πολεμιζέμεναι Τρώεσσι
'Αργείους; τί δὲ λαὸν ἀνήγαγεν ἐνθάδ' ἀγείρας
'Ατρεΐδης; ἦ οὐχ 'Ελένης ἕνεκ' ἠϋκόμοιο;

1) Cf. vs. 223 sq.
2) Fortasse δὲ δέπας ϝοίνου verum est.
3) Cf. Γ 216—223.
4) Cf. vs. 624—642.

Digitized by Google

340 ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
'Ατρεΐδαι; ἐπεὶ ὅς τις ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων,
τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται· ὡς καὶ ἐγὼ τὴν
ἐκ θυμοῦ 'φίλεον, δουρὶ κτητὴν περ ἐοῦσαν.

Novum hinc orditur argumentum. Dixit Achilles: *bellum gerere nolo. Fortiter gessi nuper: quid mihi profuit? Magnam praedam congessi ... Agamemnoni, is autem ademit mihi puellam, quae dono mihi honoris causa data fuerat. Cur vero ademit? Non caelebs est, ut ego, sed uxorem habet! Ea contentus esto.* Iamque addit quae excripsimus: *et cur ipsum quod geritur bellum est initum? Cur Agamemnonem in Asiam secuti sumus? Nonne propter tale facinus quale illud est quod nuper perpetravit Agamemnon? Soline igitur Atridae uxores suas diligunt? Nonne et ego meam?* — E substantivo ἀλόχοισι igitur ducitur vox quae maioris est ambitus: *mulier*; femina sitne ἐτέδνοισι rite emta an vi rapta, id vix quicquam nunc refert. Non ἄλοχον suam Achilles dicit Briseidem, quo nomine concubinae non designabantur. Inter *zeugmatis* igitur exempla hic versus est referendus et conferri possunt locutiones quales hae sunt: σάκεσίν τε καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι (Δ 282), 'βεβρίθει δὲ σάκεσσι καὶ ἔγχεσι (π 474), ἵπποι ἀερσίποδες καὶ ποικίλα τεύχε' ἔκειτο (Γ 327), ἠέρι δ' ἔγχος ἐκέκλιτο καὶ ταχέ' ἵππω (Δ 356), aliae plurimae, quibus cunctis hoc est commune quod verbum vel nomen habent ad plures simul notiones pertinens, sed soli proximae prorsus conveniens.

Ceterum cum hoc loco quodammodo cohaeret libri T notus locus [1]), ubi Briseis in Achillis tabernaculum reducta cum Patrocli pridie caesi corpus ibi cernit, *„vae mihi!"* exclamat *„mortumne igitur te reperio, quem vivum reliqui cum hinc abii Agamemnonis praecones secuta, virum comem mihique benevolentissimum; qui cum Achilles caesis meis huc me abduxisset, ut bono animo essem saepius me es cohortatus,*

ἠδέ μ' ἔφασκες 'Αχιλλῆος θείοιο
κουριδίην ἄλοχον θήσειν, ἄξειν δ' ἐνὶ νηυσὶ
εἰς Φθίην, δαίσειν δὲ γάμον μετὰ Μυρμιδόνεσσι.

Qui versus sive genuini sunt, sive postmodo sunt inserti, — habent enim dictionis recentioris indicia complura, — id quidem

1) Cf. T 282–302.

Digitized by Google

certum videtur non assentiendum esse Heynio eam potissimum ob causam eos damnanti quod iustae nuptiae cum muliere captiva iniri non potuerint. Nam Helena a Paride rapta si πόσιν hunc habuit, Hectorem levirum, Priamum socerum [1]), quidni Achillis uxor, Pelei nurus fieri potuit Briseis, ipsa quoque gentis nobilis, fortasse regii, mulier? Id unum interfuit, quod in castra et tabernaculum est abrepta, Helena vero in aedes et urbem. Poterat fieri uxor Achillis, si huic liberet; et libuisset fortasse, si inter vivos mansisset. At κουριδίη certe uxor fieri non poterat quae antea iam alii viro matrimonio fuisset iuncta? [2]) Eo igitur haec quaestio redit ut quae adiectivi κουριδίου vis fuerit accurate statuatur. Quod si *aetate florentem* significasse sumimus, non eam *quae virgo nupserit*, nihil hoc loco suspecti potest habere.

(*Continuabuntur*).

1) Cf. Γ 163, 172 Z 344 al.
2) Cf. Τ 295.

EMENDATUR VIRG. BUC. VI, 33.

Silenus et alia cecinit, et ut

ipse tener mundi concreverit orbis.

Sic est in omnibus, quas consulere potui, editionibus tam recentibus quam antiquis. Ergo per tot saecula nemo exstitit qui doceret *tenerum* orbem neque fingi neque cogitari posse! Nam quod nunc annotatur: „cf. Lucr. V, 500 (aether) *liquidissimus atque levissimus*", id quidem obscurare est, non illustrare. Sed quod mirum magis, immo prorsus incredibile, inde a Scaligero usque ad Peerlkampium nemini virorum doctorum, de *orbe* aliquid legenti, in mentem potuit venire adiectivi quod simul cum eo quod est *rotundus* tantum non sponte *orbi* adhaeret, nemini Horatius suum *teres atque rotundus* insusurravit.

„Palaeographicis" quae dicuntur argumentis cautissime utendum censeo; hic tamen non possum non monere in antiquis et eleganter scriptis codicibus vocabula *tener* et *teres* vix posse inter se discerni.

J. J. H.

Digitized by Google

AD LOCOS EX OVIDII ARTE AMATORIA ET REMEDIIS AMORIS.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

EX ARTE AMATORIA.

I. 133 raptu Sabinarum enarrato poëta pergit:

Scilicet ex illo sollemnia more theatra
Nunc quoque formosis insidiosa manent.

Hanc codicum lectionem Edwards in Postgatii Corpore Poetarum Latinorum retinuit, Ehwald Madvigii coniecturam *sollemni* recepit idemque ita versum constituit ut virgulas collocaret post verba *scilicet* et *more*. Equidem cum Ehwaldo sentio, Madvigium verum vidisse, sed illum minus recte verba distinxisse opinor, interpungendum enim esse:

Scilicet ex illo, sollemni more, theatra

ita ut verba *ex illo* scilicet significent: ex illo inde tempore.

207 C. Caesarem Ovidius alloquitur in Parthos profecturum:

Consistes aciemque meis hortabere verbis:
O desint *animis* ne mea verba tuis!

Pro *animis* quin sit legendum: *armis* vix ac ne vix quidem dubito, cl. vs. 197: Induit arma tibi genitor patriaeque tuusque, vs. 201: Vincuntur causa Parthi, vincantur et armis.

215: Ibunt ante duces onerati colla catenis,
Ne possint tuti, qua prius, *esse* fuga.

Digitized by Google

Verbo *ibunt* in versu superiore collato credo poëtam scripsisse: *isse fuga*. Cf. II. 404, 521 sq., 555, III. 17 nec non II. 583 sq.:

Non vultus texisse suos, non denique possunt
Partibus obscenis opposuisse manus.

265: Nunc tibi, quae placuit quas sit capienda per artes,
Dicere *praecipuae* molior artis opus.

Immo *praecipuum* h. e. opus artis totius primarium.

319 de Pasiphae:

Aut cadere ante aras commentaque sacra coegit
Et tenuit laeta paelicis exta manu.
Paelicibus quotiens placavit numina caesis
Atque ait exta *tenens* 'ite, placete meo!'

Tam propter verbi repetitionem minus elegantem (vs. 320 tenuit — vs. 322 tenens) quam propter verba sequentia *'ite, placete meo!'* quae compellantis sunt, malim equidem: *exta tuens*.

403: Nec teneras semper tutum captare puellas:
Saepe *dato* melius tempore fiet idem.

Aut ego fallor aut pro *dato* est rescribendum: *alio*, cum praesertim Naso dies enumerare pergat quibus captare puellas non sit idoneum. Cf. 692: Tu titulos alia Palladis arte petas! II. 128: Ille referre aliter saepe solebat idem.

709: Vir prior accedat, vir verba precantia dicat:
Excipiat blandas comiter illa preces.

Emenda *Excipiet*. Coniunctivi, qui in hexametro iure leguntur, scribam in errorem induxerunt.

II. 105:

Nec data profuerint *pallentia* philtra puellis:
Philtra nocent animis vimque furoris habent.

Si sana est lectio, nimirum cum Brandtio (Leipzig, 1902) interpretandum est: *pallentia* 'bleich machend', weil sie (angeblich) Liebe erwecken, deren Farbe die bleiche ist, sed potius crediderim poëtam scripsisse: *fallentia* h. e. quae latent bibentem.

Digitized by Google

253: Nomine quemque suo (nullast iactura) saluta,
Iunge tuis humiles ambitiose manus!

Obiter moneo, editores recentiores (Ehwald, Edwards, Brandt) neglexisse vocem *ambitiose* utpote vocativum virgulis includere, ut fere facere solent. Idem omiserunt I. 183 in voc. *timidi:*

Parcite natales timidi numerare deorum.

305: Bracchia saltantis, vocem mirare canentis,
Et, quod desierit, verba querentis habe;
Ipsos concubitus, ipsum venerere licebit,
Quod iuvat et † quaedam gaudia noctis habe.

Ad hunc locum corruptum Ehwald in Praefatione coniecturas Heinsii, Burmanni, Merkelii, Madvigii, suam enumerat, sed nulla ex iis recepta locum, ut traditus est in codd. mss. et supra descriptus, reddidit.

Corruptelam latere credo in vocabulo *habe*, quod e vs. 306 per errorem a librario repetitum lectionem genuinam detrusit, atque sic locum restituendum esse puto:

ipsum venerere licebit
Quod iuvat et quaedam gaudia, noctis *opus*.

Versus aliquot sequuntur, qui cum loco nostro aliquam similitudinem cum habeant utiles esse possunt ad coniecturam meam stabiliendam: III. 480: Arte Venus nulla dulce peregit opus, 625: At nunc nocturnis titulos inponimus actis, 675: Adde, quod est illis operum prudentia maior (ad h. l. Brandt locos complures addidit), 682: Quod iuvet, ex aequo femina virque ferant, 730: furtivum nec timor urget opus, III. 295: In vitio decor est, quaedam male reddere verba, 453: Sunt quoque non dubia quaedam mala nomina fama, 794: ex aequo res iuvet illa duos! 803: Quid iuvet, et voces et anhelitus arguat oris! Rem. Am. 399: Ergo ubi concubitus et opus iuvenale petetur, Am. I. 4. 48: Veste sub inducta dulce peregit opus, Carm. Priap. 4: temptes, si pictas opus edat ad figuras, Petron. 100: etiam cum voluerit (sc. senex) aliquid sumere, opus anhelitu prodet.

451: Ille ego sim, cuius laniet furiosa capillos;
Ille ego sim, *teneras* cui petat ungue genas,

Digitized by Google

Quem videat lacrimans, quem torvis spectet ocellis,
Quo sine non possit vivere, posse velit!

Poëta si voc. *genas* epitheto aliquo ornare voluisset, haud dubie *meritas* vel eiusmodi adiectivum scripsisset, cf. III. 708: et indignas sauciat ungue genas; sed ineptum est, eum suas ipsius genas teneras dicere atque nimirum corrigendum: *tenero*. Cf. Am. I. 4. 22:

Purpureas tenero pollice tange genas.

nec non Heroid. 5. 72: secui madidas ungue rigente genas, Propert. IV. 7. 6: et mea formosis unguibus ora nota.

567: A! quotiens lasciva pedes risisse mariti
Dicitur et duras igne vel arte manus!
Marte palam *simul* est Vulcanum imitata: decebat,
Multaque cum forma gratia mixta fuit.

Facere non possum quin pro inepta lectione *simul*, quae interpretationem probabilem nullo modo admittit, corrigendum esse *semel* etiam atque etiam moneam, id quod Merkelium ante me monuisse vidi. Nempe poëta voluit: saepius Venus latos mariti pedes atque manus igni ac fabrili arte callosas risit, quin etiam semel eius incessum claudicantem imitata est idque praesente adultero, quod et ipsum eam decebat.

III. 483:

Sed quoniam, quamvis vittae careatis honore,
Est vobis vestros fallere cura viros,
Ancillae puerique manu perarate tabellas,
Pignora nec puero credite vestra novo:
Vidi ego pallentis isto terrore puellas
Servitium miseras tempus in omne pati;
Perfidus ille quidem, qui talia pignora servat,
Sed tamen Aetnaei fulminis instar habet.

Auctor sum ut disticha duo ultima locum inter se mutent, quia verba *isto terrore* ita demum habebunt ad quod apte referantur. Iustum igitur versuum ordinem hunc esse iudico:

Pignora nec puero credite vestra novo:
Perfidus ille quidem, qui talia pignora servat,
Sed tamen Aetnaei fulminis instar habet.

Digitized by Google

Vidi ego pallentis isto terrore puellas
Servitium miseras tempus in omne pati.

Ceterum miror, Ehwaldum vitiosam unius codicis lectionem *fallentis* in vs. 487 praetulisse: iure Edwardsium ceterorum omnium *pallentis* recepisse puto nec non Housmanni coniecturam *habent* pro *habet* in vs. 490.

531: Munera det dives; ius qui profitebitur, adsit;
Facundus causam *saepe* clientis agat.

Pro voc. *saepe*, quod vehementer languidum est, scriptum fuisse suspicor: *sponte*.

585. Poëta puellis suadet ne sint erga amatores faciliores; nonnumquam hi ante fores iaceant atque ianuam increpent, nam nos, viri, res secundas continuas ferre non possumus.

Hoc est, uxores quod non patiatur amari:
Conveniunt illas, cum voluere, viri;
[Adde forem, et duro dicat tibi ianitor ore
'Non potes': exclusum te quoque tanget amor!]
Ponite iam gladios hebetes e. q. s.

Distichon, quod uncinis inclusi, utpote a loci nostri tenore prorsus alienum in marginem relegandum est, unde male in textum irrepsit. Poëta hac carminis parte puellas alloquitur docetque; ita facit vs. 586, ita etiam vs. 589, cum vs. 587 sq. subito virum unum nunc compellet!

EX REMEDIIS AMORIS.

135: Ergo ubi visus eris nostrae medicabilis arti,
Fac monitis fugias otia *prima* meis:
Haec, ut ames, faciunt; haec, *ut* fecere, tuentur;
Haec sunt iucundi causa cibusque mali.

Vs. 136 ut nunc legitur nimirum interpretandus est: Fac ut monitis meis (i. e. secundum mea monita) fugias otia prima (h. e. ante omnia), in quibus etiam si explicatio ea vocis *prima*, quae mihi quidem satis contorta videtur, admitti potest, illud *monitis meis* vehementer languet. Suspicio me tenet, pro adiectivo *prima* olim adiectivum scriptum fuisse, unde verba *monitis meis* penderent, quale est *prava* vel *pigra* vel *surda*.

Digitized by Google

In versu sequenti pro *ut fecere*, quae lectio e cod. R vulgo recipitur, equidem *quod fecere*, quod in Monac. legitur, cum Merkelio omnino praetulerim.

207: Lenius est studium, studium tamen, alite capta
Aut lino aut calamis praemia parva sequi,
Vel, quae piscis edax avido male devoret ore,
Abdere *supremis* aera recurva cibis.

Pro voce corrupta *supremis* Heinsius coniecit *sub primis* — Bentleius *sub parvis*, quod Ehwald recepit, — Palmer *suspensis*, quod Edwards recensuit.

Veram ac genuinam lectionem esse puto: *sub saevis*. Ut hoc loco cibi, quibus pisces captantur, propter hamum in iis reconditum saevi dicuntur, ita vs. 719 ignes feri vocantur, propterea quod epistulas omnes puellae amatae devorant.

214 poëta ad amorem evitandum suadet: I procul et longas carpere perge vias! Sequuntur et alia et haec (vs. 221):

Nec quot transieris, *sed* quot tibi, quaere, supersint
Milia, nec, maneas ut prope, finge moras.

Procul dubio restituendum est: *nec* quot tibi, quaere, supersint Milia. Res tam manifesta est ut verbum non addam.

235. Hoc unum difficile est, prima discidii tempora fortiter ferre
Adspicis, ut *prensos* urant iuga prima iuvencos,
Et nova velocem cingula laedat equum?

Pro *prensos* corrige *pressos* notissima prolepseos figura. Cf. A. A. I. 544:

pando Silenus asello
Vix sedet et pressas continet arte iubas.

493: Et sanum simula, *ne*, siquid forte dolebis,
Sentiat, et ride, cum tibi flendus eris.

Emendandum est: *nec*. Est eadem constructio quae legitur vs. 512:

Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi
Propositus.

Digitized by Google

Virum facundum, cui dicenti adstupere soleant homines, interdum proferre aliquid quod aures impleat sed sensu careat aut, cum sapientissimum videatur, revera vel sit absurdum vel id ipsum demonstret quod fuerit refutandum neque ignoramus neque magnopere admiramur. Audientem enim multa fugiant necesse est. Velut in Divinatione in Caecilium sic § 53 Tullius declamat (in praecedentibus Caecilium finxit contendentem ideo sibi permitti oportere Verris accusandi potestatem quia iniuriam ab eo acceperit):

„hoc te praeterit non id solum spectari solere, qui debeat, sed etiam illud, qui possit ulcisci; in quo utrumque sit eum superiorem esse; in quo alterutrum, in eo non quid is velit, sed quid facere possit quaeri solere".

Acute disputata videntur ista, sed fallit species. Quid enim si alterutrum illud est *posse ulcisci*? Num tunc quoque *quaeri* solet quid *facere possit* is in quo illud sit?

Neque minus in eadem oratione ludibrio habet audientes orator sic adversarium suum reprehendens (§ 12):

„utrum, Q. Caecili, hoc dicis, me non Siculorum rogatu ad causam accedere, an optimorum fidelissimorumque sociorum voluntatem apud hos gravem esse non oportere? Si id audebis dicere, quod C. Verres, cui te inimicum esse simulas, maxime existimari vult, Siculos hoc a me non petiisse, primum causam inimici tui sublevabis, de quo non praeiudicium sed plane iudicium iam factum putatur, quod ita percrebruit, Siculos omnis actorem suae causae contra illius iniurias quaesisse".

Quasi vero idem sit Siculos *a Cicerone* opem non petisse et omnino *a nullo oratore* petisse opem!

Sed multo gravius quod eadem artificia (an *vitia* dicam?) recurrunt in iis libris quibus praeclarae suae artis splendidum *lecturis* exhibet monumentum. Notissimum est illud quod in L. I § 26 notarunt multi, observant omnes, ubi comperendinatum e rei magis quam ex accusatoris re esse sic, scilicet, demonstratur:

„nam si bis dicere est commodum, certe utriusque commune

Digitized by Google

est; si eum qui posterius dixit opus est redargui, accusatoris causa, ut bis ageretur, constitutum est".

Si enim bis uterque verba facit, nunquam res ita torqueri potest quin ét reus post accusatorem ét accusator post reum ad dicendum prodeat.

Quodsi quis etiam est docendus in quales flosculos oratorios acerbum illud dictum ποταμὸς μὲν ῥημάτων, νοῦ δὲ σταλαγμός, vel potius, id quod olim ἐκ παραδιορθώσεως legebatur, ποταμὸς μὲν ῥημάτων, οὐδὲ σταλαγμὸς φρονήσεως conveniat, haec Ciceronem audiat de Verris filiolo lamentantem (L. III § 160):

„fac enim fuisse in eo C. Laeli aut M. Catonis materiem atque indolem: quid ex eo boni sperari atque effici potest qui in patris luxurie sic vixerit ut nullum umquam pudicum neque sobrium convivium viderit, qui in epulis cotidianis adulta aetate per triennium inter impudicas mulieres et intemperantis viros versatus sit, nihil unquam audierit a patre quo pudentior aut melior esset, nihil unquam patrem facere viderit *quod cum imitatus esset* non, id quod turpissimum est, *patris similis putaretur*?"

Non misericordiam movent ista sed risum. Ipsius Catonis, vel si quis Catone iustior, filius, cum patrem imitatur, patris similis putari potest.

Et quoniam semel Verrinas manibus teneo venustissimum quendam eorum locum ridicula quadam purgabo macula. Paene incredibile est eam hactenus criticorum fugisse acumen. Sed nihil annotatum invenio in accuratissima Petersoni editione. Ridetur Carpinatii stultitia qui in tabulis suis Verris nomen in Verrucii mutaverit, sic fore ratus ut praetoris sui laterent furta (L. II § 191):

„videtis Verrucium? videtis primas litteras integras? videtis codam illam Verrinam tamquam in luto demersam esse in litura?"

Non potuit salsius cavillari orator. Quid vero librarii? In textum (ante *codam*) receperunt putidissimi magistelli annotatiunculam *extremam partem nominis!*

J. J. HARTMAN.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., J. J. HARTMAN.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUADRAGESIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1912.

Digitized by Google

EX OFFIC INA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX.

Pag.

Sexagenaria maior, scripserunt J. v. L. et J. J. H. . . . . I—II.

Parentalia, scripsit J. J. HARTMAN . . . . . III—IV.

De Iliadis fontibus et compositione, scripsit MATTHAEUS VALETON . . . . . 1—41.
Quae fratris memoriae dedicavit.

Acquiescere in aliqua re, scripsit J. J. H. . . . . 41.

Observatiunculae ad Phaedrum (*contin. e Vol. XXXIX pag. 67*), scripsit L. RANK . . . . . 42—62.

Ad Euripidem, scripsit J. v. L. . . . . 62.

Homerica (*contin. e Vol. XXXIX pag. 440*), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F. . . . . 63—128.

De Eupolidis Demorum fragmentis nuper repertis, scripsit J. VAN LEEUWEN J. F. . . . . 129—136.

Johannis Jacobi Reiskii Animadversiones ad Arriani Indicam edidit A. G. Roos. . . . . 137—144.

Emendatur Xen. Anab. IV, 5, 27, scripsit J. J. H. . . . . 144.

Ad P. Annii Flori fragmentum de Vergilio oratore an poeta, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . . 145—146.

Cerdo sive de nominibus propriis Latinis appellativorum loco adhibitis, scripsit I. VAN WAGENINGEN . . . . . 147—172.

In Taciti Dialogum adnotationes, scripsit H. WAGENVOORT H.F. 173—178.

Notulae criticae ad Silium Italicum (*contin. e Vol. XXXIX pag. 134*), scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . . 179—207.

Ad Eupolidis fragmenta nova, scripsit J. v. L.. . . . . 207—208.

Ad Plutarchi Vitam Artaxerxis, scripsit ALB. POUTSMA . . 209—212.

Ad Xenophontis Libellum de Re Equestri, scripsit S. A. NABER. 213—221.

Ad Virgilii Eclogam X, scripsit J. J. HARTMAN . . . . . 222—228.

Ad Cic. Verr. II, § 83 (ed. Peterson Ox. MCMVII), scripsit J. J. H. 228.

Epistula critica ad Iacobum Ioannem Hartman de Tibullo Poeta, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . . 229—236.

Digitized by Google

Pag.

Ad Plutarchi Moralia annotationes criticae, scripsit J. J. HARTMAN . . . . . 237—250.

Ad Cic. Verr. II, § 84, scripsit J. J. H. . . . . 250.

Ad Sexti Aurelii Victoris librum de Caesaribus ceterosque libros sub eius nomine traditos, scripsit W. A. BAEHRENS. 251—257.

Aberratur ab uno ad universa et contrarie, scripsit ALB^{s}. POUTSMA . . . . . 258.

Ad scriptores Historiae Augustae (*contin. e Vol. XXXIX pag. 241*), scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . . 259—276.

ΣΚΕΛΛΙΑΣ — ΣΚΕΛΙΑΣ, scripsit J. v. L. . . . . 276.

Observatiunculae ad P. Vergilii Maronis eclogae quartae interpretationem et versionem Graecam, scripsit ALPHONSUS KURFESS . . . . . 277—284.

De Iliadis fontibus et compositione (*contin. ex huius vol. pag. 41*), scripsit MATTHAEUS VALETON . . . . . 285—328.

Hor. Epl. I, 11, 1, scripsit J. J. H. . . . . 328.

Ad Plutarchi moralia annotationes criticae (*contin. ex huius Vol. pag. 250*), scripsit J. J. HARTMAN . . . . . 329—346.

Spicilegium criticum ad Flori Epitomas, scripsit P. H. DAMSTÉ. 347—363.

De invectivis quae tamquam Sallustii et Ciceronis traditae sunt, scripsit ALPHONSUS KURFESS . . . . . 364—380.

Ad Ciceronis Verr. L. III § 118, scripsit J. J. H. . . . . 380.

De propositione vicesima septima Libri Archimedis de Lineis Spiralibus, scripsit J. A. VOLLGRAFF . . . . . 381—386.

Ad Ciceronis Verrinarum L. III § 86 et 89, scripsit J. J. H. 386.

Ad Timaei glossarium, scripsit I. E. KALITSUNAKIS . . . . 387—388.

Ad Ciceronis Verr. L. III § 122, scripsit J. J. H. . . . . 388.

Observatiunculae de iure Romano (*contin. ex Vol. XXXVIII pag. 431*), scripsit J. C. NABER S. A. FIL. . . . . 389—399.

Ad Plutarchi moralia annotationes criticae (*contin. ex huius Vol. pag. 346*), scripsit J. J. HARTMAN . . . . . 400—450.

Ad Cic. Verr. L. III § 3, scripsit J. J. H. . . . . 450.

Digitized by Google

SEXAGENARIA MAIOR.

Sexaginta anni sunt ex quo in Brillii aedes perlatae sunt paginae e quibus primus huiusce Bibliothecae conficeretur fasciculus. Tres illas collegerant strenui iuvenes: Naberus, Mehlerus, Kiehlius. Et felicissimo eorum usum est successu consilium: mox enim ipse Cobetus accessit socius, cuius ea de Mnemosyne nostra fuerunt merita ut Cobeti vulgo diceretur Mnemosyne. Sed neque post Cobeti excessum prorsus indignam se, ut nos quidem opinamur, ea praestitit laude gloriaque qua per multos floruerat annos. Nunc vero ... ipsae illae aedes, in aliam translatae urbis partem, Brillii nil nisi nomen servant, successores quoque eius iam duo obierunt. Obiit Cobetus, insigne illud patriae nostrae ornamentum, obierunt Kiehlius Mehlerusque, illi quoque egregie pro sua uterque parte de philologia et de iuventute patria meriti, unus superest Naberus. Superestne autem? Immo vero praeest omnibus quotquot in nostra patria bonas colunt artes. Omnibus ille doctrinae suae acuminisque facem praefert, omnibus exemplum dat industriae indefessae atque miri cuiusdam ardoris, quem non imminuit aetas, nedum exstinxerit. Mnemosyne vero nostra nunquam ei magis cordi fuit quam nunc est; huic prospicit, haec ne maculas contrahat minores maioresve anxie curat, haec ut vivat floreatque operam dare pergit ... et ut sibi sit superstes. Haec ei cura praecipua, quae

Digitized by Google

tamen non angit eum sollicitumve reddit, sed ad novum semper incitat laborem. At nos, longam illam voluminum seriem cum contemplamur „ipse gloriae suae supervixit Naberus noster" exclamamus, non hercle hanc illis sententiam praebentes verbis quam plerumque nunc in vernaculo habent sermone, sed eam qua de magno illo iis usus est Virginio Rufo Plinius, quem eundem *posteritati suae interfuisse* testatur. Posteritati suae interest Naberus, huic monstrare titulos illos suos potest in quovis volumine obvios clamantesque quantum uni illi viro universa debeat philologia; dumque nihildum in labore remittit, latum illum perlustrat campum oculis, qui ipso arante et serente tantam frugum ubertatem tulerit.

Sed nolumus virum gravem et ab omni vana iactatione alienissimum palam in os laudare: ut primus qui post sexaginta annos illos prodituras esset fasciculus *grati* prae se ferret animi testimonium, hoc erat huiusce paginae consilium. Gratias enim Nabero agere et habere, sine quo neque nata esset haec Bibliotheca neque tamdiu vitam degere honestam multisque profuturam potuisset, et nos aequum est, quos in illa adornanda strenue adiuvare pergit, et assiduos eius lectores et omnes quibus cum ipsa Graecorum Romanorumque scripta tum avitae illae Batavorum laudes philologicae cordi sunt.

J. VAN LEEUWEN J. F.
J. J. HARTMAN.

Digitized by Google

PARENTALIA

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Quid, Vahlene, tibi iam comprecer, omnia vita
Cui dederit, tanto quae cupienda viro?
Non tibi, sed cunctis nostrae cultoribus artis
Comprecor exemplum perstet ut usque tuum.

En „epistolium" quod instante die XXVII m. Sept. anni proximi Berolinum misi. Eo enim die octogesimum aetatis annum expleturus erat praeclarus ille vir, cui vix quisquam nostrum est qui non aliquid saltem referat acceptum. Senem ea aetate, quem praesertim scirem infirma laborare valetudine, aliquot etiam annos additurum esse vitae spatio quod iam percucurrerat sperare non audebam. Unum etiam addidit et paucos menses, et ne extremo quidem curriculo mente defecit; pristinum illud acumen pristinamque industriam agnoscis etiam in altera illa libri *de sublimitate* editione, quam paucis ante obitum mensibus adornavit. Hoc est „laborare quamdiu dies est"!

Nunc nobis ademptum lugemus, sed habet luctus noster suavitatis haud paulum. Ut Seneca ille imaginem vitae suae nobis reliquit, quo tenderemus omnes. Sed *imitari* eum quotusquisque nostrum poterit? Ut tantam tibi, tam solidam variamque, compares doctrinam non satis est adhibere industriam, nisi tibi natura dedit acumen singulare. Quo quid perfecerit Vahlenus ut digne describas, ne totum quidem huius bibliothecae sufficit volumen. Sed neque describi opus est. Vahlenus enim quis fuerit ignorat nemo. Ut de multis aliis eius taceam operibus, nullam esse antiquae philologiae partem, de qua non bene meruerit ille, omnibus disertius testantur libri illi, in quos opuscula eius colligenda curaverunt discipuli. Non est unquam ulli viro docto exstructum

Digitized by Google

monumentum, quod eodem quo illud iure aere possis dicere perennius!

Pauca tantummodo dicere hic consentaneum videtur, e quibus saltem aliquatenus inquirendi ratio, qua praecipue delectatus est Vahlenus, cognoscatur.

Quintiliani illud „interpretationem praecedere debet emendata lectio" in ore habent omnes. Periculum esse ne ea sententia abutantur homines ad resecandum, commutandum, damnandum propensiores nemo Vahleno sentiebat magis. Igitur identidem clamare solebat: „etiam emendationem praecedere debet recta vocabulorum traditorum interpretatio: frustra sudabis, si corrigere tentabis ea, quae ideo tibi corrupta videntur, quia non bene intelligis". Sinistra igitur quam dextra uti maluit. Et quam felici saepe usus est successu in repellendis temerariis nimis audacium criticorum in locos sanos incursionibus! Miram eius sagacitatem nihil magis intendere solebat quam praeposterum et perversum aliorum acumen.

Sed nolo hic de vera rectaque philologiae ratione disputare. Neque meum est illud et hoc me praesertim Vahleni docuit exemplum tum optime arti nostrae consuli si ad verum inveniendum inter se certant qui tradita conservare et qui nova proferre student .... dummodo una res accedat, quae nescio an inter Vahleni virtutes ceteris omnibus maiorem moverit admirationem.

Saepe ei impugnanda erant aliorum conamina, saepe aliorum corrigendi errores. Sed nunquam ex ore eius excidit verbum asperius superbiusve. Semper lenis erat, clemens, vere humanus.

Talemne virum non suspiciamus veneremurque? Nunquam ille nobis mortuus videbitur, sed quidquid tentabimus investigabimusque vivus inter vivos versabitur;

οὗτοι λείψανα τῶν ἀγαθῶν
ἀνδρῶν ἀφαιρεῖται χρόνος,
ἃ δ'ἀρετὰ
καὶ θανοῦσι λάμπει.

Digitized by Google

DE ILIADIS FONTIBUS ET COMPOSITIONE.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

QUAE FRATRIS MEMORIAE DEDICAVIT.

Primum post obitum fratris optimi coniunctissimi aliquid operis mei destinans bibliothecae huic, iam eius curis cariturae doctrinaeque fructibus quos praestantissimos percepit, non me contineo quin animi tristitiam significem. Quanto ingenio ille, quanta eruditione, quanta fuerit in bonis litteris industria, iure ac merito alii pronuntiaverunt; quanta fide atque pietate, inter paucos ego cognovi.

Scriptio haec, pars iam confecta pars eius materies in scriniis collata erat, cum in hac bibliotheca prodiit commentatio de Iliadis compositione auctore Leeuwenio nostro [1]). Praemonendum hoc censui, ne viro clarissimo mihique amico, quem in hac provincia unice habitare nemo negat, viderer obloqui voluisse, cum vix aut nondum tacuisset. Nam quamvis libens et gaudens confitear, multa e dissertatione eius me didicisse, de summa rerum tamen nonnihil ab eo dissentio. Sed Bethii, Bruechnerii, Gruppii, Vuerthemii aliorum virorum doctorum studia, postremis his annis in lucem edita, quibus multa ad fontes et compositionem Iliadis pertinentia debentur altius inquisita quam ante eos haec habebamus, me induxerunt ut tentarem in uno conspectu ponere, quid in toto de eis rebus sciri posse videretur, simul ut quae ipse antea de eis vel in hac bibliotheca vel alibi edideram,

1) Mnemosyne 1910, p. 354 sqq.

Digitized by Google

auctius et, si quid video, emendatius denuo proferrem. Librum D. Muelderi v. cl. cui titulus „die Ilias und ihre Quellen", anno proximo superiore datum, apte et composite scriptum, ita vero ut quae acute argumentetur auctor saepius contrarium probare videantur atque ipse voluit, serius cognovi quam vellem, in perorando tamen et in annotationibus respexi. De scriptis autem quae A. Lang, C. Rothe alii viri docti et ante et nuper ediderunt, quo probarent unius poëtae ingenium in Iliade et Odyssea conspicuum esse, hic quid sentiam paucis complectar. Permulta monuerunt quae non sine detrimento tuo neglexeris, haud dubie ostenderunt multas discrepantias, quas in utroque poëmate longo temporis decursu multi viri docti investigaverunt, non eius modi esse, quae in unius auctoris opere ferri nequeant; sed illud reprehendo, quod in disputando hoc fere principio usi esse videntur, a magni poëtae opere — plurima autem apud omnes constat in Iliade et Odyssea inveniri, quae summi poëtae manum prodant — artem criticam, quae dicitur, arcendam esse. Hac ratione id quod demonstrandum erat, Iliadem, ut Odysseam iam mittam, unius poëtae opus esse, praeceperunt. Qua in re longe differunt et a Leeuwenio et a Mueldero, quorum ille nullus negat repugnantiis non tolerandis laborare Iliadem quas interpolatoribus tribuendas censet, hic eam repugnantiis etiam scatere perhibet ita tantummodo tolerandas, si sumis, id quod ipse primus dispexisse sibi videtur, poëtam eos qui sua carmina audirent vel legerent, ludibrio habuisse. Contra Rothe c. s. toti sunt in admirando, et multa mihi videntur admirari, de quibus numquam poëta cogitaverit.

I. De Iliadis fontibus.

a. *Quae prima fuerint de bello Troiano carmina.*

Septem annos abhinc E. Bethe v. cl. primus censuit [1]) antiquissimis carminibus, quae non dubitavit quin veras Locrensium res referrent, Troiam tradi expugnatam ab illo Aiace quem solum commemorarent, qui postea a poëtis quasi divisus esset

1) Cf. die Troj. Ausgr. u. d. Hom. Krit. Neue Jhrb. 1904 p. 1—11.

Digitized by Google

in Telamonium et Oileï filium. Anno post O. Crusius v. cl. argumenta quaedam Bethii minus valida insectans, contemptim eius sententiam reiecit [1]). Postremo O. Gruppe v. d. nulla huius controversiae mentione facta, quasi res integra esset, statuit [2]) fabulam de bello Troiano originem ducere a proeliis, quae coloni Locrenses et Thessali oriundi e Maliaco et Pagasaeo sinibus in Troade gessissent cum habitatoribus Graecis iam multo ante eo profectis e Boeotia. In carminibus ad haec proelia pertinentibus primas quidem partes egisse putat Gruppe Aiacem illum πρωτότυπον, praeterea tamen in eis iam prodisse èt Achillem, heroëm Phthiotam, èt Helenam, Clytaemnestram, Agamemnonem, Menelaum qui e stemmatis Aetolicis in ea invecti essent, quippe cum Aetolia tum temporis Locrensium esset [3]). Gruppii sententia satis infirmis nititur fundamentis. De Troianorum Boeotica, quam ille vult, origine post agam. Sed propterea quod domus regia, cuius auctor Peleus esset, hunc filium fingeret Aeaci „herois proprie Locrensis" [4]), quodque Patroclus Opunte in urbe Locrensi natus esset, Achillem iam in antiquissimis Locrensium carminibus extitisse censet; Agamemnonem autem, ceteros, quos utrum recte necne Aetolos faciat hic non quaero, eo ipso quod Aetoli sint Locrensibus tribuendos esse putat, nullam aliam ob causam, nisi quod Aeolus, per filiam suam Perimeden princeps generis regii Aetolorum, oriundus sit Orchomeno ex urbe Boeotiae „a qua urbe non amplius tria milia passuum absit Opus" Locrensium caput [5]), Aeolique avus Deucalion cum patre Prometheo eiusque fratre Menoetio, qui, a deo in hominem conversus pater factus sit Patrocli Opuntii, locum obtineant in mythologiis Locrensium. Testimonia haec vinculi quo coniuncti fuerint Locrenses cum Aetolis et Thessalis, satis levia puto, sed fac gravissima esse, nequaquam constat eius vinculi coniunctionem aetate antecedere antiquissima carmina de bello Troiano. Ab altera parte, quaecunque horum vestigia sive ex Homero, sive aliunde indagare licet, omnia alia probant. Utrum revera necne

1) Sitz. Ber. der K. Bair. Akad. d. Wiss. München 1905.
2) Gr. Myth. u. Rel. Gesch. 1906 pp. 309, 612 sqq.
3) l.l. p. 618.
4) l.l. p. 112.
5) l.l. p. 96.

Digitized by Google

Graeca aliqua gens urbem Troiam expugnaverit mitto, id enim sciri non posse iudico; illud vix dubitandum est, quin poëtae, qui primi proelia inter Graecos et Troianos cecinerint, hoc apud animum sibi proposuerint, Troiam captam esse ab Aiace quodam cum suis militibus nullo alio summo duce. Primum videamus, quid de ea re ex Iliade efficere liceat.

Graecis, qui Troiam peterent, classem appellentibus in Asiae litus, Protesilaum primum omnium, cum e nave in terram desiliret, interfectum esse legimus B 697 sqq., qui locus invenitur in Catalogo navium, quem dicunt; in pugna autem apud naves quam Ilias habet, quae, si totam spectas, incipitur initio libri N et perducitur usque ad Π 305, navem Protesilai, qui ibi quoque iam antea interfectus esse memoratur (O 706), primam agressum esse Hectorem discimus N 681. O 704, eandemque primam Patroclum eripuisse Troianis invenimus Π 286 sqq. Adventus in Troiae litus a pugna apud naves illa plus novem annorum spatio, ut nunc Ilias legitur, aut, si Leeuwenio credis [1]), paucis quibusdam Iliadis versibus sublatis, quadraginta fere dierum intervallo separatus est, causam autem probabilem cur de Protesilai nave congruant, nullam aliam inveniri posse patet, nisi quod Graecorum adventus iam ante Homerum celebratus sit carmine, unde èt locus Catalogi modo laudatus èt pugnae illius apud naves descriptio originem duxerint [2]). Catalogi ratio ad locum quem in Iliade obtinet minus apte quadrat, ibi enim militum cum ducibus in aciem consistentium, non navium et urbium unde profecti sint, recensionem iure expectes, quae ne satis quidem intellegi potest, nisi sumis initio eam pertinuisse ad profectionem e patria. At vero idem carmen vel carminum κύκλον egisse de profectione e patria deque adventu in litus hostile veri simillimum est, unde concludere licet universum Catalogum, qualis quidem a principio fuerit, nam minime constat iam ab initio eum complexum esse omnes nationes Graecas quae apud Homerum in eo recensentur, nedum Troianos eorumque socios, ad illud pertinuisse carmen, sive fuit carminum κύκλος,

1) Mnem. 1907 p. 45—54.

2) Haec sententia cum iam multos annos mihi constaret, gaudens vidi in eandem disputare Leeuwenium Mnem. 1905 p. 305, 1911 p. 358, Muelderum l.l. p. 176 sqq.

Digitized by Google

unde pugna apud naves Homerica est hausta. Iamvero illo Catalogi loco B 697 sqq. ubi de Protesilai morte agitur, Podarces Iphicli filius eius frater fuisse eumque in regnum successisse traditur, in pugna autem apud naves N 693 Podarces Iphicli filius, simul cum Medonte Aiacis Oïlidae fratre, imperare dicitur Phthiis; itaque, quamvis Catalogus Homericus in recensendis Podarcis et Medontis copiis (B 695—710 716—728) Phthiorum nomen taceat [1]), neque ab altera parte usquam in Iliade nisi in Catalogo Podarces Protesilai frater esse dicitur — omnino nisi l.l. neque Phthii neque Podarces usquam in Iliade commemorantur, Medon recurrit tantum O 332 sqq. — non dubitamus credere a Catalogi principalis auctore Podarcem et Medontem Phthiorum duces habitos esse. Et facile quidem intellegitur cur in Catalogo Homerico Phthiorum nomen omissum sit [2]), omitti enim debebat nisi in lucem prodiret repugnantia quae inde oritur, quod, cum in Iliade in belli Troiani parte Phthii sint, Achilles Phthius iis non imperat. Eam autem repugnantiam deberi fontium discrepantiae non vero adfuisse in uno eodemque fonte nemo negabit. Nihil igitur dubii, quin in fonte nostro res ita proposita sit ut in eo Achillis nulla mentio sit facta. Neque enim mihi obieceris, cum in Iliade Achillis milites Myrmidones, non vero Phthii, audiant, et simul cum rege bello absistant, neque eorum principes sint Podarces et Medon, sed Menesthius, Eudorus, Pisander, Alcimedon (Π 168 sqq.), fieri posse ut in fonte nostro res eodem modo se habuerit, ut enim Phthiorum *parti* tantum cui Myrmidonibus nomen, praefuerit Achilles, ceterae *parti* Podarces et Medon; revera etiam urbes, quae ab his habitatae tradantur B 695—710, 716—728, cunctas sitas esse in Phthiotidis, quae postea dicebatur, parte septentrionali. Omitto quod, si res ita se haberet, Achilles aut in fonte nostro pugnae adfuisset in Iliade remotus esset, aut

1) Eatenus etiam discrepant N 686 sqq. et B 695—710, 716—725 quod cum illic Phylace Medontis sedes dicatur, hic Podarces solus ibi habitat, eaque urbs distinguitur ab iis quibus Medon imperat, isque Philocteti in imperium successisse traditur. Philoctetem non ex fonte nostro sed ex alio fonte arcessitum puto, quod post nobis apparebit; quod autem Medon ei successisse refertur incuria factum censeo cum Catalogus Homericus componeretur.

2) Nam casui deberi posse, quod Podarces, ubi in pugna apud naves comparet, tacetur Protesilai frater esse, in expedito est.

Digitized by Google

iam in fonte iratus destitisset, quorum neutrum credibile. Sed Phthia ipsa aut fuit urbs, id quod incertum est, aut regio. Si fuit urbs, Phthii huius urbis cives erant, sive potius, ne obstet N 696, ubi Medon Phylacae habitare dicitur, èt huius urbis cives et simul oppidorum cum ea in unam civitatem coniunctorum; si vero regio, prorsus nescimus fuerintne eius regionis fines iidem atque Phthiotidis posterioris, sed hoc constat Achillem dici imperasse (B 683) „iis qui Phthiam habebant," non vero „iis qui in ea regione" — fortasse cum aliis — „habitarent". At, inquis, Phthiorum gentem Ilias interpolatori debet. Ne alia afferam, quam veri simile est, cum quisque in Homero suo legere posset Achillem Phthium imperasse Myrmidonibus, inculcari potuisse inventum quo Phthii fingerentur ducibus aliis in partem belli Troiani venisse! Permanendum ergo in sententia, nullum in fonte nostro locum fuisse Achilli. In pugna autem apud naves praeter Achillem desiderantur Agamemnon, Diomedes, Ulixes, Eurypylus. Hi iam ante vulnerati erant, teste libri Λ parte priore, cum in planitie procul a navibus certaretur. Sed ad id certamen nou pertinet fons noster, quippe in quo de adventu classis Graeca ageretur. Aut igitur hic fons ab initio iis carebat, aut cum in Iliadem adhibitus est hi omissi sunt propter praecedentem vulnerationem; utrum vero credibilius sit, cum praesertim tamen Achilles illi fonti defuerit, unusquisque videt. Iam vero satis multi Graecorum duces reliqui sunt, qui in pugna apud naves commemorentur, Menelaus, Nestor cum filiis Antilocho et Thrasymede, Idomeneus, Meriones, Aiaces, Teucer. Sed in summo discrimine (O 674—746, Π 101—123) omnes evanuerunt praeter Telamonium. Nimirum cunctos Graecorum milites recessisse totidem verbis poëta auctor est (O 655 sqq. 675). Neque hoc habet quod magnopere offendat, quamquam iure expectaveris de singulis principibus paululo explicatius cur quisque cessisset rationem fore redditam. Sed illud permirum neque credibile in tanta navium multitudine Aiacem solum etiam per brevissimum temporis spatium valuisse ab omnibus ignem prohibere, neque Hectori contigisse ut unam aliquam inflammaret priusquam Aiacem fugasset. Quis non perspicit propterea tantum poëtam cunctorum militum recessum finxisse ut duces quoque removeret, et abuti posset imagine pugnae quae in fontibus

Digitized by Google

praesto esset, quae Aiacem non tam solum propugnatorem quam solum propugnatorum ducem haberet. Neque igitur si res se hoc modo habet, fons noster ita accipiendus est, quasi nulli principes minorum gentium, ut ita dicam, in eo prodierint, quos tamen non opus erat in describendo summo discrimine nominatim efferre, cum Aiax longe omnibus in defendendo periculo praestaret. Inter quos supra iam offendimus Medontem et Podarcem. Ceterum ea quae attulimus non obstare quominus etiam Oileï filius credatur in fonte nostro ducis munere functus esse, infra videbimus.

Iamvero ex fonte antiquo quem deprehendisse nobis videmur, etiam plura quam deprompta iam invenimus, elicere nobis licebit. Nam in pugna apud naves coniuncte Phthiorum et Boeotorum populi in scenam prodeunt (N 685 sqq.), ex singulis autem Boeotis — universa enim gens nusquam memoratur nisi l.l. et in Catalogo — sed ex singulis Boeotis, decem numero, quorum in Iliade mentio fit [1]), septem in ea pugna offenduntur, Peneleus N 92, Ξ 487 sqq. Leïtus N 91, Ascalaphus N 478, 518, O 112, Prothoënor Ξ 450 sqq., Promachus Ξ 476—503, Arcesilaus O 329, Clonius O 340, eidemque praeter Promachum in Catalogo extant (B 494 sq., 511 sqq.), sed nemo eorum in cetera Iliade occurrit nisi Leïtus Z 35, P 601, Ascalaphus I 82, Peneleus Π 335, P 597 sqq., qua in re ne hoc quidem negligendum est, ad libros Π P, quamquam abinde Π 306 iam pugna apud naves non agitur, tamen, id quod mox ostendam, fontem de quo agimus pertinere. Atqui neque per se veri simile est, temere et de nihilo confictos Boeotos etiam multo plures quam per ceteram Iliadem totam [2]) in una prodire pugna apud naves, èt id ipsum quod a Phthiis separari nequeunt, eo tendit ut credamus eos ex eodem fonte atque illos receptos esse. Accedit, quod Telamonii patria,

1) Boetis commodi causa Minyas, Aspledonis et Orchomeni cives, adnumero, quamquam in Catalogo ab eis separantur B 511 sqq.

2) Boeoti, quos cetera Ilias habet, si discedis ab iis qui etiam in pugna apud naves commemorantur, sunt Oresbius Hylensis E 707, ubi additur „et alii Boeoti", Menesthius H 8 sqq., Ialmenus I 62 qui in catalogo quoque invenitur (B 512). Propter nomen patris Creontis Lycomedes I 84, M 36, P 344, T 240, cum comite Leocrito P 344, et propter suum ipsius nomen Melanippus T 240 e carminibus Thebanis transsumti esse videntur. Neque tamen apud Homerum patria traditur, neque in Catalogo commemorantur.

Digitized by Google

cum duobus Iliadis locis Salamis esse dicatur (B 557 sq. H 199) alio tamen loco haud obscure significatur Boeotia esse. Nam H 219 sqq. Telamonii scutum ingens, quo apud Homerum insignis est, confecisse ei dicitur Tychius Hylensis ex urbe Boeotiae, cuius nomen ipsum ex eius arte inventum docet, non cogitandum hic esse de artifice, quem fama tulerit olim in Boeotia vixisse, sed de persona ficta. Cur ergo Boeotus, nisi quod unde heroës oriundi essent, inde quisque sua arma sibi comparasse crederetur? Versus H 197—199 insertos puto ab aliquo, qui versus praecedentis sensum non caperet, nam vox δέδϝιμεν vs. 196, si ad Aiacem solum refertur, inanis iactantiae est heroïbus Homericis alienae [1]). Sed fac genuinum, et poëtam diversis fontibus usum esse, quorum repugnantiam aut non perspexit aut non curavit, utique concludendum est fontem de quo hic agimus, èt Telamonium Boeotiae adscripsisse èt tot Boeotos apud naves pugnantes habuisse, quippe quarum rerum concursus unice sic facile intellegatur. Praeterea hoc vide. Ad Catalogum navium supra demonstravimus fontem nostrum pertinere, simul dantes vix eum ab initio omnes nationes Graecas complexum esse, quae apud Homerum in eo recenseantur. Sed principali Catalogo Boeotos non defuisse veri simile est, quia in Homerico Catalogo primum eumque permagnum locum obtinent, isque ab his altero nomine Βοιωτία est appellatus. Itaque sic quoque confirmatur sententia nostra, quamvis simul sequatur Telamonium, cum Catalogus in Iliadem reciperetur, e proprio loco quem in eo obtineret remotum et in alienum locum (B 557) transportatum esse, addita patria Salamine ex eodem fonte atque H 199. Postremo hoc notandum, fieri non posse ut apte explicetur, cur Aulide e Boeotiae portu classem universam Graecorum solvisse Homerus nobis auctor sit, nisi sumas hoc derivatum esse e carminibus quae agerent de Boeotorum expeditione transmarina. Veram aliquam memoriam ea carmina servasse perquam credibile est.

Quemadmodum Boeoti sic Athenienses èt in pugna apud naves cum Phthiis coniuncti proponuntur (N 685 sqq.) èt in Iliade

1) Verba ἐπεὶ οὔ τινα δέδϝιμεν ἔμπης sic explicanda censeo: »cum nos Graeci minime metuamus, ne hostes sive precibus contrariis, sive incantamentis, nostras valeant preces irritas reddere". Cf. Mnemos. 1908 p. 28.

Digitized by Google

paene nusquam commemorantur, nisi in illa et in Catalogo. Eorum dux Menestheus nobis etiam occurrit in *Ἀγαμέμνονος ἐπιπωλήσει* (Δ 326 sqq.) et partes aliquas agit in *Τειχομαχίᾳ* (M 333 sqq.) ubi eius praeco quoque memoratur, Thootes nomine, et praeterea Pandionis cuiusdam mentio fit (M 372) quem, etiamsi patria non additur, èt nomen ipsum èt contextus narrationis prodit Atheniensem esse, ceteroquin nulli usquam extant Athenienses in Iliade nisi idem Menestheus B 546 sqq. N 195, 690, Stichius N 195, 691, Phidas N 691, Bias N 691 [1]), Iasus O 332. Itaque in eisdem carminibus quibus celebraretur Phthiorum et Boeotorum expeditio, mentionem etiam sociorum Atheniensium puto factam esse [2]). Tum Locrenses una cum Phthiis, Boeotis, Atheniensibus comparent in pugna apud naves, neque horum quidem praeterquam ibi (N 686, 712) et in Catalogo (B 527—535) usquam in Iliade mentio fit, si discedis ab eorum duce Aiace Oileï filio et a Patroclo, qui, quamquam apud Homerum coniunctus cum Achille proponitur, quod vinculum non antiquissimum esse videtur, explicatur enim Patrocli fuga e patria, origine Locrensis est, quippe oriundus Opunte ex urbe Locridis. Aiax praeterquam in pugna apud naves et in rebus Patrocli satis raro apud Homerum prodit [3]), Patrocli autem res quae in Iliade narrantur, pars saltem, eiusmodi sunt ut si recte eum Locrensibus adnumeravimus, magnum momentum habeant ad probandam Locrensium societatem expeditionis Phthiorum cett., quo accedit quod Locrenses et Phthios artissime coniunctos fingi eo quoque apparet, quod Medon frater Aiacis Locrensis simul cum Podarce Phthiis imperare narratur. Patroclus Protesilai navem Troianis eripit (Π 236), et in proeliis quae, postquam eos fugavit, committuntur in planitie, rursus comparent Peneleus

1) Sic libri, Nauck v. cl. pro *Βίας τ' ἐὺσ: καὶ Ἴασσο*.

2) N 685 Athenienses vocantur *Ἰάονες ἑλκεχίτωνες*, quam appellationem in promptu est suspicari repetitam esse ex hymno in Apollinem 147. Nam ibi cum de festo et pompa agatur optime se habet, nostro vero loco minus apte adhibetur militibus in acie versantibus. Fortasse versum N 685b interpolaverunt rhapsodi Ionii studiosi inserendi in Iliadem nomen gentis suae et memores Iones Asiaticos credi esse colonos Atticos et ipsos Atticos natione Iones. Genuina lectio potest fuisse: *Ἀθηναῖοι μενέχαρμαι* (*μεγάθυμοι*? *ἀγέρωχοι*?).

3) His locis K 53, 175, 110 M 356, 366 Ψ 473 sqq. et simul cum Aiace Telamonio (*„Αἴαντε δύω"*) B 406 Δ 273 sqq. E 519 Z 436 Θ 79 K 228 M 343 sqq.

Digitized by Google

(Π 335, P 597) et Leïtus (P 601) Boeoti; tum, Patroclo occiso in defendendo eius corpore Aiax uterque insignis est; denique eo quod non unius Hectoris sed, ut Apollinem mittam, etiam iuvenis Euphorbi ope Patroclus interficitur, apparet iam ante Homerum eius mortem celebratam esse. Nam qui primus Patroclum ab Hectore interfici fecit, credibile non est Euphorbi huius rei socium adsciturum fuisse nisi eum in fontibus suis invenisset, nec magis credibile Euphorbum a recentiore esse additum, sed sic unice veri similiter res explicatur, si sumimus poëtam qui Patrocli exitu uti vellet ut Achillem in aciem reduceret, pro Euphorbo substituisse fortissimum Troianorum propugnatorem — ita sane ut illum non prorsus negligeret — ne se indignum adversarium haberet Graecorum fortissimus heros, utque simul sic Graeci liberarentur malo quod Achillis ira eis contraxisset. Omnibus quae attuli computatis non frustra conieceris Patrocli res, quae traduntur libris Π, P, Σ, quamvis in Iliade sint aucta ac amplificata — nonne de Aiacibus quoque nonnulla [1]), de Hectore permulta habet Ilias, de quibus ante Homerum nullus poëta cogitavit? — ex eodem fonte atque pugnam apud naves et Catalogum originem suam ducere. Ceterum, quo plura quoque magis diversa ea sunt quae ex hoc fonte derivanda esse apparet, eo magis adducimur ut non unum carmen, sed, id quod supra iam suspicati sumus, carminum κύκλον eum fontem fuisse persuadeamus nobis, de qua re, sicubi perspexerimus, quod nunc nobis indagandum est, quae ratio in eo fonte inter Aiacem utrumque intercesserit, etiam confirmabimur. Ambos Aiaces a poëtis ex uno derivatos esse, ipsa ostendit ὁμωνυμία [2]) et confirmat, id quod sagaciter demonstravit Vuertheim v. d. [3]), utriusque ingenium, ut non ab omni parte aequale ita eiusmodi proprietatibus quibusdam insigne, ut appareat eun-

1) Praeterquam in Catalogo et in libris N—Σ Telamonii fit mentio T 225 sqq. Δ 473 sqq. E 610 sqq. Z 5 H 179 sqq. Θ 267 sqq. I 169 sqq. Λ 463 sqq., 526, 542, 544 sqq. M 349 Ψ 708 sqq. Sed locus H 179 sqq. satis certo (vide infra p. 15) loci E 610 sqq. Z 6 (vide infra pp. 37, 41) fortasse e fonte nostro derivati sunt. De Aiace Oilei filio deque Aiacibus coniunctis vide p. 9 in ann. 3.

2) Non ita res se haberet si hic ageretur de nomine qualia hominibus e plebe tribuuntur cf. ex. gr. Λ 305 sqq., vel omnino qualia quid significent statim perspicis, ut sunt Medon vel Creon.

3) De Aiacis origine, cultu, patria pp. 26 sqq., 42 sqq., 82 sqq.

Digitized by Google

dem daemonem in utrumque mortalem abisse; tum ira Minervae in utrumque apud Homerum conspicua, cuius causam non intellegis, nisi eam refers ad inimicitias numinum quae mutuo sibi infesta homines crederent. Sed *πρωτότυπον* illum Aiacem, quem forsitan aliae quoque gentes coluerint, at coluisse et Boeotos et Locrenses perspicuum est, consentaneum erat, sicubi cantores illi extiterunt, qui horum expeditionem Asiaticam, Aiacemque in mortalem conversum, eius ducem celebrarent, ab aliis, qui e Boeotis orerentur, natione Boeotum fingi, ab aliis, Locrensibus, Locrensem; cumque ab illis appellaretur Telamonius, ab his Oileï filius — de qua re infra accuratius agam — atque fortia facta quae utrique tribuerentur pro parte saltem diversa essent, ita quidem, quod ex ipsa Iliade apparet, ut quae Telamonio adscriberentur insigniora essent et digniora viro ingenti statura, sequebatur ut procedente tempore ab eisdem iam poëtis non aut solus Telamonius aut solus Oileï filius laudaretur, sed in easdem quoque scenas producerentur *Αἴαντε δύω*, alter *μέγας Τελαμώνιος Αἴας* (I 169 Ξ 409), alter *μείων οὔ τι τόσσογε* (B 528), attamen, ne sua quoque careret laude, *Ὀιλῆος ταχὺς υἱός*; neque mirum est ipsam appellationem „*Αἴαντε δύω*" ansam dedisse eos coniungendi, quemadmodum in Iliade compluribus locis fieri videmus, ut heroüm par inde existeret [1]). Hoc vero, utrum iam ante Homerum factum sit, an tum demum cum in Iliadem inducerentur, perspicuum est sciri non posse, quamquam

1) Auctor loci N 712 significat sibi notatu dignum i. e. mirum videri, quod Aiax Locrensis a suis discedat et Telamonio se applicet. Apparet igitur hunc poëtam quodammodo invitum eos coniungere, at tamen coniungere, sive quod iam invenit coniunctos in fontibus, sive quod appellatione *Αἴαντε δύω* quam in fontibus inveniret, colligeret eos coniungendos esse. Vuertheim l.l. p. 13—17 ita ratiocinatur, quasi coniunctione significetur eos ab initio unum fuisse. Hoc, quid sibi velit non teneo. An huius rei conscii erant, qui eos coniungerent? Si fuissent, negassent duos esse. Censet tamen ita viri doctus. Nam cum duo Aiaces comparentur cum duobus leonibus una unam capellam rapientibus iudicat poëtam „idcirco ea imagine abusum esse" „quia Aiaces divellere neque vellet neque posset". Neque ei assentior illam imaginem ineptissimam esse; quid enim impedit quominus alter leo capellae caput, alter pedem dentibus teneat, et sic ambo eam absportent? Scholiasta annotans *„οὐ συμμαχοῦσι λέοντες ἀλλήλοις"* egregie fallitur. Cf. Brehm (Illustr. Thierleb. Leipzig u. Wien, Biograph. Instit. I die Saügethiere p. 114) „Haüfig kommt es vor, dass sich zu grösseren Jagdzügen mehrere Löwen vereinigen: die Paare gehen regelmässig in gemeiuschaft auf die Jagd aus".

Digitized by Google

patet illum Iliadis locum, ubi Telamonius solus naves defendit, fluxisse e carmine quo hic solus laudaretur.

Nondum ad finem perduximus recensionem earum gentium, quas Boeotorum cett. expeditionis arbitramur socios fuisse. Nam Phocenses, quamquam non ita cum Boeotis, ceteris, de quibus egimus, coniuncti proponuntur, ut ab eis salvo contextu versuum separari nequeant, tamen ut huc referas, induceris quoniam Ilias nusquam eos habet nisi in Catalogo (B 517—526), in pugna apud naves (O 516), in pugna de Patrocli corpore (P 307); quo accedit quod necessitudo aliqua iis cum Boeotis fuisse significatur, quoniam, quemadmodum Phthii (N 699 sqq.), sic hi quoque (B 523 sqq.) proxime illis in acie stare narrantur. Praeterea Epei nostris adnumerandi videntur, neque tamen ubicunque in Iliade occurrunt nostro fonti debentur. N 686 commemorantur coniuncte cum Boeotis, Atheniensibus, Locrensibus, Phthiis, ibique eorum principes sunt Meges, Amphion, Dracius, quorum Meges solus recurrit, nam memoratur etiam B 627, E 69 sqq., K 110, 175, O 302, 520 sqq., Π 313, T 289. Tum Epei cum principibus Amphimacho et Thalpio, qui sunt Actorionum Cteati et Euryti filii [1]), Diore Amaryncei filio, Polyxeno Agasthenis Augiadae filio, inveniuntur B 615 sqq., e quibus soli Diores et Amphimachus recurrunt, ille Δ 317, hic N 185 sqq., Amarynceus Ψ 360. Praeterea Nestor res in iuventute gestas repetens Epeiorum principes memorat Itymoneum (Λ 671), Actoriones (Λ 709, 750), Mulium generum regis Augiae (Λ 739), regem Augiam ipsum (Λ 701). Diversis fontibus haec deberi, ea autem quae de certaminibus Epeiorum et Pyliorum narret Nestor non hausta esse e carminibus, quae pertinerent ad expeditionem transmarinam, per se perspicuum est. Sed hoc notatu dignum, Epeiorum principes qui in Catalogo (B 615 sqq.) commemorentur, alios esse atque eos qui in pugna apud naves occurrunt, filios vero eorum quos Nestor inter aequales suos numerat, nam etiam Amarynceus Dioris pater, quamquam Λ 671 desideratur, tamen a Nestore memoratur (Ψ 630); in Catalogo autem (B 627) Megetem prin-

1) Ipsi Amphimachus et Thalpius hoc loco dicuntur Actoriones, sed hoc nomen hic valere „Actoris *nepotes*" apparet e patrum nominibus additis. Congruit locus N 135, ubi Amphimachus dicitur filius Cteati Actorionis. Actorem alio nomine Neptunum esse apparet N 206.

Digitized by Google

cipem esse non Epeiorum sed Dulichiorum. Apparet igitur nomina principum Epeiorum, quae Catalogus habet, aut ex eisdem carminibus atque Nestorea illa hausta esse, aut excogitata tum cum Catalogus Homericus conficeretur, eo consilio ut vinculo aliquo coniungeretur illorum carminum materies et fabula de bello Troiano, aut deprompta esse e stemmatis iam ante Homerum ad illa carmina applicatis; Megetem vero, quem etiam propriis carminibus iam laudatum fuisse inde efficias quod saepe numero apud Homerum recurrit, et imprimis inde quod eius loricae ἱστορία copiose narratur (O 629), cum eius persona et genealogia vulgata ad Nestorea illa non quadraret, ne tamen in Catalogo desideraretur, ibi Dulichiorum principem esse fictum sive e suis carminibus, sive de nihilo. Quoquo modo hoc se habet, Epei, qui in pugna apud naves cum ducibus Megete, Amphione, Dracio prodeunt, quin e nostro fonte deprompti sint haud dubium videtur, unde sequitur ut in Catalogo principali hi, non vero Amphimachus, Thalpius, Diores, Polyxenus eorum fuerint duces. Postremo Thoas Aetolus cum militibus suis nescio an nostro fonte adiudicandus sit. Nullus sane fons ex Iliade elici posse videtur ad quem referatur aptius. Nam cum Oeneo et Meleagro ei ab initio nulla videtur intercessisse ratio. Quippe enim in Catalogo (B 642) nullos Oeneo filios superstites fuisse ideoque ei successisse Thoantem legimus; et recentiores Thoantem Oenei generum finxerunt, nullo nimirum alio consilio, nisi ut aliquod vinculum inter utrumque constituerent. Bis Thoas in pugna apud naves appellatur, N 216 ubi eius specie Neptunus Graecos cohortatur, et O 281, ubi miratur Thoas Hectorem ab Aiace Telamonio prostratum mox surrexisse; praeterea commemoratur Thoas Δ 527 sqq., H 168, Υ 329.

Ex eis, quae demonstravimus sequitur, ut ab initio in Catalogo extiterint Boeoti, Phocenses, Locrenses, Athenienses, Epei, Aetoli, Phthii, non extiterint Achilles, Agamemnon, Menelaus, Diomedes, Nestor cum filiis, Ulixes, Idomeneus ac Meriones, Tlepolemus, Podalirius atque Machaon, Philoctetes, Eurypylus, Polypoetes atque Leonteus, Elephenor horumque omnium milites, ut qui omnes, ne in Catalogo desiderarentur ei qui in bello Troiano, quem admodum eius fabulam longa dies auxerat et mutaverat, primarium locum obtinebant vix dubium sit quin,

Digitized by Google

tum additi sint cum Catalogus in Iliadem adhiberetur. Neque ullo modo mirum est Catalogi principalis rationem, qua navium, quibus milites transportati essent numeri et urbium e quibus profecti essent nomina ederentur, etiam in iis quae adderentur, observatam esse, quamvis ad contextum rerum cui Catalogus applicaretur minus conveniret. Iam vero supersunt in Catalogo Graecorum Homerico — ut mittam Catalogum Troianorum eorumque sociorum, quem, quamvis nonnullos horum in sequentibus nobis apparebit ex antiquo nostro fonte derivatos esse, res ipsa tamen docet quo tempore, vel etiam postquam Graecorum Catalogus Homericus conficeretur esse additum collectis undique ex Iliade populorum nominibus qui in illa a partibus Troianorum starent [1]), — nonnulla nomina populorum, urbium, ducum, quae nusquam in Iliade nisi ibi inveniuntur, neque igitur propter eandem causam atque illa de quibus modo vidimus, inserta esse possunt, Arcades, Eniani, Perrhaebi, Magnetes, Dodonaei atque insulae Symae incolae. Quid ergo? Suntne haec deprompta e Catalogo principali? Noli credere antiqua carmina, quae praesertim veram aliquam memoriam redderent, Enianes, Perrhaebos, Dodonaeos diversissimas terras incolentes ducem eundem sequi, quemadmodum fit B 748 sqq., vel ab eis, simul cum Arcadibus ex intima Peloponneso cumque insulanis litori Asiae propinquis, eandem expeditionem consociari fecisse. Sed cum multitudo nationum, quae in cetera Iliade aliquas partes agerent, unicuique rem non accuratissime consideranti speciem praeberet, universam Graeciam contra Troianos bellavisse, in promptu erat, si quis cantor vel rhapsodus casu quodam aliquam notionem haberet, sive claram sive obscuram et perplexam, gentium Graecarum quae in ea multitudine desiderarentur, eas Catalogo inserere, inprimis si aliqua fama extaret, eas expeditionum maritimarum non expertes fuisse, aut si ipse nobilem aliquam domum vellet honore afficere. Quod autem supra monui, quam veri simile sit Aulide, e portu Boeotiae, solvisse naves Boeotorum et Phthiorum ad mare Aegaeum traiciendum, attendendum est eundem locum aptissimum esse quo illum ad finem convenerint homines

1) In his desiderantur Cilices, Leleges, Caucones, fortasse propterea quod cum Catalogus Troianus conficeretur, nondum in Iliadem recepti essent.

Digitized by Google

ex ceteris gentibus quas ab initio Catalogus recensuerit, contra parum idoneum, si quaeratur statio unde universae Graeciae classis in litus Troianum transmiserit [1]).

Carminum quibus expeditio Boeotorum cett. celebraretur auctores, quamvis apud Homerum cedat etiam Telamonius, cadat Patroclus, fieri non potest ut hostes victoriam reportavisse narraverint, sed sine ullo dubio est statuendum illos rem ita proposuisse, ut post multa discrimina rerum populares sui superaverint, idque sine Achille, cuius nullam rationem habuisse supra ostendimus. Atque illos cantores non credibile tantum, sed prorsus verisimile est, hostium etiam ducem interfici fecisse, idque manu Aiacis, sive eum Telamonium sive Oilei filium appellaverint. Nam in Iliade cur id ita mutatum sit ut Hector Achillis telo succumbat, supra vidimus [2]), sicubi vero hic in aciem prodit, uterque Aiax e conspectu abiit, per cunctos libros T—X desideratur. Fieri potest ut aliud carmen antiquum Telamonium, aliud Oileï filium habuerit Hectorem obtruncantem, sed de Telamonio solo huius rei nobis Ilias vestigia servasse videtur. Nam H 268 sqq. is Hectorem in certamine singulari lapidis coniectu leviter vulnerat, quod certamen ex antiquo nostro fonte derivatum esse inde collgere licet quod Aiax ibi natione Boeotus proponitur [3]). Iamvero Ξ 401 sqq. eiusdem certaminis aliam imaginem vetustiorem ex eodem fonte repetitam habemus; nam hic quoque Hector ab Aiace lapide percutitur, sed, cum altero illo loco certamen eiusmodi sit quod paene ludicrum voces, quae forma originem recentiorem prodit, hic ad extremas incitas Troianus deducitur; lapidis ictu circumagitur in turbinis modum, et corruit veluti arbor icta fulmine magni Iovis, neque tamen occiditur, sed mox Apollinis opere recreatus in pugnam redit. Quis non animadvertit rem gravem a poëta gravissime tractatam similem eventum non habere? Sponte mentem subit, ab Aiace

---

1) Muelder l.l. p. 114 vocem „αὖλις" censet significare „locus quo convenitur" et portum Aulidem, unde Graeci Troiam profecti sint, merum poëtarum esse φάντασμα, quo recentiores demum respici portum δμώνυμον Boeotiae opinati sint. Sed vox αὖλις significare videtur „cubile" (cf. I 69 αὖλιν θέσθαι) et portum Boeotiae inde suum nomen habere, quod ibi revera Boeoti cett. in mare Aegaeum soluturi consederint.

2) Cf. p. 10.

3) Supra p. 8.

Digitized by Google

olim Hectori, non ab Achille necem paratam esse traditam, idque nos hic habere incohatum, sed ab Homero a proposito deflexum. Eodem spectat, quod Hector in planitie pugnans certamen cum Aiace evitasse dicitur (Λ 542), cuius pugnae pictura non sine respectu κύκλου nostri instituta esse videtur. Nam Agamemnon in ea vulneratus exclamat (vs. 275) „defendite naves, commilitones cum Iuppiter me non sinat diutius pugnare." Illud „defendite naves" non optime se habet, nam pugnatur etiamnunc *procul a* navibus, et superiores fuerunt Graeci, neque fortuna commutatur nisi postquam Agamemnon discessit, cur igitur Agamemnon adhortaretur ut naves defenderent? Sed poëtae ob animum versabatur pugna apud naves sine Agamemnone commissa, quam ex antiquis carminibus cognitam haberet [1]). Tum eodem tendunt Telamonii minae in Hectorem iactae (N 810 sqq.) [2]). Ibi autem non modo Hectori necem minatur, verum etiam Troianae urbis exitium poetae verbis portendere videtur, neque sane credibile est cantores, qui hostes ex urbe sua profectos ad Graecos navibus adventantes et in litus egredientes repellendos, sed ab his victos fingerent, non hoc quoque apud animum sibi proposuisse, urbem ipsam a victoribus, ab Aiace volo eiusque militibus, expugnatam esse, quem belli finem etiamsi non narraturi essent, variis modis tamen significare potuerunt in fatis esse. Quo etiam spectare videtur fabula de equo ligneo quo urbs capta sit, quam fabulam, in Odyssea primum nobis obviam (θ 493), errore vocis ortam esse, principio equum marinum i. e. navem designantis [3]), iam diu viderunt Fick [4]) et v. Leeuwen [5]) vv. cll. Equi lignei

---

1) Minus offensionis habent loci Λ 309 sqq. ubi Graeci dicuntur se in naves proiecturos fuisse nisi Ulixes Diomedem allocutus esset „pudendum sit si Hector naves capiat", et 557 ubi Aiax dicitur „valde metuere navibus", nam paulo ante (299 sqq.) Hector coeperat stragem edere. Sed comparato vs. 275 hic quoque pugna apud naves spectari videtur.

2) Diomedes quoque (Λ 349) Hectorem galea telo percussa afflixisse et evertisse narratur, eique minatus esse (262 sqq.) Nimirum poëtae qui Diomedem in bellum Troianum induxissent, verentes ne Aiaci cederet laude bellica, huius cum Hectore certamen suo heroï assumserunt. Minatur Hectori Achilles quoque Υ 444 sqq. idque eiusdem verbis atque Diomedes.

3) Cf. δ 108 *νηῶν ὠκυπόρων ..... αἵ θ' ἅλδε ἴπποι ἀνδράσι γίγνονται.*

4) Die Hom. Il. 1886 p. 571.

5) Mnem. 1901 p. 121—140.

Digitized by Google

fabricator in Odyssea vocatur Epeius eiusque patrem audisse Panopeum apparet ex Iliadis loco ψ 665, siquidem non est cur credamus Epeum illum qui in Ἄθλοισ ἐπὶ Πατρόκλῳ caestibus contendit cum Euryalo Mecistei filio, aliam ob causam ibi induci, nisi quod omnibus notus esset propter opus artificiosum. Atqui nominibus Epeio et Panopeo remittimur ad Epeios et Phocenses inter quorum urbes Panope erat, et ipsa fabula significare videtur eas gentes, quarum utramque offendimus inter socios expeditionis Aulide emissae, insignes fuisse in aedificandis navibus quibus transvecti essent Troiae expugnatores [1]).

Cum eis, quae ex Iliade adhuc probare tentavimus, ea iam conferemus quae aliunde de eadem re sciscitari licet. Apud Homerum cum agatur de *Troïbus* deque urbe *Troia*, dubitare non licet, quin spectentur incolae eius regionis, quae postero tempore Troas appellabatur, et urbs in ea sita. Tractum collis Asar-lyk non procul ab Hellesponto siti, prope locum ubi amnes Mendere et Dumbrek Tschar confluunt, e quo colle vv. dd. Schliemann, Doerpfeld, alii, novem, vel potius decem sedes hominum, aliam super aliam positam, eruerunt, apte quadrare ad Homeri descriptionem situs urbis Troianae in cuius vicinia flumina Scamander et Simois suas undas conferrent, praeterea e sedibus illis sextam ab imo, quam arcem fuisse apparet ingentibus moenibus munitam, vi et incendio semirutam, multa etiam hodie signa servasse, quibus rite consideratis neminem Iliadem perlegentem fugere possit Homerum ipsam respexisse, luculenter ostendit Doerpfeld [2]). Quid? Urbis quidem, arci subiectae, quae suis muris circumdata esset, nulla vestigia superesse, neque verisimile esse talem extitisse, sed ne Homerum quidem moenia urbis et arcis distinguere, Hector autem cum ter circum urbis

1) Doctius Gruppe l.l. p. 614 inde quod equus ille ligneus Minervae sacer esset, in cuius aede Metapontina Epei instrumenta servarentur, fabulam e cultu deae coniuncto cum Neptuni vel Martis Equestris ortam esse putat, ipsumque equum ligneum eiusdem generis atque Pegasum vel Arionem. „Eine isolirt stehende Legende" vir doctus ait „liess, scheint es, aus dem Verderbenschwangeren Leib des gefürchteten Dämonischen Wesens, bewaffnete Männer, auch unheilvolle Dämonen, hervorgehen, welche niedermetzelnd durch die Städte gehen". Parum hoc credibile puto.

2) Troia und Ilion p. 604 sqq.

Digitized by Google

moenia fugiens fingatur, de urbe cuius circuitus maior fuerit quam arcis erutae, nequaquam cogitari posse, idem Doerpfeld acute demonstravit [1]). Sane, nullo modo multitudinem sociorum, qui in Iliade Troianis adscribuntur, arx capere potuit, sed ut iam in antiquissimis carminibus, quibus de bello Troiano ageretur, non pauci Troianorum socii enumerati fuerint, tamen minime constat *huius* rei memoriam *veram* in his carminibus esse relatam neque cantores ea Troianorum auxilia confinxisse, praeterea autem, quid est cur credamus eos, nisi obsidionem per aliquos menses, nedum annos, perductam esse sibi proposuerint, quod parum credibile est, voluisse socios in ipsa urbe neque in campo consedisse prope urbem? Etiam Homerum tuum ubicunque evolvis, paucis aut versibus, ut vLeeuwen ostendere conatus est, aut, quod malim, partibus exiguis exceptis, narrari vides res non anno obsidionis decimo sed primo gestas, neque ullus invenitur locus ubi totidem verbis legas socios in ipsa urbe collocatos esse [2]). Tamen incrementum, quod semper crescente numero carminum, quae de bello Troiano conderentur èt copiarum Graecarum èt sociorum Troianorum cepit numerus, necesse erat efficere ut, etiam antequam quisquam poëta pronuntiasset tempus obsidionis decennale, sponte hominibus cogitatio incederet bellum ingens, tantis copiis gestum, non paucis diebus vel etiam mensibus confici potuisse; unde rursus sequebatur ut non possent, quin èt sibi proponerent socios Troianorum in urbem receptos esse èt urbem satis amplam fuisse quae eos reciperet [3]), quemadmodum apud Homerum saepius et magna et latis viis in-

---

1) l.l.

2) Nam minime id denuntiat locus Θ 5 sqq. cuius auctor, cum dicit Troianos se in urbe armare et ex omnibus portis effundi, de eorum sociis non cogitat, addit enim eos pauciores numero fuisse Graecis, sed tamen pro *uxoribus et liberis* certamen obisse.

3) Cum hac sententia convenit quod E 788 poëta Iunonem ita loquentem facit: ὄφρα μὲν εἶσ πόλεμον ἐπωλέσκετο δῖος Ἀχιλλεύς, οὐδέ ποτε Τρῶες τρὸ πυλάων Δαρδανιδάων ἤχνεσκον. Si metus Achillis Troianos in urbe inclusit, idem socios deterruerit ne in campo commorarentur. Eodem faciunt Aeneae verba P 335 sqq. Ἕκτορ τ' ἠδ' ἄλλοι Τρώων ἀγοὶ ἠδ' ἐπικούρων, αἶδὼς μὲν νῦν ἥδε Ἄρηι φίλων ὑπ' Ἀχαιῶν Fίλιον εἰσαναβήμεν' ἀναλκίηφι δαμέντας; cf. Z 73 sq. (P 319 sq.) ἔνθα κεν αὖτε Τρῶες Ἄρηι φίλων ὑπ' Ἀχαιῶν Fίλιον εἰσανέβησαν cett. Θ 131 καὶ νυ κ' ἐσήκασθεν κατὰ Fίλιον ἦντε Fάρνες; cf. etiam E 202, Σ 288 sqq.

Digitized by Google

structa dicitur, et a cetera urbe distinguitur πόλισ ἄκρη, quamvis propriis muris non munita. Sed perspicuum est hac re nullo modo imminui ea, quae placuerunt viris doctis Doerpfeldio cett., ab altera parte Hectoris fugam, ab Achille circa urbem acti, deberi carmini antiquo cuius auctor urbis oppugnatae circuitum nondum magnum sed satis exiguum sibi finxerit. Quem nihil vetat inter eos habere qui carminum κύκλον nostrum condiderint, modo Aiacem substituas pro Achille.

Verum enim vero ex omnibus, quae attuli neque sequitur, si rem per se spectas, ut in omnibus carminibus, quibus Homerus argumenti sui materiem debeat, scenae in quas personae prodierint eaedem fuerint atque in Iliade, neque ut in eis carminibus quae pro nucleo fuerint Catalogo, pugnae apud naves, Patrocli virtuti et exitio, Hectoris neci, res ita se habeat; ut in iis quoque in *Troadis* litus Graeci classem appulerint, *Troiani* vocati sint hostes, qui eos arcere conarentur, et quorum dux Hector esset, *Ilium* eorum urbs audierit. Hoc tamen revera ita esse ex eis quae praeeuntibus A. Brueckner [1]), Bethio [2]), Gruppio [3]), Vuerthemio [4]) nunc afferam perspicere licebit, quae simul apparebit mire cum eis, quae adhuc ex Iliade eruimus, congruere. Proxime supra arcem, de qua modo egimus, collocatum fuisse vicum — cuius sedem Doerpfeld designavit numeris VII[1] — quem minime vetare domuum reliquias et vasa ibi reperta, habitatum credere ab hominibus natione Graecis, monuerunt Doerpfeld [5]) et Brueckner [6]), quorum hic copiose demonstravit id adeo veri simillimum esse. Ex eis autem quae disputavit Brueckner sequitur ut in eorum Graecorum numero Locrenses fuerint. Nam ad oppidum Novum Ilium, cuius rudera implent alteram a summo sedem in colle Asar-lyk detectam, virgines nobiles quae Minervae Iliensis ἱερόδουλοι fierent, mitti e Locride solitas esse, ita ut semel duabus missis, deinceps, singulis mor-

1) Troja u. Il. 1902 p. 540—572.
2) Die Troj. Ausgr. u. d. Hom. Kr. p. 4 sq.
3) l.l. p. 90, 309, 609, 613.
4) Troja u. Il. pp. 200, 646.
5) l.l. p. 604 sqq.
6) l.l. p. 555 sqq.

Digitized by Google

tuis semper singulae aliae succederent [1]), testantur Timaeus [2]), Lycophron [3]), Plutarchus [4]), e quibus hic addit, usque ad sua prope tempora hunc usum permansisse. Causam mittendi scriptores illi aiunt fuisse pestem paulo post Troiam expugnatam Locrensium agro a Minerva inmissam et oraculum hac de re invocatum, quod enuntiasset deam, iratam propter vim Cassandrae, sacerdoti suae ab Aiace Oileï filio in aede sua, cum urbs caperetur, illatam, nonnisi sic placari posse. Quodsi rem per se spectas minime absurdum videtur Locrenses pestem ingruentem in religionem vertisse, oraculum autem, propter veterem memoriam sacrilegii, quod aliquis dux eorum in expeditione transmarina commisisset, urbe hostium vastata, quam propter famam belli Troiani facile crederent homines ipsam Troiam fuisse, enuntiasse ut ad Troiae sedem virgines in Minervae servitium mitterentur. Sed considerato ritu, qui hac in re observabatur, quo Ilienses virginibus specie insidiabantur velut eos interfecturi, eaeque per devia a comitibus suis clam introducebantur in urbem [5]), mox intellegis veram causam mittendi fuisse humanitatis progressum, quo virgines, quae more antiquo deae immolarentur,

---

1) Ridiculas nugas addunt Schol. ad Lyc. Alex. 1141, Serv. ad Aen. I 141, *quot annis* missum esse, Ep. Vat. Wagner II 20 p. 222 primum virgines, postea *infantes* missas, Tzetzes ad Lyc. Alex. 1141 infantes *unum annum natas* mitti solitas. De universa re vide Vuerth. l.l. p. 104 sq. Sed scholiastarum ineptias noli imputare Callimacho. Nam quod Schol. ad Lyc. Alex. 1141 tota re de virginibus narrata addit „ταύτης δὲ τῆς ἱστορίας καὶ Καλλίμαχος μέμνηται", minime inde sequitur ut is dixerit missionem *annuam*, vel perhibuerit *infantes* mitti.

2) Apud Schol. ad Lyc. Alex. 1155, cf. etiam Polyb. XII. 50, Strabo XIII p. 600 sq., Schol. ad N 66, Ael. infr. adv. *ποίνη*.

3) Alex. 1151 sqq.

4) De sera num. vind. 557 D.

5) Tam Schol. ad Lyc. Alex. 1141, quam Tzetzes l.l. significare videtur, *plerumque* virgines ab Iliensibus trucidatas esse, *raro* effugisse eorum insidias. Quod absurdum est. At videntur id collegisse ex eo quod legitur in schol. ad Lyc. Alex. 1159, unam aliquando e virginibus infelici casu interfectam esse in Trarone, Troadis colle prope urbem Ilium novum sito, quod ipsum, quamquam fieri potest ut revera acciderit, ut simile quid accidisse in Agrioneis auctor est Plut. Qu. gr. 38, tamen nescio an perperam derivatum sit e Lyc. Alex. 2126 sq. „φυτοῖσ ἀκαρποῖσ γυῖα συμφλέξασ ὅταν Ἥφαιστοσ εἰσ θάλατταν ἐκβράσῃ σπόδον τῆσ ἐκ λόφων Τράρωνοσ ἐφθιτωμένησ", quos versus unice recte interpretatus est Vuertheim (l.l. p. 115) ostendens nihil aliud voluisse poetam nisi hoc, quotiens e virginibus aliqua morte absumta esset corpus mortuum in Trarone crematum, cineres in mare deiectos esse.

Digitized by Google

hominum ingeniis mitigatis satius videbatur ei adiudicare in servitutem externam [1]), neque iam credis scriptoribus, qui huius rei auctores sunt, peste Locrenses inductos esse ad mittendum. Atqui simul cum peste etiam causa pestis, quam tradunt, tollitur et integrum manet rogare, quid Locridis incolas permovere potuerit, ut ex omnibus in orbe terrarum locis oppidum in Troade situm eligerent, quo virgines suas Minervae sacras, ne necare cogeret religio, relegarent; quid oppidi cives adduxerit ut illas reciperent et ad deae ministerium admitterent. Ad quae aliud responsum non dari potest, nisi hoc, eas missas esse ad populares et patrium cultum. Itaque luculenter apparet Ilienses, quo tempore missio fieri coepta est, pro parte saltem e Locride oriundos fuisse. Atqui fabula de Aiacis flagitio, quoniam èt in poëmate iam, quod inscribitur Ἰλίου Πέρσις, narrabatur [2]), èt in cista, quae dicitur Cypseli, eius argumentum insculptum erat [3]), veram mittendi causam iam medio saeculo ante Chr. n. VII in oblivionem venisse apparet. Fieri igitur nullo modo potest ut virginum missio tum demum initium ceperit, cum collem

---

1) Auctor est Athenaeus (p. 516) Locrenses Epizephyrios virginum suarum sacrificasse pudicitiam, additque èt Epizephyriis èt omnibus, qui hunc morem colerent, causam eius fuisse παλαιᾶσ τινὸσ ὕβρεωσ memoriam. Vuertheim ad hunc locum animadvertit (l.l. p. 194) „ἡ παλαιὰ ὕβρισ nulla alia videtur fuisse quam ἡ τοῦ Αἴαντοσ." Velle videtur v. d. Athenaeum cum moris causam omnibus, qui eum colerent, flagitii alicuius memoriam esse diceret, non dubitavisse quin Epizephyrii memoria tenerent Aiacis flagitium. Utrum Athenaeus ita iudicaverit necne, mitto. Sed quod Vuerth. suspicatur morem sacrificandi virginitatem Locrensibus Italicis ortum esse *ex eadem origine* atque morem relegandi virgines Locrensibus Graecis, minus verisimile puto. Id enim si ita est, sequitur, ut virgines relegari coeptae sint post demum saeculum VIII a chr. n., quo exeunte colonia in Italiam est deducta. At hoc longe aliter se habere infra ostendam. Praeterea per se parum credibile, morem sacrificandi omnium virginum pudicitiam ortum esse e more sacrificandi binarum virginum vitam. Itaque aut morem suum Epizephyrii deprompserant a populis finitimis Italiae aut, si eum e patria repetiverunt, ibi extabat etiam postquam mos immolandi binas vigines ibi mutatus est in relegationem. Affert quoque Vuertheim locum Lycophr. Alex. 1128, ubi legimus Cassandram vaticinari virgines Daunias παρθένιον ζύγον — i. e. quod recte monuit Vuertheim, sacrificium pudicitiae — effugere conatas suam statuam amplexaturas esse. Itaque Lycophron aliquam deam a Dauniis cultam Cassandrae assimilavit, neque mirum erat illam pudicitiae tutelam fingi. Sed quid inde lucis aut Locrensium Graecorum aut Epizephyriorum mos accipi possit non video.

2) In Procli excerptis, Mythograph. Gr. I p. 245, 273.

3) Troja u. Ilion p. 554 sq.

Digitized by Google

Asar-lyk, postquam eum aliquod tempus habuerunt barbari e regionibus circa Istrum Tanaïnque sitis oriundi, quibus Doerpfeld, Brueckner cett., sedem proxime supra priorem Graecorum vicum sitam (VII[2]) tribuerunt, iterum Graeci occupassent [1]); fuisse enim barbaros illos e numero Trerum et Cimmeriorum, qui ex eisdem regionibus profecti, inde a saeculo VIII a Chr. n. exeunte, fere per quinquaginta annos partem Asiae minoris obtinerent, propter similitudinem originis apparet [2]); sed omnia eo tendunt ut credamus Locrenses ad quos primae virgines mitterentur, aut ipsos aut eorum patres aut avos inter eos Graecos fuisse, qui primi considerent supra rudera arcis de qua supra egimus [3]). Hanc, quamvis fieri possit ut ipsi deleverint, aeque tamen credibile est, iam ante ab indigenis hostibus vastatam esse. Sed fac hoc verius, nihilominus in promptu erat cantores, si qui inter illos colonos extitissent quo tempore, quid in illa re verum, quid minus verum esset, animis iam excidere coepisset, proeliorum vero, quae haud dubie Graeci adventantes cum indigenis commisissent, teneret memoria, persuasisse sibi, arcem quoque cuius sedem inhabitarent a suis maioribus captam esse. Omnino monumentis coloniae Locrensis ad Hellespontum deductae, insignite confirmari ea quae ex Homero collegimus de expeditione a Locrensibus, coniuncte cum Boeotis cett. emissa, neminem poterit latere, neque ullo modo dubium esse potest, cum apud Homerum illius arcis vel urbis cives Troes, Troiani, appellentur, et ipsa urbs Troia i. e. Troiana dicatur, quin carmina quibus haec expeditio celebraretur, idem habuerint. Alia vero

---

1) Hoc contendit Strabo (XII p. 600) auctore non addito, qui tamen quin sit Demetrius Scepsius, ex iis, quae praecedunt, dubitari non potest. Sed non melius id se habet quam quae attulit Demetrius ad probandum Troiam Homericam non quo loco postea Ilium novum conditum est, sed XXX stadios abinde positam fuisse, ubi vicus situs erat cui nomen Forum Iliensium. De qua re post Schliemannium ne verbo quidem opus est.

2) Huc etiam spectat quod collis in quo virgines mortuae cremabantur *Traron* audiebat.

3) Mittendi morem, semel constitutum, ne intermissum quidem esse cum barbari locum occupassent, non est quod miremur, hos enim religione adductos abstinuisse fano eiusque antistitibus et ministris, et sic missionem perdurare potuisse dum rursus coloni Graeci eum habitarent, quos etiamsi Locrenses non essent, tamen Minervam Iliensem coluisse constat.

Digitized by Google

res est credere cantorum temporibus eius nominis *memoriam* extitisse, vel idcirco eos urbem Troianis adscripsisse, quod suis auribus audirent incolas regionis in qua sita fuerat ita vocari. Contra supersunt aliqua indicia, quae alio tendant. E Strabone (XIII p. 604) certiores fimus inter demos Atticos eius aetate nomen Xypeteoni fuisse ei demo, qui antea — id autem non potest fuisse nisi ante Clisthenem, qui a vicis et heroïbus nomina posuit demis Atticis [1]) — Troum demus nuncuparetur. Rei huius notionem Phanodemo deberi apparet, quia apud Dionysium Halicarnassensem (I 61) legimus eundem Atthidographum perhibuisse Teucrum, *Ξυπετεῶνος ἄρχοντα*, Teucrorum nationis auctorem, ex Attica in Asiam profectum esse, quae nugae recurrunt apud Strabonem. At priscum nomen demi Xypeteonis non potest esse Phanodemi somnium, id enim de nihilo fingere non potuit [2]). Accedit, quod in genealogia regum Troianorum, quae traditur Υ 213 sqq. Tros est filius Erichthonii, quod nomen aliam esse formam nominis Erechthei, daemonis vel heroïs Attici, nemo negat. Mero casu deberi duplicem *ὁμωνυμίαν* Troum Atticorum et Asiaticorum et heroïs Attici et Troiani non est credibile. Vuertheim censet (l.l. pp. 60, 61, 63) nomen Troës inter ea nomina habenda esse „quae gentes, nomadum more vagantes in utraque ora maris Aegaei disperserint", „ita ut poëtae quibus Troum demus haud esset ignotus in maiorem Atheniensium gloriam Erichthonium Xypeteonum vicinum Trois patrem fecerint." Iam vero supra vidimus inter Boeotorum socios in expeditione Asiatica etiam Athenienses fuisse. Nihil igitur vetat credere inter hos Athenienses fuisse etiam qui e demo Troum Attico profecti essent, et ab his quoque heroëm Erechtheum cultum esse. Ab altera parte saepe

---

1) Aristoteles Ἀθ. Πολ. 21. 5 *προσηγόρευσε δὲ* (Κλεισθένης) *τοὺς μὲν* (δήμους) *ἀπὸ τῶν τόπων, τοὺς δὲ ἀπὸ τῶν κτισάντων* cf. Busolt Griech. Gesch. II² p. 405 sqq.

2) Crusius l.l. p. 117 allatis Procli verbis (ad Tim. p. 30 C. 97) „*τοὺς δὲ Ἀθηναίους Καλλισθένης καὶ Φαινόδημος πατέρας τῶν Σαϊτῶν ἱστοροῦσι γενέσθαι*" „die Troer" inquit „haben in Attika nichts mehr zu suchen, als die Männer von Saïs". Perperam; nam illud de Saïtis Phanodemus *coniecit*, et inepte coniecit, ineptiarum autem orlginem veri similiter suspicatus est Vuertheim (ll. p. 63) hanc esse, quod Herodotus (II 28, 59, 169, 170, 175) commemorat *ἱρὸν τῆς* Ἀθηναίης in Saïtarum urbe constitutum; hoc de Troïbus non coniecit Phanodemus, sed suis auribus audivit.

Digitized by Google

numero fors tulit ut a nationis particula aliqua ad nationem totam, vel etiam latius, nomen se extenderet, ut Italia tota nomen accepit ab exigua sua parte meridionali, ut Libya nuncupata est nomine gentis ignobilis Syrtidem maiorem accolentis, ut multa alia eiusmodi. Minime igitur absurdum videtur nomen Troës casu quodam universis coloniae civibus, quorum Troës Attici exigua pars essent a finitimis inditum esse, inde autem veteres poëtas id simul cum eorum heroë Erechtheo sive Erichthonio transtulisse in cives urbis pristinae, in quam eodem modo mox demonstrabimus nomen Ilium a coloniae nomine translatum esse. Quoquo modo hoc se habet, minime constare mihi videtur unquam extitisse in ea regione, quae postea Troas audiret, gentem indigenam quae ipsa se Troes vocaret. Veros autem Troadis incolas tempore cantorum nostrorum Dardanos fuisse alio loco ostendere conabor. Quocum convenit, quod duobus Iliadis locis ita Dardani appellantur ut cum Troianis unum populum efficere videantur, nam Γ 456 Agamemnon, Θ 497 Hector utitur appellatione „Τρῶες καὶ Δάρδανοι ἠδ' ἐπίκουροι, qua discernuntur Dardani a sociis. Atque M 87 sqq. ubi copiae, quibus Hector imperat in quinque partes dividi dicuntur, quorum pars quinta e sociis consistit, Aeneas, Archelochus, Acamas, qui in Catalogo (B 819—823) Dardanorum duces dicuntur, non quintae parti praesunt, sed quartae. Praeterea in illa genealogia regum Troianorum Dardanus et Tros ita coniunguntur ut ille huius avus sit, et urbem Dardaniam condidisse fingatur, quo tempore Ilium nondum extaret (Υ 216, 230). Tamen censenti Troianos et Dardanos apud Homerum ita distinguendos esse, ut illi sint cives urbis Troiae, hi ceterae Troadis incolae, non hoc quidem obstat, quod Troiani in Iliade saepissime ita usurpantur, ut simul èt Dardani èt socii intellegendi sint, vel quod socii iis adiunguntur Dardanorum nulla mentione facta; sed repugnant Iliadis loci (B 826, E 211) quibus Pandari milites, qui in urbe Zelea (Δ 103, 121) apud flumen Aesepum (Δ 91) in confiniis Troadis et Phrygiae minoris habitant, totidem verbis Troiani dicuntur, et locus M 96 ubi Asius Hyrtaci filius, qui imperat Arisbae et aliis oppidis Troiae finitimis (B 835—839) tertiae ex partibus in quas Hectoris copias dividi moniumus, non quartae vel quintae praeest. Forsitan Pandarus et Asius cum in Iliadem inducerentur, propterea

Digitized by Google

inter socios habiti non sint, hic, quod in vicinia urbis Ilii habitaret, ille, ne eius patria, cum Lycia audiret (E 105, 173) [1]), pro eadem haberetur atque Glauci et Sarpedonis; neque tamen Dardanis adnumerati, quod horum principes alii ex antiquis carminibus cogniti essent; ideoque Troiani latiore sensu nuncupati. Ceterum, cum duo sint Iliadis loci (H 414, Θ154) ubi ita coniunguntur Τρῶες καὶ Δαρδανιῶνες, et item duo (Σ 122, 339) ubi ita Τρωιάδες καὶ Δαρδανίδες ut nihil inde efficere liceat, ex cunctis locis, ubi una cum Troianis commemorentur Dardani, sex restant (Θ 172, Λ 285, N 150, O 425, 486, P 184) quibus sic hi compellantur ut tertio loco ponantur, interpositis Lyciis, hoc modo „Τρῶες καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι ἀγχιμάχηταί", cum tamen e contextu rerum narratarum minime appareat, eos Lycios potius esse Pandari milites, quam incolas notissimae illius regionis, e qua Glaucus et Sarpedon profecti erant, qui se ipsi socios vocant (E 476). Neque tamen illud urguendum puto, quia eius ordinis minus apti èt metri necessitates èt aliqua poëtarum incuria causa esse potest [2]). Lycios autem Glauci et Sarpedonis in Iliade praecipuum locum inter socios obtinere, ita ut saepius Τρῶες καὶ Λύκιοι appellentur, quasi Lycii socii soli sint, satis explicatur insignibus illorum principum in ea partibus. Ager Troianus, Troas, cum ante Herodotum hoc nomen apud scriptores non inveniatur, primum sic appellatus esse videtur a Graecis qui, ea regione saeculo VII a. Chr. n. occupata, Homero suo crederent, eam olim cum oppidis suis, sub urbis Troiae dicione fuisse. Teucrorum populum, qui forsitan Homeri temporibus iam dudum partem Troadis in orientem spectantem incoluerit, cum Ilias taceat, ne in fontibus quidem Iliadis extitisse puto, sive adventu

1) Hoc patriae suae nomen Pandarus debere videtur errori nominis Λυκηγενής. Nam cum haud dubie initio Pandarus fuerit aliquod numen luciferum, quod Apollini assimilabatur, consentaneum erat eum, quemadmodum hunc, appellari Λυκηγενῆ ad significandam originem e luce, sed, numine in mortalem converso, nomen ipsum Λυκηγενής iam reservabatur Apollini, sed simul inde efficiebatur terram unde Pandarus oriundus esset, Lyciam audire.

2) Duae hae res, et quod patria Pandari, qui tamen inter Troianos habebatur, Lycia erat, èt quod flumen Troianum Scamander alio nomine Xanthus appellabatur, quo eodem Sarpedonis patrium flumen, efficere potuerunt illum appellandi ordinem, quasi omnes Lycii cum Troianis et Dardanis in unum populum coaluissent. Is autem ordo semel institutus inconsulto repetebatur.

Digitized by Google

Graecorum Teucri in illa sede nondum comparuerant, sive, quod verius videtur, iam comparuerant sed Graecis hostiles non fuerant. Nam inde quod Teucer Aiacis Telamonii frater fingitur, haud absurde suspicatur Ed. Meyer v. cl., Teucros cum Graecis foedus inisse [1]), idque eo credibilius est quia antiquissima carmina Aiacem adventantium Graecorum ducem habuisse vidimus [2]). Simul autem sic via monstratur explicandi cur Aiaci Telamonio tributa sit patria Salamis. Nam collatis Herodoto (V 122, VII 43), qui Gergithes, quorum urbem Gergithen in Troade sitam memorat Xenophon (Hell. III 1. 5), Teucrorum tradit gentem fuisse, et Athenaeo (VI 256 B) qui Gerginos, e Cypro oriundos, urbem in Troade condidisse auctor est, Kretschmer v. d. Gergithes et Gerginos pro eisdem habens veri similiter coniecit Teucros, qui Troadem incolerent, eo profectos esse ex insula Cypro [3]). Graeci qui in hac insula Teucros offenderent, proponere sibi poterant Teucrum, gentis auctorem, habitasse Salamine in urbe Cypri, quem Teucrum in expedito erat sequentem aetatem assimilare illi Teucro, quem poëtae fecerant fratrem Aiacis Telamonii, unde rursus sequebatur ut Teucer quoque Salaminius origine Graecus esset; hunc vero propter *ὁμωνυμίαν* facile fingebant profectum ex insula Salamine [4]). Atqui si haec illius patria esset, etiam eius fratris patriam esse necesse erat. Haec non mirum est si rhapsodorum Atticorum opera vetustiorem patriam Hylen e memoria hominum exturbaverit, illis enim insula Salamis, sicubi ab Atheniensibus est expugnata, ansam dabat Aiacem Telamonium vindicandi suis

1) Gesch. des Altert. I² 2 p. 659. Sed minus recte Meyer putat ad foedus Teucrorum cum Graecis pertinere fabulam recentiorem („die spätere Sage") qua Teucer fingebatur natus Hesione regis Laomedontis filia. Contra, cum posteriore tempore Teucri habiti sunt Graecorom hostes, ipsique Troiani, Teucer Aiacis frater origine materna Troianus est factus.

2) Teucrum in iis carminibus memoratum esse, quamquam in libris N—Σ nonnisi raro invenitur (N 91, 170 sqq. 313 Ξ 515 O 436 sqq.) nihil vetat credere. In cetera Iliade Teucri fit mentio Z 31, Θ 366 sqq., M 362 sqq., Ψ 859 sqq.

3) Einleitung Griech. Spr. p. 189.

4) Postremo Phanodemus, postquam Salamis Atheniensium est facta et Teucer origine Troianus est habitus, omnia ridicule conturbans, Atticam pro Salamine, demum Xypeteona i. e. Troes Atticos pro Troianis Homericis substituens, has nugas protulit (Dion. Hal. I Strab. XIII p. 604) „τοῦτον (τὸν Τεῦκρον) ... ἐκ τῆσ Ἀττικῆσ μετοικῆσαι ... εἰσ τὴν Ἀσίαν δήμου Ξυπετεῶνοσ ἄρχοντα".

Digitized by Google

popularibus. Illis igitur vix erraveris si tribueris locum H 197 —199 et Catalogi interpolationem, de qua supra egimus. Ceterum, Teucrum a poëtis propter nomen suum sagittarium esse factum, non contra Teucrum esse vocatum, quod sagittarius esset, ex iis quae disputavimus sequitur.

Tum vero a cantoribus iam antiquis, qui maiorum suorum celebrarent expeditionem Asiaticam, urbem, quam illos expugnasse fingerent, Ilium vocatam esse, hinc efficere licet. Pater Aiacis Locrensis apud Hesiodum, Stesichorum, Pindarum, Euripidem, alios, pro Oileo vocatur Ileus, Ϝιλεύς, quae eiusdem nominis nonnisi alia forma esse videtur [1]), quod Zenodotus attendens, pro Oileo apud Homerum Ileum substitui volebat [2]). Ileus autem, cuius vocis propriam vim esse „Propitius" vidit Vuertheim [3]), cum apud Hesiodum Apollinis filius sit [4]), antea haud dubie Apollo ipse fuit eo cognomine appellatus a Locrensibus, idque eo nonnihil confirmatur quod Physci in oppido Locridis, colebatur Minerva Ilias [5]); sponte enim hinc colligis, nominibus Ileo et Iliade a Locrensibus eandem naturam divinam designatam esse, altero masculine et mox coniunctam cum Apolline, altero feminine et coniunctam cum Minerva [6]). Itaque quod in Iliade urbs Troiana Ilium, Ϝίλιος, audit, sic explicandum videtur ut sumatur èt Locrensium opera, qui inter conditores essent vici arci dirutae superpositi, cum colerent Apollinem Ileum et Minervam Iliadem nomen Ilium coloniae datum esse èt deinde cantores, qui inter eos existerent, id nomen transtulisse in urbem antiquam, quae olim stetisset eodem loco. Quod autem Apollo in Iliade èt apud Graecos in summo honore habetur èt tamen praecipua Ilii tutela est èt (cum Neptuno) urbis moenia aedificasse narratur (H 453) inde factum videtur, quod Apollinis Ilei cultus, quamvis genuini Graecorum dei, ita a nomine Ilio seiungi non posse videbatur, ut simul cum hoc adscriberetur

---

1) Cf. Rzach op. Hesiod.[2] fr. 116 et Vuerth. l.l. p. 83.
2) Schol. Townl. O 353 Schol. N 203.
3) l.l. p. 131 sqq.
4) Vide ann. 1 in hanc pag.
5) Troja und Ilion p. 572. C. I. G. Sept. VII. 1. 349 sqq. Wilh. Anz. d. phil. hist. Klasse d. Wien. Akad. 1897 XXVI p. 9.
6) Cf. Usener Götternamen p. 216 sqq.

Digitized by Google

urbi barbarae [1]). Ut Minervam quoque, quae ob alias causas, manifesto ad fontem Iliadis de quo adhuc egimus non pertinentes, sed alii alicui fonti eius debitas, apud Homerum Troianis infestissima fingitur, tamen legimus (Z 88 sqq., 269 sqq.) cultu in urbe non caruisse et ῥυσίπτολιν audisse, etiamsi propter illam inimicitiam matronarum Troianarum preces supplices repudiaret [2]). Ab altera parte Aiax Locrensis ut Apollinis Ilei filius haberetur nullam aliam ob causam ei contigisse videtur, nisi quod coloni Locrenses volebant suum ducem esse natum deo coloniae praeside [3]). Utrum Ileus vel Oïleus iam ante Homerum in mortalem sit conversus an tum demum cum Ilias conderetur, quamquam illud verisimilius videtur, sciri non potest. Sed quoquomodo hoc se habet, apparet colonos Locrenses cum satis auctoritate valuissent ut coloniae constitutae ab ipsorum deo nomen Ilio daretur, parum valuisse ad cantores e Boeotis qui secum coloniam collocassent permovendos ut, suum exemplum secuti prisco Aiacis cognomine Telamonio dimisso, eum eadem ratione Oilei filium appellarent. Deum marinum Telamonium nomine non frustra demonstravit Vuertheim [4]) antiquis temporibus cultum esse in diversis Graeciae regionibus cumque hoc Aiacem coniunctum esse quo tempore hic nondum pro heroë verum pro daemone haberetur, neque enim tantummodo terrestrem sed marinum quoque daemonem habitum esse [5]). Vuertheim censet Τελαμώνιος a Τελάμων derivatum esse ad significandum „Telamoni dedicatus" [6]). Hoc non optime in numina quadrare videtur ut di-

1) Postea cum huic urbi conditor mortalis quaereretur hic Ilus non Ileus vocatus est (Υ 232), quoniam Ileus mortalis factus, tamen natione Graecus manebat et pater quidem heroïs quo duce urbs fingeretur capta esse. Cognomen satis mirabile πολίπορθος quo Oileus appellatur B 728, ortum esse potest quo tempore Apollo Ileus nondum praeses urbis dirutae a poëtis factus esset quae eius ope credebatur capta esse.

2) Quemadmodum Apollo deseruit Hectorem postquam Iuppiter declaravit eius exitium in fatis esse (Χ 213).

3) Apud Lyc. Alex. 1150 pater Ilei est Hododocus i. e. Orcus (vide Usener der Stoff des Griech. Ep. p. 25 sqq.). Fortasse Hododocus initio fuit ipsius Aiacis pater, quod optime convenit ad naturam daemonis qualis Aiax initio fuisse videtur, Gigantum naturae consimilem (cf. Vuerth. l.l. pp. 26 sqq., 82 sqq.), Ileusque in mortalem conversus a mythologis insertus est inter Hododocum et Aiacem.

4) l.l. p. 68 sqq.

5) l.l. p. 90.

6) l.l. p. 73.

Digitized by Google

cantur aliis numinibus dedicata [1]), cur potius credas, Τελαμώνιος origine aliam formam esse nominis Τελάμων [2]) „Feretrius", et cum nomine Αἴας in unam appellationem coniunctam esse quemadmodum Φοῖβος et Ἀπόλλων, alia. Antiquam eam coniunctionem ne Locrensibus quidem alienam fuisse Gruppe, nescio an recte, inde efficit, quod èt matri Aiacis Telamonii èt uni e virginibus, quae primae e gente Aiacis Locrensis Ilium missae dicebantur, Periboeae nomen a mythologis dabatur, quae res indicare videtur aliquod vinculum inter hunc Aiacem et Telamonem. Sed in Asiae litore Locrensium cantores pristinum cognomen dimisisse, Boetorum vindicasse et appellationem „Oilei filius" repudiasse perspicuum est, neque enim si utrique Aiaci utramque appellationem adhibuissent eidem poëtae, fieri ullo modo potuisset ut Aiaces pro duobus diversis heroïbus habiti essent, quemadmodum Aiax Boeotius et Aiax Salaminius semper pro eodem est habitus, uterque enim audiebat Telamonius. Vox Τελαμώνιος, quam apud Homerum patronymicum esse nemo nescit, ita ut saepius Τελαμωνιάδης pro eo substituatur et commemoretur Telamon Aiacis Boeotii vel Salaminii pater, haud dubium est quin tum cum Aiax Telamonius in mortalem converteretur a propria sua sententia deflexa sit.

Illos autem Troadis incolas, qui Graecos adventantes suo litore arcere conarentur, sive eidem contra eos defenderunt arcem supra cuius rudera victores mox suam sedem collocarent, sive illa tunc temporis iam diu vastata iacebat, quod sciri non posse arbitrabamini, non dubitavimus passim *indigenas* vocare qua voce eos a natione Graeca distinguere voluimus. Verum Gruppe, id quod initio huius scriptionis monui, Troianos, quos Homerus dicit, ipsos quoque Graecos fuisse putat, eosque Boeotos, qui multo ante bellum Troianum eo migrassent [3]). Tamen Gruppium, quamvis non totidem verbis significet arcem quam pro Troia Homerica habent Doerpfeld c. s., se quoque habere, non est cur credamus de ea re dissentire. At vero, ut mittam quod Dörpfeld

1) Aliud quid est, quod Proteus dicitur Ποσειδαῶνος ὑπόδμωσ δ 384.

2) Cf. Usener Göttern. p. 9 „Durch io entstehen Adjectivische Formen, welche die Sprache gleichwertig den Grundworten gebraucht ..... den Argonauten Παλαίμων (Apollod. I. 9. 16) nennt Apollonius u. a. Παλαιμώνιος.

3) l.l. pp. 303, 621.

Digitized by Google

animadvertit, prorsus aliam esse aedificationis rationem quam arx prodit, aliam, quam reliquiae domuum Graeci vici supra eam positi, tamen, cum vv. dd. eius rei periti vulgo contendant arcis originem adscribendam esse fere saeculo XV a. Chr. n. parum credibile videtur iam tum, sive potius aliquanto ante, Graecorum manus in Asiam traiecisse. Quae autem pro sua sententia affert Gruppe non satis valida sunt. Nam primo quidem loco Hectorem inter Boeotorum habet heroës, quoniam eius sepulchrum ostendebatur Thebis. Hoc vero argumentum, quod primus protulit Duemmler [1]) repetiverunt Bethe [2]) et P. Cauer [3]) vv. dd. eis eripuit O. Crusius v. cl. [4]) rite demonstrans non esse cur spernamus, quod tradunt Lycophron [5]), Aristodemus [6]) pseudo-Aristoteles [7]), Pausanias [8]), Strabo [9]), Thebanos Hectoris ossa Ilio arcessita sepulchro condidisse permotos oraculo quodam; saepius enim, imprimis abinde saeculo VI a. Chr. n. civitates arcessivisse heroum reliquias [10]), quo praesidio bellum grave sustinerent vel pestem defenderent ingruentem, quam ipsam Hectoris ossa transferendi causam fuisse auctores sunt Lycophron Aristodemus, Strabo; neque mirum esse quod praecipue Hectoris ossa petere oraculum iussisset, quoniam ex Homero omnes scirent, ex omnibus fere Graecis solos Thebanos belli Troiani expertes fuisse; ab altera autem parte satis nobis cognitas esse Thebanorum mythologias ut statuere liceat in eis Hectorem nullas agere partes. Cetera autem quae Gruppe affert non minus valent ad nostram, quam ad ipsius sententiam confirmandam. Monet enim v. d. narrari bovem indicasse locum condendae Troiae non aliter ac Thebarum [11]), Apollinem et Neptunum

1) In Epilogo ad opus Studnickzcae „Kyrene".
2) Hom. u. d. Heldens. p. 15.
3) Grundfr. der Hom. krit.[2] p. 195.
4) Sagenverschiebungen, Sitz. Ber. der K. Bair. Akad. v. Wissensch. 1905 p. 760 sqq.
5) Alex. 1189 sqq.
6) Schol. N 1 sqq.
7) Pseudepigr. ed. Rose p. 575.
8) IX 18. 5 p. 405.
9) XIII p. 545.
10) Exempla attulerunt vv. dd. Lobeck (Aglaoph. 281[a]) Welcker (Götterlehre III 250) Rohde (Psyche I[2] 161. 1).
11) l.l. p. 303.

Digitized by Google

aedificasse moenia ut Troiae sic Eutresiae, Boeotiae oppidi [1]), Arisben non modo oppidi prope Troiam siti, sed etiam Boeotiae oppidi nomen esse [2]), Melanippum, heroëm Thebanorum, in Iliade esse Troianum, Hectoris comitem [3]). Sed etim sic haec optime explicantur, Boeotos èt nomina èt fabulas non modo in novam patriam, sed etiam in hostes, quibus eam ademissent, transtulisse, quod de Melanippo Thebano, si forte Boeoti qui in Asiam transissent Thebanis hostiles erant, eo facilius creditur. De Melanippo etiam egerunt Duemmler [4]) et Bethe [5]), praeterea autem hi monuerunt inter duo de triginta hostes, quos nominatim in Iliade appellatos, sua manu caedat Hector, quatuor Boeotos esse [6]), quinque — duplicem Schedium Phocensem [7]), Autonorem heroëm Delphicum [8]), Orestem cuius nomen a Phocide separari non possit [9]), Trechum, Aetolum ab Homero dictum, sed ἐπώνυμον Trachidis [10]) — e Boeotiae vicinia oriundos. Horum nominum utique partem deberi carminibus in Asiae litore a poëtis Boeotis conditis, supra demonstravimus; fieri potest ut cuncta inde oriunda sint, quod non minus est veri simile quam ut cogitandum sit de proeliis Boetorum inter se et cum finitimis.

Duemmler [11]) et Bethe [12]), cum Hectorem inter Boeotorum heroës fuisse putent, non tamen, ut Gruppe, idcirco Troianos Homericos e Boeotia oriundos censent [13]), sed existimant Hectorem tum demum coeptum esse Troianis adiudicari, cum illae gentes Graecorum, quae eum in patria inter hostes habuissent, partem belli Troiani sibi arrogare coepissent; in antiquissimis de eo bello carminibus nullum de eo sermonem fuisse. Sed si nobiscum feceris, nullum iam esse causam cur Hector antiquissimis illis carminibus abiudicetur, perspexeris. Gruppe, cum a Stesi-

---

1) l.l. 2) l.l.

3) l.l. Tres Melanippos inter Troianos habet Ilias unum Θ 276, alterum O 547, hic est Hectoris comes, tertium Π 695.

4) l.l.

5) Hom. u. d. Heldens. p. 15.

6) Oresbius E 507, Ascalaphus O 112, Arcesilaus O 329, Leïtus P 601.

7) O 515 P 305. 8) Λ 301. 9) E 705.

10) E 706. 11) l.l.

12) Hom. u. d. Heldens. p. 18, die Troj. Ausgrab. u. d. Hom. kr. p. 11.

13) Bethe credere videtur Troianos Homericos revera ex Attica oriundos fuisse. Cf. Hom. u. d. Heldens. p. 17.

Digitized by Google

choro [1]) et Ibyco [2]), Hector Apollinis filius dicatur [3]), principio eum fuisse Apollinem ipsum censet, in Boeotia eo cognomine appellatum. De cognomine non refragor, centiens enim apud Graecos deorum cognomina in filios abisse notissimum est. Sed quod addit v. d. de Boeotia, ex eo pendet, quod de Hectoris patria iudicat. Tamen si Hector fuit priscum Apollinis cognomen, sequitur ut e Graecis, qui sedem Troiae Homericae occupaverunt, quidam fuerint, sive de Boeotis cogitare iuvat, sive de Phocensibus sive de aliis, qui èt in patria antiqua hoc cognomine eum appellaverint, et in novis sedibus pro indigenae ducis nomine acceperint, neque mirum si, Apollinem habentes pro antiquae urbis praesidio — id quod supra demonstravimus — ei illo nomine filium tribuerunt, qui ingenti robore praeditus arcis propugnatoribus praefuisset. Huic autem in promptu erat mox, divina origine neglecta, ne patre mortali careret, patrem „Priamum" addere, quandoquidem „Priamus" derivatus est a „Pergamus" et valet „arcis dominus".

Praeter Hectorem in carminum κύκλῳ nostro etiam Euphorbum inter Troianos laudatum esse, supra ostendere conatus sum [4]). E ceteris Panthoï filiis Hyperenor interfici narratur in pugna apud naves (Ξ 516), nonnulla vero eo pertinentia, quae non memorata erant, tanguntur ubi de Euphorbi exitu sermo est (P 24 sqq.). Videntur haec, praeter quae de neutro fratre ne verbum quidem apud Homerum legitur, eidem fonti adscribenda esse, sed quod Menelaus utrumque occidisse fingitur perspicuum est in eo fonte aliter se habuisse. At ei fonti tertium quoque fratrem Polydramantem deberi èt quodammodo iam propter consanguineitatem credibile est èt confirmatur quia Boeotorum vulnerat principes Prothoenorem (Ξ 450 sqq.) ac Peneleum (P 599) et, postquam Hector cecidit Schedium Phocensem (O 515 sqq.), continuo interficit Otum Cyllenium, comitem Megetis Epeiorum ducis (O 518 sqq.), quos omnes in Iliadem e fonte nostro trans-

1) fr. 69 Bergk.

2) fr. 34 Bergk.

3) Quod Hector a Neptuno dicitur gloriari (N 75) se Iovis filium esse, accipiendum puto εἰρωνικῶς dictum, poëtam enim significare Neptuni iudicio tantos Hectorem spiritus sumere, quasi Iove natus esset. Conferatur ipsius Hectoris votum N 825 sqq.

4) p. 10.

Digitized by Google

sumtos esse demonstravimus. Praeter has res gestas nullae aliae ei in Iliade tribuuntur, sed quater Hectoris consiliarius prodit [1]), idque ita ut bis eius consilium placeat (M 60 sqq., N 725 sqq.) bis displiceat (M 210 sqq., Σ 254 sqq.). E quatuor eius consiliis postremum narraturus poëta praemisit nonnulla (Σ 249 sqq.) de eius ingenio unice apto ad consilia impertienda — „ὃ γὰρ οἷος ὄρα πρόσσω καὶ ὀπίσσω" — quod confert cum Hectoris indole bellicosa magis quam sagaci. Haec qui excogitavit, non praemisit ubi postremum sed ubi primum Polydamantem monitoris munere fungi fecit. Ab altera parte sic Hector nostro loco ei respondens infit (Σ 258) „Πολύδαμαν σὺ μὲν οὐκέτ' ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις," ita ut appareat eum respicere priora aliqua gratiora a Polydamante dicta, quo prohibemur credere huius personam excogitatam esse ab huius loci auctore, et trium reliquorum auctores sua inde derivasse. Cunctis igitur pro fundamento fuit carmen aliquod ante Homerum conditum, quo èt Polydamantis indoles èt Hector sive semel sive saepius ab eo monitus traderetur. Atque eo ipso quod sic quoque ad antiquum reicimur fontem, nonnihil commendatur Polydamas illi fonti nostro.

Iuxta Panthoï prolem etiam ex Antenoris filiis, quorum decem numero memorantur in Iliade genuini, spurius Pedaeus, nonnullos saltem ad eundem fontem referendos censeo. In Catalogo Dardanis praeesse dicuntur (B 819 sqq.), praeter Aeneam Anchisae filium, duo filii Antenoris, Archelochus et Acamas, quam notitiam haustam esse e duobus diversis fontibus inde iam sequitur, quod nullum consanguinitatis vinculum Anchisae intercedit eum Antenore quo factum sit ut eorum filii una Dardanis imperent. Iam vero Aeneam non e nostro fonte sed ex alio in Iliadem inductum esse suo loco demonstrare conabimur, Archelochum contra et Acamantem nostro deberi fonti propterea veri simile est, quod èt Archelochus ab Aiace Oileï filio occiditur (Ξ 462) èt in eius corpore defendendo frater Acamas interficit Promachum Boeotorum principem (Ξ 476) èt quo loco haec narrantur, qui locus pertinet ad pugnam apud naves, etiam Polydamas in scenam prodit, in eum enim hastam torquens, ulturus

1) Ceteri Iliadis loci ubi Polydamas commemoratur sunt Λ 57, N 790, O 433 sqq. Π 535, X 100 sqq. quibus obiter mentio eius fit.

Digitized by Google

Prothoenorem Boeotum ab eo interfectum [1]), Aiax Archelochum percutit. Videtur totius ἐπεισοδίου huius materies deprompta esse e carminibus κύκλου nostri. Praeterea forsitan indidem tertius quoque et quartus frater, Agenor et Laodamas, quamvis in Catalogo neuter extet, arcessiti sunt, nam ille caedit Boeotum Clonium (O 340), inque contextu eiusdem loci offendimus Arcesilaum Boeotum (O 329), Medontem Locrensem (O 332 sqq.), Menestheum, Stichium, Iasum Athenienses (O 329, 331, 332) [2]); Laodamas ab Aiace Telamonio trucidari narratur (O 516 sqq.) quo loco Schedius Phocensis ab Hectore et Otus Cyllenius a Polydamante. Ceteros Antenoris filios mitto, quippe qui neque coniuncte cum aliis personis quae fonti nostro tribuendae sint, neque in pugna apud naves quaeque ad eam pertinent, neque in Catalogo memorentur. Sed excipiendus est Pedaeus, hic enim èt interficitur a Megete Epeiorum duce èt educatus esse narratur a Theano Antenoris uxore (E 69 sqq.), quam alio loco legimus (Z 297 sqq) a Troianis factam esse sacerdotem Minervae. Atqui huius deae cultum Troianum in Iliade traditum supra demonstravimus [3]) e solo fonte nostro originem ducere. Itaque Pedaeus nostro fonti vindicandus videtur, una autem cum privigno Antenoris uxor Theano.

Sed ex ingenti numero Hectoris fratrum de Deïphobo solo idem conicere licet. Hic interficit Martis filium Ascalaphum (N 518), cuius ipsa caelestis origo ostendit eius nomen ex antiquo fonte ad Martis cultum pertinenti, haustum esse. Quod Ascalaphus hic a Troiano occidi narratur, vix in eam cogitationem incidisse puto poëtam qui aut fingeret, aut e vetustioribus carminibus cognovisset, eius patrem a partibus Troianorum stare

1) Acamas quidam, cuius pater non additur, quem igitur utrum Antenoris filius fingatur necue sciri nequit, occiditur a Merione (Π 342), quem fonti nostro abiudicandum censuimus.

2) Agenor quidam, patre non addito, caedere narratur Elephenorem Abantum ducem (Δ 467), et Echeclus quidam, dictus Agenoris filius ab Achille interficitur (Τ 474); haec ad nostrum fontem pertinere, non est cur credamus. Agenor, Antenoris filius, cum fratribus Acamante et Polybo iuxta Hectorem et Aeneam Troianis praeesse dicitur A 59, et cum fratribus Archelocho et Acamante M 93, 100; praeterea obiter commemoratur una cum Polydamante Π 525; eius speciem indutus Apollo Achillem a persequendo Hectore abstrahit Φ 544 sqq. Aliis locis nullis inveniuntur illi Antenoris filii, quos fonti nostro tribuimus.

3) p. 28.

Digitized by Google

quemadmodum in Iliade, si discedis a pugna apud naves quaeque cum ea cohaerent, Mars semper fingitur [1]). Hoc mitto, sed cum Ascalaphus in Catalogo (B 511 sqq.) recenseatur inter Boeotorum principes, eius mortem et victorem in aliquo carmine, quo de Boetorum nostra ageretur expeditione suspicamur laudatum esse. Tamen certamen elaborate depictum (N 155—538) quocum eius mors cohaeret, quod Ἰδομενῆος ἀριστείαν iure vocaveris, in quo de parte Troianorum Deïphobus unus omnium excellit, unde tandem vulneratus a Merione discedit, ad hunc fontem nihil pertinere, ex eis quae in superioribus demonstravimus, sequitur [2]). Vix erraveris ratus id tum inventum esse cum pugna apud naves Homerica componeretur, aut ei esse insertum. Atque reliqui Priami filii, quorum in ea pugna ceterisque ad quae idem fons pertinet nonnisi Paris, Polites, Helenus, Cebriones commemorantur, nemo autem nisi exiguas partes agit, cur potius ex aliis quibusdam fontibus recepti esse censendi sint, in eis fontibus perscrutandis exponemus.

Superest ex infinita multitudine Graecorum et Troianorum, quae in Iliade quodammodo ante oculos nostros decurrit, si eos eximis quos fonti quem adhuc investigavimus aut abiudicavimus aut attribuimus, tamen longe maxima pars. Sed hi, non multis exceptis, numerus sunt, quorum etiam permulti in scenam non prodeunt, nisi ut statim evanescant. Ex iis negare non licet, fieri posse ut nonnulli, quamvis id dispicere nequeamus in fonte nostro non defuerint; ab altera vero parte èt his omissis èt praeterea eis, quos ad alios fontes referendos esse posthac ostendere conabimur, vel qui, quamvis id nos lateat

1) Duo Iliadis loci extant quibus, etiamsi Mars Troianorum sociis fingitur, tamen aliqua memoria retenta esse videtur in antiquis carminibus rem aliter se habuisse. Nam E 563 sqq. Menelaum suscitare legitur ad mortem Crethonis et Orsilochi, quos Aeneas interfecerat ulciscendam. Id hoc consilio Martem fecisse ibi additur ut Menelaus quoque manibus Aeneae caderet, sed minus veri simile est hoc sibi proposuisse eum, qui primus illud excogitaret. Quod tamen ex hoc loco collegit Robert v. cl. (Studien zur Ilias p. 192) principio in Iliade („in die Ur-Ilias") Martem aut Graecis aut neutris favisse inde non sequitur. Altero loco (E 832) Minerva Marti exprobrat mobilitatem, quod Troianis adsit pollicitus se Graecos adiuturum.

2) Praeter locos tractatos Deiphobus in Iliade non occurrit nisi ubi Hector a Paride quaerit (N 770) et certior fit (N 781), quid de eo in pugna factum sit; tum X 227, ubi Minerva eius speciem inducit ut Hectorem fallat, et X 251 ubi pater eum cum ceteris filiis suis superstitibus increpat.

Digitized by Google

ad alios fontes pertinent, haud dubie complures relinquuntur, qui ante Homerum in nullo carmine extiterint, sed tum demum sint inventi, cum Ilias componeretur. E Troianorum sociis vix dubium est quin Cilices, qui nusquam in Iliade inveniuntur, nisi in Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίᾳ (Z 397, 415) huius ἐπεισοδίου auctor e nullo fonte protulerit, quippe quem fere constet [1]) Thebas Hypoplacias, quam sedem iis attribuit, temere transtulisse e Thessalia in Troadem vel eius regionis viciniam [2]), cum tamen neque hic neque illic Cilicum vestigia quisquam unquam invenerit. Atque eadem ratione veri simillimum est Paphlagones cum rege Pylaemene, qui nusquam in Iliade comparent nisi in Catalogo (B 851) et E 576 et N 658, aut loci E 576 aut N 658 auctorem suo Marte evocasse in lucem poëticam [3]). Tamen non omnia φῦλα περικτιόνων ἐπικούρων in simili causa esse videntur. Nam Lycios, Leleges, Caucones, Cares, Paeones, Thraces, quibus imperat Rhesus, arcessitos esse e fontibus, qui ad bellum Troianum non pertinerent, posthac ostendere conabor. Supersunt Cicones, Halizones, Pelasgi, Maeones, Mysi, Phryges Ascanii, Thraces illi quibus praesunt Acamas et Pirous, quos distinguendos esse a Rhesi populo apparet, non

---

1) De ea re alio loco accuratius agendum erit.

2) Nam e veris Cilicibus extremam Asiae minoris partem incolentibus nemo censebit Hectorem uxorem duxisse; neque inde in castra ad Troiam Achillem absportavisse reginam et deinde eo remisisse pretio redemptam.

3) Loci E 576 et N 658 inter se pugnant, nam hic Harpalionem Pylaemenis filium a Merione occisum dum comites Ilium transportant, pater lacrimans corpus prosequitur, qui E 576 ipse Menelai manu cadere narrabatur. Sed animadvertendum est ab eodem Merione a quo N 656 Harpalionem, alio loco (E 59) interfici Phereclum quemdam eodem vulnere satis singulari; nam utroque loco legimus βεβλήκει γλουτὸν κατὰ δέξιον; hoc tantum interest, quod altero loco hasta, altero sagitta vulnus infligitur, cur hic ita pergit poëta ἡ δὲ διὰ πρὸ ἄντικρυς κατὰ κύστιν ὑπ' ὀστεον ἦλυθ' ἀκωκή, ibi αὐτὰρ ὀιστος ἄντικρυς κατὰ κύστιν ὑπ' ὀστεον ἐξεπέρησε. Quo accedit quod utrique loco praecedit mentio Menelai facta in quem uterque et Harpalio et Phereclus impetum fecerant cum a Merione vulnerarentur. Nullum dubium igitur quin alter locus ad exemplar alterius informatus sit, neque mirum, praesertim quo tempore carmina nondum scripto mandabantur, eiusdem ἐπεισοδίου duplicem extitisse formam. Itaque suspicor initio vss. N 643—672 non aliter ac E 58—68 destinatos fuisse ei loco, quem nunc hi obtinent, eo ipso autem quod hi eum locum sibi vindicaverunt, factum esse ut illi alio loco insererentur. Atque locus quidem ubi nunc extant aptus videbatur inserenti, quoniam ibi quoque de Menelao sermo fuerat, sed patuisset eum ineptissimum esse, dumne neglexisset sic Pylaemonem ab inferis revocari.

Digitized by Google

tantum quod hic desideratur in Catalogo, sed inprimis quod Rhesi milites νεηλύδεσ dicuntur (K 434), qua voce, si confers K 471 „οἱ δ' ἠῦδον κεκμάτῳ τεταδηκότεσ" apparet significasse poetam eos exeunte demum proximo die superiore advenisse, itinere enim defatigatos alto somno oppressos esse, Pirous contra illo die iam in proelio occisus est (Λ 527). Thracum horum, quos Acamas et Pirous ducunt, praeterquam in Catalogo nonnisi bis mentio fit, altero loco ubi Pirous occiditur, altero ubi Acamas (Z 5 sqq.). Sed notatu dignum est Piroum occidi a Thoante Aetolo postquam ipse trucidavit Diorem Epeiorum ducem, quorum utrumque fonti nostro de expeditione Boeotorum cett. censuimus vindicandum esse, Acamantem autem interfici ab Aiace Telamonio. Cicones, qui inveniuntur tantum in Catalogo (B 846) et P 73, hoc loco ducit Mentes, in Catalogo Euphemus, quem igitur Catalogi Troiani auctorem nisi eum invenit in carmine ante Homerum condito, ipsum excogitasse necesse est. Sed hoc minus veri simile, nam cur non utebatur nomine Mente, quod praesto erat e loco P 73? Neque aliter se habet Halizonum causa, quibus in Catalogo (B 856) praesunt Odius et Epistrophus e quibus Odius solus recurrit, nam interficitur (E 38 sqq.) ab Agamemnone. Videamus nunc de Pelasgis, Maeonibus, Mysis, Phrygibus Ascaniis. Hector copias in acie versantes hortaturus adit decem principes quorum mera ibi nomina eduntur (P 216 sqq.), Mesthlen, Glaucum, Medontem, Thersilochum, Asteropaeum, Disenorem, Hippothoum, Phorcyn, Chromium, Ennomum, quos tamen, etiamsi discedis a ceteris Iliadis locis ubi inveniuntur, ex ipsis Hectoris verbis intellegis omnes in sociorum numero esse, sic enim infit: „audite frequentissimae gentes sociorum circa habitantum", quaeque deinde profert, tantummodo ad socios pertinent. Glaucum Lyciorum, Asteropaeum Paeonum ducem in vetustioribus carminibus iam celebratos esse supra monuimus, de iis igitur non opus est verbum addere; Thersilochus inter Paeones est quos Achilles in Μάχῃ παραποταμίῃ occidit (Φ 209), cuius sitne iam facta mentio in antiquo fonte in quo Asteropaei, non quaero nam nullius momenti est. Una cum Thersilocho interficitur e Paeonibus Mydon quidam („Θερσίλοχον τε Μυδῶνα") nostro autem loco quoque cum Thersilocho coniungitur Medon („Μέδοντά τε Θερσίλοχον τε"), qua propter

Digitized by Google

suspicio in promtu est — neuter enim alio loco invenitur — diversitatem nominum deberi incuriae poetarum vel librariorum. Hippothous est dux Pelasgorum. Eum interemit Aiax Telamonius (P 287) in defendendo Patrocli corpore; alter dux Pelasgorum Pylaeus appellatur in solo Catalogo (B 840 sqq.). Praeterea Pelasgi inveniuntur in Δολωνείᾳ (K 429). Mesthles in Catalogo (B 864) est dux Maeonum una cum Antipho, qui nonnisi ibi offenditur. Sed Maeones praeterquam quod extant in Δολωνείᾳ (K 430), cum duce Phaesto memorantur E 44. Phaestum depromptum esse ex antiquo carmine, at in eo non fuisse Maeonem, sed Cretensem, eius enim nomine reddi urbem Cretensium Phaestum, ipsumque interfici ab Idomeneo Cretensi, vidit Bethe [1]); itaque tum demum cum in Iliadem reciperetur a Cretensi Maeon est factus. Chromius sive potius Chromis, quam discrepantiam non moramur, et Ennomus in Catalogo sunt duces Mysorum (B 858), qui praeterea non inveniuntur nisi in Δολωνείᾳ (K 430) et Ξ 512, ubi eorum princeps Hyrtius necatur ab Aiace Telamonio. Phorcys in Catalogo (B 862 sqq.) una cum Ascanio dux Phrygum Ascaniorum est, e quibus Phorcys — si idem est nam natio non additur — obtruncatur ab Aiace Telamonio (P 312 sqq.). Sed alio loco (N 792) Phrygibus praesunt Ascanius, Palmys (quod nomen sponte suspiceris errore aliquo irrepsisse pro „Phorcys") Hippotion, Morys, e quibus Hippotion et Morys (Ξ 514) occiduntur a Merione. Tum Phryges extant in Δολωνείᾳ (K 431). Postremo Disenor nusquam apud Homerum occurrit nisi nostro loco. Nunc sic ratiocinandum videtur. Rem si per se spectas, satis credibile est auctorem loci nostri decem enumerantem principes, quos universe significaret sociorum Troianorum principes esse, nonnullos horum petivisse sive ex antiquis fontibus sive ex Iliade ipsa, alios ipsum excogitavisse, hos autem quarumnam nationum principes vellet esse ipsum se non interrogavisse, neque enim de ea re cogitasse omnino, sed eos sive omnes a Catalogi Troiani auctore, sive nonnullas ab aliorum Iliadis locorum nostro loco recentiorum, singulis nationibus distributos esse, sive nationum nomina quas scirent habitare in Asia vel Europa ipsi temere arripuissent, sive id primum factum

1) Hom. u. d. Heldens. p. 13.

Digitized by Google

esset a *Δολωνείας* auctore et ex hac ea repetivissent. Verum si Pelasgi et Maeones e nullo antiquo carmine sunt derivata eorum duces Pylaeum et Antiphum auctor Catalogi Troiani excogitavit, id autem supra arbitrabamur minus veri simile esse eum nomina ducum aliqua sine ulla necessitate addidisse eis quae Ilias ei offerret. Accedit quod Hippothoum alterum Pelasgorum ducem et Phorcyn, qui in Catalogo Phrygum dux est, caedit Aiax Telamonius idque in defendendo Patrocli corpore, quo loco Hector interficit Schedium Phocensem, quos omnes in superioribus fonte nostro attribuendos esse censuimus, qua propter totius *ἐπεισοδίου* (P 288—318) materiem fere dicas e carmine aliquo *κύκλου* nostri depromptam esse. Omnia si computantur, quae attulimus suspicio nascitur, nam confirmare nihil licet, Thraces cum ducibus Acamante et Piroo, Cicones, Halizones, Pelasgos [1]), Maeones, Mysos, Phryges Ascanios, cum ducibus, quorum nomina nobis tradidit Ilias [2]), in illo iam carminum *κύκλῳ* quibus celebraretur Boeotorum Locrensium cett. expeditio ad Hellespontum emissa, commemoratos esse. Unde minime sequi ut, quemadmodum ipsius eius expeditionis, sic quoque sociorum urbis expugnatae, ducumque eorum nominum vera aliqua extiterit

---

1) Ed. Meyer v. cl. (Forsch. z. Alt. Gesch. I p. 34 sqq.) cum in Catalogo et quo loco Hippothoi exitus narratur (P 288 sqq.) Pelasgorum sedes appelletur *Λαρίσῃ ἐριβῶλαξ*, nullam censet respici e tribus urbibus Larisis nomine quae ab antiquis traduntur in Asia sitae, quippe quae omnes collocatae fuerint in regionibus parum fertilibus, sed Pelasgos *Thessalicos* propterea apud Homerum inter Troianorum socios esse receptos, quoniam Hellenes Thessalici, qui in Catalogo sub Achillis dicione esse dicuntur, iis hostiles essent. Quae si vera sunt concedendum est vix in antiquis carminibus quae neque Achillem neque Hellenes haberent, Pelasgos inter Troianorum socios enumeratos esse, cum praesertim regionem habitarent a Troianis remotissimam. Sed quamvis ea quae attulit v. cl. satis speciosa sint, non habent tamen eam vim ut nos a sententia nostra avertant. Minime enim contendimus urbis Larisae, nedum *Λαρίσης ἐριβώλακος* in nostris carminibus mentionem esse factam; sed cum Larisa Thessalica Homeri aetate urbs esset nobilissima, fieri potuit ut cum Ilias conderetur Pelasgis, ex antiquo fonte inter Troianorum socios receptis, ea urbs adscripta sit. Quid, si primus Catalogi Troiani auctor eam urbem in Iliadem induxerit et vss. P 301—303 manu recentiore inserti sint? Ab altera parte Pelasgos, quos minime constat Graeca fuisse origine, non tantum in Thessalia sed etiam in Troade vel in eius regionis vicinia habitasse quid vetat credere?

2) Nisi forte Morys et Hippotio qui occiduntur a Cretensi Merione Ξ 514 et nusquam nisi eo loco et N 792 in Iliade comparent, ab initio Cretenses fuerint, quemadmodum vidimus de Phaesto, e carminibus Cretensibus petiti.

Digitized by Google

memoria supra iam monuimus, nam perquam credibile est, cantores ultro collegisse nomina populorum in urbis eius vicinia vel etiam remotius habitantium, ne propterea maiorum suorum laus imminueretur, quod bellavissent cum hostibus suae multitudini imparibus. Nomina ducum excogitare nihil negotii erat et revera excogitasse ea cantores Graecos inde efficias quod tantum non omnia origine Graeca sunt.

Pauca verba addam de Asio Hyrtaci filio deque Merope Percosio cum filiis Adresto et Amphio, quippe de quibus in Iliade inconcinna referantur. Asium supra vidimus numerari M 96 inter dnces Trioanos qui a sociis distinguantur, Meropis autem urbes ubi in Catalogo recensentur (B 828—839), quae sint nomina vel populi qui eas habitet, vel regionis in qua sitae sint non editur. Sed haec non quadrant quod inter urbes, quibus Asius imperat, etiam est *Percote*, Merops autem *Percosius* cum filius non Percotae, sed in aliis urbibus dominatur. Asium qui in Τειχομαχίᾳ aliquas partes agit (M 96, 108 sqq., 139) et in pugna apud naves ab Idomeno occiditur (N 348) [1]) nulla est causa cur credamus e vetustiore fonte petitum esse, nam locus ubi eius mors narratur, qui non recentior esse potest quam Τειχομαχία, ibi enim tangitur (M 113 sqq.), est pars Ἰδομενῆος ἀριστείας quam supra suspicati sumus non ante inventam esse, quam componeretur pugna apud naves Homerica. Neque Adrestus et Amphius ad antiqua carmina referenda esse videntur, nam haud dubie quidem eorum nomina poëta arripuit e carminibus de bello Thebano quae cognita haberet [2]), sed manifesto nihil nisi nomina [3]). Quod in Catalogo Percote oriundi tamen non ibi sed in aliis urbibus dominantur, sic explicare licet, alium fuisse qui Asium, alium qui eos Catalogo inseruerit, hunc autem cum Percoten ibi iam inveniret inter Asii urbes, eam omisisse ex illorum. Sed eos in Catalogum transsumsit ex Λ 328, qui locus non repugnat iis, quae in Catalogo de Asio

1) Una cum Asio nostro bis mentio fit (M 140 N 771) Adamantis cuiusdam Asii filii, qui a Merione interficitur (N 560), sed utrum is Adamas Asii nostri filius sit necne non apparet. Alius Hectoris avunculus commemoratur Π 715 sqq.

2) Amphium idem nomen esse atque Amphiaraum ostendit Usener (der Stoff des Gr. Ep. Sitz. Ber. d. Wien. Akad. 1897 p. 37).

3) Alter Adrestes ab Agamemnone trucidatur (Z 37 sqq.), tertius a Patroclo (P 694).

Digitized by Google

traduntur, nam dum illo loco uterque Meropis filius a Diomede obtruncari narratur [1]), patria Percote additur quidem, non vero additur Meropem cum filiis ei urbi *imperare*, nullo modo igitur hic locus prohibebat Percoten Asii imperio adiudicare. Ceterum, cum in Catalogo inter eorum urbes etiam Apaesus numeretur, alio loco E 612 Amphius *Selagi* filius Apaesi habitare dicitur. Hic cum a Telamonio perimatur, fieri potest ut e fonte nostro haustus sit; utique nihil vetat credere eum qui Adrestum et Amphium in Catalogum adhiberet, propterea eis inter alias urbes Apaesum tribuisse, quod memoria teneret Apaesum Amphii cuiusdam sedem esse, oblitus huius Amphii patrem esse Selagum non Meropem.

(*Continuabuntur*).

1) Nomina propria filiorum ibi excidisse vidit vWilamowitz-Moellendorf (Isyllos p. 52 A 20), qui idem monuit nomen Meropis deberi memoriae bellorum, quae cum Meropibus gessissent Graeci in insula Coo occupanda.

ACQUIESCERE IN ALIQUA RE.

Proprium et peculiare Neerlandicorum philologorum vitium esse videtur *acquiescere in aliqua re* scribere ubi *aequi bonique consulere* vel eiusmodi aliquid requiritur. Haud raro enim apud nostros viros doctos legis: *in codicis A lectione acquiesco* hoc sensu: „haud improbanda mihi ea lectio videtur" simm. Neerlandicum autem illud esse vitium inde efficio quod in ANTIBARBARO non castigatur. Sed quam ridiculum sit et absurdum hi Ciceronis loci docere possunt:

ad Att. 13, 13 *in tuis literis acquiesco;*
ad Fam. 4, 6 *in Reipublicae bonis acquiesco;*
ib. 9, 3 *nulla in alia re (quam in artibus) acquiesco;*
pro Diot. § 5 *in tuis oculis, in ore tuo vultuque acquiesco.*

Desinamus ergo censeo *acquiescere* velle in ea re quae nullum solacium praebere malorum possit.

J. J. H.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE AD PHAEDRUM.

SCRIPSIT

L. RANK.

(*Continuantur e Vol. XXXIX pag.* 67).

Lib. IV 16. 6. Hircis indignantibus, quod ius barbae capellis tributum est a summo numine, Jupiter:

„Sinite", inquit „illas gloria vana frui
Et usurpare vestri ornatum muneris
Pares dum non *sint* vestrae fortitudini."

Immo: pares dum non *sunt*. Nam hircorum quidem haec esse ratiocinatio potest: sinamus illas gloria vana frui, dummodo nobis sint impares, Iovem contra, ni fallor, consentaneum est hircos solari et monere in hunc modum: sinite capellas gloriam vanam acquirere, dum re vera, sicut et vos probe scitis, hircis impares sunt et manebunt [1]).

---

1) Possis etiam *cum* non *sunt* vel *cum* non *sint*. Iam olim Berger optime correxit I 16. 10 ubi segnis asinus:

„Ergo quid refert mea,
Cui serviam, clitellas *dum* portem meas."

olim dicebat sat inepte. Immo asinus non curat, cui serviat, *cum* portet (vel dum *portat*) sarcinas suas.

Sed adhuc editores Phaedrum nostrum in quarti libri prologo ita ad Particulonem patronum loquentem inducunt:

Quartum libellum cum vacabit perleges.
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari *dum non possit*, obtrectet licet.
Mihi parta laus est e. q. s.

Certo certius morosus atque arrogans admodum fuit plebeius noster. Num insuper tam pusilli animi eum fuisse credendum est nobis, ut dixerit: obtrectent dummodo

Digitized by Google

Lib. IV 18. Frustra in hac fabula emendanda sudarunt viri docti. Nam ut de singulis locis corruptis atque desperatis taceam, totius narratiunculae dispositio misere est depravata. Inepta et inconcinna sunt, quae libri manuscripti tradunt, post varias variorum curas sat inepta, sat inconcinna manserunt omnia.

Fabulae argumentum nisi omnia me fallunt hoc est: Canes mittunt legatos ad Iovem, qui coeli Palatium conspurcant atque cum ignominia expelluntur. Novi mox legati suave olentes iter carpunt, sed pari infortunio conflictati, gravius plectuntur atque redire vetantur, quos adhuc odororans posteritas indagat. Hunc plebeium iocum quin Phaedrus simpliciter et lepide olim senariis suis enarraverit, nullus dubito. De criticorum commentis hic disputare opus sit et inutile et infinitum. Ut unum afferam exemplum: Lucianus Mueller ultimos senarios:

Ita nunc legatos exspectantes posteri
Novum venire qui videt, culum olfacit

uncinis inclusit. Quare? Num Phaedro indigna talia putat? Quid deletis his versibus lucramur? Nonne collata fabula Aesopica: Ὄνοι πρὸς τὸν Δία [1]) sat apparet, deletis his versibus ioco nostro vulgivago vitam eripi?

Lib. IV 24. 10 sqq. Prudens formica muscae impudenter „laudes" proprias iactanti ita respondet:

Est gloriosus sane convictus deum,
Sed illi, qui invitatus, non qui invisus est.
Aras frequentas: nempe abigeris, cum venis.
Reges commemoras et matronarum oscula:
Super etiam iactas, tegere quod debet pudor.
Nihil laboras: ideo cum opus est, nil habes.

---

non possint imitari? Quid si et hoc loco pro *dum* non *possit* legamus *cum* non *possit*? Nonne superbiae atque arrogantiae satis est in his verbis: En quartus liber carminum meorum. Huic obtrectare si quis invidus velit, cum imitari talia non possit, non offendar. Obtrectet licet. Mihi enim parta laus est.

De voculis *cum* et *dum* confusis vide praeterea I 4. 2. III 10. 13. IV Prol. 14. V 10. 2. Cf. etiam Lateinische Grammatik von Stolz-Schmalz. p. 390 sqq. (Schmalzio v. d. auctor sim, ut in nova editione vel Quintiliano invito Catullo (62, 45) tribuat: dum *intacta* manet, dum cara suis est: dieweilen sie *unberührt* ist, dieweilen gefällt sie.)

1) Halm 319.

Digitized by Google

Versuum ordo in libris manuscriptis misere est perturbatus. Rigaltii transpositionem sequor. Verum quocumque modo versuum ordinem constitueris [1]), molestissimus manebit versiculus quartus decimus. *Iactas* sine sensu esse suo iure observat Havet. Ideo edit: *iacta*. Ecquid nunc minus molestus est versus? Non opinor. Audaciore medela hic opus esse sensit Halbertsma, qui ad hunc locum annotavit [2]): Qui alteri obiicit, quod iactet, quod pudor tegere debeat, non solet ipse id commemorare. Delendus igitur versus:

Reges commemoras et matronarum oscula,

in quo praeterea *commemoras* mirum quantum languet. Vult ergo criticus sagax sed, ut vereor, hic nimis verecundus et pudicus, formicae pudorem iam raptis matronarum osculis commemoratis laesum esse. Tale quid vix crediderim. Hoc gravius, si quid sentio, accedit, quod versu tertio decimo deleto, durior et parum aptus fit transitus: *aras frequentas ..... super etiam iactas.*

Verum enim vero nullus hic delendus est versus, sed ne iam multis ante saeculis versus aliquis deletus sit magnopere vereor. Nimirum deletis aliquot Phaedri verbis magistelli cuiusdam vel librarii pudor importunus *texit* ea, quae volucris bestiolae gloriantis impudentia *super iactaverat* [3]).

Ubi primum igitur mihi persuasi, ita se rem habere [4]), Lucianum inspexi, fuse, ut omnibus notum est, de muscarum laude edisserentem, atque mox admodum gaudens legi: *μίξεως δὲ καὶ ἀφροδισίων καὶ γάμων πολλὴ αὐταῖς ἡ ἐλευθερία, καὶ ὁ ἄρρην οὐ κατὰ τοὺς ἀλεκτρυόνας ἐπιβὰς εὐθὺς ἀπεπήδησεν, ἀλλ' ἐποχεῖται τῇ θηλείᾳ ἐπὶ πολύ, κἀκείνη φέρει τὸν νυμφίον, καὶ*

1) Varia variorum in hac re commenta vide apud Havetum.

2) Adversaria Critica p. 161. Serius quam par est in id sagacissimi philologi opus postumum incidi. Serius ergo vidi v. d. ad I 22. 12 pro *imprudentibus* conicientem *impudentiā*, serius quoque hanc ad coniecturam deprendi notulam: „an *impudentius*". J. v. d. V(liet). Lectionem traditam nuperrime defendit A. Tacke in „Phaedrianis" (Diss. Berol. 1911) dum iterum Kunkelii loci interpretationem allegat. Mihi persuadere non potuit.

3) Num mero casui est tribuenda lacuna, quae in libro quarto exstat inter fab. XIV et fab. XV? Non credo.

4) Plane eandem hac in re habeo opinionem, quam iam olim protulit Hartman (Comment. p. 119).

Digitized by Google

συμπέτονται τὴν ἐναέριον ἐκείνην μίξιν τῇ πτήσει μὴ διαφθείρουσαι [1]). Mox et in haec incidi: *κἀκεῖνο θαυμάζειν ἄξιον, ὅτι ἀμφότερα, καὶ τὰ θηλειῶν καὶ τὰ ἀρρένων δρῶσι· βαίνουσι γοῦν καὶ βαίνονται ἐν τῷ μέρει κατὰ τὸν Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης παῖδα* e. q. s. [2]). Tale quid „improbum" Phaedrum scripsisse, magistellum contra pudicum id legi noluisse, haud nimis audacter suspicari possis.

Mox formica ad adversariam:

Ego granum in hiemem cum studiose congero,
Te *circa murum* pasci video stercore.

„Murus" ille nonnullis philologis obstitit. Iam Burmannus proposuit *circa trivium*, Bentley in textum recepit *circum rura*. Sed breviter et recte Havet explicavit: „ego intellego oppidi moenia." Cui explicationi ne quis, sicut ipse primo feci, temere obtrectet, animum attendat ad muscae stolidam iactationem:

Moror inter *aras*, *templa* perlustro omnia

atque ad eiusdem interrogationem:

Quid horum simile tibi contingit *rustica*?

Facile inde mecum agnoscat, Phaedrum animalculas suas prope ab oppidi cuiusdam moenibus confabulantes inducere voluisse [3]).

Lib. IV 25. Simonides in honorem vani atque perfidi insuper pyctae hymnum conscribit:

Usus poeta moris est licentia
Atque interposuit gemina Ledae sidera,
Auctoritatem simi*lis* referens glori*ae*.
Opus approbavit; sed mercedis tertiam
Accepit partem.

In corrupto versu decimo pro *auctoritatem* Perottus: *auctores apte*. Cetera criticorum commenta vide in apparatu critico Haveti. Non opus est hic Ciceronis et Quintiliani verbis allatis inde demum efficere, quidnam versu suo a librariis corrupto enuntiare voluerit noster. Miror a nullo, quod sciam, adhuc propositum esse:

---

1) Luc. Musc. Encom. 6.

2) Ibid. 12.

3) Optime et eleganter id ipsum exposuit v. cl. Georg Thiele in splendido suo libro, qui inscribitur: der lateinische Aesop des Romulus. (p. XXXIX, p. CXLIV).

Digitized by Google

Auctores artis [1]) simili referens gloria [2]).

An ideo quod re bene perpensa Castor equitum, pyctarum Pollux est patronus? Num nimia haec est poetae licentia? Vocabulorum inepte contaminatorum vel divulsorum exempla in codicibus Phaedrianis non desunt. Vocabulis *auctores artis* in *auctoritatis* et *auctoritatem* conglutinatis ablativus *simili gloria* stare non potuit.

Deceptus poeta ad coenam tamen promittit:

20 *Splendebat* hilare poculis convivium:
Magno apparatu *laeta resonabat* domus.

Post *hilare* admodum languet *laeta*. In promptu est correctio: *lauta*, quam dedit olim Heinsius. Praeterea mihi hilare poculis convivium *resonare* potius quam *splendere*, domus magno apparatu lauta *splendere* potius quam *resonare* videtur. Sed sic fortasse ipsum poetam corrigere studemus [3]).

Lib. V 1. Lepidissima est narratiuncula de Demetrio et Menandro, cuius vel optimi sunt versiculi:

In quīs Menander, nobilis comoediis,
Unguento delibutus, vestitu fluens,
Veniebat gressu delicato et languido.

Hominem videre mihi videor. Pulcherrimam imaginem corrupit stolida interpolatio, quae simul totius narratiunculae lepori mirum quantum nocet. Nam post *nobilis comoediis* haec ferre cogimur:

Quas ipsum ignorans legerat Demetrius
Et admiratus fuerat ingenium viri.

Nonne ex verbis: „quisnam cinaedus ille" sat apparet Menandri personam Demetrio ignotam fuisse, nonne ex ultimo versu perspicuum fit, tyrannum poetae ingenium admiratum esse? Quid

---

1) Voculae *apte* et *arte* quoties non in libr. manuscr. confunduntur?

2) Cum locutione *simili referens gloria* conferenda sunt Ciceronis verba (De Or. II 252) *quos aeque laudasset.*

3) Versus vicesimus primus in duobus codicibus abest. Equidem si liceret, poetam sic corrigerem:

21 Magno apparatu lauta splendebat domus
20 Resonabat hilare poculis convivium.

Quam apte nunc sequuntur illa:

22 Repente cum duo iuvenes e. q. s.

Digitized by Google

porro in insulso additamento non displicet? Ecce nomen proprium illud importunum, ecce languidum istud *viri*, ecce sententiae constructio, quam dicunt, elumbis! Sed unde haec omnia? Suspicari ausim interpolatorem Phaedrum Phaedro inquinasse. Nam quis Phaedri lector non mente tenet hos versus:

Hic literarum quidam studio deditus,
Simonidis qui saepe versus legerat
Eratque absentis admirator maximus e. q. s.

Ex illis opinor versibus, suo loco et necessariis et sat lepidis importunum nostrum additamentum conflavit sciolus [1]).

Lib. V 5. Fusius paulo et fortasse iusto audacius de duobus locis huius narratiunculae agere mihi liceat. Scurra in fabula mirum se spectaculum populo esse exhibiturum profitetur:

10 Quod in theatro nunquam prolatum foret.

Ut exspectari poterat:

Dispersus rumor civitatem concitat.
Paulo ante vacua(m) turbam deficiunt loca.

„Quid haec" opinor quivis lector paulo accuratior secum cogitabit. Verti haec verba possunt, verterunt ergo Siebelis-Eckstein-Polle: „Kurz vorher noch leer fehlen (jetzt) der Menge die Plätze". Num re vera nobis credendum est, istiusmodi fatuo atque inani contraposito Phaedrum gaudere potuisse? Ego credere nolo. Iam olim Hartman [2]) locum obelo notavit optimo iure, hisce breviter additis verbis: „Requiritur hic fere sensus: diu ante spectaculi tempus iam loca deficiunt". Hic a viro sagacissimo prorsus dissentire ausim. Longe aliud voluisse Phaedrum mihi persuasum est. Agedum perpendamus versus subsequentes:

13 In scena *vero* postquam solus constitit,
Silentium ipsa fecit exspectatio.

Ecquid nimis audax fuerit criticus ille, qui inde effecerit, in proxime praecedentibus sermonem esse factum de vulgi rumore,

---

1) Philologum, quod sciam, in hac re suffragatorem nondum habeo, „historicum" habeo eumque celeberrimum. Nam summus Droysenus, ubi de Demetrii Phalerei moribus atque ingenio fuse edisserit, Phaedri nostri narratiunculam integram allegat, putidum emblema digno pressit silentio. (Gesch. d. Hellen. II 2 p. 107 sq.).

2) Comment. p. 120.

Digitized by Google

clamore, tumultu? Non opinor. Huc insuper afferamus locum simillimum, e fabula de Principe tibicine desumptum: Ubi primum ludorum dies primus advenit,

rumor de tibicine
Fremit in theatro.

Haec sufficiunt opinor. Quam vere atque apte iam ante duo saecula Gude ad nostrum locum annotavit: Videtur expressisse illud Terentianum: Hecyr. Prolog: Cum interea rumor venit, datum iri gladiatores, populus convolat, *tumultuantur*, *clamant*, pugnant de loco. Utrum Terentium imitari voluerit Phaedrus necne, id diiudicare non ausim. At quin rem prorsus eandem sua arte depingere conatus sit poeta uterque, nullus equidem dubito.

Hucusque secure procedere licuit cautae ratiocinationi. Daturne ultra? Phaedri manum hic se restituturum esse, quis confidat? In corruptelae autem originem investigare, proponere deinde, quod maxime veritatis specie moveat, dum et poeta dignum et loco aptum sit, id non conari non possum. Πρῶτον ψεῦδος ergo ante omnia quaeramus. Latet autem nisi omnia me fallunt in voce ineptissima *vacua*. Suspicari ausim Phaedrum non *vacua* sed *cavea* scripsisse. Voce *cavea*, ut omnibus notum est, theatrum et spectatores iuxta significantur. In praepositione *ante* participii praesentis cuiusdam terminationem: *ante* vel *antẽ* superesse suspicor. Proinde etsi valde dubia manent omnia, locum fatuum sic fere sanare possis:

Resonante cavea turbam deficiunt loca.

vel:

Clamantem in cavea turbam deficiunt loca.

Tale quid certe quin poeta dederit, vix dubito.

Ad alterum iam locum, quem volo, huius fabulae veniamus: Rusticus quidam promittit, se multo etiam melius, quam scurra fecerit, porci vocem imitaturum esse. Quo modo id fecerit et quomodo a populo acceptus sit, id omnes novimus. Audiamus nunc poetam:

Uterque prodit. Scurra degrunnit prior
Movetque plausus et clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis rusticus
Porcellum obtegere — quod faciebat scilicet,

Digitized by Google

Sed in priore quia nil compererant, latens —
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.

Locus sanari non potest [1]). Sed numquam adducar ut credam istiusmodi ineptias a Phaedro profectas esse. Perfectum fuisse poetam nostrum, quis contendere ausit? At aliud est hic illic in vocula errare, aliud tribus deinceps versibus ineptire. Nam quid obsecro *simulat* rusticus ille? Nihil opinor. „Non *obtegere* se simulabat sed *simulare* se simulabat, *atque eiusmodi aliquid Phaedrus dicere voluit sed non potuit*" [2]). Ita Hartman ad locum. At mihi sagacis viri verbis res implicari potius quam explicari videtur. Rem sobrie perpendamus necesse est. Num praestigiatoris gloriam appetit rusticus? Minime. Quales sint iudices inepti illi scurrae fautores, id solum demonstrare vult Ofellus noster, id solum ut demonstret operam dat Phaedrus, id solum ut demonstretur postulat fabellae ratio. Ergo prodit in scenam rusticus porcum vestimento obtectum secum habens [3]), neque quidquam simulat aut simulare se simulat. Imitatur tantummodo scurrae gestus sedulo. Sed plura addere debeo. Nam inepto illo vocabulo *similans* paulo, si fieri potest, ineptius est istud imperfectum *faciebat* in sequentibus:

quod *faciebat* scilicet.

Nam sive cum lectione tradita fingis rusticum re vera simulantem se porcum obtegere, sive cum Hartmani explicatione inducis hominem simulantem se id simulare, re vera animal obtegere non potest, nisi cui fortasse credere placet, meris caecis spectaculum illud exhibitum esse. Tertius denique versiculus:

Sed in priore quia nil compererant latens

auctoris sui mentem prodit. Scribi enim non potuit nisi ab eo, cui persuasum fuit, rustico nostro licuisse temere spectatores videntes eludere, proptereaquod in scurra nulla fraus comperta esset.

Haec iam sat superque sunt. Verba, quae nunc in textu tradito leguntur profecta sunt ab eo, cui simplex narratio non

1) Iam olim id sensit Hartman. (Comment. p. 98).

2) Ultima typis cursivis exaranda curavi ego.

3) Ita simpliciter Plutarch. Quaest. Conv. V 674c: *ἵνα λαβόντα δελφάκιον ὑπὸ μάλης προελθεῖν.*

Digitized by Google

satisfecit. Exornare voluit, quibus cultu nullo opus erat. Ideo factum est, ut non lepidus quidam Ofellus prodiret cives praeiudicata mente ductos ad sanitatem revocans, sed ut nobis induceretur praestigiator nescioquis et imprudens et impudens, spectatores prope occaecatos forte potius quam astu eludens. Phaedrum ipsum tale quid vitare non potuisse vix crediderim. Ceterum locum corruptum ad arbitrium refingere nolo [1]).

Lib. V 8. Prosopographiam lepidam sic equidem ediderim:

Cursu volucri pendens in novacula
Calvus comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis teneas, elapsum semel
Non ipse possit Iuppiter reprehendere .....
[*Occasionem rerum significat brevem*
Effectus impediret ne segnis mora]
Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

Mihi non displicet in agili descriptione audax anacoluthon. Velociter currentis imago vocabulorum serie imperfecta haud invenuste ob oculos depingitur. Versus, quos inclusi, neque inter se neque cum praecedentibus sequentibusque cohaerent, novi nihil addunt. Si servantur versus, languidum atque subobscurum finem descriptioni imponit senarius quintus, sequentia vero sunt prorsus supervacua atque inelegantissime conglutinata. Versus quintus, si quis alius, glossema in senarii formam redactum sapit. Sed de his omnibus me acutiores iudicent [2]).

Lib. V 10. 6. Canis venaticus senex cum venatore domino apro fit obviam. Solita audacia feram aggreditur:

Adripuit aurem sed cariosis dentibus
Praedam dimisit. *Hic tunc* venator dolens
Canem obiurgabat. Cui senex contra Lacon:
„Non te destituit animus sed vires meae."

Voculae *híc tunc* suspectae videntur. Iam Rigaltius proposuit *híc tum*. Et sane loquendi formula *híc tum* vel apud Ciceronem

---

1) Memini me olim locum istum, quem tractavi, discipulis „explicare". Omnes „rem intellegebant". Quin ipse paene contentus eram. Non iterum committam.

2) Nauck (apud Siebelis-Eckstein-Polle) delet versus 6 sq.

Digitized by Google

est obvia [1]). Mueller: *hoc tunc*, quasi quis roget, quid demum venator doleret. Novissime Havet:

Praedam dimisit *hietans*. Venator dolens e. q. s.

Ad commendandam emendationem suam, quam suo more statim in textum recepit, affert vir doctus Francogallus Verg. Aen. XII 754. Sed frustra, nam illic aptissime quidem *hians* inducitur canis *morsurus*, nostro contra loco canis pertinaci morsu se liberat fera bestia.

Dubitanter [2]) equidem aliam correctionem sane lenissimam hic propositam velim. Quid si legamus:

Praedam dimisit. „*Heu!*" tunc venator dolens
Canem obiurgabat.

App. IV 11. Prometheus, postquam Veritatis statuam, omnibus numeris absolutam, perfecit, subito ad Iovem accersitur. Magistro absente, Dolus artis figulinae discipulus recens adscitus, novum simulacrum vafre imitatur.

10 Quod *prope* iam totum mire cum positum foret,

quidnam putas lector accidit? Vel pueri sentiant id opinor.

12 Redit magister, quo festinanter Dolus
Metu turbatus in suo sedit loco.

Signis in fornace percoctis et spiritu infuso:

Modesto gressu sancta incessit Veritas;
At *trunca* species haesit in vestigio.

Ecquis tam hebes umquam exstitit Phaedri lector, quin intellexerit statuae, a Dolo fictae, pedes imperfectos mansisse? Non opinor. Finis iam breviter narratiunculae imponitur:

Tunc falsa imago atque operis furtivi labor
Mendacium appellatum est, quod negantibus
Pedes habere, facilis est consensio.

Nonne aptissime ipsa illa *pedum* vox in ultimo tandem auditur senario? Deleatur igitur scioli additamentum, qui nunc dicitur versus undecimus:

Lutum ad faciendos illi defecit pedes.

---

1) Vide Burmannum et alios ad Phaedr. I 14. 5.

2) Nam fieri potest, ut et hoc loco voculae illae πρὸς τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ sat neglegenter ab ipso Phaedro sint scriptae. (Vide Hartmanum in Commentatione p. 98 sq.).

Digitized by Google

Verba importunissima non solum versum duodecimum a decimo misere divellunt, sed totam narratiunculam insulsam reddunt. Vel sic mihi fabella in deteriorum numero habetur.

App. VIII 29. Pompeii miles „cinaedus habitu sed Mars viribus" certamine singulari feliciter depugnat. Hosti caput abscidit:

Victorque rediit. *His* tum Pompeius *super*:
„Corona, miles, equidem te dono libens.

Voculae *his super* admodum languent, nec multum proficimus Burmanni correctione *hic tunc*. Melius loco consulueris opinor legendo:

Tum Pompeius *desuper*:

Illud *ἄνωθεν* non modo optime convenit cum versibus undevicesimo et vicesimo:

Tandem cinaedus habitu, sed Mars viribus
Adit *sedentem pro tribunali* ducem,

sed etiam hilarem Magni illius cavillationem nescio quomodo gratius illustrat.

App. XI 8. Aesopus athletam inepte gloriantem increpat:

„Quod", inquit, „ergo stulte, meruisti decus,
Minus valentem si vicisti fortior?
Ferendus esses, *forte* si te diceres
Superasse, melior qui fuisset viribus."

Pro *forte*, quod ineptissimum est, *arte* dedit Halbertsma [1]). En simplex et praeclara emendatio! Nihil addidit vir praestantissimus correctioni suae, nunc vulgo acceptae. Liceat mihi huc allegare Valerium Maximum (II 3. 2): ..... doctoribus gladiatorum arcessitis, vitandi atque inserendi ictus subtiliorem rationem legibus ingeneravit, *virtutemque arti* et rursus *artem virtuti* miscuit, ut illa impetu huius fortior, haec illius scientia cautior fieret. Meliora etiam dabit Pausanias (I 39. 3): ..... *Θησεὺς δὲ κατεπάλαισεν αὐτὸν σοφίᾳ τὸ πλέον· παλαιστικὴν γὰρ εὗρε Θησεὺς πρῶτος ..... πρότερον δὲ ἐχρῶντο μεγέθει μόνον καὶ ῥώμῃ πρὸς τὰς πάλας.* Sed cur *γλαῦκ' Ἀθήναζε*? Ceteroquin in

1) Mnemos. 1878 p. 107.

Digitized by Google

malam partem quadamtenus accipiendum esse illud *arte* censeo ob verba *ferendus esses* [1]).

App. XIII 5. Milesiae huius vel potius Ephesiae fabellae hoc dat exordium noster:

Per [2]) aliquot annos quaedam dilectum virum
Amisit et sarcophago corpus condidit;
Abs quo revelli nullo cum posset modo
Et in sepulchro lugens vitam degeret,
Claram assecuta est famam *castae virginis.*

Ultima et mihi suspecta sunt. Virgo sane audit Pasiphae apud Vergilium, quin etiam de Medea virgine adultera locutus est Ovidius. Num illis exemplis defendi et stare potest virgo nostra Ephesia? Vix crediderim. In promptu ergo est pro *virginis* legere *mulieris*, quod fecit Mueller. At cur tandem usitatissimum illud *mulieris* in *virginis* abierit haud facile dixeris. Gravius vitium senarii exitum contraxisse suspicor. Nam quam obsecro aliam famam nisi famam castae mulieris assequeretur matrona nostra? Hic Havet coniecit atque in textum recepit:

Claram assecuta est famam *casto viduvio.*

Vulgaris sermonis esse vocem *viduvium* opinatur vir doctus [3]). Non obloquar, sed alia exempla deesse videntur, quapropter medicinam oblatam periculosam admodum existimo. Quadamtenus tamen recta via progressus esse videtur mihi vir sagax Francogallus, nam viduitatis notionem aegre hic requiri et mihi persuasum est. Quae cum ita sint, nonne Phaedro dignissimus est hic senarius:

Claram assecuta est famam *casta viduitas?*

Vix melius, opinor, res enuntiari potuit a poeta, qui et graculi repulsi *calamitatem*, canis *deceptam aviditatem*, leonis *improbitatem*,

---

1) Sic Belgice: met een kneep. — Hunc dum sensum loco nostro restituere conor, ego olim corrigebam: *docte.* Hac vocula saepius Plautum usum esse sensu *τοῦ astute, dolose*, quis nescit? Nunc nimis docta mihi videtur correctio.

2) Mueller: *post.* Correctio non displicet neque tamen arridet. Speyer audacter: *Ephesi* aliquot annis edidit. Sane rem Ephesi factam esse aut Petronius de nihilo finxit, aut omnibus notum fuit, qui scire cuperent. Phaedrum igitur urbis nomen non omisisse et mihi quam maxime videtur verisimile. *Ceteroquin ἀκέφαλον hanc narratiunculam ad nos pervenisse suspicari malim*

3) § 166. p. 261.

Digitized by Google

gruis *colli longitudinem*, corvi *deceptum stuporem*, matrem filii *adultam aetatem* servantem, vespae *religionem*, humani generis *audaciam*, propriam suam *brevitatem* in scenam induxit [1]).

Haud inepte adhibueris ad locum nostrum haec verba Valerii Maximi scripta de Antonia minore: ..... amorem mariti egregia fide pensavit: quae post eius excessum, forma et aetate florens, cubiculum socrus pro coniugio habuit: in eodemque toro alterius adolescentiae vigor extinctus est, alterius *viduitatis experientia consenuit* [2]).

Virginitatis viduitatisque et notiones et voces plus semel coniunctas et confusas invenimus. De *virginibus viduis* loquitur Seneca [3]) *viduam virginem* dicit Apuleius Psychen suam [4]).

Proinde ad Phaedri *castam viduitatem* glossema *virginis castae* adscripsisse sciolum quendam haud nimis temere suspicari possis.

App. XIV 27. Vitae pleni sunt versus, quibus noster depingit, quomodo pauper iuvenis, quam iam sibi perditam putaret sponsam recuperet deorum favore nec non asello adiuvante:

Asellus notum proximum tectum subit
Et voce magna sese venisse indicat.
Procurrunt pueri, pulchram aspiciunt virginem
Et admirantur: deinde domino nuntiant.
Inter sodales ille paucos accubans
Amorem crebris avocabat poculis.
Ubi nuntiatum est, *rēcreatus* gaudiis,
Hortante Baccho et Venere, dulces perficit
Aequalitatis inter plausus nuptias.

In vivida descriptione languet mihi illud *recreatus*, quod sane

---

1) Notissima est haec Phaedriani sermonis consuetudo. Exempla haec sunt: I 2. 2; 3. 16; 4. 5, 5. 11; 8. 8; 11. 10; 13. 12; 22. 11; 28. 2; 29. 11; II Prol. 4; 1. 8; 4 23; 5. 23; 7. 13; Epil. 1; III Prol. 34; 5. 9; 10. 23, 33; 10. 56; 13. 8; 18. 15; Epil. 8. 17; IV Prol. 20; 5. 44; 6. 12; 7. 4; 9. 9; 20, 21; 25. 31; V 7. 3; Append. 2. 11; 3. 16; 4. 20; 13. 19; 14. 28; 17. 7. Luculentissima exempla invenimus in *primi libri parte priore*, in *secundi* libri *decem* fabulis exempla *sex* deprendo, e *quinti* libri fabulis *undecim* vix *unum* extundo equidem. *Ecquid Phaedro nostro „senio debili" minus haec placuere?*

2) Val. Max. IV 3. 3.

3) Sen. Agam. 195.

4) Apul. Metam. IV 32 (cf. Apul. de Mag. Cap. 76).

Digitized by Google

verti et intellegi potest. Parum apta mihi videtur vox illa ad illustrandum animi statum illius, qui ex omnium rerum desperatione necopinato voti compos factus, laetitia quasi inebriatur. Exspectaveris verbum in tali re unum omnium aptissimum: *onerare*, quo ad depingendum gaudium inexspectatum sedulo usi sunt et Plautus et Terentius. Possis igitur suspicari nostrum dedisse:

Ubi nuntiatum est, *ecce oneratus* gaudiis

et versum sive librariorum socordia sive scioli interpretatione corruptum esse. Vide quam apte nunc et quasi uno tenore cohaereant illa: ecce oneratus gaudiis, hortante Baccho et Venere, dulces perficit nuptias.

Accedit quod *rēcreatus* producta prima syllaba sine exemplo esse videtur [1]).

App. XVI. Stolidus gallus felium cervicibus aliquantisper vehitur superbus atque gaudens. Sed mox fortuna mutatur. Nam:

Postquam esurire coepit societas fera,
Discerpsit dominum et fecit partes *facinoris*.

Ultima vox ineptissima est et molestissima. Confidenter nihilominus pueris explicant Siebelis-Eckstein-Polle: „teilte sich in die Schandthat", dh. in den schändlich zerrissenen Hahn. Pueri credant, vel potius credere recusent. Videamus virorum doctorum correctiones. Dubitanter Havet: *iocinoris*. Di boni! Finge tibi lector feles illas esurientes et saevas unius miselli galli iecur religiose dividentes! Prudenter Bothe: *facinore* sed quid demum hacce correctione lucramur? Chauvin denique: *sarcinae*, quod sane intellegi vertique potest. Sed omnis, si quid sentio, genetivus hic supervacuus et molestus est. Locutio *partes facere* in se est teres atque rotunda:

Sic est locutus *partibus factis* leo. (I 5)

In utrovis loco ecquis quaerat, cuiusnam rei „partes fiant"? Non opinor. Quid porro? Aegre, si quid sentio, nostro loco desideratur vocabulum, quo ferae societatis illustretur impudentia. Ferro igitur excidamus, quod nullo medicamento sanari potest. Legamus confidenter:

---

1) Teste Quicherat apud Havetum p. 212.

Digitized by Google

Discerpsit dominum et fecit partes *impudens*.

En fabulae finis Phaedro dignus. Importunum istud glossema *facinoris* magistello suo reddamus.

App. XVII. Scrofae parturientis gemitu audito, lupus accurrit, obstetricis promittens operam. Quam repudiat scrofa

Et „satis est", inquit, „si recedes longius".
Quodsi perfidiae se commisisset lupi
Pari dolore fata d⟨eflesset⟩ sua.

Variis audacissimisque correctionibus sanare versum ultimum conati sunt viri docti. Exempli instar sit Haveti illud:

Raptos dolose feta deflesset *suos*.

Eiusmodi emendandi ratio egregie mihi displicet, sed doctiores viderint. Vocula *pari* excepta, mihi perplacet versiculus. *Scrofam fetam* vel *scrofae fetus* equidem hic non desidero. Quid enim factum esset prole porcina lupo obstetrice vix dubium videtur. Suspicari haud nimis temere possis vocula *pari* contineri scioli importunum et male sanum „responsum" ad hunc versiculum Phaedro non indignum:

Quanto dolore fata deflesset sua!

vel

Quali dolore fata deflesset sua! [1])

App. XXI.

Quidam per agros devium carpens iter
„Ave" exaudivit et moratus paululum,
Adesse ut vidit neminem, *cepit* gradum.

Pro inepto vocabulo *cepit* varia proposuerunt viri docti. Nimis festinanter Nauck: *carpit viam*. Cautius Mueller *celerat*, simplicius sed metro invito v. d. Mey *cĭtat*. Utraque correctio verum loci sensum restituit. Celerius enim post moram progrediens inducitur viator, ut ex narratiunculae fine sat apparet:

„At male tibi sit", inquit, „ales pessime,
Qui *festinantis* sic detinuisti pedes".

Paulo etiam, ni fallor, probabilius correxeris legendo *rapuit gradum*, quod miror a nullo adhuc esse propositum. *Rapere*

1) Poetam ipsum id voluisse, quod ego sciolo cuidam dubitanter tribuerim, sat persuasum est Speyero v. cl.

Digitized by Google

gressus bis saltem apud Lucanum est nec non aptissime conferri potest notissimum illud Horatii:

Semotique prius tarda necessitas
Leti *corripuit gradum.*

Capere et *rapere* haud raro prorsus synonyma sunt [1]). Denique ob praecedens *exaudivit* et subsequens *restitit* aliquanto gratius mihi sonat perfectum.

App. XXIII.

Serpens lacertam forte *adversam* prenderat;
Quam *devorare patula* cum vellet gula,
Arripuit illa prope iacentem surculum,
Et pertinaci morsu transversum tenens,
Avidum sollerti *rictum frenavit* mora.
Praedam dimisit ore serpens irritam.

Simplici et felici emendatione *aversam* pro *adversam* dedit Hartman [2]). Iusto cautior fuit Speyer dum correctionem necessariam recipere non vult, haec annotans: „at si aversam devorare parat, quis usus surculi non ante obsaepturi quam ore tenus devorato lacertae corpore?" Ad v. cl. gravamen hoc responsum velim: integram vel prope integram more serpentium devorare praedam vult raptor, praedam devoratam paene [3]) *sed minime laceratam* ore dimittere cogitur. Lacertam vel sic morsu interimere utrum potuerit serpens necne, quis serio disputaverit? Quid Phaedrus voluerit, quid nos cogitare noluerit, sat apparet e vocabulis *patula* et *rictum*. Sed de fabellula sat fatua iam satis [4]).

App. XXVI. „*Nutare* capitis, *adnuere* narium vel labiorum, *nictare* oculorum significantiam esse veteres decreverunt." Ita sua Latinitate prolocutus est Nonius Marcellus [5]). Fidesne ho-

1) Vide Burmannum ad Propert. I 1. 1.

2) Comment. p. 124.

3) Cf. Os *devoratum* fauce cum haereret lupi (I 8. 4).

4) Liceat hic animi potius quam argumenti causa exscribere, quae Plinius (N. H. VIII 36) narrat de mirifica pugna ichneumonis cum aspide: ..... <Ichneumon> mergit se limo saepius siccatque sole. Mox ubi pluribus eodem modo se coriis loricavit in dimicationem pergit. In ea caudam attollens, ictus irritos *aversus* excipit, donec obliquo capite speculatus invadat in fauces.

5) Non. Marc. 5. 71.

Digitized by Google

mini est habenda? Ex parte procul dubio credamus ei oportet. Nam quid intersit inter *nutare* et *nictare*, spretis omnibus Noniis, discat quisque e locis Plautinis, quos indicare [1]) hic satis est, explicare supervacuum. Nam pro se quisque horum loquitur. *Nutamus* ergo nec non *nuimus* capite, oculis *nictamus*. *Nutu* porro capitis, oculorum *nictu* indicamus quidquid voce significare, monstrare digitis aut nolumus aut non possumus. Libenter porro Festo fidem habemus haec docenti [2]): „*nictare* et oculorum et aliorum membrorum nisu saepe aliquid conari dictum est ab antiquis."

Tribus locis Ovidianis pro *nutus* in uno codice *nictus* traditur. Iusta ceteroquin causa non est, cur Burmannum Heinsiumque secuti vel uno horum locorum a lectione tradita recedamus [3]). Equidem in tali re diudicanda elegantiae pulchritudinisque arcana ratione potius quam manuscriptorum librorum „auctoritate" ducor. Sic loco Ovidiano laudato infelicissime Burmannus, me iudice Narcissum *nictantem* inducit. Quam apte contra *nictandi* verbo illustretur hilarium procaciumque puellarum petulantia vel ex uno loco Plautino (As. 4. 1. 39) satis discas.

Hisce praemissis ad fabellam Phaedrianam, quam indicavi, animum attendamus:

Lupus [4]) venatorem fugiens vepremque irrepens bubulcum orat, ne se prodat. Promittit bubulcus perfidus iamque venator adest. Quid nunc, lector, facere lupum nostrum consentaneum est? Utrum ille oculos claudet an omni cura speculabitur, quantum tute poterit, quid nunc sit futurum? Hoc opinor. Quid faciet bubulcus? Nonne id aget perfidus ille, ut omni proditionis specie evitata, proditoris partes quam accuratissime impleat? Opinor. Proinde admodum mihi displicet Babrius, qui δρυτόμον suum *digito* monstrantem inducit:

„οὐκ εἶδον" εἶπε, τῷ δὲ δακτύλῳ νεύων
τὸν τόπον ἐδείκνυ' οὗ πανοῦργος ἐκρύφθη.

1) Asin. 4. 1. 39. Men. 4. 2. 54 (614). Merc. 2. 3. 71.

2) Fest. p. 177 (ed. Muell.).

3) Ars. Am. I 138. Fast. I 418. Metam. III 460.

4) Cum Haveto lupum praefero lepori Perottino. Utrumque animal tamen huic fabulae minus aptum videtur. Egregie contra placet vulpes Babriana, quae re peracta e frutriceto ἐξέκυπτε σεσηρὸς αἰκάλλουσα. En artifex lepidus!

Digitized by Google

Ita iusto stultiores fiunt et proditor et venator. Quanto accuratius et subtilius rem enarrat Phaedrus:

„Quaeso, bubulce, numquid huc venit lupus?"
„Venit, sed abiit hac ad laevam", et dexteram
Demonstrat *nutu* partem.

Legamus modo:

et dexteram
Demonstrat *nictu* partem

atque omnia recte se habebunt. Video equidem proditorem adstantem, laeva manu sinistrorsum extenta, oculos quantum potest dextrorsum *παραβάλλοντα*. Verisimiliora aliquanto iam sunt verba sequentia:

Venator citus
Non intellexit seque e conspectu abstulit.

Atque ut gravissimum argumentum in fine proferam: nunc demum intellego lupum in hunc modum gratias agentem:

Linguae prorsus non nego
Habere atque agere maximas me gratias,
Verum *oculis ut priveris* opto *perfidis*.

Vocabulum Plautinum atque insolentius quin Phaedro unice aptum, librariis contra sciolisve „emendandum" visum fuerit, equidem vix dubito.

App. XXVIII. Quam pervulgata apud veteres fuerit olim narratiuncula de fibro callido, quis nescit? Nusquam tamen atque nunquam defecit popellus, qui lippis tonsoribusque nota „explicare" avet. Audiamus modo, ut in hac quoqué fabella notissima enarranda Phaedro nostro subvenerit doctus „ardelio".

Canes effugere cum iam non possit fiber,
Abripere morsu fertur testiculos sibi,
Quia propter illos sentiat sese peti.
Venator namque simul invenit *remedium*,
Omittit ipsum persequi et ⟨re⟩vocat canes.

Apage magistellum cum suo *remedio*, Phaedroque restituamus venatorem praedae cupidum, laboris *praemii* [1]) appetentem. Legamus:

1) De *praemio* pro *praeda*, si tanti est, conferatur Ov. Fast. V 204.

Digitized by Google

Venator namque simul invenit *praemium*,
Omittit ipsum persequi et revocat canes.

Ad versiculum ita, si dicere fas est, emendatum nunc adhibeas velim lector Aeliani narratiunculam [1]), et mecum, nisi omnia me fallunt, agnosces, quam apte *praemio* meo respondeat illud: τὸ σπουδαζόμενον μέρος [2]).

App. XXIX. Papilio vespam alloquitur:

„O sortem iniquam! dum vivebant corpora,
Quorum ex reliquiis animam nos accepimus,
Ego *e*loquens in pace, fortis proeliis,
Arte omni princeps inter aequales fui;
En *cuncta* levitas putris et vol*ito* *ci*nis!
Tu qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcunque visum est laedis infixo aculeo."
At vespa dignam *moribus* vocem edidit:
„Non qui fuerimus, sed qui nunc simus, vide".

Et haec narratiuncula suis molestiis viros doctos editores criticosque implicuit. Primus versiculus, quem data opera omisi, misere est corruptus. In quarto versu *eloquens* pro *loquens* ingeniose dedit Ianelli. Sed haec in transitu. Ad versum sextum convertamus oculos. Codicis lacunam aptissime supplevit Ianelli in versiculi fine: *vol⟨ito cin⟩is*. At quid demum faciamus misella vocula *cuncta*, manifeste corrupta? Variis modis locum

---

1) Ael. de Nat. Anim. VI 34.

2) Ultimum senarii vocabulum apud nostrum saepius glossemate corruptum vel loco pulsum esse, hoc praesertim loco examinato suspicari ausim.

Vide ineptum illud *cubiculo* in fine versus (III 10. 30), molestissimum istud *facinoris* (App. XVI 7), suspectum illud: *virginis* (App. XIII 5).

Sic in versiculis:

Quo quis maiorem possidet terrae *locum* (App. V 15)
Hoc demonstratur cura graviore affici

locum pro *modum* olim „emendatum" esse suspicor.

Videamus denique notissima omnium Phaedri verba, omnibus pueris decantata:

Novissime indignata dum vult validius
Inflare sese, rupto *iacuit corpore*.

Egregie fallitur summus Bentleius, dum *iacuit* corruptum putat. Immo in deliciis verbum illud in tali re Phaedro est:

O canis merito *iaces!* (I 27. 9)
Leo cum *iaceret* spiritum extremum trahens. (2I 1. 4).

At pro *corpore*, quod ferri sane potest *tergore* (i. e. pelle) malim.

Digitized by Google

tentaverunt viri docti. Audacter Havet: En *cassa* levitas, audacius aliquanto Speyer: *Eheu nunc* levitas. Haud illepide nil nisi interpunctione mutata Lucianus Mueller:

En cuncta! Levitas putris et volito cinis.

Quidni tu hisce contentus esse potes, roget fortasse quispiam. Iam exponam. Equidem adhuc in versu sexto eam desidero sententiam, qua ex omni parte octavo versui opponi possit. Quid enim? Papilio olim fuit „princeps inter aequales", vespa contra mulus despectus et contemptus. Nunc acerrima vespa *quemcunque* vult laedit, *ab omnibus* timetur, papilio ignava *ab omnibus* spernitur, levitas putris et volitat cinis ..... *cunctis* opinor.

Legamus:

En *cunctis* levitas putris et volito cinis!

Conferantur loci quales sunt:

Probanda *cunctis* est quidem sententia. (IV 13. 2).
Illum esse *cunctis* avibus admirabilem. (III 18. 3).

Verbis: *tu, qui fuisti* pellectus opinor Speyer versum quintum ita dedit:

Arte omni princeps ⟨*qui*⟩ inter aeqales fui,

quod nollem fecisset vir sagacissimus. Importuno enim pronomine relativo inserto admodum intricatur verborum constructio.

Operae pretium videtur denique de versu nono pauca disserere. Nam pro lectione tradita *„moribus"* Halbertsma, vir sagacissimus atque de Phaedro nostro optime meritus, coniecit *memoria*, quae correctio adeo placuisse videtur, ut eam pro certa emendatione in textum recipere non dubitaverint Havet et Speyer. Quid tandem in lectione tradita displiceat, scire equidem pervelim. In memoriam revocemus lepidam fabellam libri tertii, ubi inter apes laboriosas et fucos inertes vespa sedet *aequus* iudex. Ergo non iracunda et acris verum *iusta* quin etiam *religiosa* prodit bestiola. Id ne obliviscamur. Nam et hoc nostro loco, nisi omnia me fallunt, non id praesertim agit vespa, ut se ipsam defendat vel obtrectatori proterve illudat, sed operam dat tantummodo ut iuste, severe, breviter retundat papilionis invidiam stolidam. Idque quin efficere conata sit sententia *moribus* suis *digna*, nullus dubito.

Digitized by Google

Haec sunt, quae de Phaedro ad tempus prolata velim, ad unam alteramve quaestiunculam postea fortasse reversurus. Iusto audacius fortasse hic illic depravatis locis mederi conatus sum, neque sane leni medela adhibita sanari possunt multa in istis fabellis, quibus iam olim discipulorum inscitia atque ludimagistrorum sagacitas male sana iuxta, ut opinor, nocuit. Finem igitur curis qualibuscunque meis impositum velim hisce Luciani Muelleri verbis allatis: „Phaedrus hat ziemlich viele Verderbnisse und darunter mehr grobe als man nach der Einfachkeit und Eleganz seines Stiles erwarten sollte. Die Schuld trägt das ungenügende, theilweise sogar nur unvollständig bekannte handschriftliche Material, ferner der Umstand, *dass die vorhandenen Handschrifte im Mittelalter, didaktischer Zwecke wegen mehrfach entstellt und so zu sagen, zerlesen wurden*" [1]). Ultima praesertim verba olim me incitarunt, ut Phaedro operam navarem, nunc veritatis plena esse penitus sentio.

AD EURIPIDEM.

Euripidis notissima sententia:

τίς οἶδεν εἰ ζῆν τοῦθ' ὃ κέκληται θανεῖν,
τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί; πλὴν ὅμως βροτῶν
νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ' ὀλωλότες
οὐδὲν νοσοῦσιν οὐδὲ κέκτηνται κακά [2])

foeda macula deturpatur, nam particulae πλὴν ὅμως a contextu sunt alienae. Quas errore describentium natas esse ex adverbio aliquo, quo prius illud *laborandi* verbum illustraretur, cuiusvis est suspicari; nam non satis apte nunc inter se sunt opposita: „viventes laborant" et: „mortui nullis omnino malis laborant." Quae si probabilis videtur argumentandi ratio, ultro se offert adverbium vere Euripideum πλημμελῶς sive *sic temere*. Vere Euripideum, inquam; nam licet ipsum adverbium non iam apud eum inveniatur [3]), adiectivo saepius est usus.

Apte igitur vivis, qui variis malis vexantur neque ullo vitae tempore a calamitatibus tuti sunt, opponuntur mortui, quos nulla mala terrestria possunt tangere. v. L.

1) Ueber A. Nauck's Phaedrusstudien (Berlin 1890) p. 9.
2) Fr. Dind. 830; cf. 863 et 639 et Av. Ran. 1082, 1477.
3) Platoni vero vel Plutarcho in deliciis est.

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e Vol. XXXIX pag.* 440).

Κ 1 sqq. Ad Dionysii Thracis verba: „ῥαψῳδία ἐστὶ μέρος „ποιήματος ἐμπεριειλημμένος τινα ὑπόθεσιν" extat scholion ignoti alicuius grammatici vel potius ludi magistri, idque satis ineptum [1]). Cuius hoc est initium: „ποιήσεως ἐχρῆν εἰπεῖν, οὐ ποιήματος. ποίησις γὰρ ἡ πᾶσα Ἰλιάς, ποίημα δὲ ἑκάστη ῥαψῳδία. διαφέρει δὲ ποίημα καὶ ποίησις καὶ ποιητικὴ καὶ ποιητής. ποιητικὴ μὲν γάρ ἐστιν ἡ ἕξις, ποιητὴς ὁ μετέχων ποιητικῆς, ποίημα ὁ στίχος καὶ σύνταγμα [2]) τὸ ἐν τῷ αὐτῷ ἀρχὴν καὶ τέλος ἔχον, ὁποῖόν ἐστι τὸ Κ τῆς Ἰλιάδος, ἡ Νυκτεγερσία καλουμένη.

Mavult igitur hic homo rhapsodiam ποιήσεως quam ποιήματος dici partem, et sic apud Diomedem I 484: „rhapsodia dicitur Graece ποιήσεως μέρος, aliqua particula discreta atque divulsa". Noster autem grammaticus in verbis supra allatis addit hanc observationem: „singulas Iliadis vel Odysseae partes, quae nulla vi adhibita a cetero carminis corpore ita possint secerni ut integrum carmen ipsae efficere dici possint, ποιήματα potius esse vocanda quam ποιήματος μέρη", sic enim eius verba possunt reddi. Exempli autem gratia indicat rhapsodiam Κ.

Videmus de *Iliadis compositione* nihil hic dici. Sed si quis e contextu evulsa haec legat, facile ita accipiat ut Iliadis librum decimum integrum carmen potius quam maioris carminis par-

1) Bekk. Anecd. 768.

2) Leg. τὸ στίχων σύνταγμα?

Digitized by Google

tem dicendum esse inde efficiat, et sic sponte eo deveniat ut primitus igitur illud carmen partem Iliadis non fuisse arbitretur: postmodo igitur maiori huic operi esse insertum: a quonam vero insertum? A Pisistrato nimirum illo, de quo recentiores tam multa deblaterarunt, de quo ad ipsa quae attulimus Dionysii Thracis verba extat alterum scholion tam copiosum quam absurdum.

En origo reperta scholii non vetusti sed e solo codice T cogniti: „*Φασὶ τὴν ῥαψῳδίαν* (K) *ὑΦ' Ὁμήρου ἰδίᾳ τετάχθαι καὶ μὴ εἶναι μέρος τῆς Ἰλιάδος, ὑπὸ δὲ Πεισιστράτου τετάχθαι εἰς τὴν ποίησιν*". Quocum consentit Eustathius 785, 41: „*Φασὶν οἱ παλαιοί, τὴν ῥαψῳδίαν ταύτην ὑΦ' Ὁμήρου ἰδίᾳ τετάχθαι, καὶ μὴ ἐγκαταλεγῆναι τοῖς μέρεσι τῆς Ἰλιάδος, ὑπὸ δὲ Πεισιστράτου τετάχθαι εἰς τὴν ποίησιν*".

Si quis etiam dubitat, vocis „*ποιήσεως*" usum perpendat et mirum illud „*ὑΦ' Ὁμήρου ἰδίᾳ τετάχθαι*" quid sibi velit secum reputet.

Ab hac igitur, quae auctoritatis aliquid habere credebatur, observatione profecti interpretes quidam recentiores contenderunt dictionem libri K peculiaria tam multa habere, verba insolita, verborum formas et iuncturas insolitas tam crebras, ut carmen hoc Iliadi postmodo insertum esse inde appareat. Quibus si assentiendum esset, id quidem certum maneret, eo consilio esse compositum ut in illum ipsum Iliadis locum insereretur quem nunc obtinet; in quem locum quadrat optime. Nam tum, cum proxima castra habuerunt Achivi et Troiani, utrinque missos esse speculatores, illinc, ut efficeretur an incursionem nocturnam hostes molirentur, hinc, an fugam pararent Achivi, non potest non veri simillimum videri; at quae in hoc libro narrantur e carminis contextu si exemta considerentur, nemo non mirabitur Agamemnonis animum pusillum, nemo non Diomedem et Ulixem et Dolonem eodem tempore per noctem ruentes ad exploranda hostium consilia. Praeterea iam vidimus librum K veluti ancoris quibusdam cum libris I et Ξ firmiter esse coniunctum [1]).

Certum igitur est librum K eo consilio esse compositum ut

1) Cf. Mnem. 1911 p. 434 sq.

Digitized by Google

Iliadis partem efficeret. Sed dubitatur a quonam fuerit compositus. Etiamne iure dubitatur? Minime. Nihil enim obstat quominus ipsi Iliadis poetae tribuamus, multa quominus alii.

Et crimina quae ad *dictionem* pertinent mittere nunc licebit. Nam strenue nuper demonstrarunt atque evicerunt viri doctissimi I. A. Scott [1]) et A. Shewan [2]), insolita quidem hanc carminis partem nonnulla habere, sed non plura quam aliam partem quamlibet, et vel pauciora quam librum A, ut hoc exemplo utamur, falsum autem esse id quod fuere, qui perhiberent, Odysseae magis quam ceterae Iliadi dictione affinem esse hunc librum. Insolitae autem *res* potius, quae narrantur, sunt dicendae quam *verba* quibus narrantur, et prorsus idem de hac Iliadis parte valet quod de Ulixis itinere ad Chryseidem domum deducendam [3]): utrobique inveniuntur verba complura per ceteram Iliadem non obvia, quia illis Iliadis locis solis narratae sunt res quibus ea verba conveniebant; illic *itineris maritimi* fit mentio, hoc loco *castrorum facies nocturna* ostenditur, neque usquam alibi per totum carmen. Quid autem mirum aliam hanc fuisse atque diurnam! Unde et alia facillime explicantur et id quod impense quidam sunt mirati: *pellibus ferinis* heroes in hac carminis parte amictos cerni. Alius videlicet militum interdiu in pugnam progredientium est habitus, alius noctu quiescentium vel per castra ambientium; tempore diurno expeditos et armatos esse oportet neque densa vestimenta requirunt homines sub sole strenue per campum se moventes: noctu per quietem castrensem a frigore potius est cavendum quam ab hostibus. — „At Dolon quoque, qui speculator e castris Troianorum venit, lupi pellem humeris iniecit et fusco pileo caput texit". — Nempe ut hostibus clam obrepere posset; sic nunc color fuscus is, qui *khaki* vocatur, apud milites in honore est. Et Ulixes eodem consilio pileum coriaceum sumsit, non aeneam galeam; arcum autem hic heros δουρὶ κλυτός cur praeter morem secum abstulerit a Merione mutuatus, cur Dolon item cum arcu et sagittis in hostes sit profectus, apertum est: putarunt

1) Class. Philol. 1910, 41 sqq.
2) The Lay of Dolon, 1911.
3) Cf. Mnem. 1911 p. 346.

Digitized by Google

sagittas utiles sibi fore ad hostes circum ignes sedentes [1]) flammisque illustratos eminus per tenebras petendos. Quod autem neutri opportunitas fuit arcu utendi, Dolon enim in insidias incidit et Ulixes ad hostes dormientes proximus accessit, id tum cum expeditiones suas iniere scire non potuerunt. Absit igitur ut Gigantomachiae vel Heracleae aliorumve carminum sive priscorum sive recentiorum aliqua vestigia in illis pellibus et arcubus agnosci posse persuaderi nobis sinamus! Imposuerunt sibi, imposuerunt qui talia autumarunt.

Quod autem ad *temporis decursum* attinet, quem fuere qui criminarentur, plura enim per hanc noctem facta dici quam paucarum horarum spatium commode caperet, idem est perhibitum de die item facinorum plenissimo, qui a B 1 usque ad H 380 pertinet. Iusta autem haec si sunt crimina, minime sunt gravia; non enim est poetae talia anxie rimari, neque lectoribus sedule eius carmen perscrutaturis ille cecinit, sed auditoribus. At de nihilo ficta sunt; nam neque quae eo die, quo primum praelium est gestum, facta esse poeta narravit tam multa sunt ut fidem superent, etiamsi singulos temporis articulos accurate computemus, — dummodo teneamus urbem non admodum magno locorum spatio a littore remotam fingi, — neque nunc tanta est rerum gestarum abundantia quin una nocte, etiam breviore — fuit enim tempus aestivum — fieri omnes facile potuerint. Quarum haec est series: vesperi habetur conventus militum [2]), dein cena vespertina [3]) et concilium ducum [4]); post cenam milites dormitum eunt, exceptis vigilibus qui excubias ante vallum sunt acturi [5]), duces autem mittunt legatos ad Achillem, dein horum reditum in tabernaculo Agamemnonis opperiuntur; qui plena nocte re infecta redeunt [6]); moesto dein animo etiam duces cubitum eunt [7]), sed Agamemnon et Menelaus postquam exsomnes aliquantisper iacuerunt, surgunt, dein e lecto excitant senem amicum, ut novum ab hoc petant consilium. Mox — sed maior noctis pars interim praeteriit — Ulixes et Diomedes speculatores abeunt in castra Troianorum

1) Cf. Θ 555—561 et I 88.
2) Cf. I 13.
3) Cf. I 66.
4) Cf. I 89 sqq.
5) Cf. I 66—88.
6) Cf. I 657.
7) Cf. I 705—713.

Digitized by Google

ab Achivorum castris haud procul remota [1]), in via sibi occurrentem Dolonem interficiunt, dein Thracum subitam stragem edunt, sub diluculum ad suos redeunt [2]) equis celerrimis vecti. Sive, ut temporis decursum magis etiam subtiliter et minus poetice signis numeralibus indicemus:

hora 8 sol occidit.
hora 9 cena vespertina.
hora 10 legati Achillem convenerunt.
hora $11^1/_2$ re infecta redierunt. Cubitum iverunt Agamemnon et ceteri reges.
hora 1 exsomnis exsiluit Agamemnon.
hora 2 Ulixes et Diomedes in expeditionem nocturnam sunt profecti.
hora 3 Rhesum cum suis necarunt.
hora $3^1/_2$ ante solis ortum redierunt.

Quid tandem temporis haec ratio habet, quod parum sit credibile? Verum est Ulixem aut Diomedem somni vix quicquam per hanc noctem vidisse, sed quid tum postea? Ulixem per noctes septendecim deinceps vigilantem, dein per triduum sine ulla intermissione natantem, ex Odyssea novimus, et unam certe noctem somno carere sine damno possumus omnes, quoties res id fert.

Talibus autem heroibus Minervam non sola γυῖα ἐλαφρὰ θεῖναι sed et stomachum alacerrimum praebuisse facile credimus; itaque qui sapit non mirabitur legatos ab Agamemnonis cena recentes apud Achillem denuo cibo et vino haud invitos fruentes [3]), multoque minus mirabitur Diomedem vel Ulixem, cum ab expeditione nocturna redierunt, prima luce libentissime cenam appetentem [4]) post cursum longiorem et hostes occisos complures, temporis nulla ratione habita; nam ceteri milites ne prandium quidem tum sumebant. „Tertium igitur Ulixes cenavit intra paucarum horarum spatium!" fuit qui admirabundus exclamaret. Nempe illis heroibus cum latera lacertique tum intestina alia fuerunt atque philologis sive Alexandrinis sive hodiernis.

---

1) Cf. I 232 K 161.
2) Cf. K 251.
3) I 222. Ceterum cf. vs. 228.
4) Cf. K 578.

Digitized by Google

Prorsus autem egregium est libri K initium, quo ἀπὸ τῆς Πρεσβείας εἰς τὴν Νυκτεγερσίαν poeta fecit transitum. Cubitum iverunt omnes, sed dormire nequit Agamemnon. Identidem exultat contremiscens et graves gemitus ducens; ad caelum tendit manus Iovem invocans, capillos vellicat animo aestuante, ipsumque adeo ἔνδοθι θυμὸν ἀμύσσει, ut tunc ei minatus est Achilles [1]). Duobus tribusve abhinc horis, cum iram posuisset, ipse sibi perplacebat et Achillem splendidis donis facile deleniturum se confidebat, quippe βασιλεύτερος καὶ γενεῇ προγενέστερος ὤν [2]); sed frustra fuere quae tentavit, spretae sunt eius preces, contemtim repulsa sunt quae offerebat, proximi autem ei adsunt hostes, quorum cernit ignes, quorum laeta cantica audit: cras in castra irruent, et per ipsas tenebras ne ea aggressuri sint metuere incipit, fingit sibi suorum stragem nocturnam, — iamque per noctis silentium persentit quid deliquerit, quam stultus fuerit, quanto periculo suos obiecerit, et solus manere nequit. Petit quos alloquatur, quos consulat, consilii ipse inops et de sua suorumque salute desperans.

„At ignes hostium Agamemnon videre qui potuit castris inclusus?" fuerunt qui rogarent. Non rogasse satius, nam ipsum poetam huic quaestiunculae immoratum esse veri est dissimile. Si quis tamen ad eam responderi iubeat, habemus quod respondeamus: regem priusquam cubitum iret supra vallum spectasse, — et dubitatne quisquam quin spectarit? — nunc per tabernaculi ianuam apertam aut extra tabernaculum iacentem [3]) — ut iacebat Nestor [4]) vel Diomedes [5]) — cernere aërem fulgore ignium hostilium illustratum, et mentis oculis ipsos quoque ignes cernere. Nisi quis, quae etiam simplicior est explicatio et minime improbabilis, mavult sumere poetam finxisse Troianorum ignes *in clivo* flagrantes — ἐπὶ θρῳσμῷ πεδίοιο — partim certe e castris Achivorum potuisse conspici supra aggerem surgentes. Sed, quod iam diximus, praestat ad pusillam hanc quaestionem animum non advertisse, et priscos auditores non advertisse certissimum videtur.

---

1) Cf. A 243.
2) Cf. I 160 sq.
3) Cf. vs. 34 sq.
4) Cf. vs. 74.
5) Cf. vs. 151.

Digitized by Google

Minime igitur hinc sequitur aggerem a carmine primitivo fuisse alienum aut librum K alienum esse ab Iliade. Neque eiusmodi quid efficitur e versibus quibus regum e castris exitus narratur, quo loco aggeris aut portae exitum aditumque praebentis nulla fit mentio. Nam ante portam — inter aggerem et fossam — septingenti illi excubitores in statione fuere collocati, quos porta non fuisse exclusos fert ratio. Si quis tamen clausam mavult aggeris portam, per poetae verba nihil obstat quominus sic rem sibi fingat; nam versus

οἳ δ' ὅτε δὴ φυλάκεσσιν ἐν ἀγρομένοισιν ἔμιχθεν [1])

ita quoque potest explicari ut reserari sibi portam κατὰ τὸ σιωπώμενον Agamemnon iusserit, dein foras fuerit progressus [2]). Diomedes autem et Ulixes equis vecti cum in castra redierunt, excepti sunt a regibus, qui apud excubitores interim manserant [3]), porta ut opinor post eorum tergum non clausa; cum his dein in castra redierunt.

„At" — pergunt obicere qui aggerem naves protegentem in libro K ignorari sibi persuaserunt — „quomodo igitur interpretaris verba Hectoris, magno praemio promisso suos incitantis ut unus ex iis νηῶν ὠκυπόρων σχεδὸν ἐλθέμεναι [4]) conaretur, dein efficeret etiamne classem Achivi custodirent, an fugam pararent? Qui poterat accedi ad naves, si aggere hae defendebantur?" — Respondere non videtur difficile. Fieri id quomodo posset, aut, si propter excubitores fossam et vallum tutantes fieri non posset, quomodo hostium consilia eminus cognosci tamen possent, non Hectoris aut poetae fuit excogitare, — nedum nostrum id sit! — sed speculatoris. Et ipse sane Dolon confidenter „in castra usque ad Agamemnonis tabernaculum penetrabo" [5]) ait; si vero fors tulisset ut in proximam excubitorum viciniam perveniret, sensisset aditum ad naves et tabernacula sibi esse praeclusum; transscendi fossam, dein aggerem, clam vigilibus non

1) Cf. vs. 180.

2) Verba τάφροιο διέσσυτο vs. 194 significare *per viam trans fossam ducentem* (τὴν ἱππηλασίαν ὁδόν H 340) *festinavit*, vix est opus nunc dici. Similia sunt vs. 564 et alibi.

3) Cf. vs. 273, 532 sqq., 564.

4) Cf. vs. 308.

5) Cf. vs. 325 sq.

Digitized by Google

posse; sed caute obreptans audire fortasse potuisset quae illi inter se confabularentur, et sic de Achivorum consiliis certior tamen fieri, ipsa autem custodia alacris eum docuisset hostes fugam non moliri. Iuvat nunc meminisse quomodo post Achillis mortem speculatores Achivorum exploraverint mentem Troianorum: *sub urbis muro latitantes* audiverunt puellas disputantes [1]).

Eam igitur quam oportuit fossae atque aggeris rationem poeta habuit in libro K; aggerem non commemoravit sane, sed ut commemoraret nihil eum cogebat.

Laude dignissimos modo dicebamus versus quibus pingitur Agamemnon metu perculsus: non minus egregie dein pingitur Nestor. Qui aetate provectior vir et animi sedatioris, quippe qui nullius culpae sibi esset conscius, ne nunc quidem oblitus est vaticinii, quo ante expeditionem initam Achivis promissa est victoria [2]). Itaque „invasionem nocturnam metuere noli", ad Agamemnonem dixit: „mox autem, sat scio, in contrariam partem convertetur belli fortuna". Abiturum se minatus est Achilles, sed nondum abiit, et omnino mansurum confidit senex prudens; et ante minatus est ille, mansit tamen. Qui dum aderit, non erit desperandum.

Ita cum interpretamur Nestoris haec verba [3]):

οὔ θην Ἕκτορι πάντα νοήματα μητιέτα Ζεὺς
ἐκτελέει, ὅσα που νῦν ϝέλπεται· ἀλλά ϝ' ὄΐω
κήδεσι μοχθήσειν καὶ πλείοσιν, εἴ κεν Ἀχιλλεὺς
ἐκ χόλου ἀργαλέοιο μεταστρέψῃ φίλον ἦτορ,

respondemus iis qui rogarunt — nam quid non rogarunt Homeri interpretes! — qui scire nunc Nestor potuerit quid esset futurum. Scire non potuit sane, sed deorum promissis fidem habens dixit quod veri simile optimo iure duxit.

Nunc aliquid dicendum est de tribus illis viris, quos poeta in Dolonea agentes et loquentes induxit, Ulixem volumus et Diomedem et Dolonem. De omnibus his iniquius iudicarunt multi, de ipsa simul hac carminis parte iniquam sententiam ferentes.

---

1) Cf. schol. Ar. Eq. 1056.
2) Cf. B 299 sqq. I 49.
3) Cf. K 104—107.

Digitized by Google

Et Dolon quidem iactator ignavus apud multos audit, invito profecto poeta. Qui quod eum unum e Troianis munus exploratoris, ut honorificentissimum [1]), sic periculosissimum, in se recepisse narravit, egregia laude ornavit. Similem expeditionem ne Menelaus ea nocte subiret cavit Agamemnon, non quod rege indignam duceret, sed quod verebatur ne tanto labori feliciter exantlando eius frater impar esset [2]). Postea simile quid sustinuit Ulixes, et singulari constantia atque calliditate perfecit [3]); et hac ipsa nocte explorator in castra Troianorum ivit Diomedes heros fortissimus, nec solus ivit, — ut Dolon, — sed comitante Ulixe. Doloni autem in corpore debiliore [4]) erat animus generosus. Cui si fratres fuissent, unus pluresve ex his in Hectoris exercitu militassent, ipse autem Dolon domi fuisset relictus; nunc vero, quoniam unicus erat filius, ceteri enim Eumedis liberi puellae erant [5]), militare eum necesse fuit [6]). Militavit igitur, sed pedibus solis valebat. Itaque hactenus inter Hectoris milites laude praecellere cum vellet, non potuit; iam vero nactus occasionem qua etiam viro robore minus valenti spes esset facinus praeclarum perpetrandi, si modo animus ei esset imperterritus [7]), laetus se obtulit duci speculatorem quaerenti. Spe igitur erectus per caliginem iter solitarium iniit. Sed magnis excidit ausis; factum enim est id quod expectari non poterat, ut noctu per campum desertum festinanti occurrerent speculatores duo, qui ex altero exercitu missi fuerant. Ab his occupatus et correptus ut sibi parceretur oravit, magnum pretium promisit si vita salva solveretur, consilia suorum evulgavit ut hostes qui eum captaverant propitios sibi redderet: — vellet fortasse quispiam eum vultu immoto et tacitum hostium telis tetendisse guttur, sed heros Homericus fuit, non Romanus; Iliadem nunc legimus, non Livium. Diomedes vel Ulixes si ab hostibus subito fuisset captus, haud aliter se gessisset. Iis

1) Cf. vs. 236—239.
2) Cf. vs. 240.
3) Cf. δ 242 sqq.
4) Hoc valet *τείδος κακός* vs. 316.
5) Cf. vs. 317.
6) Cf. Ω 399 sq. et N 669 Ψ 297.
7) Cf. vs. 319.

Digitized by Google

quibus Homerus cecinit quin et laude dignissimus Dolon fuerit visus et commiseratione, non est dubitandum. Itaque non sequemur eos qui poetae verba de Dolone tum, cum Ulixem et Diomedem audivit a tergo sibi irruentes, subsistenti:

τέλπετο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀποστρέψοντας ἑταίρους
ἐκ Τρώων ἴμεναι, πάλιν Ἕκτορος ὀτρύναντος [1])

sic interpretantur: *sperabat enim fore ut revocaretur ab expeditione periculosa,* notam ignaviae immeritissimam ei adspergentes, sed: *putabat,* quae verbi τέλπεσθαι passim est vis. Quod quidni putaret Dolon? Nam hostes sibi a tergo esse, hostes in se incurrere ab ea parte ubi erant castra Troianorum, id suspicari non potuit.

Dolonem autem cum laudamus, simul laudamus Diomedem et Ulixem λόχονδε audacter ἰόντας, quod multo maioris fuit fortitudinis et laudem multo maiorem ferebat quam ἅμα λαῷ θωρηχθῆναι [2]). De quibus iniquissime profecto iudicarunt qui stragem ea nocte inter Thraces editam facinus heroibus indignum vocarunt: homines inermes per somnum trucidare sicariorum esse, non regum fortissimorum. Sic sane nobis videtur domi placide desidentibus, sed aliae sunt et semper fuerunt leges πολυάϊκος πολέμοιο. Ergone parcere illi debebant hostibus, quos interficere possent? Sic Boëros paucis annis abhinc bellum gessisse audimus — et devicti sunt illi neque iis pepercerunt hostes. Dormientes perimere turpius fuit quam circa ignem sedentes eminus sagittis — vel hodie glandibus plumbeis — petere? An e somno eos prius excitare debebant, ut male armati et duo multis milibus oppositi certissimae morti se offerrent? Immo laude ipsiusque Minervae praesidio dignissimos poeta duxit viros qui imperterriti adierunt hostes, regem Thracem cum multis sodalibus necarunt, bigas ei eripuerunt, salvi ad suos redierunt, et sic animum Achivis despondentibus adeo refecerunt ut prima luce in aciem strenue denuo se accinxerint omnes, ἄλληκτον πολεμιζέμεν᾽ ἠδὲ μάχεσθαι cupientes [3]). Bellum Homerus cecinit, bellum verum, bellum crudele, bellum horridum; bellatores celebravit fortissimos, at eosdem et nunc et

1) Cf. vs. 355 sq.
2) Cf. A 226 sq. N 277 sq.
3) Cf. Λ init.

Digitized by Google

semper saevissimos in hostes. Moribundos illi irridere solent, mortuorum corporibus insultare: eorundem fuit catervam hostium inermem iugulare nec commiseratione intempestiva moveri. Hanc ob causam qui Doloneam minus laudat, is totam Iliadem e manibus ponito, nam eandem ubique haec habet belli imaginem immitissimam.

Quidlibet videlicet in hostes sive vivos sive mortuos licitum sibi duxerunt heroes illi, quos poeta pinxit. Etiam mendaciis et, si opus esset, vel iure iurando eos decipere. Itaque ad Dolonem supplicem „μή τί τοι θάνατος καταθύμιος ἔστω" Ulixes ait: *noli mortem expectare; mitte ista* [1]). E quibus verbis cum Dolon effecisset *non esse sibi quod metueret* et omnia quae scire illi volebant iis narrasset, non tamen intercessit Ulixes quominus a Diomede Dolon iugularetur [2]), verum sic nepotem se praestans Autolyci illius, qui cunctos olim aequales cum furandi [3]) tum fallendi et peierandi [4]) arte superaverat. Nempe quod ipsos Olympios non dedecebat [5]), quidni et mortales deceret!

De Ulixe et Diomede *equorum dorso* in castra vectis supra breviter disputavimus [6]); nunc pauca sunt addenda. Nam saepe dubitatum est reverane hoc voluisset poeta, an *curru* usos esse; et quoniam is qui nuper Doloneam singulari cura et sollertia spisso utilissimoque libro tractavit, vir doctissimus Shewan [7]), posteriorem rationem magis probavit, dicere me oportet quibus causis adductus hac de re ab eo dissentiam.

Putat igitur ille — et multi ante eum putarunt — locutionem ἵππων ἐπιβαίνειν, quae ceteris locis Homericis cunctis significat *currum conscendere*, nostro loco [8]) non posse accipi sensu *dorsum equorum conscendendi*, cum praesertim de uno Diomede, qui non nisi uni equo potuit insidere, nunc usurpetur. At sic potius videtur

1) Cf. vs. 383.
2) Cf. vs. 446—456.
3) Cf. K 266 sq.
4) Cf. τ 395—397.
5) Cf. Iuno O 41—44 vel Iuppiter B init.
6) Cf. Mnem. 1911 p. 360.
7) *The Lay of Dolon*, 1911, qui liber supra p. 65, 2 est laudatus.
8) Cf. vs. 513 et 529.

Digitized by Google

esse argumentandum: in carminibus epicis *equos conscendere* sensu translato dici solent qui conscendunt *currum duobus equis vectum*, proprium vero sensum ea locutio servavit uno eo loco ubi ipsa res tulit ut homines equorum dorso insidere dicerentur. Quod autem plurali numero usus est poeta, cum accuratius loquentis fuisset dicere: Diomedem dorso alterius equorum duorum colligatorum insiluisse, id aequo animo est ferendum.

Fac vero alteram rationem esse sequendam, currum igitur a Diomede et Ulixe cum equis esse abreptum: quomodo interpretabimur verba quibus Ulixes equos arcu feriisse dicitur, quia flagrum e curru sumere neglexisset [1])? Quomodo Diomedem, postquam Ulixes equos ἵμασι συνήειρε, dubitantem an currum vi brachiorum protraheret vel efferret [2])? Quomodo eundem, cum in medio itinere cohibitis equis in terram descendisset, ut secum sumeret spolia Dolonis ex tamarisco suspensa, Ulixi habenas manu tenenti ea spolia porrigentem [3]), non currui cum ipsis spoliis insilientem? Potuisset tamen: non poterat dorso equi plenis manibus insilire. Quomodo denique — quod longe gravissimum videtur argumentum — fieri potuit ut equos cum admirarentur reges Achivorum circumstantes, ne uno quidem verbo dignarentur currum χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ εὖ ἡσκημένον ipsave Rhesi arma aurea, quae in curru iacebant [4])?

Manet igitur quod statui solet: arma illa splendida currumque pretiosum Diomedes invitus reliquit hostibus a Minerva admonitus; equorum dorso vecti sunt Diomedes et Ulixes; Rhesi tragoediae auctor Homerum recte est interpretatus [5]).

Ulixes igitur, Minervae alumnus, qui domi artis equestris peritus fieri non potuerat, equos enim Ithaca non alebat [6]), huic quoque artificio haud tamen imparem nunc se ostendit; Diomedem autem puerum et saepius postea dorso equorum insedisse libenter credimus.

Sic vero statuentibus unus versus manet incommodus:

---

1) Cf. vs. 500 sq., 514.
2) Cf. vs. 499—505.
3) Cf. vs. 527—529.
4) Cf. vs. 438 sq. et 504.
5) Cf. Rhes. 783.
6) Cf. δ 601 sqq.

Digitized by Google

'μάστιξεν δ' ἵππους, τὼ δ' οὐκ ἀτέκοντ' ἐπετέσθην [1]).

Nam flagellare equos Diomedes sine flagro qui potuit? Sed versum hunc formularem et alibi haud uno loco usurpatum quominus deleamus in contextu nihil obstat, proximus autem versus, qui item est formularis, in melioribus codicibus omittitur neque defendi potest nisi virum doctissimum Agar secuti artificiosius sic interpungimus:

'μάστιξεν δ' ἵππους — τὼ δ' οὐκ ἀτέκοντ' ἐπετέσθην —
νῆας ἐπὶ γλαφυράς, τῇ γὰρ φίλον ἔπλετο θυμῷ,

ad viros, non ad equos, sic referentes adiectivum *φίλον* [2]). Satius igitur est utrumque delevisse, quam verbum *μαστῖξαι* poetae neglegentiae tribuere.

Λ 192—194 = 207—209. Iuppiter Iridem ad Hectorem mittit nuntiam, ut eum iubeat tam diu impetum suum cohibere quamdiu praelio intersit Agamemnon; at is cum vulneratus in currum suum recesserit [3]),

τότε τοι κράτος ἐγγυαλίξω
κτεινέμεν', εἰς ὅ κε νῆας ἐϋσσέλμους ἀφίκηται
δύῃ τ' ἠέλιος καὶ ἐπὶ κνέφας ἱερὸν ἔλθῃ.

Per reliquam igitur diei partem Troianis promittitur victoria. Atqui a Patroclo hodie repellentur! Falsane igitur dolo malo Iuppiter Hectori sciens promittit? An carminum diversorum postmodo consutorum hic agnoscitur vestigium? Neque hoc neque illud. Ex parte sane non vera sunt quae dicuntur, vel potius non vera nobis videntur, quia non omnia dicit Iuppiter quae dici poterant: tacet de Patroclo aliquantisper victore futuro. Sed caedet hunc Hector, dein Troiani castris denuo instabunt, et sub solis demum occasum aufugient Achillis adspectu perturbati [4]). *Rei* igitur *summam* si spectamus, falsi nihil est in Iovis verbis: usque ad huius diei finem Troiani campum obtinebunt, et per varias pugnae vices superiores tandem evadent.

Simili sermonis neglegentia postea usa Thetis et de eodem die locuta, sed ita rem narrans ut *Achivorum*, non *Troianorum*

1) Cf. vs. 530.
2) Aliter loco parsi'elo, Λ 519 sq.
3) Cf. Λ 284 sqq.
4) Cf. Σ 207—242.

Digitized by Google

laudem augeret, „Achivi" ait „per totum hunc diem prope portam Scaeam pugnarunt" [1]); ad quam portam bis accesserunt, prius duce Agamemnone [2]), dein Patroclo [3]), bis tamen magna cum clade repulsi.

Λ 528 sqq. Cebriones Hectoris fratris auriga eum hortatur ut eo tendat

ἔνθα μάλιστα
ἱππῆες πεζοί τε κακὴν ἔριδα προβαλόντες
ἀλλήλους δλέκουσι, βοὴ δ' ἄσβεστος ὄρωρε.

Itaque e praelii parte sinistra prope ripam Scamandri [4]), ubi pugnabat, illuc ruit ubi tunc Troiani in maximo periculo versabantur, ibique aciem mox restituit. At modo audiveramus in ipso illo cornu sinistro μάλιστα πεσεῖν ἀνδρῶν κάρηνα, βοὴν δ' ἄσβεστον ὄρθαι [5]). Cavendum autem ne inter se pugnare haec arbitremur; altero loco poeta verborum quibus priore usus fuerat fortasse non fuit memor: si fuit, noluit tamen eos inter se conferri. Prius dixit prope Scamandrum aliquantisper longe vehementissime fuisse dimicatum, illinc Nestore et Idomeneo, hinc Hectore et Paride copias ducentibus; dein, cum vulneratus esset Machaon et Nestor cum eo in castra rediisset ceterique Achivi recederent [6]), Cebriones fratrem adhortatus est ut iam in aliam partem aciei properaret, ubi verendum erat ne superiores fierent Achivi duce Aiace. Particula autem μάλιστα posteriore loco cum utitur Cebriones, non totam pugnam cogitat, sed de ea campi parte, quam Hectorem petere iam iubet, loquitur sola: *eo irruamus ubi longe densissima est turba pugnantium.* Et nos illuc festinemus et in mediam turbam nos iniciamus.

Similis observatio infra erit facienda [7]).

Λ 648 sqq. Misit Achilles Patroclum ut percontaretur quid fieret in planitie, ubi sine ipso pugnabant eius socii et amici, a quibus iam abstinebat irae indulgens. Nam in praelium volare quam maxime cupiebat Achilles, sed

1) Cf. Σ 453.
2) Cf. Λ 181.
3) Cf. Π 698 sq.
4) Cf. Mnem. 1911 p. 365 sq.
5) Cf. vs. 499 sq.
6) Cf. vs. 504 sqq.
7) Cf. pag. 83 sq. de N 740 et 751.

Digitized by Google

θέλων μέν, οὐ θέλων δέ, βουλόμενος δ' ὅμως,

nolebat nisi Achivi supplices prius ad eius pedes procubuissent [1]); quod fore iam sperabat, si modo satis gravi clade illi afficerentur.

Nestorem igitur Patroclus adiit, in ostio huius herois tabernaculi adstitit, sed ut intus consideret a Nestore invitatus respondit:

οὐχ ἕδος ἐστί, γεραιὲ διοτρεφές, οὐδέ με πείσεις.
αἰδοῖος νεμεσητὸς ὅ με προέηκε πυθέσθαι
ὃν τινα τοῦτον ἄγεις βεβλημένον· ἀλλὰ καὶ αὐτὸς
γιγνώσκω, ὁράω δὲ Μαχάονα ποιμένα λαῶν.
νῦν δὲ ῥέπος ῥερέων πάλιν ἄγγελος εἶμ' Ἀχιλῆϊ.
εὖ δὲ σὺ ῥοῖσθα, γεραιὲ διοτρεφές, οἷος ἐκεῖνος.
δρεινὸς ἀνήρ· τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιάοιτο.

Noluit igitur Patroclus cum Nestore et Machaone διαπινεῖν. Non tamen abiit, nam indignatus Nestor: „ergone unum Machaonem curat iste?" rogavit: „optimus quisque iam est vulneratus, ego autem senex sum tardior; o mihi praeteritos referat si Iuppiter annos!" — et fuse, suo more, enarrat facinus generosum prima iuventute a se perpetratum. Dein Patroclum adhortatur ut ipse ab Achille veniam petat Achivis succurrendi.

Ea omnia dum senex protulit, Patroclum apud eum commorari necesse fuit; dein iterum Patroclus detentus est, in via enim offendit Eurypylum femur sagitta transfixum vix ducentem et sanguine perfusum, cui ut sibi mederetur petenti — vulneratum enim esse Machaonem, alterum autem medicum Podalirium in praelio versari — opem tulit, dolores eius aliquantisper allevavit, tum demum ad Achillem rediit.

Graviter — at immerito! — haec carminis pars a multis est vituperata; inepti enim nuntii fuisse in tanta festinatione animique perturbatione tam diu tempus terere.

Nempe citius sane, si licuisset, ad Achillem rediturus erat Patroclus, et impatienter eum Nestori aurem praebuisse si quis sibi fingit, fortasse nequit refelli; at non praebere, id fuisset ultimae rusticitatis, dein autem ipsa humanitas eum iussit Eurypylo in maximo vitae periculo versanti succurrere; nullus enim aderat medicus qui gravissimum vulnus sanaret. Quid

1) Cf. vs. 609 sq. et Mnem. 1911 p. 430 sq.

Digitized by Google

autem detrimenti afferre poterat mora? Fieri poterat ut interim irasceretur Achilles, sed quid tum postea? Quid se detinuisset Patroclus huic dicturus erat. Nestor autem quidni eum detineret? Nihil eum habere quod ageret probe sciebat senex, Achivis enim auxilium ferre neque ei neque ceteris Myrmidonibus per Achillem licere. Achivis igitur nocere Patroclus non potuit apud Nestorem et Eurypylum aliquantisper commorando, poeta autem requirebat temporis aliquid, per quod Achivis tantopere cresceret periculum ut Patroclus ad Achillem redux optimo iure posset perhibere, actum de iis esse nisi iam succurreretur, et ipsius Achillis navibus atque tabernaculis instare perniciem. Aggeris enim portam Troiani interim effregerunt, in ipsa castra penetrarunt, naves incendere coeperunt, — et tum demum ad Achillem Patroclus pervenit [1]), utque sibi liceret Achivis opem ferre flebilibus verbis ab eo petivit.

Machaonis vulnerati nullam tum ab utrovis factam esse mentionem nemo mirabitur; multo enim graviora erant referenda.

M 3—36. *οὐδ' ἄρ' ἔμελλε*
τάφρος ἔτι σχήσειν Δαναῶν καὶ τεῖχος ὕπερθε
εὐρύ, κτὲ.
ὄφρα μὲν Ἕκτωρ ζωὸς ἔεν, ...
τόφρα δὲ καὶ μέγα τεῖχος Ἀχαιῶν ἔμπεδον ἦεν·
αὐτὰρ κτὲ.
ὡς ἄρ' ἔμελλον ὄπισθε Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων
θησέμεναι. τότε δ' ἀμφὶ μάχη ἐνοπή τ' ἐδεδήει
τεῖχος ἐὺ δμητόν.

Multis criticis haec pericope suspicionem movit et inter recentissimas fere Iliadis partes haberi solet. De qua qui vult disputare, ante omnia debet secum decernere quid censeat de versu 15:

'πέρθετο δὲ Πριάμοιο πόλις δεκάτῳ ἐνιαυτῷ,

et de versu 23, ubi ad Simoentem *ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν* cecidisse dicitur.

In illo molesta sunt imperfectum et decennii mentio, itaque aut, quae mea est opinio, delendus est utpote spurius, — neque omissus desiderabitur, — aut sic e. g. corrigendus:

1) Cf. O 390—404 et Π init.

Digitized by Google

καὶ πόλις εὐρυάγυια διεπράθετο Πριάμοιο [1]),

in hoc autem ferri nequit vocabulum ἡμίθεοι apud Homerum alibi non obvium et ab ipsis eius notionibus alienum; non enim norat ille semideos. Sed errori describentium, non dictioni aevi recentioris, id tribuendum videtur, poeta autem dedisse ἡϊθέων.

Quicquid id est, non satis valent duo haec crimina ad totum in quo versamur locum infamia afficiendum. Ipsi Iliadis poetae hi versus quin debeantur nullus dubito. Rogantibus videlicet qui tandem esset factum ut tanti munimenti nulla etiam in Troadis littore comparerent vestigia, ubi tumuli tamen priscorum heroum extarent complures, respondere poeta voluit, vel si quis mavult, ipse sibi respondit roganti. Narravit igitur Achivos dis invitis castra vallo munivisse, hos igitur id delevisse post belli finem. Sic priscam materiem in suum usum, ut solebat, conformavit. Nam opus illud numinibus propterea invisum fuisse ait quod Achivi eo peracto θεοῖσιν οὐκ ἔδοσαν κλειτὰς ἑκατόμβας [2]), in antiquioribus vero carminibus etiam sine eiusmodi causa ira mota fuerat dis — non omnibus quidem, sed iis qui Troiae favebant, Apollini igitur Pergameno, Iovi Troiano, Neptuno Iliaco vel Dardanio; item Marti, Veneri, Minervae Iliacae, si horum quoque in priscis illis poematis aliquae partes fuerunt. Itaque Neptunus Iuppiter Apollo, vel potius — ut triplex illud numen uno nomine designemus — deus Troianus aggerem illum delevit, ut primum hostes peregre advecti ipsaque eorum numina Troianis potentiora regionem vastatam reliquerunt. A Neptuno autem eo, quem Ilias exhibet Achivos adiuvantem, ut et a Iove Olympio vel ab Apolline Achivo, eiusmodi studium cum esset alienissimum, poeta, diversa — ut solebat et ut poterat — inter se concilians, irae causam his caelitibus tribuit religionem laesam; at Neptunus is, qui Troiae moenia struxerat [3]), et Iuppiter is qui in Gargaro Idae culmine colebatur, vallo Achivorum non potuerunt non esse infesti. Neptunus igitur tridente — quod *fulmen* fuit olim [4]), aptum igitur etiam in terra telum —

1) Cf. Mnem. 1910 p. 372.
2) Cf. vs. 6 = H 450.
3) Cf. H 452 sq. Φ 446 sq.
4) Cf. Ξ 385 sq.

Digitized by Google

aggerem illum συνετριαίνωσε [1]), dein Idae flumina adiuvantibus imbribus caelestibus celsum mortalium opus coenum fecerunt et in mare detulerunt liquefactum.

Sic poeta ὁ πλάσας τὸ τεῖχος ἠφάνισεν, ut Aristotelis verbis [2]) utamur, et ita quidem ἠφάνισεν ut laude poetica minime careant versus quibus pinxit deos hominum laborem ad irritum redigentes. Tam priscae autem sunt notiones quae sub horum versuum verbis latitant, ut haudquaquam credibile videatur eos non ipsi Iliadis poetae deberi, sed postmodo esse insertos.

Nam, quod iam diximus, nostro poeta antiquior est notio dei Troiani flumina Troiana in hostes hostiumve munimenta contorquentis. Similis est notio fluvii Troiani heroem Achivum insectati, quae poetae Iliadis praebuit splendidum argumentum Achillis a Scamandro fugati [3]). Magis etiam simile est quod libri Υ initio narratur, Iovem in aedes suas convocasse deos, et cunctos tunc *fluvios*, cunctas *Naiades* illuc convenisse: haec sola videlicet nominatim ibi commemorantur numina. Cur vero? Cur et illi omnes in aedes Olympias venerunt? Pro monte Olympo cogita montem Idam et de ope Troianis ferenda delendisque Achivorum munimentis deliberari sume: omnia fient clara et perspicua: deus *Idaeus suos fluvios* — Rhesum, Heptaporum, Caresum, ceteros, qui initio libri Μ enumerantur [4]) — atque ipsas *fontium Nymphas* Troianis opitulari, hostes repellere iubet.

Priscam originem luculenter etiamnunc testantur Iovis ad deos in ipsius aedes [5]) convocatos verba:

νῦν ἄγχιστα μάχη πόλεμός τε δέδηε [6]).

Nam proximus Troiae fuit *Ida*, non *Olympus*, ubi di nunc congregati esse dicuntur. Ad *tempus* autem, non ad *locum* referri adverbium ἄγχιστα, ut pugna *proxime instare* dicatur, lingua non sinit.

Idem testatur id quod de *Oceano* dicitur, solum hunc deorum illi concilio non adfuisse [7]). Hic enim non in *monte* aliquo est

1) Quo verbo utitur e. g. Ar. Pac. 570.
2) Apud Strab. 598.
3) Cf. Φ 130—138, (184—199), 211 sqq.
4) Cf. Μ 20—22.
5) Cf. Υ 6.
6) Cf. Υ 18.
7) Cf. Υ 7.

Digitized by Google

ortus, non fuit διοτρεφής vel διιπετής, ut cum Iliadis poeta loquamur, sed ἀψόρροος terrae orbem ambibat. *Scamandrum* vero sive *Xanthum* ἀθάνατος τέκετο Ζεύς. Quod licet de cunctis fluviis dicere potuerit noster poeta, cui Iuppiter erat deus Olympius imbres in terras mittens et his flumina alens, de solo tamen Scamandro dixit [1]), sic usus prisca locutione, quae primitus significaverat *amnem Troianum e monte Troiano oriundum* sive *Idae dei filium.*

Quod autem Apollo tum, cum Hectorem in castra reduxit et viam ei aperuit, fossam et aggerem paucis pedum ictibus solo aequavit [2]), quodve iam prius ἐρείφθαι dicitur τεῖχος Ἀχαιῶν [3]), id neminem morari debet. Nam hoc loco nihil nisi ab hostibus superatus, victus, violatus agger esse dicitur [4]), illo non totum aggerem totamve fossam delevisse dicitur Apollo, sed μακρὴν καὶ εὐρεῖαν κέλευθον Troianis fecisse. Achivos autem damna, quae hostes et ipse deus eorum munimentis intulissent, reparavisse ut primum Troiani a Patroclo repulsi, dein ab Achille victi sunt, non dixit quidem poeta, — eiusmodi quisquiliis immorari dedignatus, — sed per se intellegitur; et ipsum quoque poetam id voluisse testatur Iliadis finis, ubi Mercurius non per patentem aliquam aggeris deiecti partem sed per ipsam portam in castra Achivorum adducit Priamum.

Talia neglegentius tractare et multa tacite praetermittere est poetarum, non est eorum qui opera aliena interpolant. Hi potius solent operam dare sollicitam ne inter se discrepent quae coniunxerint. Non commisisset recentioris aevi homo, qui priscorum carminum fragmenta conglutinaret, ut „cecidisse aggerem" cum in his invenisset, postea aggerem illum ab Apolline deiectum esse dici sineret, neque ut postea bene clausum eundem ostenderet, nedum carmini, quod ipse e carminum antiquiorum laciniis effecisset, de suo versus insereret aliquot, quibus agger ille post bellum a dis denuo deletus esse diceretur.

N 458—462. Pugnatur ante portam valli a Troianis effrac-

1) Cf. Ξ 424.
2) Cf. Ο 355—366.
3) Cf. Ξ 14 sq.
4) Cf. pag. 84 sq.

Digitized by Google

tam; pars Troianorum duce Hectore per illam in castra irrupit, ceteri interim ab Idomeneo in campum apertum repulsi male mulcantur [1]). Novas copias iam anquirit Deiphobus, qui recedentibus succurrant:

ὣδε δέ τοι Φρονέοντι δοάσσατο κέρδιον εἶναι,
βήμεν' ἐπ' Αἰνείαν. τὸν δ' ὕστατον ἠὗρεν ὁμίλου
ἑσταότ'· αἰεὶ γὰρ Πριάμῳ ἐπεμήνιε δίῳ,
οὕνεκ' ἄρ' ἐσθλὸν ἐόντα μετ' ἀνδράσιν οὔ τι τίεσκε.
ἀγχόθι δ' ἱστάμενος τέτρεα πτερόεντα προσηύδα· κτέ.

Hoc loco quae de Aenea narrantur, plane non conveniunt cum facinoribus fortissimis, quae Aeneas per ceteram Iliadem passim perficit, haud cunctanter neque Hectori aliisve Troianis infensus. Sunt igitur intolerabilia haec; sed cavendum ne tota vicinia hanc ob causam suspecta habeatur. Duo versus soli sunt reiciendi, vs. 460 sq.: ἑσταότ' — τίεσκε. Hos ipsi poetae deberi non est credibile, sed apparet postmodo additos esse, ut indicaretur causa quae effecisset ut Aeneas, heros fortissimus, non in densissima turba pugnantium sed ὕστατος ὁμίλου esset quaerendus. Ipse poeta nihil eiusmodi voluit, sed rei causam supra [2]) indicavit: Troianorum aciei *primae* praefuisse Hectorem, *tertiae* Deiphobum, *quartae* vel *ultimae* — nam quinta fuit sociorum — Aeneam. Ad triarios iam devenit res.

Spurios autem illos versus duos qui inseruit, unde duxerat? E libro Υ, ubi Achilles cum Aenea congressurus „cur me petis?" rogat:

ἦ σέ γε θυμὸς ἐμοὶ μαχέσασθαι ἄνωγε
γελπόμενον Τρώεσσι γαναξέμεν' ἱπποδάμοισι
τιμῆς τῆς Πριάμοι'; ἀτὰρ εἴ κεν ἔμ' ἐξεναρίξῃς,
οὔ τοι τούνεκά γε Πρίαμος γέρας ἐν χερὶ θήσει·
εἰσὶν γάρ τοι παῖδες, ὃ δ' ἔμπεδος οὐδ' ἀεσίφρων [3]).

Horum versuum qui memor erat, potuit sibi fingere ipsum nunc Aeneam similia secum reputasse et eam ob causam in tuto remanere maluisse quam strenue pugnare.

Nihil tamen in Achillis quae attulimus verbis est unde effi-

1) Cf. vs. 362, 384 sqq., 674—680.
2) Cf. Μ 88—100.
3) Cf. Υ 179 sqq.

Digitized by Google

ciatur Aeneam Priamo eiusve liberis minus fuisse benevolum. „Vitae periculum cur subis? Quid tibi proderit si me viceris?" Achilles rogat, nihil amplius.

N 751—753.

Πολυδάμαν, σὺ μὲν αὖθι ἐρύκακε πάντας ἀρίστους,
αὐτὰρ ἐγὼ κεῖσ' εἶμι καὶ ἀντιάω πολέμοιο·
αἶψα δ' ἐλεύσομαι αὖτις, ἐπεί κ' εὖ τοῖσ' ἐπιτείλω.

Haec Hectoris verba ne quis non recte interpretetur et totam hanc carminis partem male compositam esse propterea putet, aliquid est periculi. Nam et in proxima vicinia πάντες ἄριστοι commemorantur [1]), sed non idem qui hoc loco viri illic sunt intellegendi. Breviter enarrandus est contextus.

Haec igitur iam est pugnae facies. Hector cum parte militum per portam effractam in castra Achivorum irruit ibique fortia facinora edidit plurima [2]). Interim Achivi a Neptuno instigati duce Idomeneo aliam exercitus Troiani partem per portam foras reppulerunt et ceteros Troianos ante fossam expectantes adorti sunt [3]). Itaque Deiphobus Aeneam cum eius copiis advocavit [4]), plures autem cum utrinque accurrissent, Troiani ab ea parte superiores fieri non potuerunt, Neptunus enim Achivos stimulare pergebat.

Interim Hector intra castra frustra auxilium a suis expectabat,

οὐδέ τι ϝείδει
ὅττι ῥά ϝοι νηῶν ἐπ' ἀριστερὰ [5]) ϝᾐϊόοντο [6]).

Magis autem magisque ei instabant Achivi, moxque cum suis λευγαλέως κε νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων ϝχώρησεν [7]), nisi Polydamas ei suasisset ut solus per portam retro festinaret, dein novas copias in castra adduceret; ipsum interim Polydamantem et reliquos loco non cessuros: aliquantisper se aditum portae etiam servare et Achivorum in se irruentium impetum retundere posse.

---

1) Cf. vs. 740.
2) Cf. M in fin., N 674—680.
3) Cf. H 208 sqq., 362.
4) Cf. noster locus.
5) De hac locutione cf. Mnem. 1911 pag. 36.
6) Cf. N 675.
7) Cf. vs. 723 sq.

Digitized by Google

„*Tu igitur*" Polydamas ait „*ἀναχασσάμενος κάλε' ἐνθάδε πάντας ἀρίστους*" [1]), i. e.: „per portam propera ad milites nostros ante vallum adstantes, et inde fortissimum quemque huc advoca".

Prudens consilium, — in ea quidem artis strategicae infantia! — nam uni Hectori tantum erat auctoritatis ut ceteros in hostem urgere posset. Haud dissimile consilium in libro Z Hectori dedit Helenus [2]).

Obtemperat Hector Polydamanti, et dum abit, ea verba dicit de quibus disputandi initium fecimus, Polydamantem igitur *αὖθι* sive *eo loco ubi verba fecerunt*, intra castrorum portam vel in ipsa porta, iubet *ἐρυκακεῖν πάντας ἀρίστους* sive *cavere ne cedant fortissimi illi Troiani*, qui Hectorem et Polydamantem primo impetu illuc sunt secuti: Cebriones, Phalces, Orthaeus, Polyphetes, ceteri [3]). Provolavit Hector, sed solum Paridem huiusque milites potuit secum adducere, nam alii principes caesi erant (Othryoneus Asius Alcathous Adamas Harpalion Pisander), alii vulnerati (Deiphobus et Helenus); ipse autem Hector cum mox ab Aiace vulneratus et a suis ad Scamandrum abductus esset, Troiani aliquantisper cesserunt, donec ab Apolline sanatus Hector eos denuo in victoriam duxit.

In Polydamantis igitur ore *πάντες ἄριστοι* sunt fortissimi ex iis Troianis qui extra castra versantur, in ore Hectoris heroes illi, qui in castra cum ipso penetraverunt. Maiorem ambitum hic tribuit superlativo, *cunctorum* enim Troianorum fortissimos dixit.

Similis igitur inter hos duos locos obtinet ratio atque inter Λ 528 et 499, de quibus versibus supra disputavimus [4]).

Ξ 14 sq. Nestor cum armatus e tabernaculo prodiit, *τέργον ἀρειικές* vidit in castris: Achivos turbatos, Troianos autem ducibus Hectore Paride Cebrione aliis eos urgentes;

ἐρέριπτο δὲ τεῖχος Ἀχαιῶν.

Ad hostes igitur arcendos non satis validus fuit agger, quem

---

1) Cf. vs. 740.
2) Cf. Z 73 sqq.
3) Nominatim indicati sunt vs. 790—792.
4) Cf. pag. 76.

Digitized by Google

ipso Nestore auctore Achivi navibus et tabernaculis praetenderant. Itaque mox ad Agamemnonem ille: τεῖχος κατερήριπεν, ᾧ ἐπέπιθμεν [1]).

Quomodo vero *cecidisse* dici nunc potest agger, per quem mox Apollo Troianis aditum est praebiturus ῥεῖ' ὄχθας καπέτοιο βαθείης καὶ αὐτὸ τὸ τεῖχος ποσσὶν ἐρειπὼν ὡς ψάμαθον συγχέει πάϊς ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων [2])?

Nihil nunc prodest causari interpolantium neglegentiam; nam si inter se pugnant Ξ 15, 55 et O 361 sqq., fugere id neminem potuit, quoniam alter alteri nimis vicinus est locus. Sed per metaphoram dictum nunc verbum ἐρείπειν — ut alibi ἐξαλαπάζειν — non *deicere* sed *expugnare* valere apparet [3]), quemadmodum et nos *cecidisse arcem* („de vesting is gevallen") dicimus cum *captam* vel *expugnatam* significare volumus.

Ξ 153 sqq. De Iliadis ea parte, quae Iovem a Iunone deceptum habet, quid censerem pridem significavi [4]); sed et nunc haec quaestio breviter est exponenda.

Iliadis poetae Iuno est uxor Iovis, regina caelestis, in Olympo cum rege marito habitans. Sed priscis illis poetis, quorum carmina materiem Iliadis praebuerunt, Iuno dea Argiva fuit, dei Idaei sive Troiani adversaria. Haec dea cum nihil intentatum reliquisset ad gentis suae hostes ipsumque hostium deum superandum, tandem in summo rerum discrimine armis vere muliebribus usa sui ipsius copiam ei fecit, ut Argivis Troianos devincendi fieret opportunitas cum ille in adversariae tam formosae quam fallacis ulnis iaceret, victus amore et suorum aliquantisper oblitus. Turpe hoc? Est sane turpe sic odio, non amore ad dulce opus impelli, et aconita cicutamque, non crocum vel hyacinthum terra debuit summittere ei quae sanctissimas leges naturae tam sceleste perverteret. Sed et humanum id est; in bello autem nulli non doli liciti haberi solent, et hominibus quicquid convenit, id dis quoque et deabus illis convenit, quos prisci poetae ipsis mortalibus nimis similes finxerunt.

1) Cf. vs. 55.
2) Cf. O 355—366.
3) Cf. pag. 81.
4) Cf. Mnem. 1906 p. 301 sqq. et Serti Naberici p. 226.

Digitized by Google

Vetusto hoc argumento ingeniose excogitato cum et Iliadis poeta vellet uti, ita est usus ut poterat. Non potuit autem ostendere deum Troianum deae peregrinae forma pellectum, subito amore incensum, amatorem supplicem factum derepente ex adversario acerrimo, neque potuit exhibere deam cum hostium deo pace fraudulenta inita ad congressum furtivum perduci se simulantem; nam coniuges caelestes ei erant Iuppiter et Iuno, matrimonio dudum iuncti, in aedibus Olympiis degentes; illic et noctes transigere solet Iuppiter, *παρὰ δὲ χρυσόθρονος Ἥρη*. Sed locorum discrimine ut aliquantisper certe eos seiungeret, alterum ex Olympo in Idae montis cacumen abiisse narravit, paucis autem horis post et Iunonem illuc venisse pulcherrime comtam et ornatam, fascia potestatis magicae ab ipsa amoris dea munitam; quo artificio maritum ita captavit ut Troiae et belli oblitus medio die in caecum amorem rueret, mox somno sopiretur. Illum autem concubitum cum celebravit Iliadis poeta, iis verbis est usus quae optime convenirent patris deorum cum uxore sive Caeli cum Terra congressui. Et fortasse — sed id sciri nequit — ipsos versus pulcherrimos, quibus narrationem inclusit, partim desumsit e carmine antiquiore, nuptias annuas Caeli patris et Terrae Matris celebranti.

Ξ 433. Primum hic commemoratur *ὁ τοῦ Ξάνθου πόρος*, cuius etiam *ἐν τῇ παραποταμίῳ μάχῃ* et in itinere Priami Achivorum castra versus fit mentio. Nunc Hector, quem Aiax saxo ingenti percussit, dicitur semianimis curru ex pugnae turba abductus esse a sodalibus, qui

ὅτε δὴ πόρον ἵξον ἐϋρρεέος ποταμοῖο,

humi illic depositum aqua affusa reficere sunt conati. In Iliadis autem exitu Priamus cum ex urbe in castra hostium veheretur, iumenta *ἔστησεν ἐν ποταμῷ ὄφρα πίοιεν* [1]), et cum domum rediret, Mercurius eum usque ad Xanthi vadum denuo comitatus esse dicitur [2]). Denique Troiani cum Achillem effugere conati sunt, cursu effreno ad vadum illud pervenisse dicuntur et partim ab eo in flumen esse compulsi [3]).

---

1) Cf. Ω 350 sq.
2) Cf. Ω 692—694.
3) Cf. Φ init.

Digitized by Google

Hos locos interpretes ita solent explicare ut iis qui e castris urbem vel ex urbe castra peterent flumen *transeundum* fuisse illic dicatur; dein autem mirantur quod illius vadi per ceteram Iliadem nullum sit vestigium, dum pugna huc illuc aestuat et modo Achivi ad urbem proximi accedunt, modo turmae Troianorum in castra Achivorum irruunt, et sic denuo apparere creditur quam male cohaereat Ilias, quam contrariae inter se sint huius carminis variae partes. Sed nihil eiusmodi voluisse poetam Iliadis persuasum est, et diagramma, quo anno abhinc tertio ostendere conatus sum qualis fere campi Troiani imago menti Homeri obversata fuerit, cum delinearem, etiam hanc quaestionem respexi; quapropter diagramma illud hic repetam:



Dein in libro Diderici Muelder, qui eodem fere tempore quo mea commentatio in lucem est emissus, laetus simile quid legi, qui tamen vir doctus non nisi dubitanter id protulit et ita ut improbaret potius quam commendaret [1]).

Non *trans Xanthum* sive Scamandrum sed *iuxta dextram fluminis ripam*, ubi et pugnae potissimum saevire solent [2]), iter fecit Priamus. Vadum Scamandri qui transibant, non urbem aut

1) D. Mülder die Ilias und ihre Quellen p. 224: „vielleicht schwebt auch dem „Dichter die Vorstellung vor, dass ein Flügel des ... Troerheeres in den in der „Flanke fliessenden Fluss gedrängt wurde, ... aber" u.s.w. Ubi et priora sunt conferenda.

2) Cf, Mnemos. 1911 pag. 365—367.

Digitized by Google

castra petebant, sed saltus montium. Hector autem illuc non eo consilio est delatus ut vado transmisso in urbem reduceretur, sed ut illo loco, ubi facilis ad undam esset accessus, adspersa aqua posset refici. Et Priamus iumenta illuc potum duxit quod aliorsum non potuit, quoniam per ripas altas et salebrosas ad fluvium non nisi illic erat aditus. Non transiit flumen, sed iumenta postquam biberunt, in eandem ripam reduxit, dein iter versus castra continuavit.

Sic rem expedientibus nihil remanet quod suspectum aut parum perspicuum videatur, neque est quod miremur Scamandri vadum in tot praeliorum descriptione non nisi semel commemoratum. Illo autem loco [1]) poeta quid dixit?

ὅτε δὴ πόρον ἵξον ἐϋρρεέος ποταμοῖο,
Ξάνθου δινήεντος, ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς [2]),
ἔνθα διατμήξας τοὺς μὲν πεδίονδ' ἐδίωκε
πρὸς πόλιν, ᾗ περ Ἀχαιοὶ ἀτυζόμενοι Φοβέοντο
ἤματι τῷ προτέρῳ, ὅτ' ἐμαίνετο Φαίδιμος Ἕκτωρ· —
τῇ ῥ' οἵ γε προχέοντο πεφυζότες, ἠέρα δ' Ἥρη
πίτνα πρόσθε βαθεῖαν ἐρυκέμεν· — ἡμίσεες δὲ
εἰς ποταμὸν τέλλοντο βαθύρροον ἀργυροδίνην,
ἐν δ' ἔπεσον μεγάλῳ πατάγῳ, βράχε δ' αἰπὰ ῥέεθρα,
ὄχθαι δ' ἀμφὶ περὶ μέγ' ἐρίαχον, οἳ δ' ἀλαλητῷ
ἔννεον ἔνθα καὶ ἔνθα, ἑλισσόμενοι κατὰ δίνας.

Troianorum igitur copiae cum pedestres tum equestres cum iuxta dextram Scamandri ripam fugientes pervenissent ad locum ubi vado illud flumen poterat transiri, quia leni clivo utrinque ibi assurgebant ripae ceteroquin salebrosae, — quod vadum in diagrammate nostro non est indicatum, sed haud procul ab Ili Aesyetaeque tumulis est quaerendum, — proximus a tergo eos adurgens Achilles effecit ut ingens illa hominum et equorum perturbatorum multitudo, quae hostem tam saevum quam celerem satis cito effugere non posset, cum a manu dextra viam aliquam salutis sibi patere videret, illuc partim se coniceret. Sed iter illud angustius quoniam omnes qui simul caeco nisu eo ruebant capere non potuit, mox obturatum nullum transitum

1) Cf. Φ 1—11.
2) De hoc vs. cf. pag. 81.

Digitized by Google

praebuit luctantibus, ceteri autem qui illuc se converterant alter alterum trudentes, viri equi, velites armati, in ipsas ripas praeruptas inciderunt, unde in fluctus sunt delapsi vel ultro se coniecerunt amentes. Sic die priore Troiani adspecto Patroclo, quem ipsum Achillem esse putabant, cum per portam castrorum foras ruere conarentur, hostibus instantibus satis cito recedere non potuerant, sed viae angustiis impediti magnam partem in fossam inciderant [1]).

Eos qui primi vadum illud petiverunt, incolumes ultra flumen in montium interiora pervenisse, unde noctu per semitas aliquas longo circuitu urbem repetere potuerunt, facile intellegimus, licet poeta ea de re tacuerit, nihil videlicet fugitivos illos curans. Qui vero extra vadum de ripae cautibus desiluerunt, in fluminis alveo veluti intra ingentem aliquam foveam capti — nam ardua utrinque assurgebant saxa riparum — mox cum fluctibus conflictantes ab Achille sunt trucidati.

Altera autem pars exercitus Troiani, quae per planitiem Troiam petebat [2]), — poteratne clarius a poeta dici viam per Scamandri vadum *non* versus urbem tetendisse, sed a planitie fuisse aversam? — quominus illuc perveniret prohibita est a Iunone, inimica implacabili. Quae nubem iis obtendit impenetrabilem, ἄρρηκτον, nebularum murum firmum et solidum, quales nubes sibi fingere solet poeta [3]). Itaque dum Achilles in alveo fluminis saeviit inter homines misellos qui illuc confugerant, cetera pars exercitus in tutum pervenire non potuit, — sic cavit poeta ne incredibilia narrare mox videretur auditoribus, — sed hostium impetum manere fuere coacti. Et brevi post ab heroe rabido sunt petiti [4]).

Clara hactenus et aperta mihi videntur omnia. Una res superest commemoranda. Nam fortasse rogaverit quispiam cur igitur in ultimo Iliadis libro Mercurius Priamum inde a Scamandri vado comitatus fuisse et usque ad illud vadum reduxisse dicatur. Ipsam senis viam per illud vadum tetendisse qui putant, respondebunt citra flumen ei pericula nulla fuisse,

1) Cf. Π 367—371.
2) Vs. 3—7. Cf. διατμήγειν etiam γ 291 sic usurpatum.
3) Cf. Ε 356 vel 749—751 vel Υ 150.
4) Cf. Φ 520 sqq.—fin.

Digitized by Google

sed agros ultra vadum ab Achivis fuisse infestatos. Nobis alia interpretandi ratio est quaerenda; quae inventu haud difficilis videtur. Deus, qui seni circa medium fere iter iumentis aliquid quietis praebenti apparuit, usque ad eundem locum eum reduxit, dein solum pergere sivit. Nihil amplius.

Π 40 sqq.

δὸς δέ μοι ὥμοιιν τεὰ τεύχεα θωρηχθῆναι,
αἴ κ' ἐμέ σοι ῥίσκοντες ἀπόσχωνται πολέμοιο
Τρῶες κτἑ.

A quaestione, quae est de compositione carminis, sedulo esse arcenda quae pertineant ad indagandam originem materiei, ex qua carmen est structum, nusquam clarius apparet quam in disputationibus quae de his, quae supra excripsimus, Patrocli ad Achillem verbis et omnino de armis Achillis a Patroclo indutis sunt habitae.

Nempe qui persuasum habebant Iliadem non integrum et sincerum esse carmen, sed carminum mutilatorum congeriem, nec non qui carmen brevius et simplicius postmodo manibus alienis adauctum et modo felicius modo infelicius exornatum esse, plurimam dederunt operam ut efficerent quale igitur priscae illius, quam postulabant, Achilleidis fuisset argumentum; quod ut agnosci posset, ex Iliade resecanda videbantur quaecunque minus necessaria illud epos haberet. Sic simplicissimum carminis primitivi argumentum hoc restabat: „Achilles vincit Hectorem". Patroclum autem quoniam aliunde adscitum neque primitus cum Achille coniunctum fuisse apparet, sequitur ut fabula, qua Achilles Hectorem *ad ulciscendum Patroclum* interfecisse dictus est, recentior ducatur quam ea quae Hectorem ab Achille interemtum — fortasse non in Troade sed in Thessalia interemtum — habebat. At etiam recentior — novi enim aliquid habet, quod cum cetera fabula minime necessario cohaeret, — debuit esse fabula quae Patroclum *Achillis armis indutum* in pugnam prodiisse tulit. Hactenus satis certa et aperta sunt omnia. At deinde ad *Iliadis compositionem* diudicandam hae cogitationes sunt adhibitae, et ita quidem adhibitae, ut plurimum tribueretur longae aetati, per quam fabula simplex sensim in hominum mentibus magis ornata esse credebatur, neglegeretur vero vis illa vegeta, quae in unius

Digitized by Google

cantoris ingenio fertili e germine exiguo carmen multiplex excrescere et efflorescere facit. In Iliade quia arte poetae sunt iuncta quae non ipsius naturae legibus cohaerebant, aevo recentiori, quam fuit ipsius poetae, artificiosa illa iunctura deberi est visa. Quia ratio ferebat ut in carminibus, quibus Achilles inter Graecos est celebratus, Patrocli olim nulla mentio facta esse crederetur, Patroclea ab Achilleide aliena est habita, sive altera pars Iliadis ab altera. Mox ipsa Patroclea an primitus armorum permutationem non habuisset rogatum est; et cum non habuisse videri responsum esset, sequebatur ut quae ad illam permutationem spectarent postmodo igitur inserta esse crederentur. Non potuisse igitur Hectorem arma Achillis Patroclo eripere, neque ipsum iis indui; non potuisse Thetidem filio suo nova petere a Vulcano; non potuisse hunc deum ostendi arma illa fabricantem neque Achillem a matre sibi allata induentem; non potuisse celebrari eundem Troianos inermem solo adspectu suo fugantem, sed postmodo ea omnia esse inserta, — et sic Ilias discerpebatur et e corpore formoso fiebat minutal.

At missis omnibus eiusmodi suspicionibus et axiomatis praeconceptis si quis rogat quid igitur in narratione Homerica quae est de morte Patrocli tantopere displiceat ut uni vero poetae tota tribui posse non videatur, responderi ei nequit, optime enim haec quoque carminis pars cohaeret, optime decurrit.

Dixit Achilles se arma non sumturum nisi in ipsius naves irruant Troiani. Verbis autem si stabit, mox actum erit de Achivis; nam Hectorem non ante ceteros hostes devictos et caesos ipsum Peliden aggressurum quivis sentit. At alium belli eventum fuisse priscae fabulae testantur: ergo, ut carmen apte deduci possit, permovendus est Achilles ad consilium mutandum. Precibus eum permovet qui permovere unus potuit, quoniam reges legati et senex praeceptor parum valebant: amicus. Et ne ab hoc quidem ita permovetur ut quae dixerit pro non dictis habeat: tantum neque Patroclus valet ad animum iuvenis pervicacis et ira efferati movendum; sed ipse certe Patroclus et milites Myrmidones quominus in ultimo rerum periculo — nam et Aiax ἔρκος Ἀχαιῶν iam recessit defessus [1]) — Troianos invadant

1) Cf. vs. 102 sqq.

Digitized by Google

Achilles non amplius intercedit. — „Arma igitur tua mihi commoda", Patroclus ait, „ut me adspecto te ipsum adspicere se credant hostes: facilius repellentur si Achillem in se incurrere putent." Prudentia haec sunt Patrocli verba; cui id quod petebat concedere poterat Achilles et verbis tamen stare. Et quam utilia peteret mox apparuit; nam cum Troiani

ἐπίδοντο Μενοιτίου ἄλκιμον υἱόν,
αὐτὸν καὶ θεράποντα, σὺν ἔντεσι μαρμαίροντας,
πᾶσιν ὀρίνθη θυμός, ἐκίνηθεν δὲ φάλαγγες,
τελπόμενοι παρὰ ναῦφι ποδώκεα Πηλεΐωνα
μηνιθμὸν μὲν ἀπορρῖψαι, φιλότητα δ' ἑλέσθαι·
πάπτηνεν δὲ τέκαστος ὅπῃ φύγοι αἰπὺν ὄλεθρον [1]).

Viderunt bigas caelestes subsequente Myrmidonum acie quincuplice in se irruentes, in curru stantem viderunt heroem armis plus quam humani splendoris indutum, viderunt ipsum illud Achillis κόρυθος μέτωπον ἐγγύθι λαμπομένης [2]), quae galea tum, cum Achivi oram Troadis primum obtinuerunt, hominibus per campos diffugientibus tantum terrorem incussit adspecta, — nec dubitarunt quin ipse Pelei filius in eos irrueret.

Etiam clarius sub vesperam huius diei apparuit quam prudenti consilio Patroclus Achillis arma sibi expetisset; tunc enim hostes vel inermis Achillis adspectu adeo sunt perterriti ut in caecam fugam confestim se conicerent.

Armis igitur divinis indutus praelium iniit Patroclus: cecidit, spoliatus est; hostes eius armis sunt potiti. Hactenus postquam progressa est narratio, cetera quae Ilias habet inde profluxisse mirari nemo potest; nam fieri vix potuit quin Hector divina illa arma indueret ipse, cum semel iis esset potitus; fieri vix et ne vix quidem potuit quin nova arma ἠφαιστότευκτα Achilli praeberentur aegre desideranti. Id vero admiratione est dignissimum, quod poeta materie, quam carminis argumentum ei praebebat, tam feliciter est usus.

Quod autem cum aliis et ego olim putavi, Achillis ad Patroclum verba

„δύσεο τεύχεα θᾶσσον, ἐγὼ δέ κε λαὸν ἀγείρω" [3])

1) Cf. vs. 278—283.
2) Cf. vs. 70 sq.
3) Cf. vs. 129.

Digitized by Google

superesse ex eo tempore quo epos armorum permutationem nondum haberet, id nullius momenti esse argumentum nunc intellego. Voci τεύχεα mente praemittendus est articulus, quo dictio epica uti non solet. „Quin igitur indue arma quae petiisti, ego tibi concessi" [1]) Achilles ait.

Et quod in priscis scholiis vituperatur, recentiore quoque tempore multis improbatum, Hectorem praelio aestuante aliquantisper recessisse ut arma Patroclo ademta indueret ipse [2]), id iusto crimini obnoxium esse non videtur. Prisca quidem fabula, qua poeta noster usus est, nihil eiusmodi potuit habere, sed ut de suo id adderet eum movit armorum permutatio, quae ab ipso videtur esse inventa. Simili ratione Hectorem primo praelio aestuante ex acie aliquantisper dimisit [3]): tunc uxori valedicentem eum ostendere voluit, nunc ultimo ante mortem die spoliis opimis ornatum et hostes fugantem. Non superaturus est Achillem, sed hoc certe dedit Iuppiter cras morituro ut ipsius Achillis armis divinis aliquantisper indueretur et veluti alter Achilles suis militibus et hostibus videretur admirantibus. Pugnandi autem ea ratio legibus strategicis exemta, quam poeta solet sequi, talia facilius ferebat quam pugnae aevi recentioris. Cum ipse Homerus, dum carmen deducit, numquam non otio affluit, tum ii quos agentes inducit nullis unquam temporis angustiis prohibentur quominus id dicant vel faciant quod carmini novum decus addere posse videatur.

Π 558 sq.

κεῖται ἀνήρ, ὃς πρῶτος ἐσήλατο τεῖχος Ἀχαιῶν,
Σαρπηδών!

sunt Patrocli Sarpedone profligato sodales cohortantis verba. At M 438 poeta narravit Achivos vallum a Troianorum impetu aequo marte aliquantisper defendisse, donec

Ζεὺς κῦδος ὑπέρτερον Ἕκτορ' ἔδωκε
Πριαμίδῃ, ὃς πρῶτος ἐσήλατο τεῖχος Ἀχαιῶν,

de Hectore igitur idem dicens quod in Π de Sarpedone dixit

1) Cf. vs. 62.
2) Cf. P 186—214.
3) Cf. Z 86 sqq.

Digitized by Google

Patroclus. Haec quomodo inter se conveniunt, aut si parum conveniunt, quid de utroque loco est censendum?

Res sic est expedienda. Hector primus *in castra irruit* per portam, saxo iniecto ab ipso effractam [1]); sed ante eum Sarpedon *usque ad vallum* — quod frustra conati fuerant Asius et alii — omnium primus accesserat et valli propugnaculum revulserat [2]).

Cur autem Sarpedonem non longius tunc processisse fecit poeta? Cur Hector mox non ea via, qua Sarpedon πολέεσσιν 'θῆκε κέλευθον, castra intravit, sed novam sibi effregit?

Quia poeta bis idem in libro M narravit. Diversas fabulas duas, vel potius fabulas parallelas, ut solebat, et illic in unum coniunxit, prius Sarpedonem dein Hectorem aliis quidem verbis sed narratione simillima celebrans; nam sive propugnaculo evulso sive porta elisa aditus in castra aperitur, res eodem redit. Gradationem tamen quandam assecutus est; nam vallum primo ab Asio frustra tentatum fecit, dein a Sarpedone labefactatum, tandem ab Hectore perruptum. Ultimam autem fabulam cum paenultima his versibus colligavit:

οὐδέ κέ πω τότε γε Τρῶες καὶ Φαίδιμος Ἕκτωρ
τείχεος ἐρρήξαντο πύλας καὶ μακρὸν ὀχῆα,
εἰ μὴ ἄρ' υἱὸν ἑὸν Σαρπηδόνα μητιέτα Ζεὺς
ὧρσεν ἐπ' Ἀργείοισι κτέ. [3]).

In prisca videlicet poesi Sarpedon fuit alter quidam Hector, filius dei Asiani exercitum peregrinum repellens. Quae similitudo effecit etiam ut de utriusque morte poeta Iliadis simillima narraret, iisdem partim verbis usus [4]): Iovem heroem Troianum servare voluisse, sed refragatam esse deam Achivis faventem, hic Iunonem, illic Minervam. Temere autem Zenodotus quae huc spectant a libro Π aliena ducebat [5]). Et inter recentiores criticos fuere qui libri Π versus quos attulimus, ubi Sarpedon primus vallum ἐσήλασθαι dicitur, cum vicinis damnarent [6]); sed eodem iure cunctum episodium, quod est de Pa-

1) Cf. M 437—462.
2) Cf. ibid. vs. 397—399.
3) Cf. M 290—293.
4) Cf. Π 435—443 et X 174—181.
5) Cf. Π 432—458 et 666—683.
6) Köchly vs. 555—562, Leaf 555—568.

Digitized by Google

troclo Sarpedonis victore, vel etiam totam Patrocleam, deleverit quispiam, quoniam

Patroclus : Sarpedon = Achilles : Hector.

Sic vero satius fuerit novam aliquam Iliadem pluresve Iliades concinnasse e priscorum mythorum ruderibus, quemadmodum suam ex iis concinnavit Homerus. Hic autem quomodo rem sibi informaverit rogantibus respondendum est: Sarpedonem τεῖχος ἐσήλασθαι, qua aoristi forma poeta non nisi duobus his locis parallelis usus est, ceteris enim est aor. II ἄλθαι. Nunc autem *insilire in* sive *usque ad vallum* illud verbum intellegi voluit, de Hectore vero dictum, *per vallum* sive *per portam*. Et conferri potest vallum, cum *perfractum* tantum esset, non totum *deiectum*, in libro Ξ ἐριπεῖν dictum [1]).

Π 733—750. Cum Patroclus videret Hectorem bigis vectum et in se irruentem,

ἀΦ' ἵππων ἅλτο χαμᾶζε
ἔγχος ἔχων σκαιῇ, ἑτέρῃΦι δὲ λάζετο πέτρον
μάρμαρον ὀκριόεν θ', ὅν ῥοι περὶ χεὶρ ἐκάλυψε, κτέ.

„O stultum hominem!" fuit qui exclamaret: „tenet hastam, „sed ea non utitur! Saxo hostem petere mavult quam cultorum „hominum telo. Serione talia narrantur? Verine est poetae eius- „modi ineptias fingere? Cyclopi alicui vel simio ingenti talia „missilia melius conveniunt quam Achillis amico."

At nonne satius est rogare quid moverit poetam ut — meliusne an deterius nondum rogo, sed *ut* hoc fingeret? Nam ne inepta quidem de nihilo finguntur. Est autem causa aperta, ut opinor. Hasta Patroclus *nondum* utitur, quia *alium in usum* eam mox requiret. Nunc non ipsum Hectorem petit clipeo protectum, sed eius aurigam Cebrionen, qui dum habenas tenet, tela hostilia cavere nequit; huic caput lapide ingenti comminuit. Bigis igitur uti Hector non amplius poterit donec alium aurigam invenerit; non enim cuiusvis erat equos feroces regere per pugnae vicissitudines multiplices. In secunda pugna primo Eniopeus ei fuerat auriga, dein hoc necato Archeptolemus [2]). Hoc item in-

1) Cf. Ξ 15, 55 et de hoc loco supra p. 84 sq.
2) Cf. Θ 119—129.

Digitized by Google

terfecto fratri suo Cebrioni habenas tradiderat [1]), qui et hodie in pugna tertia ei aurigavit. Nunc Cebrione quoque peremto Patroclus ipsum Hectorem hasta petivit, pedes peditem, et aliquantisper de corpore caesi cum ipso dimicavit, multis armatis utrumque adiuvantibus. Hector autem currum iam sibi inutilem brevi post in urbem remisit [2]), et pedes pugnavit per ceteram illius diei partem, nec non die sequenti [3]), quo ipse est occisus. Periti igitur bellatoris fuisse prius aurigam saxo, dein parabaten hasta petere, neque poetam qui tale quid finxerit iure posse vituperari, re est comprobatum.

Non quo negem quaedam hunc de quo disputamus locum habere quae minus placeant. Nam obscura sunt versus 736 verba *οὐδὲ δρὴν ἄζετο φωτός* [4]), et mox, cum de Cebrione percusso haec dicuntur:

ἀμφοτέρας δ' ὀφρῦς σύνελεν λίθος, οὐδέ τοι ἔσχε
ὀστέον, ὀφθαλμοὶ δὲ χαμαὶ 'πέσον ἐν κονίῃσι
αὖθι πρόσθε ποδῶν· ὃ δ' ἄρ' ἀρνευτῆρι τετοικὼς
κάππεσ' ἀπ' εὐτρεχέος δίφρου, 'λίπε δ' ὀστέα θυμός [5]),

cum rem incredibilem miramur, tum ipsa verba suspicionem movent; recentioris enim aetatis est trisyllabum *εὐτρεχέος* pro pentesyllabo *ἐϋτρεχέος* dictum, et horrificum magis quam perspicuum est id quod narratur. Os frontale saxo confractum et oculos elisos facile nobis fingimus: oculos capite excussos et ante pedes morientis prolapsos non item, et certum est nihil eiusmodi fieri unquam potuisse. Imago autem *urinatoris*, qui capite demisso manibusque protentis de rupe in undas se proicit, multo aptior est M 385, ubi de alta turri miles quidam pronus decidit, quam nostro loco, ubi de *capso currus* Cebriones ruens manus extendere vix potuit quin terram continuo contingeret. Itaque ipse mox Patroclus Cebrionen cadentem, qui

ἀσθμαίνων ἐϋτρεχέος ἔκπεσε δίφρου
κύμβαχος ἐν κονίῃσιν ἐπὶ βρεχμόν τε καὶ ὤμους,

---

1) Cf. Θ 312—319.
2) Cf. Π 129—131, 189—191.
3) Cf. Π 820, 864 Ρ 75, 87, 138—190, 213, 592 Σ 160 Υ 379, 422 Χ 5 sqq.
4) Omitti potest hic versus, quem damnabat Heyne.
5) Cf. vs. 740—743.

Digitized by Google

non *ἀρνευτῆρι* sive *urinatori* assimulavit, sed *κυβιστητῆρι* sive *saltatori* corpore gyrum ducenti, hisce verbis eum irridens:

ὦ πόποι, ἦ μάλ' ἐλαφρὸς ἀνήρ· ὡς ῥεῖα κυβιστᾷ!
εἰ δή που καὶ πόντῳ ἐν ἰχθυόεντι γένοιτο,
πολλούς κεν κορέσειεν ἀνὴρ ὅδε τήθεα διφῶν,
νηὸς ἀποθρῴσκων, εἰ καὶ δυσπέμφελος εἴη,
ὡς νῦν ἐν πεδίῳ ἐξ ἵππων ῥεῖα κυβιστᾷ.
ἦ ῥα καὶ ἐν Τρώεσσι κυβιστητῆρες ἔασι [1]).

Urinatoris imaginem et huius menti obversari videmus, ipsum tamen Cebrionen non huic sed *saltatori* similem dicit. Quae autem modo afferebamus verba „*ἐϋεργέος ἔκπεσε δίφρου κτέ.*" non nostro loco leguntur, sed in priore Iliadis parte [2]), de *Mydone* Lycio, *Pylaemenis anriga*, ibi dicta, quem Antilochus lapide et mox ense percussit. Quo loco quoniam *δίφρου ἐϋεργέος ἐκπεσεῖν* multo aptius et ipsis numeris magis convenienter est dictum quam nostro loco *καππεσεῖν ἀπὸ δίφρου εὐεργέος* (sive *-γοῦς*), sequitur ut ex illo loco nonnulla in nostrum transsumta et utcunque ei adaptata esse suspicemur; ab ipso autem poeta transsumta esse non videntur. Oculos humi proiectos esse cum imitator narraret, fortasse memor fuit versuum quorumdam libri N, ubi Agamemnon Pisandro faciem sive capitis partem anteriorem vehementissimo ictu gladii praecidit, ita ut

'λάκεν ὀστέα, τὼ δέ τοι ὄσσε
παρ ποσὶν αἱματόεντε χαμαὶ 'πέσον ἐν κονίῃσι [3]).

Quae cum ita sint, vellet quis pro versibus quatuor, qui supra sunt allati [4]), haec sola legi:

ἀμφοτέρας δ' ὀφρῦς σύνελεν λίθος, οὐδέ τοι ἔσχε
ὀστέον· ἐκ δίφρου δ' ἔπεσεν, 'λίπε δ' ὀστέα θυμός.

Tales certe, quales traditi sunt, hos versus non ipsi poetae deberi manifestum videtur.

P 608—625. Hector

'Ιδομενῆος ἀκόντισε Δευκαλίδαο
δίφρῳ ἐφεσταότος· τοῦ μέν ῥ' ἀπὸ τυτθὸν ἅμαρτε,

1) Cf. vs. 745—750.
2) Cf. E 585 sq.
3) Cf. N 616 sq.
4) Cf. vs. 740—743.

Digitized by Google

αὐτὰρ ὁ Μηριόναο ὀπάονά θ' ἡνίοχόν τε,
Κοίρανον, ὃς ῥ' ἐκ Λύκτου εὖ κτιμένης ἕπετ' αὐτῷ, —
πεζὸς γὰρ τὰ πρῶτα λιπὼν νέας ἀμφιελίσσας
ἦλυθε, καί κε Τρωσὶ μέγα κράτος ἠγυάλιξε,
εἰ μὴ Κοίρανος ὦκα ποδώκεας ἤλασεν ἵππους·
καὶ τῷ μὲν Φάος ἦλθεν, ἄμυνε δὲ νηλεὲς ἦμαρ,
αὐτὸς δ' ὤλεσε θυμὸν ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο, —
τὸν ῥ' ἔβαλε κτέ.

Obscurus dicitur hic locus in scholiis, neque potest negari alterum enuntiatum alteri insertum et narrationem a Coerano ad Idomeneum et in temporis articulum priorem subito translatam revera obscuri quid habere. Fuerunt igitur qui hos versus partim spurios ducerent [1]); sed nihil videtur delendum, res autem sic se habet:

Idomeneus, qui pedes e castris in praelium ruerat [2]), cum Hectorem hasta peteret, hasta fracta est et Hector corpore integro integrisque viribus ipsum est aggressus. Neque dubium videbatur quin hic virum seniorem interfecturus esset, at Coeranus, Merionis, qui et ipse pedes in vicinia pugnabat, auriga, bigas quam celerrime usque ad Idomeneum adegit, quem in currum recepit. Et sic regem suum servavit, at ipse Hectoris hasta percussus concidit. Meriones tum habenas humi collectas Idomeneo porrexit, qui solus in castra rediit curru vectus. Meriones autem remansit in praelio.

Ceterum fortasse praestat in fine versus 611 et in fine versus 616 enuntiatum coli signo claudere, ut ad ὅ vs. 610 mente addatur ἔβαλε, quod post ἄμαρτε facile potuit suppleri.

Σ 207 sqq.

ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν ἐκ ῥάστεος αἰθέρ' ἵκηται,
τηλόθεν ἐκ νήσου, τὴν δῄοι ἀμφιμάχωνται· —
οἳ δὲ [3]) πανημέριοι στυγερῷ κρίνονται Ἀρῇ·
ῥάστεος ἐκ σφετέροι', ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
πυρσοί τε φλεγέθουσιν ἐπήτριμοι, ὑψόσε δ' αὐγὴ

1) Heyne vs. 610 sq., Nauck 612—616.
2) Cf. N 210—329.
3) Codd. τε.

Digitized by Google

γίγνεται ἀΐσσουσα, περικτιόνεσσι ῥιδέσθαι,
αἴ κέν πως σὺν νηυσὶν ἀρῇς ἀλκτῆρες ἵκωνται· —
ὣς ἀπ' Ἀχιλλῆος κεφαλῆς σέλας αἰθέρ' ἵκανε.

Inde ab aetate Aristarchi haec comparatio multis parum probata varias suspiciones movit. Est tamen optima, est integra, est vere Homerica.

Unum est concedendum, quod et de centum aliis carminis locis iure potest dici, laxiorem esse verborum structuram. Nempe sic solet poeta Iliadis cum utitur comparationibus, longius longiusque abreptus dum pingere conatur quae eius menti obversantur. Cuiusmodi locis non cuncta semper verba terse et legibus dialecticis convenienter inter se coniungere solet, sed multa significari potius quam delineentur vel adumbrentur, multa autem addi quae non sint necessaria ad tertium quod dicitur comparationis in clara luce collocandum, nota res est. Sic igitur et haec habet comparatio [1]). Ipsa vero imago, quam poeta menti auditorum obicit, est vividissima et aptissima ad carminis hunc locum illustrandum.

Nubem fulgidam Minerva circumdedit capiti Achillis et aegidem suam eius humeris iniecit, ut sic adspectus heros Troianos in castra irruentes perterreret et in fugam coniceret. Vapidum hunc fulgorem supra iuvenis caput assurgentem poeta assimulat fumo ignium a civibus alicuius insulae incensorum, quibus periculum sibi instans nuntient civitatibus vicinis. Per totum diem hi cum hostibus eorum moenia oppugnantibus conflixerunt, ut Achivi hodie cum Troianis; anxii autem solis occasum expectarunt et centies exoptarunt, ab hostibus audacibus inclusi et identidem petiti. Tandem vesper adest ἀσπάσιος τρίλλιστος: finis iam fiet pugnandi et signa dari poterunt incolis insularum circumiacentium. Haud alius atque misellis his quos poeta pingit hominibus insulanis fuit animus Achivis intra vallum suum veluti in remota aliqua insula inclusis. Sub finem igitur diei — nam prius eiusmodi signa dari non potuerunt — cives insulae a praedonibus oppressae incendunt faces; quarum fumus rutilus, mox ingruente noctis caligine in flammas lucidas mutatus, eminus late conspicitur, spem salutis denuo ciens in corde ho-

1) Similia infra de Ω 480 sqq. erunt observanda.

Digitized by Google

minum defessorum, qui morti devotos per multas horas se sunt rati.

Praeclaram hanc imaginem Aristarchus suo pretio non aestimavit cum coniectura sollicitandam duxit, aut — si quis mavult, quoniam sunt qui Aristarchum a coniecturis alienum fuisse persuasum habeant, — cum aliam lectionem undecunque ductam lectioni vulgatae praetulit. In memoriam huic venerat locus similis, qui est in libro T; quo loco Achillis clipeus aureus solis radios medio die repercutiens assimulatur orbi *lunae plenae* (μήνῃ) et mox *igni littorali* a nautis cum tempestate colluctantibus adspecto[1]), prius igitur *figurae rotundae* potissimum habita ratione [2]), dein *splendoris*. Verba autem quibus illic poeta usus est:

ὡς ὅτε κ' ἐκ πόντοιο σέλας ναύτῃσι φανήῃ
καιομένοιο πυρός

cum Aristarchus nostro quoque loco aptiora duceret quam *fumi* mentionem, mutatam lectionem hanc proposuit vel ab aliis propositam laudavit, sed equidem non dubito quin ipse eam excogitaverit:

ὡς δ' ὅτε πῦρ ἐπὶ πόντον ἀριπρεπὲς αἰθέρ' ἵκηται κτέ.

Et multis magnum Aristarchi nomen imposuit, ita ut probabilis haec haberetur lectio vel etiam certisssima loci corrupti emendatio. At corrigere ille conabatur — immo in deterius mutabat — quae nullam correctionem requirerent, et e comparatione exquisita multo minus ex vero pictam efficiebat, non e fumo lucem dans, sed fumo lucem intempestive substituens; nam *nubes* fumo quam claro igni aptius potuit assimulari.

Alia continuo sequitur comparatio, ea quoque criticorum suspicionibus obnoxia. Nam Achilles ab Iride e luctus torpore excitatus, a Minerva autem aegide quae pro clipeo esset munitus et nube fulgida quae pro casside, cum ante vallum prodiisset, clamorem edidit bellicum;

---

1) Cf. T 374—378.

2) Vox μήνη l.l. et Ψ 455 usurpata suspicionem Heynio aliisque movit, at movere non debebat. *Luna* dicitur σελήνη, *lunae* autem *plenae orbem* poeta vocat μήνην. In Alcinoi vel in Menelai aedibus est αἴγλη ὡς ἠελίοιο ἠὲ σελήνης πέλεται, sed *superficies fulgida* clipei rotundi (cf. pag. 105, 1) vel macula alba in equi fronte conspicua assimulatur *lunae disco candido*.

Digitized by Google

ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη Φωνή, ὅτε τ'ίτραχε σάλπιγξ
ϝάστυ περιπλομένων δηΐων ὕπο θυμορραιστέων,
ὥς τότ' ἀριζήλη Φωνὴ 'γένετ' Αἰακίδαο [1]),

et hostes ὡς οὖν ἄϊον ϝόπα χάλκεον Αἰακίδαο, caeco metu perturbati terga dederunt.

Hic a prisci aevi dictione alienus est terminus -έων et soloecum est χάλκεον substantivo feminini generis adiunctum; vitii igitur aliquid hunc locum contraxisse satis apparet. Sed si deleatur praepositio ὕπο et pro altero patronymico scribatur Ἀχιλῆος, nihil restet quod improbetur in versibus

ϝάστυ περιπλομένων δηΐων θυμορραιστάων

et:

οἳ δ' ὡς οὖν ἄϊον ϝόπα χαλκείην [2]) Ἀχιλῆος.

Quae non certae quidem sunt emendationes, sed lenes [3]) et contextui aptae; itaque in formis certe verborum nihil est quod satis valeat ad versus, qui dictioni epicae tam facile adaptari possint, infamia afficiendos.

At ipse verborum usus novicia quaedam habere creditur; Φωνήν enim ceteris locis Homericis *vocem humanam* (vel deorum) dici, hoc uno *sonum tubae*, ipsius autem tubae non nisi h. l. apud Homerum fieri mentionem.

Nempe observationibus veris atque utilibus viri docti nunc quoque, ut alias plus semel, infeliciter sunt usi. „Substantivum Φωνή vocem humanam vel divinam significare solet": — verum hoc. Sed quid porro? Id quoque verum et certum est, non nisi *animantes* posse ἶμεναι vel πέτεσθαι vel μενεαίνειν, crebri tamen et cuivis noti sunt versus ubi *naves* dicuntur *ire* [4]), *currere* [5]), *gaudere* [6]), *festinare* [7]), vel *tela salire* [8]), *volare* [9]), *furere* [10]), *sanguinem sitire* [11]), *scopum petere* [12]), et plenum eiusmodi locutionum est utrumque epos, neque cuiquam in mentem venit unquam

---

1) Cf. Σ 219—221.
2) χαλκέην legebat Zenodotus.
3) Posterius Αἰακίδαο potuit irrepere e versu proximo, et ipsa repetitione ingrata suspicionem movet.
4) Cf. A 482 al.
5) Cf. A 483 al.
6) Cf. ε 176.
7) Cf. ν 115.
8) Cf. Δ 125 al.
9) Cf. Δ 126 al.
10) Cf. Θ 111 al.
11) Cf. Λ 574 al.
12) Cf. Δ 126 al.

Digitized by Google

talia delere vel emendare velle, quoniam nemo nescit poetae nostri et omnium poetarum esse τὰ ἄψυχα ἔμψυχα ποιεῖν [1]), totam enim rerum naturam iis vivere et spirare. Nihilo autem maioris minusve laudabilis audaciae fuit, tubae voce humana inflatae et ipsi vocem tribuere quam arcus nervo clamorem vel cantum [2]), armis mugitum [3]).

At tuba a praeliis Homericis aliena? Ita est: neque alibi in praeliorum descriptione eam commemoravit Homerus, neque nostro loco. *Cognitam* sane habuit tubam; nam caelites ingenti fragore inter se pugnam ineuntes cum celebravit, terram mugiisse et firmamentum, quod *aeneum* sibi fingere solebat [4]), σαλπίγξαι sive *ut* ingentem aliquam *tubam reboasse* dixit [5]). Sed *milites praelium appetentes* tuba usos esse neque alibi dixit — novimus autem heroes βοὴν ἀγαθούς, qui tuba quid facerent? — neque nostro loco. Cum hostes in urbem impetum faciunt, tum — ait — tubae clarus sonus percipitur. A quibus inflatae? Ab ipsis *hostibus*? Minime: qui cur tuba canerent? sperantesne fore ut ipso sono tubarum moenia urbis oppugnatae, ut Hiericuntis, percellerentur? Immo *cives urbis* a praedonibus petitae ut cogitemus, non ipsos praedones, movet atque cogit nos ratio comparationis, qua poeta utitur, eam quae fuit cum insulanis πυρσεύουσι [6]) quodammodo continuans; et idem testantur ipsa verba, quibus poeta comparationem inclusit, sive „τάστυ περιπλομένων δηΐων ὕπο" eum dixisse sumimus, sive praepositione ὕπο omissa eandem rem significasse genitivo absoluto; utrumvis enim significat *propter hostes circa urbem versantes*.

Haec autem cum caneret poeta, eius menti obversabatur civitas e plena pacis prosperae quiete verbis custodis alicuius, milites peregrinos, hostes igitur, eminus appropinquare nuntiantis, subito excitata, ut Troiani verbis Politae [7]). Quae ἀγγελίη στρατοῦ ἐρχομένοιο [8]) ut primum est accepta, homines variis

1) Cf. Aristot. Rhetor. III 11 § 2.
2) Cf. Δ 125 et φ 411.
3) Cf. Δ 420 al.
4) Cf. E 504 P 525 al.
5) Cf. Φ 388.
6) Est enim τῆς φρυκτωρίας antiquissima ea mentio.
7) Cf. B 791—797.
8) Cf. β 30, 42.

Digitized by Google

operibus in agris vacantes intra urbis moenia confestim se recipere iubentur. Quomodo autem iubentur? Inter gentes Europaeas tale quid nostro aevo fieri solet sono ingentis alicuius tintinnabuli, ex summa turri suspensi. Illis hominibus simile officium praestitit tuba praegrandis, cuius sonus late per campos circumiacentes spargebatur; et sic olim in Helvetia ingentibus illis tubis e ligno confectis, quae nemini non sunt cognitae, ad incolas vallium nuntii solebant mitti, si ab hostibus appropinquantibus instaret periculum. Non *signis bellicis* dandis illud instrumentum inserviisse dixit poeta Iliadis, neque in praelia esse illatum, sed civibus periculum instans ex ipsa urbe nuntiasse et *receptui cecinisse*. Recentiores ut hos versus ducamus quam Iliadis corpus, nihil est quod nos cogat. Neque alia vitae instrumenta vel alios mores poetam inter aequales vidisse, alios heroibus tribuisse scientem, ex hoc aliisve locis efficitur: id sequitur, tubam eius aetate non inserviisse signis in praelio dandis, sed vocandis hominibus ad periculum effugiendum vel arcendum inserviisse, ut *tympana* illa ingentia, quae inter Indos et hodie asservantur.

Σ 483 sqq. Pervenimus ad locum notissimum, ubi describitur clipeus aureus, quem Vulcanus Thetide petente cudit Achilli. Quo loco quae leguntur, Iliadi postmodo inserta non possunt non videri illis criticis, qui armorum permutationem a carmine primitus alienam fuisse sibi persuaserunt.

Supra vero breviter demonstrare conati sumus, iustam causam nullam esse ob quam Iliadis poeta Patroclum armis Achillis indutum in praelium misisse negetur [1]). Fac probabiliter ea esse disputata vel ab aliis idem esse demonstratum: at novum nobis obmovetur argumentum, ob quod clipei illa descriptio tamen ex Iliade sit resecanda. Nempe priscum carmen scuta *θολοειδῆ* quidem et *πυργοειδῆ* ea cognita habuisse, quibus homines aevo Mycenaeo quod vocatur sunt usi [2]), non vero clipeos rotundos; rotundum autem clipeum Achilli fecisse Vulcanum: ergo noviciam esse eam partem Iliadis ubi clipeus ille describatur.

1) Cf. p. 90—93.

2) „Kuppelschilde" (quorum figuram satis apte indicat signum numerale 8) et „Thurmschilde" (cilindris mediis discisis similes).

Digitized by Google

Hanc argumentationem qui reiciunt, iis demonstrandum est, heroes non recte perhiberi solis scutis „Mycenaeis" praegrandibus et gravissimis in prisco carmine esse usos. Nonnulla quae huc tenderent ante sex annos observavi [1]), quae hic repetere necessarium non videtur; nunc id dico, frustra quaeri in Iliade locos ubi appareat menti poetae obversata esse σακῇ θολοειδῇ („8-formia"), immo vel gravissimum argumentum posse indicari, unde *nulla* huiusmodi scuta eum cogitasse efficiatur. Nam scutis θολοειδέσι *laminam aeream* superductam fuisse unquam, veri est dissimillimum, quoniam vix id sinebat eorum figura, nihil autem, quo ea opinio commendaretur, e tumulis Mycenaeis est protractum [2]); Homerum vero aerata semper scuta vel clipeos — ducum certe, quos solos in praeliis pingere solet — cogitasse nota res est. Ubi vero τὰς ἀσπίδας et τὰ σάκη, quibus nominibus haud raro promiscue est usus [3]), inter se distinguit [4]), σάκος cilindro dimidiato simile et mensurae haud immodicae est cogitandum, ἀσπίς autem dicitur clipeus rotundus; qualium clipeorum quantus *ambitus*, quantum *pondus* fuerit, e poetae verbis nequit effici, neque est cur ingentes fuisse aut perhibeamus aut negemus: id unum certum, fuisse *rotundos*.

An ne hoc quidem certum? Ipse ille quem Achilli cudit Vulcanus an non rotundus fuerit clipeus sunt qui dubitent, et in commentario egregio, quo Iliadem paucis abhinc annis illustravit Gualtherus Leaf, delineata extat imago illius clipei πυργοειδής. At illic profecto quadrata rotundis miscuit vir egregius. Nam Achillem Homericum rotundo clipeo usum esse negari potuit, non recte quidem, ut arbitror, neque probabiliter, sed potuit fortasse cum probabilitatis aliqua specie id negari: rotundum clipeum ei in ea parte libri Σ, de qua nunc disputamus, esse

---

1) Cf. Mnemos. 1906 p. 261—264 (de heroum curribus bellicis).

2) Sagittis et funditorum lapidibus („the showers of arrows and slingstones") arcendis praegrandia illa scuta inserviebant; et quamdiu sagittis fuere cuspides lapideae, quales e tumulis Mycenaeis multae sunt protractae, aere scuta tegi non fuit necessarium. — Cf. A. Lang, Homer and his Age, p. 116 sq., 134 sq., 164 sq.

3) E. g. Thetis ἀσπίδα cum petivisset (Σ 458), qualem amiserat Achilles (cf. Π 803), Vulcanus σάκος ei fabricatus est (Σ 478, 481, 608 sq.), et prior Achillis clipeus ita vocatur Π 136.

4) E. g. Η 250—260.

Digitized by Google

tributum, id negari nequit. Nullae disputationes, quamvis ingeniosae, nullae imagines e priscis tumulis vel aliunde protractae satis valere poterunt unquam ad convellenda certissima illa argumenta, quae praebuit ipse poeta, cum *Oceanum* in ora clipei Achillis pictum fuisse dixit et cum fulgidum hunc clipeum assimulavit *lunae disco pleno* [1]). Claris autem verbis — id quod plurimi interpretes intellexerunt et prolocuti sunt — poeta indicavit ipsius *orbis terrarum* imaginem in clipeo illo divino fuisse pictam; in umbone cernebatur firmamentum terra suffultum, oram tenebat Oceanus fluvius ἀψόρροος, corpus clipei habebat octo imagines vitam humanam (vitam urbanam, vitam rusticam, vitam pastoriciam, cultum deorum) complexas. Quas imagines per zonas aliquot (quatuor) concentricas fuisse dispositas non dixit quidem poeta, sed satis testantur quae aliunde de clipeorum structura sunt cognita. Nam qui solus praeterea apud Homerum fusius describitur *Agamemnonis* clipeus, et ipse κύκλοις aliquot concentricis fuit ornatus [2]); etiam *Aeneae* clipeus κύκλους habuit [3]). Nisi forte κύκλους non rotundos sibi fingere vult quispiam, aut ipse horizon aevo Homerico angulosus fuisse creditur.

Corpus clipei [4]), quem Vulcanus cudit, effecerunt quinque πτύχες. Cuiusmodi πτύχας non eiusdem omnes fuisse mensurae, sed intimam fuisse maximam, huic quae superposita esset aliquanto minorem fuisse, et sic porro, firmissimam igitur fuisse mediam clipei partem, oram autem tenuissimam [5]), et ultro sic in corio natos esse orbes illos concentricos, quos imitati sunt fabri, cum exornarent laminam aeream, qua clipeorum corium inducebant, optime olim exposuit Helbig. Septem autem πτύχας sive coria alterum alteri superposita habebat Aiacis scutum ingens [6]), quinque Vulcanus faber caelestis tribuit clipeo, quem ipse est fabricatus, pro pellibus autem bovinis sumsit *laminas aereas*, quales tenues et tamen firmissimas cudere erat eius artis. *Levem* sic deus confecit clipeum, qui heroem non oneraret,

1) Cf. Τ 373 sq. et supra p. 100, 2.
2) Cf. Λ 33.
3) Cf. Τ 280 sq.
4) „Ipsum" poeta clipeum dixit vs. 481, ab ora vel a balteo sic distinguens.
5) Cf. Τ 275 sq.
6) Cf. Η 219—223, 247 sq.

Digitized by Google

sed vel sublevaret [1]), proprio nimirum aliquo motu praeditus, ut ἡφαιστότευκτα quaelibet, idem tamen tam firmus ut viribus humanis perfringi non posset. Laminam autem quintam, quae clipei faciem texit, non *aeream* Vulcanus fecit, ut solebant fabri mortales [2]), sed *auream* [3]), dein argento stanno cyano usus imaginibus multicoloribus ornavit. Male vero — quod probe perspexerunt prisci interpretes — poetae verba intellexit qui libro Τ quatuor versiculos perineptos inseruit [4]); is enim putavit τῶν πέντε πτυχῶν, quas nostro loco poeta dixit, externam et sequentem fuisse aeneas, mediam auream, quartam et quintam stanneas, mire sic omnia turbans.

Sed non est cur plura de Achillis clipeo nunc disputemus. Sufficit id quod — post alios interpretes plurimos — statuimus: *rotundum clipeum* ei tribuisse poetam et optimo quidem iure tribuisse.

Una tamen ex vitae humanae imaginibus, quibus clipeum ornavit artifex Olympius, paucis verbis est illustranda; obscura enim esse creditur, et sic poeta indigna facile possit videri [5]). Dico urbem quam obsederunt hostes. Bonorum partem alteram hi a civibus poposcerunt, si incolumes vellent evadere; cives autem

οὔ πω 'πείθοντο, λόχῳ δ' ὑπεθωρήσσοντο.
τεῖχος μέν ῥ' ἄλοχοί τε φίλαι καὶ νήπια τέκνα
'ρύατ' ἐφεσταότες, μετὰ δ' ἀνέρες οὓς ἔχε γῆρας·
οἳ δ' ἴσαν, ἦρχε δ' ἄρα σφιν Ἄρης καὶ Παλλὰς Ἀθήνη,
ἄμφω χρυσείω, χρύσεια δὲ εἵματ' ἐέσθην,
καλὼ καὶ μεγάλω σὺν τεύχεσιν, ὥς τε θεώ περ,
ἀμφὶς ἀριζήλω, λαοὶ δ' ὑπ' ὀλείζονες ἦσαν.
οἳ δ' ὅτε δὴ ῥ' ἵκανον ὅθι σφίσι 'τεῖκε λοχῆσαι,
ἐν ποταμῷ, ὅθι τ' ἀρδμὸς ἕεν πάντεσσι βοτοῖσι,
ἔνθ' ἄρα τοί γ' ἷζον τετιλυμένοι αἴθοπι χαλκῷ,
τοῖσι δ' ἔπειτ' ἀπάνευθε δύω σκοποὶ ἧατο λαῶν

1) Cf. Τ 386.
2) Cf. Η 223.
3) Cf. Σ 549 Τ 268 Φ 165 et Θ 193.
4) Cf. Τ 269–272.
5) Quae ad illum locum interpretandum olim protuli, partim non satis recte disputata erant, a Leafio[2] ideo merito improbata.

Digitized by Google

δέγμενοι ὁππότε μῆλα ϝιδοίατο καὶ ϝέλικας βοῦς.
αἳ δὲ τάχα προγένοντο, δύω δ' ἅμ' ἕποντο νομῆε
τερπομένω σύριγξι, δόλον δ' οὔ τι προνόησαν.
οἳ μὲν τὰ προϝιδόντες ἐπέδραμον, ὦκα δ' ἔπειτα
'τάμνοντ' ἀμφὶ βοῶν ἀγέλας καὶ πώεα καλὰ
ἀργεννῶν ὀΐων, 'κτεῖνον δ' ἐπὶ μηλοβοτῆρας.
οἳ δ' ὡς οὖν ἐπύθοντο πολὺν κέλαδον παρὰ βουσὶ
εἰράων προπάροιθε καθήμενοι, αὐτίκ' ἐφ' ἵππων
βάντες ἀερσιπόδων μετεκίαθον, αἶψα δ' ἵκοντο.
στησάμενοι δ' ἐμάχοντο μάχην ποταμοῖο παρ' ὄχθας κτἑ. [1]).

In his igitur versibus unum, quod miros habere nos possit, video illud Ἄρης καὶ Παλλὰς Ἀθήνη, quae numina *coniunctim* nunc copias civium ducere dicuntur, per ceteram vero Iliadem alterum alteri opposita stare solent [2]). Fuitne olim Ἄρης καὶ πότνι' Ἐνυώ [3])? Sed levissimi momenti haec est res, et fortasse cogitanda est ipsa urbis dea Athene Polias [4]) cives suos coniunctim cum belli deo in praelium ducens. Cetera videamus; quae dummodo accurate intueamur, clara et aperta apparebunt omnia.

Cives igitur urbis obsessae, quamvis fame urgente, minime [5]) aures praebent hostium insolentiae, sed insidias struunt, ut victum sibi parent. Clam igitur [6]) armis sumtis moenia senibus mulieribus impuberibus relinquunt tutanda, dein hostibus insciis ex urbe egressi petunt flumen vicinum, ubi inter virgulta et arundines latitantes in insidiis consederunt prope locum quendam, quo hostes pecora et armenta e campis circumiacentibus rapta mittere solebant potum. Duos autem e suis apto loco speculatores collocarunt, qui prospicerent an venirent pecora [7]); nam ventura utique intellegebant, quoniam bibendum est animalibus. Et venerunt mox pecora, ducibus pastoribus duobus nihil mali suspicatis. Incurrerunt insidiatores in praedam optatissimam,

1) Cf. Σ 513—533.
2) Cf. Δ 439 al.
3) Ut Ε 592.
4) Cf. Ζ 88.
5) Cavendum ne *nondum* interpretemur particulas *οὔ πω*. Cf. Α 154 Γ 306 alibi passim.
6) *ὑποθωρήσσεσθαι* unicum est verbum in quo *ὑπο-* apud Homerum *clam* valeat.
7) *δέγμενοι ὁππότε ϝιδοίατο*, eadem structura quae Β 794 et Κ 189.

Digitized by Google

famis remedium; quam cum intercepissent et in urbem abducere coepissent, mox hostes re eminus animadversa in eundem locum se propere contulerunt, dein coorta est pugna.

Clara haec et perspicua, insulsus autem sit qui roget haec omnia una imagine satisne apte potuerint pingi. Sed libere, aut si vox asperior placet, negligenter poeta pronominibus demonstrativis hoc loco, ut aliis plurimis, est usus, ita tamen ut qui hoc agat non possit dubitare utrum urbis *cives* an *hostes* in singulis versibus sint intellegendi. Sunt igitur *οἵ* vel *τοί* *cives* vs. 513, 516, 520, 522, 523, 527, sed in versu 530 sic dicuntur *hostes*.

Dubia denique est vox *εἶραι*, quam *ἀγοράς* sive *conventus* interpretatus est Aristarchus, et recte profecto videtur esse interpretatus, modo *militum* nunc cogitemus conventus sive turmas, *πύργους* sive *τέλεα* quae alibi dixit poeta [1]). Ante hostium castra custodes collocati — ut ante castra Achivorum Troiam oppugnantium [2]) — quid ad flumen fieret cum sensissent, ceteros milites advocarunt; qui curribus quam primum conscensis versus flumen properarunt, in cuius ripa *στησάμενοι* sive *equis cohibitis* de curribus descenderunt et oppidanos sunt adorti.

Nam hoc est *στησάμενοι*, ad quod verbum obiectum mente addendum est *ἵππους* [3]), quemadmodum apud Herodotum dicitur *πεντηκοντέρους στησάμενοι* [4]). Sic *ἀνασχόμενος* [*χεῖρα* vel *ξίφος*] ferire dicitur qui brachium vel telum alte tollit [5]), et similia apud Homerum sunt *ἐπισχόμενος* [*βιόν* vel *ἰόν*] [6]), *ἐπορεξάμενος* [*ἔγχος*] [7]), *ἀμφιβαλών* [*χεῖρε*] [8]), apud alios *ἄρας* [*τὴν χεῖρα*] [9]), *ἀνατείνας* [*τὸ σκέλος*] [10]).

In libro T inter res gravissimas et in ipso carminis veluti

1) Cf. Δ 334 et H 380.
2) Cf. I 66 sqq.
3) Item ι 54.
4) Herodot. VII 138. Cavendum ne iungamus *στησάμενοι μάχην*, quemadmodum Herodotus dixit *πόλεμον* vel *πολέμους στήσασθαι* VII 9, 175, 236.
5) Cf. Γ 362 al.
6) Cf. χ 15.
7) Cf. E 335.
8) Cf. Ψ 97.
9) Cf. Ar. Eq. 1130 Soph. Oed. R. 1270.
10) Cf. Ar. Lys. 799.

Digitized by Google

fastigio *cibi* mentionem nimis crebram fieri fuere qui contenderent. Quod crimen est ex iis de quibus disputari nequeat, itaque fortasse satius fuerit hoc loco de eo tacuisse. Breviter tamen dicam quid sentiam equidem. Iniquissimum igitur mihi videri aio atque palam profiteor. Non poterat melius quam ita ut fecit poeta indicari studium quo Achilles in bellum nunc urgetur. Ira fervens iuvenis et uni odio aurem praebens in regione hostili inutiliter desidere se suosque coëgit per longam dierum seriem, — tum quoque coëgit cum sine ipso in praelium profecti sunt eius socii, tum quoque cum proximos vidit Troianos, cum proximas audivit eorum minas superbas et clamores bellicos. Sanguine ipsa Achivorum castra misceri, ignem hostilem in naves inferri vidit — et iners mansit: non reppulit hostes, quia non repulsurum se dixerat. Et sic vim sibi intulit, dum cor peredit lentus furor. Iam vero iram illam doloremque vicit maior dolor, et graviore iam ira aestuat. Non laesus honor iam est ulciscendus, sed amicus trucidatus. Et nunc is denuo factus qui fuit ante, veluti ex alto diuturnoque sopore experrectus, omnis morae impatiens, in hostes extemplo ruere gestit, neque quietis etiam aliquid agere eum sinit quo ardet furor bellicus. Primo mane nova arma a matre accepta postquam induit, milites ad altos eius clamores confluentes praelium inire iubet *αἶψα μάλα*, „non enim" ait

„χρὴ κλοτοπευέμεν' ἐνθάδ' ἐόντας
οὐδὲ διατρίβειν· ἔτι γὰρ μέγα ἔργον ἄρεκτον" [1]).

Non quod periculum Achivis nunc proximum instet! Nam hostium audacia concidit proxima vespera, cum ab Achivorum castris anxii refugerunt Achille adspecto et audito, dein Hectore iubente planitiem per noctem quidem obtinuerunt, sed nunc urbem repetituri sunt libentius quam castra Achivorum denuo aggressuri. Iusta igitur causa, ob quam Achivi admodum nunc festinent, nulla est; itaque Ulixes vir maturior et prudentior, qui nullo animi affectu occaecatus militum potius commodum et spem vincendi spectat, prius vesci milites iubet quam hostem adoriantur, grave enim et diuturnum praelium instare neque virium humanarum esse per totum diem strenue pugnare im-

1) Cf. T 149 sq.

Digitized by Google

pransos; copiis autem dum cena paratur, ipse Achilles dona ab Agamemnone ei promissa accipito et ipsius Agamemnonis cenae assideto, ut plane ei satisfiat et omnibus luculenter pateat eum cum Agamemnone in gratiam rediisse.

Optime haec omnia placuerunt Agamemnoni, quippe quae ferret ratio; at Achilles verum iuvenem et nunc se praestans: „ne mihi ista nunc!" exclamat: „mortui iacent quos Hector „peremit,

„ὔμες δ' εἰς βρωτὺν ὀτρύνετε!

„Hostes petamus: his profligatis cenabimus! Ego neque cibi „neque vini quicquam prius sumam quam caesum amicum ultus „fuero. Sanguinem nunc sitio, non vinum!" [1]).

Non tamen ceditur iuveni non nisi luctus sui rationem habenti et viribus ingentibus confiso. Cenant igitur ceteri, et ipsum cibum sumere iubent; at ille, non iratus iam sed supplex et flebili voce, quoniam sentit Nestori vel Ulixi benevole adhortantibus obtemperare se non posse, etiamsi velit:

„λίσσομαι, εἴ τις ἐμοί γε φίλων ἐπιπείθεθ' ἑταίρων,
„μή με πρὶν σίτοιο κελεύετε μηδὲ πότητος
„ἄσασθαι φίλον ἦτορ, ἐπεί μ' ἄχος αἰνὸν ἱκάνει!" [2])

Ipsa enim cena adspecta magis etiam eum commonefacit amici desideratissimi; huius mors καὶ τοῖνόν τοι ἀπεχθαίρει καὶ ἐδωδήν, quibus non nisi illo comite frui hactenus fuit solitus. Olim λαερὰ erant illa, iam sunt πικρά!

„ἦ ῥά νύ μοί ποτε καὶ σύ, δυσάμμορε, φίλταθ' ἑταίρων,
„αὐτὸς ἐνὶ κλισίῃ λαερὸν παρὰ δεῖπνον ἔθηκας
„αἶψα καὶ ὀτραλέως, ὁπότε σπερχοίατ' Ἀχαιοὶ
„Τρωσὶν ἐφ' ἱπποδάμοισι φέρειν πολύδακρυν Ἄρηα.
„νῦν δὲ σὺ μὲν κεῖσαι δεδαϊγμένος, αὐτὰρ ἐμὸν κῆρ
„ἄκμηνον πόσιος καὶ ἐδητύος, ἔνδον ἐόντων,
„σῇ ποθῇ" [3]).

Iuvenem luctu mersum reliquerunt amici, ipsi autem di ei vires plus quam humanas illo die sustentaverunt, nectar enim et ambrosiam Iove iubente ei instillavit Minerva. Quomodo

---

1) Cf. T 199—214.
2) Cf. T 305—307.
3) Cf. T 315—321.

Digitized by Google

instillaverit, poeta rogari noluit. Iamque in pugnam ruit Achilles, hostes veluti pecudes imbelles versus urbem trudit, in alveo Scamandri plurimorum stragem edidit, Hectorem cursu assecutus interfecit, dein in castra victor redux vix tandem et invitus in Agamemnonis tabernaculum deduci se sivit, ut cibi aliquid ibi sumeret [1]).

Haec si quis a prisco carmine aliena vel minus eo digna existimat, vereor ut ex Iliadis lectione tantum quantum poterat emolumenti duxerit. Indolem Achillis nusquam melius quam in libro T ab Iliadis poeta pictam existimo, egregie enim haec omnia convenire imagini iuvenis eius quem novimus impetuosi et robustissimi, dolori nondum assueti neque nisi suae irae suique luctus rationem habentis.

Nec non quae Agamemnonem ad Achillem poeta fecit dicentem utilissima sunt ad huius regis imaginem clara in luce collocandam. Eum nunc audimus Agamemnonem, cui carminis initio id potissimum curae fuit ne quid detrimenti caperet ipse neve de ipsius dignitate aliquid videretur detrahi. Nunc quoque sui ipsius unice rationem habet utque culpam a se dimoveat causam deteriorem meliorem reddendo, ea utitur argumentandi ratione qua postea usi sunt Iniustus ille orator in Aristophanis Nubibus et iuvenis Terentianus — vel potius Menandreus — in Eunucho et omnes qui dis et sorti et rerum naturae imputarunt quae ipsi deliquissent. „Non ego reus sum, sed Iuppiter; is peccare me voluit. Qui caeco errore et ipse olim est implicitus", et addit *ἄϊνον* quendam, id quod perhibet apto — ut ipse quidem arbitratur — exemplo e sacris fabulis petito sic comprobans: „ego homuncio quid facerem?" Quasi fraude aliena decipi idem sit atque ipsum ira excandescere vel iratum inique agere! — Agnoscitur hic ars magni illius poetae, qui in libro I Achillem pinxit animi affectu abreptum et coram legatis irae indulgentem. Nunc Agamemnoni non — quod cuiusvis erat — talia verba tribuit qualia huic rerum statui et huic temporis articulo optime convenirent, sed qualia expectari poterant ex ore eius viri, cui difficillimum esset simpliciter proloqui id quod unum res poscebat: „peccavi, ignosce mihi culpam confesso et veniam

1) Cf. Ψ 48.

Digitized by Google

petenti". Haud aliter Agamemnon ante dies aliquot in Iovem contulerat culpam expeditionis male cedentis [1]). Cuius exemplum libenter mox secutus Achilles et ipse ab Iovis studio Achivis nocendi repetivit rixam illam, quae tantorum malorum causa extitit, Iovi scilicet placuisse Ἀχαιοῖσιν θάνατον πολέεσσι γενέσθαι [2]). Iuppiter id voluit. Cur autem voluit? Nonne ut ulcisceretur Achillem a Thetide exoratus?

Non sequioris profecto artis sunt haec omnia, sed debentur poetae egregio, qui πολλῶν ἀνθρώπων νόον ἔγνω, mortales ex vero pingenti et ita ut ipsam vitam imagine referat.

Deorum pugnam (Υ 1—74, 112—155 Φ 385—520) non ego sum qui laudem totam vel velim defendere. Itaque haec si ipsi Iliadis poetae debentur, sui dissimilis ille nunc evasisse dicendus est. Non prorsus quidem spernenda sunt omnia, sed partim cum carminis argumento et Iovis consiliis parum congruunt, partim serii poetae esse non videntur, sed eius qui ludibrio Olympios haberet. Qualia quoniam in Iliadis poetam haudquaquam cadunt, — nam suam ipsius artem sic ludibrio habuisset, minime autem similis est exitus libri A, quem sunt qui conferant, — non dubito quin haec pars Iliadis postmodo interpolata fuerit. Ipse quidem poeta ad carmen suum exornandum prisco argumento, quod erat de deo Idaeo fluvios Troianos in Achillem et deos peregrinos incitanti [3]), quemadmodum Scamander et Simois revera Troianis mox auxilium tulerunt [4]), ita ut poterat usus esse videtur; sed quid ipsi, quid manui alienae debeatur, vereor ut hodie possit effici.

Υ 75—352. Aliter de Aeneae cum Achille pugna videtur iudicandum. Minus quidem haec pugna lectoribus hodiernis placet quam aliae quas Ilias habet complures, genuina tamen videtur. Quod autem praesertim in ea est improbatum, prolixa hac narratione retardari carminis decursum et eum quem ex-

1) Cf. B 111, 375 sq.
2) Cf. B 270—274.
3) Cf. pag. 80 sq.
4) Υ 73 sq. habent argumentum τῆς παραποταμίου μάχης, Vulcanum Scamandro oppositum.

Digitized by Google

pectamus Achillis cum Hectore congressum inutiliter sic differri, id iniquum est crimen; non sane festinat nunc poeta, sed ne alias quidem ad eventum festinat unquam. Proprium id habet eius ars ut audientium animi praeparentur aliquantisper et suspensi teneantur priusquam ad id quod comperire illi praesertim cupiant convertatur cursus narrationis. Itaque Achilli Hectorem petenti [1]) alios prius heroes poeta obiecit complures: Aeneam, Lycaonem, Asteropaeum, Agenorem, alios, et inter militum fugientium turbam densissimam in campo et in fluvii alveo eum saevientem exhibuit, dein cum ipso fluvii deo contendentem; neque strictim tantum singula haec tetigit, sed tam fuse et ornate verbis pinxit quam cetera omnia quae carmine celebravit; et sic heroem illum, quem desidentem succensentem lugentem in priore carminis parte ostenderat, talem tandem se gerentem ostendit qualis e Thessalia in bellum proruperat famae appetens. Haec omnia si cui ex Iliade resecare lubet, quo citius perveniat ad Hectoris cum Achille pugnam, recidito, et brevius aliquanto carmen habebit: sed criticum sic se agere ne putato. Similem magis se praestabit illis puellis, quae cum fabulam aliquam romanensem sunt nactae, non animo attento et sedato totam perlegunt, sed „devorant", ut dicere solent, id praesertim scire cupientes an iuvenis amore ardens cum virgine dilecta tandem fuerit iunctus, raptim autem praetervolant quaecunque scriptor narraverit ante quam ad optatissimum illum finem perveniret.

Quisquis autem sentit et intellegit non ita fruendum esse Iliade, et Hectoris mortem ideo praesertim animos legentium penitus percellere, olim audientium perculisse animos, quod diu fuerit expectata, is non habet cur Aeneae potissimum cum Achille pugnam damnet. De Lycaone supplice vel de Scamandro Achillem aggresso quae poeta narravit qui genuina censet, — et vix credibile videtur esse homines quibus hae quoque priscae artis gemmae adeo sordeant ut abiciendas ducant, — is causam idoneam proferre nequit ob quam spuria sint habenda quae in libro Υ narrantur de Aenea. Nimis verbosus Aeneas? Est sane verbosissimus, etiamsi omittantur versus 213—241, quos aliunde

1) Cf. Υ 75—78, 375—383, 419—454.

Digitized by Google

desumtos esse suspicabatur Friedlaender, placido alicui colloquio — quale fuit Glauci illud cum Diomede — multo aptiores quam huic temporis articulo. Sed nonne et Lycaon est loquax? nonne Asteropaeus? Quibus si aurem Achilles patienter aliquantisper praebuit et fuse respondit quamvis furore martio ebulliens, cur parum credibile videtur eum et cum Aenea verba prius seruisse quam ad manus veniret? Nonne omnes semper heroes Homerici verbis prius quam telis inter se petiverunt, et eo pluribus verbis quo maioris momenti esset uterque?

Itaque hoc est quod dicimus: Aeneae cum Achille pugnam aliquanto quidem minore laude dignam videri quam multas alias Iliadis partes, pro spuria tamen non esse habendam; non recentioris esse aevi quam fuit poetae Iliadis, sed ab ipso Iliadis poeta e materie, quam praeberet carmen ipso vetustius [1]), esse confictam.

Suis autem luminibus haec carminis pars profecto non caret. Immo Achillis, in quem Aeneas stricta hasta et capite demisso irruit, comparatio cum leone furore stimulato, cum similibus quas Ilias multas habet collata una omnium pulcherrima fortasse apparet, praeclara certe est et ex vero ad ipsam vitam picta.

Et, quod haud ita exigui momenti esse videtur de Iliadis compositione disputantibus, versus Υ 180—183 antiquiores utique esse quam Ν 460 sq., quos spurios et hinc oriundos duco, supra demonstrare sum conatus [2]).

Leviusculum vero et vix ullum est discrimen quod intercedit inter versus Υ 220—230 et Ε 265—269, neque satis id valet ad horum locorum alterutrum in suspicionem vocandum. Illic equos regis Troiani ab *Iove* Troi datos esse poeta dixit, Ganymedis pretium, Anchisen autem clam iis potitum esse, aliter igitur, atque nostro loco fit, fabulas parallelas inter se connectens. Nam a nostro loco, ubi Trois equi *Aquilonem patrem* habuisse dicuntur, verbis et nominibus tantum discrepare quae illic narrantur, claro patet, etiam clarius coll. Π 150 sq., ubi equis, quos Peleus a dis accepit, *mater* tribuitur *Procella*.

---

1) Hac de re cf. infra pag. 117 (ad Χ 136 sqq.).
2) Cf. pag. 82.

Digitized by Google

Sed postmodo inserti esse videntur duo hi versus:

νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσι τανάξει
καὶ παίδων παῖδες, τοί κεν μετόπισθε γένωνται [1]).

Qui versus notissimi ei aetati videntur deberi qua Aeneadae ad oram Hellesponti regnarunt Scepside vel Dardani vel alicubi in vicinia.

Φ 17—67. Achilles postquam hastam Peliadem, quae inter fluctus ei utilis esse non poterat, in ripa posuit arbori acclinem, in Scamandri alveum desiluit, ubi stricto gladio Troianos fugientes est adortus, quorum multos cecidit, duodecim vivos cepit, dein ligatos tradidit sodalibus, qui in ripa eum opperiebantur. Tum ἂψ ἐπόρουσε δαϊζέμεναι μενεαίνων, occurrit autem ei Lycaon ἐκ ποταμοῦ φεύγων. Quem hostem ipsi quidem haud parem, minime tamen contemnendum, cum in se irrruentem videret, hastam denuo sumsit. Levem hanc rem poeta dignam non duxit quam commemoraret, indicavit tamen his verbis Achillis: „Lycaon δουρὸς ἀκωκῆς ἡμετέροιο γεύσεται" [2]), neque potuit suspicari ullos unquam lectores fore qui mirarentur heroem mox hastam denuo tenentem:

δόρυ μακρὸν ἀνέσχετο δῖος Ἀχιλλεύς [3]).

Fuere tamen qui inter se haec discrepare contenderent, et hoc quoque prolatum est inter crimina quibus Iliadis compositio est petita!

X 136—198. Pulcherrima haec Iliadis pars, ubi pingitur Achilles Hectorem cursu petens, maxima interpretibus facessivit negotia. Et fieri non potuit quin vere inextricabiles molestias praeberet iis qui opem dederunt ut verba poetae cum vero situ locorum conciliarent. Nam ad fontes, unde Scamander haud procul ab Idae montis cacumine, ex intimis igitur saltuum penetralibus, prodit, Achilles et Hector tum cum circa urbis Troiae moenia cursu properarunt pervenire non potuerunt. De ipsis tamen fontibus quod ait poeta, alterum altero multo esse

1) Cf. Υ 307 sq.
2) Cf. Φ 60.
3) Cf. Φ 67.

Digitized by Google

calidiorem, id iis qui in ea regione itinerati sunt explorantibus verum apparuit. Huius igitur rei notitiam ad poetam pervenisse apparet, sed *prope urbem* illos fontes fuisse cum dixit, situm locorum aut sciens neglexit — id quod veri parum est simile, quoniam sine ullo carminis detrimento tacere de his fontibus poterat, — aut satis cognitum non habuit; id quod nemo qui sapit ei vitio vertet, quoniam scriptorum res gestas referentium est tabulis topographicis sedulo inspectis cavere ne a vero discedant, non est poetarum res fictas copiis ingenii exornantium.

Nihil igitur, quod admodum sit notabile, fontium ille locus a poeta parum recte indicatus habet de ipsius poetae arte vel de carminis compositione disputantibus. Cum vero inquirimus in materiem, qua poeta est usus cum carmen suum confinxit, originis indicium minime contemnendum ille error nobis praebet. Duas fabulas, aut si quis mavult, duas notiones et duas locorum imagines in mente poetae confluxisse, quae ad eandem rem pertinerent sed inter se discreparent, cum aliunde tum hinc efficitur. Quarum altera Hectorem *circum urbem in aperto sitam* ab Achille agitatum habebat, altera ferebat eum relicta urbe montibus vicina confugisse *ad fontes Scamandri fratris*, ipsius dei fluvii sedem [1]), *et ad sedem Iovis Idaei*, abavi vel etiam patris sui [2]), dein ab adversario circa illos fontes veluti περὶ τέρματα esse actum et *versus urbem* denuo fugatum. Illa igitur fabula ostendebat Hectorem *in orbem* actum, haec *recta* fere via fugientem et refugientem. Huic fabulae, quae maiore etiam splendore poetico nitet quam illa, optime conveniunt quae de Hectore *latitare* identidem conato poeta cecinit:

ὡς δ' ὅτε νεβρὸν ὄρεσφι κύων ἐλάφοιο δίηται,
ὄρσας ἐξ εὐνῆς, διά τ' ἄγκεα καὶ διὰ βήσσας·
τὸν δ' εἴ πέρ τε λάθῃσι καταπτήξας ὑπὸ θάμνῳ,
ἀλλά τ' ἀνιχνεύων θέει ἔμπεδον, ὄφρα κεν εὕρῃ·
ὣς Ἕκτωρ οὐ λῆθε ποδώκεα Πηλεΐωνα [3]).

Nam *in saltibus* Hectori *latitandi* spes erat plurima, *per apertum* circa urbem fugienti nulla fuit; illic aptissima erat comparatio

1) Cf. Ψ 148 de Sperchei fontibus.
2) Cf. N 54 al. et de Scamandro dei Idaei filio pag. 81.
3) Cf. vs. 189—193.

Digitized by Google

cum cane venatico damam inter virgulta identidem indaganti, quae hic quo referatur vix habet.

Conferatur praeterea *Agenoris*, quem alterum quendam Hectorem haud male dixerit quispiam, consilium „Ἴδης κνημοὺς" petendi ad effugiendum Achillem [1]). Nec non eodem tendit comparatio cum certamine curuli:

ὡς δ' ὅτ' ἀεθλοφόροι περὶ τέρματα μώνυχες ἵπποι
ῥίμφα μάλα τροχάωσι [2]),

cuiusmodi cursus non per orbem aliquem sed „περὶ τέρματα" quaedam, ut ipse ait poeta, solebant fieri, a carcere versus carcerem, et talis in paenultimo Iliadis libro describitur equorum cursus δίαυλος. Noster tamen poeta sic concludit hanc comparationem:

ὥς τὼ τρὶς Πριάμοιο πόλιν πέρι δινηθήτην.

Nos si urbem in planitie sitam vocamus *Ilium*, urbem Idae lateri acclinem *Dardaniam*, ipsum poetam secuti, qui Dardaniam Ilii metropolim ἐν ὑπωρείῃσι πολυπίδακος Ἴδης sitam fuisse dixit [3]), *nominibus* quoque locorum distinguere ea possumus quae, licet in unam imaginem a poeta nostro sint recepta, primitus ipsa *specie* fuere discreta. Herois autem Dardanii, qui Achillem κατ' Ἰδαίων ὀρέων ταχείῃσι πόδεσσι σεύοντα fugerit, — et prospero quidem eventu fugerit, a Iove enim ceterisque dis est servatus, — fit mentio in libro Υ [4]). *Aeneas* est is quem sic per montium semitas salebrosas agitavit Achilles heros pernicissimus; sed ipsas *res*, quae in fabulis poetam Iliadis aetate superantibus fuere narratae, nunc spectamus, non heroum *nomina*: filium igitur numinis, quod urbem Asianam ab heroe Achivo petitam tutabatur, si cogitamus, minus refert Aeneasne an Hector is heros dicatur, Venerisne an Iovis filius, et Iliumne habitasse feratur an eam urbem cuius colonia Ilium fuit. E prisco autem aliquo carmine, quod de Aenea multa haberet, poetam Iliadis nonnulla desumsisse ut suos in usus converteret — Aeneam cum Diomede pugnantem [5]), Aeneam cum Achille [6]), Achil-

1) Cf. Φ 559.
2) Cf. vs. 162 sqq.
3) Cf. Υ 216—218.
4) Cf. Υ 188—194.
5) In libro Ε.
6) In libro Υ.

Digitized by Google

lem Aeneam persequentem [1]), — perspicere nobis videmur [2]).

Et sic factum est ut fontes fluminis sacri, qui in nemorum penetralibus abditi et dei Idaei delubro montano [3]) vicini erant, a poeta mutati fuerint in πλυνοὺς λαϊνέους prope Ilium urbem sitos, ubi mulieres Troianae tum cum pax fuit vestes lavare solebant. Quae metamorphosis eam sane musam, cui geographiae et topographiae artes curae sunt, habuit invitam, iis tamen musis, quibus poeta Iliadis aurem praebere solebat, haud iratis est facta.

X 487 sqq. Criminibus iniquissimis hi versus a criticis sunt petiti. Versus 487—499 obelis notabat Aristarchus, quem secuti recentiores etiam nonnullos e sequentibus (—505 vel —507) a contextu alienos duxerunt. Nisi tamen decantato illo nimiae ubertatis crimine haec Andromachae verba tristissima de filioli sui sorte futura sollicitae petere velit aliquis, nihil habent quod in mulieris orbatae mentem vel in totam hanc rerum condicionem minus conveniat. Si moreretur Hector bellator omnium longe fortissimus, qui οἷος ἐρύετο Ἴλιον ἱρήν [4]), ipsi urbi et civibus cunctis proximam fore perniciem dudum senserat Priamus [5]), fortasse etiam certo sciebat, ab Heleno aliisve vatibus Troianis edoctus: nunc caeso illo nullam spem salutis sibi suisve etiam superesse sentit Andromache, immo scit. Non dubitanter igitur, sed veluti vaticinata et ita ut de rebus certum mox eventum habituris locuta, pueruli Astyanactis patre orbati miseram sortem luget: scit aut mortem huic instare ab hostibus immitibus aut servitutem aut, si hanc quoque casu insperato effugiat, pauperum vitam squalidam. Mancipii mox instar vel etiam verum mancipium erit is quem *urbis dominum* vocare solebant cives in patris eius honorem.

Apte cum his Andromachae verbis contulerit quis quae Telemachus de sua matrisque misera condicione apud populum conqueritur:

---

1) Hoc mutato nomine inseruit ei Iliadis parti de qua nunc disputamus.

2) Etiam rarum portae *Dardaniae* nomen X 194, 413 fortasse aliquod veri indicium servat.

3) Cf. vs. 170 sq.

4) Cf. vs. 507 et Z 403 Ω 499, 729 sq.

5) Cf. vs. 56 sqq.

Digitized by Google

τὰ πολλὰ κατάνεται, οὐ γὰρ ἔπ' ἀνὴρ
οἷος Ὀδυσσεὺς ἤσκεν, ἀρὴν ἀπὸ ροίκου ἀμῦναι [1]).

Breviores sane aliquanto evadent Andromachae querelae si e versibus duodequadraginta plus viginti deleantur, non vero pulcriores vel ad audientium animos percellendos magis validi. Plane egregia sunt quae habet textus traditus; mulier luctu mersa de se ipsa pauca, de caeso marito vero multa queritur, plurima autem de filiolo, in quo omnis et ipsi et Hectori spes fuit. Sic videlicet caelites exaudiverunt preces Hectoris, „δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι παῖδ' ἐμόν, ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσι" tum cum uxori valedixit orantis. Aut ea quoque ex Iliade resecemus et ipsam Andromacham τὴν δακρυόεν γελάουσαν inde exulare iubeamus, aut, si ineptum id videtur et temeritatis vere barbarae, sinamus eam etiam dum mariti mortem recentem luget cuncta ea verba fundere quae uxori spoliatae poeta tribuit.

Ψ 1 sqq. Contra eos, qui libros ultimum et paenultimum Iliadi postmodo additos esse perhibuerunt, non est in animo fusius disputare. Nam ea sententia fundamentum quo innitatur unam habet criticorum de optima carminis pangendi ratione opinionem. Vitium igitur compositionis si cui videtur nodus ante ipsum carminis finem solutus, is aequo sane animo ferre non poterit caedi Hectoris subiunctos et ubertim descriptos ludos funebres vel Priami ad Achillem iter et cum illo colloquium, neque facile persuaderi ei poterit ut genuina ducat quae parum sibi placeant. Sed ipsam Hectoris caedem cur aequius illi ferunt in carmine *Achillis iram* celebranti? Nonne ea quam modo indicavimus disputandi ratio eo ducit ut in *Patrocli* potius morte carmen illud finem habere debuerit? Huius enim herois letum effecit ut ad se rediret Achilles et iram poneret victus dolore. Sed Hectoris caedem a prisco carmine alienam fuisse nemo unquam perhibuit, nemo perhibiturus est. Cur nemo? Quia plurimum ea carminis pars valet ad audientium vel legentium animos commovendos et admiratione percellendos; quae vero extrema habet Ilias, Patrocli funus et Priami iter ad filii corpus redimendum, non inferioris quidem sunt artis, sed magis pla-

1) β 58—60 et similia in Odyssea passim.

Digitized by Google

cidae. Qualia postea a poeta referri quam ipsa rerum conversio carmine enarrata fuerit, si artis leges severiores non sivisse creduntur, sequitur ut et tragicorum dramata complura — ne fabularum Aristophanearum mentionem nunc faciamus — contaminata ad nos pervenisse censeantur. Quisquis vero non credit Sophoclis Aiacem ab ipso poeta morte herois voluntaria fuisse finitam vel Herculem Euripideum caesis uxore et liberis statim a proscenio olim fuisse abductum, is non habet causam idoneam ob quam contendat priscum poetam epicum in caede Hectoris — vel in caede Patrocli — carminis finem fecisse. Perhiberi potest carmen melius fuisse evasurum si ultima pars non accessisset, sed illud quod traditum accepimus carmen primitus ea parte caruisse, id neque demonstrari potest neque — mihi quidem — veri reddi simile.

Hanc igitur quaestionem nunc mitto, a disputationibus quae non de *arte* poetae vel de Iliadis *praestantia* sed de carminis *compositione* et *integritate* instituantur procul habendam ratus. At spuria quaedam in hanc carminis partem, ut in ceteras, potuisse irrepere, id non est quod negemus. Itaque si qui horum librorum versus certis criminibus sunt petiti, de his breviter nunc disputasse fortasse haud inutile fuerit.

Videamus igitur quam recte vituperata sit Nestoris oratio filium Antilochum quomodo equi sint regendi docentis. Nimis longam esse, festinato enim tunc opus fuisse potius; non iam tempus tulisse sermones prolixos prudentiae senilis. Primum in certamen curule prodiisse Eumelum, dein Diomedem, tertium Menelaum, quartum Antilochum, quintum Merionen; de ceteris perpauca dixisse poetam, de uno Antilocho versus quinquaginta, Nestoris ad eum sermonem habentes: ceteris igitur interim expectandum fuisse donec rex Pyli tam loquax quam grandaevus tandem aliquando peroraret.

Ain vero? Senex intempestive loquax? Immo neque senex annis oppressus — qua de re pridem dixi quae habebam dicenda [1]) — neque nimis verbosus. Non enim aut dixit poeta aut significavit prius surrexisse ceteros, Antilochum autem tum

1) Cf. Mnemos. 1907 p. 45—54.

Digitized by Google

demum prodiisse cum hi bigas suas ad certamen parassent, dein cum patre collocutum esse, tandem et ipsum equos sub iugum misisse et tardum bigas adduxisse ad carceres, ubi ceteri dudum impatienter trepidi adstitissent. Nihil eiusmodi in animo habuit poeta, nihil eiusmodi habet eius narratio. Non enim *temporis*, quo singuli in certamen prodierunt, habita ratione poeta utitur adiectivis numeralibus *primo*, *secundo*, ceteris, sed eo ordine eos enumerat quo singulorum *praestantia* indicabatur. Omnium alacerrimi prodierunt Eumelus et Diomedes, quibus equi erant ceteris meliores, dein Menelaus, Antilochus, Meriones; eodem tamen fere tempore ut cuncti ad bigas festinarint, equos iugo subiecerint, cetera pararint aut a ministris parari iusserint, fert ratio. Quae dum sunt facta, interim Nestor filio non tacitus spectator adstitit, sed ea consilia dedit quae longus usus et equitandi peritia ei suppeditabant.

De Diomede proximis diebus bis graviter vulnerato, nunc autem alacerrimo et ludorum participe, quae dicenda videbantur antehac sunt dicta [1]). Strenue autem negandum est id quod multi perhibuerunt, Iliadis eam partem, quae est de ludis funebribus, cum cetero carmine hac in re minus bene congruere.

Sed Nestor quomodo potuit scire quamnam metam Achilles indicaturus esset cursum ineuntibus? De qua meta filium multa commonefecit:

ἕστηκε ξύλον αὖον, ὅσον τ' ὄργυι', ὑπὲρ αἴης κτέ. [2]).

— Scire si non potuit, nullius ea res est momenti, nam sic poeta sumere solet ea, quae ipse in mente habet, iis quoque quos loquentes inducit cognita fuisse [3]). Sed sic potius rem sibi informavit poeta et nos nobis informare voluit, quoniam sic fert sana ratio: Achillem locum certaminis mox habendi non *solum* elegisse et designasse, sed Nestore adhibito consiliario, qui et rerum equestrium omnium maxime esset peritus et omnino plurimum valeret prudentia. Qualia nemo non facile mente

1) Cf. Mnem. 1911 p. 428 sq.
2) Cf. Ψ 327—333.
3) Cf. K 447 al.

Digitized by Google

supplet, qui ipsi poetae aurem attentam praebens cum illo in media heroum vita versetur.

Prope metam autem virum aliquem, qui haud exiguae esset fidei atque auctoritatis, collocari oportuit ad cursum competitorum circa metam bigas flectentium inspiciendum; nam cavendum erat ne quis eorum ante metam equos flectendo curriculum in brevius contraheret et sic vitato loco difficillimo atque maxime periculoso citius quam ceteri ad carcerem reversus per fraudem victor evaderet. Illic igitur Achilles alterum illum senem consistere iussit, quem plurimi faciebat et patris instar reverebatur, Phoenicem praeceptorem. Cuius nomen hic, ut in libro nono [1]), suspicionem immeritissimam movit criticis: nullam nimirum dein Phoenicis mentionem esse factam. At quid praeterea de eo narrari potuit aut debuit? Metae adstantem Phoenicem nobis ostendit poeta: itaque inter competitores nullum fuisse qui certaminis leges fraudulenter migrare conaretur, facile sibi fingit quilibet: memorabile nihil ea res habebat. Nullus si metae adstitisset arbiter, id insoliti quid fuisset.

Qui cursum inituri sunt heroes, collocantur μεταστοιχί [2]). Quod adverbium non nisi in hoc libro inventum [3]) *alium post alium collocatos* interpretati sunt veteres; at eos qui celeritate certaturi essent ita collocare iniqui atque inepti adeo arbitri fuisset [4]), et cursus ita initus cuiusmodi sit futurus si quis secum reputat, mox sentit poetam tale quid in animum sibi inducere non potuisse. Immo *alius iuxta* (non *post*) *alium* currus iusto ordine fuere collocati; sed quoniam ceteris melior erat locus primus a parte sinistra, utpote metae propior, ultimus vero locus deterrimus erat, res tulit ut sortibus ductis suus singulis locus indicaretur. Et sic locus optimus contigit Antilocho, deterrimus Diomedi; deorum igitur voluntate — non enim caeco casu sed numine divino sortitiones regi credebantur [5]) —

1) Cf. Mnem. 1911 p. 436—438.
2) Cf. Ψ 358.
3) Redit Ψ 757.
4) Cf. Paus. VI 20 § 7 de cursibus qui Olympiae postea sunt habiti.
5) Cf. H 179—182.

Digitized by Google

aequati sunt aemuli. Nam Antilocho tardiores erant equi, Diomedi longe celerrimi.

Cursu alii felicius, alii minus prospere peracto revertuntur. Quos eminus conspiciens Idomeneus admiratur curruum ordinem post metam superatam mutatum: „alius modo primus fuit: ipsi modo spectate: novi hominem: est Aetolus: est unus e regibus: Tydei filius est ille Diomedes" [1]). Sic Idomeneus re inexpectata perculsus ad vitam depingitur; non enim fingitur Diomedem, socium clarissimum, non satis habuisse cognitum, quod ineptum foret, sed prae trepidatione ipsum viri nomen statim proferre non potuisse. Conferri potest Achilles furore vel Antilochus dolore et cursu citato prohibitus quominus verba bene cohaerentia proferat [2]).

Hactenus genuina et laude digna visa sunt omnia. Sed posterior Ludorum pars nonnulla habet quae ipsi Iliadis poetae deberi non videntur. Fuit cum de centum fere versibus [3]) sic iudicandum arbitrarer, sive de certamine gladiatorio, de certamine massam ferri iactandi, de certamine sagittandi: nunc dubito an ultimum solum certamen postmodo fuerit insertum [4]). Sed minus certa sunt haec, de Iliadis autem compositione disputantibus perexigui momenti est quaestio, ludi funebres quot certaminum genera habuerint, et hunc praesertim locum patuisse imitatorum audaciae quivis sentit.

Ω 333 sqq. Denique libri Ω tangendi sunt versus aliquot, qui in suspicionem sunt adducti. Et primus nunc in censum venit locus is, ubi Mercurius ad Priamum mittitur. Dictum enim est cum cetera Iliade, quae caelitum nuntiam habeat *Iridem*, hunc locum non congruere, ubi Iridis illo officio fungatur *Mercurius*. Sed accuratius intuentibus apparet non sic se habere rem, neque enim hoc loco, neque in Odyssea, cui cognatus liber Ω hanc ob causam est dictus, Mercurium revera dici *Iovis* vel

1) Cf. Ψ 469—472.
2) Cf. A 234 sqq. et Σ 18 sqq.
3) Cf. Ψ 798—883.
4) Cf. Ψ 850—883 et Mnem. 1911 p. 36.

Digitized by Google

deorum *nuntium*. Hoc officio et per ceteram Iliadem et in libro Ω fungitur Iris, quae a Iove missa Thetidem in Olympum arcessivit [1]) et Priamum castra Achivorum adire iussit [2]), et Odysseae quoque poetae eam fuisse cognitam, licet eam commemorandi occasione caruerit, testatur *Irus*, Arnaei mendici cognomentum iocosum, ab huius deae nomine ductum [3]). Nunc autem Iridis officium deo non propterea mandatur quod adolescentis, non puellae species Priamo sit obicienda; nam simili Odysseae loco *Minerva* sumta iuvenis regii figura adit Ulixem [4]). Sed Mercurius, cui pro callido eius ingenio corpus Hectoris surripiendum di prius voluerunt mandare [5]), nunc Priamum comitari iubetur. Et congruit Mercurii τοῦ ψυχοπομποῦ [6]) munus, propter quod etiam *Herculem* ex Ditis aedibus vivum reducere est iussus [7]) et ad *Calypso* est missus [8]), quae in fabulis Odyssea antiquioribus fuit dea caliginis infernae, nec non *Circae* Ulixem eripuit [9]), quae licet ab Odysseae poeta in ultimo oriente collocata fuerit, primitus fuit Calypso altera, mortuorum regina, mortales quibus semel potita est nihilo facilius in libertatem dimittens quam Dis ὁ πυλάρτης πολυδέγμων. Convenit autem huic Mercurii officio *caduceus*, quo somnum sive brevem sive aeternum [10]) mortalibus incutit, χρυσόρραπις ideo dictus [11]). Sic et in hymno Cereris *in terras* ab Iove *Iris* mittitur, *ad inferos* vero *Mercurius* [12]). Neque discrepant quae in Odyssea referuntur de Mercurio a Iove ad Aegisthum misso [13]), nam ibi quoque *mortuorum* habita est ratio: cavere voluit Iuppiter ne Agamemnonis et postea ipsius Aegisthi caedes fieret. Ἑρμοῦ χθονίου illius, quem in Orestia celebravit Aeschylus, etiam Odysseae l.l. fit mentio. Itaque Iovis ad Mercurium verba: τά τ' ἄλλα περ ἄγγελός ἐσσι [14]) vera quidem quin sint non est dubitandum, sed non ad quaelibet nuntiorum genera spectant. Haud inepte autem contulerit quispiam *Ganymedem*, Iovis pincernam, in

1) Cf. Ω 77—88.
2) Cf. Ω 143—188.
3) Cf. σ 6.
4) Cf. ν 121 sqq.
5) Cf. Ω 24, 109.
6) Cf. ω 1.
7) Cf. λ 626.
8) Cf. ε 29.
9) Cf. κ 277 sqq.
10) Cf. Λ 241 al.
11) Cf. ε 87.
12) Cf. h. Cer. 314 et 335.
13) Cf. α 38.
14) Cf. ε 29.

Digitized by Google

Iliade iuxta *Iuventam* virginem, quae caelitibus vinum praebet, commemoratum [1]).

Ω 449—456. Nunc de *Achillis tabernaculo* aliquid dicendum. Quod interpretibus iniquissimi criminis occasionem praebuit; aedificium enim operosius instructum, aula porticu atrio munitum, a victus castrensis tumultuaria simplicitate abhorrere ratus Heyne versus, quibus poeta illud tabernaculum pinxit, damnabat [2]). Et partem certe veri ille vidit. Nam primitus fabulam, quae fuit de bello Troiano, nihil eiusmodi habuisse intellegimus, priscos enim poetas παρὰ νηυσὶν potius — ut nautas Ulixis [3]) vel Telemachi [4]) — quam ἐνὶ κλισίῃσι Achillem ceterosque Achivos degere fecisse. Sed ex Iliadis contextu hi versus non sunt resecandi; nam huius carminis poetam, qui tabernacula militum passim commemoravit, etiam Achilli tabernaculum tribuisse, idque rege haud indignum, ut simplex et sine luxu, nam arundine fuit contectum, sic firmum atque spatiosum, id non est quod miremur aut improbemus. Neque mirandum est quod poeta amplum illud aedificium tum demum fusius descripsit cum Priamus in eo cum Achille esset collocuturus. Commemoratum est Achillis tabernaculum etiam in libris A et I et Π et alibi, sed illic nihil referebat scire cuiusmodi esset eius structura: nunc quam maxime refert, ut imago Priami aulam Achillis invecti, dein partem noctis in huius herois tabernaculo transigentis, clara et vivida ante oculos nobis versetur.

Et Achillis ancillae cum Hectoris corpus lavant procul ab ea parte tabernaculi, ubi sedent Priamus et Achilles,

νόσφιν ἀείραντε, ὡς μὴ Πρίαμος ἴδῃ υἱόν [5]),

nec non cum Priamo seorsum cubile in porticu struitur [6]), ut hospitibus strui mos ferebat [7]), etiam melius intellegimus cur poeta ostenderit nobis quam spatiosum esset illud tabernaculum. Sic Priami regiam tum pinxit cum eam intravit Hector, sic in Odyssea antrum Calypsus pingitur cum illuc accedit Mercurius,

---

1) Cf. Υ 232—234 et Δ 2 sq.
2) Item vs. 644—647.
3) Cf. κ 140 sqq.
4) Cf. ο 199 sqq.
5) Cf. Ω 583.
6) Cf. Ω 643—650.
7) Cf. γ 399 al.

Digitized by Google

regia Menelai cum eam visit Telemachus, aedes Alcinoi et tugurium Eumaei cum ea adit Ulixes, sedile Penelopes cum primum illa in mariti conspectum est ventura.

Ω 476. Levius est crimen quo hic versus est petitus. Priamus ad Achillem venit circa tempus cenae vespertinae (τοῦ δόρπου). Mercurius senem duxit per portam castrorum, cuius custodibus cenam parantibus somnum immisit subitum, dein in ipsum tabernaculum Achillis, qui νέον ἀπέλιπεν ἐδωδῆς. Quae vero adduntur verba:

ἔσθων καὶ πίνων· ἔτι καὶ παρέκειτο τράπεζα,

ea damnabat Aristarchus ut ieiuna neque congruentia cum Odysseae versu quodam, ubi finito convivio, postquam omnes convivae abierunt, de Penelopes ancillis dicitur:

ἀπὸ ... σῖτον πολὺν ἤρεον ἠδὲ τραπέζας [1]),

a cena igitur abire heroibus morem fuisse, mensas non prius fuisse sublatas quam illi surrexissent.

Perexiguum profecto discrimen! Cuius causam indicant ipsae res quae narrantur; nam in Odyssea proci ex aedibus Ulixis in suas ipsorum aedes abeunt cubitum, Achilles vero domi manet in megaro, ubi et dormiturus est. Plus valeret alius Odysseae versus oppositus, ubi post cenam vespertinam solus cibus, non et ipsa mensa ablata esse dicitur [2]), si Eumaei in tugurio vitam transigentis simplex victus et supellex cum cena Achillis, ut castrensi sic regali, conferri posse videretur.

Ω 480—483.

ὡς δ' ὅτε κ' ἄνδρ' ἀάτη πυκινὴ λάβῃ, ὅς τ' ἐνὶ πάτρῃ
φῶτα κατακτείνας ἄλλων ἐξίκετο δῆμον,
ἀνδρὸς ἐς ἀφνειοῦ, θάμβος δ' ἔχει εἰσοράοντας,
ὣς Ἀχιλεὺς θάμβησε ἰδὼν Πρίαμον θεοειδέα.

Hos versus opusne est defendi? Dixeris inutile esse quicquid in eorum laudem proferatur, neminem enim fugere posse quam vivida et quam apta sit haec comparatio. Laxior sane est structura verborum: ὡς δ' ὅτε ... ὅς ... ὣς κτέ. pro: ὡς δὲ

1) Cf. τ 61.
2) Cf. ξ 455.

Digitized by Google

θάμβος ἔχει κτέ., quippe quibus non orator incluserit sententiam eleganter tornatam et sedulo ponderatam, sed poeta imaginem rei animo suo obversatae ita pinxerit ut singula deinceps veluti ante oculos nostros fieri videantur: civis ira dementatus alium civem occidit, — terram mutat, veritus ne a caesi agnatis percussus et ipse pereat, — in regionem peregrinam pervenit, — ibi locupletis alicuius viri aedes necopinato intrat et supplex huius genua amplectitur, — stupent quotquot adsunt cum hominem ignotum, anxium, cruore fortasse conspersum adspiciunt. Sed haec dictionis sive libertas sive neglegentia si vituperanda videtur, mox vix ulla e comparationibus illis creberrimis, quae inter praecipua Iliadis ornamenta semper sunt habitae, e criticorum manibus incolumis evadet. Omnes eodem crimine peti possunt [1]). Hoc igitur, si quod est, crimen mittere licet. Sed cavendum ne huic loco infamiam faciat coniectura quaedam, quae plus semel est prolata et nonnemini egregie placuit. Quae si in textum recipienda videtur, inde sequitur aevo posthomerico hos versus esse tribuendos. Videamus igitur quid sit rei.

Cum Priamus per ostium a Mercurio sibi reclusum sera vespera intrasset tabernaculum et supplex prolapsus Achillis manus exoscularetur, iuvenis stupore est perculsus, ut qui exulem homicidam ad se confugientem subito conspiciunt. Ad ἀφνειόν autem potissimum virum aliquem ut se conferat quicunque extra patriam defensorem sibi quaerat, fert ratio; nam pauperiorum non est viros peregrinos in familiam suam recipere, dives vero vir, ad quem exul confugerit, caesi agnatos aut multa soluta poterit placare, si necesse id fuerit [2]), aut placari si nolint, vim inferentes vi repellere. Itaque nulla est causa ob quam adiectivum ἀφνειός h. l. suspectum habeatur, neque coniecturis locus est tentandus. Fuere tamen qui pro ἀφνειοῦ rescribi iuberent ἀγνιτέω, in triplicem errorem se implicantes; nam et — quod gravissimum est — sana erant verba quae remedio vexabant, et illud quod offerebant remedium ne aegrotantibus quidem verbis potuisset prodesse, quoniam vocabuli non epici forma non epica in priscum versum sic fuisset invecta. Non enim -τεω sed

1) De Σ 207 sqq. supra p. 99 similia sunt observata.
2) Cf. I 633 Σ 498 sq.

Digitized by Google

-τᾱο dicendum fuisse nemo hodie negat. Itaque alteram coniecturam ultro haec coniectura secum trahit et sic potius refingendus iam videtur hexameter:

ἀνδρὸς ἐς ἀγνίταο· τάφος δ' ἔχει εἰσοράοντας [1]).

Fac vero non nimiae audaciae videri hoc pro verbis traditis rescribere: quid habebimus? Talem versum qualis in Iliade tolerari ne possit quidem, sed cum vicinis quamprimum expungendus videatur, quoniam aevo Homerico homicidae — non loquimur de *parricidis*, quos ulciscebantur *Erinyes*, — *iuri* quidem *talionis* erant obnoxii, sed nullo *piaculo obstricti* esse censebantur. *Caedis piacula* illo aevo nulla requirebantur, et post procos ab Ulixe interemtos — ut exemplo hoc luculento et notissimo utamur — *aedes* quidem, in quibus caedes perpetrata fuit, sulfuris vapore sunt purgatae, sed *Ulixem* vel *Telemachum* vel *pastores* lustrari non fuit opus. De Phoenice vel Patroclo a Peleo, Lycophrone ab Aiace recepto similia possunt observari, sed rei, quam nemo addubitat, fusius exponendae immorari nihil attinet.

Itaque qui ἀγνίσεως hoc loco mentionem esse factam sibi persuaserunt, hoc ipso argumento dein sunt usi — aut uti debuerunt — ad demonstrandum sero natos esse hos versus, fortasse totum librum Ω.

Quid igitur et alios et Blassium [2]), criticum acutissimum cautissimum, movit ut vitiosum hunc argumentandi circulum intrarent? Scholion videlicet ait exulem eum, quem dicat poeta, venire „καθαρθησόμενον" vel „πρὸς τὸν ἀγνίσοντα". Aevo igitur heroico in illo scholio tribuitur mos qui postea demum videtur invaluisse, quoniam nulla huius moris mentio fit in Iliade vel in Odyssea. *Error* hic est interpretis vetusti, error non gravis, error tamen; quid autem porro? Nosne illo errore permoveri nos sinemus ad versum neque obscurum neque molestum ita mutandum ut obelo deinde dignus videatur? Et *vera* a scholiasta dicta esse si quis sibi persuadet, scholiastae verbis demonstrari posse arbitratur etiam ipsum poetam huius rei mentionem fecisse? Non ego!

1) Cf. τάφος δ' ἕλεν φ 122 ω 441.

2) Cf. Praef. ad Eumenidas, 1907, pag. 10.

Digitized by Google

DE EUPOLIDIS DEMORUM FRAGMENTIS NUPER REPERTIS [1]).

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

In lucem his diebus emissa est imago phototypa fragmentorum Menandri [2]), quae Gustavus Lefebvre ante sex annos in dolio sub terra abdito invenit, ante triennium primus edidit. Omnes igitur philologi iam suis ipsorum oculis pretiosissima illa fragmenta inspicere possunt, quod hactenus non nisi uni et alteri licuit, quoniam *οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κάειρόν ἐσθ' ὁ πλοῦς*. Subiunxit autem Lefebvre nova fragmenta sex, ex eodem vase — quod *Πανδώρας πίθον* optimo iure nuncupaverit quispiam — postmodo protracta, quae sensit a *Menandri* arte aliena, e *priscae* autem *comoediae* aliqua fabula evulsa esse. Et *ὀλκάδων* quae in iis fit mentio eum movit ut ad Aristophanis *Ὁλκάδας* haec referret; quamquam incertissimam esse hanc suspicionem ipse est prolocutus, non tamen dubitans quin Aristophaneae alicuius fabulae invenisset fragmenta. Quae aliis reliquit explenda et interpretanda, de primo solo nonnulla observans ipse.

Si Aristophanis nomen non tam firmiter eius menti inhaesisset, mox, ut opinor, invenisset verum. Sunt fabulae *τῆς παλαιᾶς* haec fragmenta: non sunt Aristophaneae. Sunt *Demorum Eupolidis*.

Quae fabula olim in paucis fuit clara. Satis multi versus ex ea apud varios scriptores leguntur allati et non nihil praeterea de ea traditum accepimus. Quemadmodum Cratinus in

1) Repetuntur hic quae 11 Dec. 1911 in Academia nostra Regia protuli.

2) Catalogue général des antiquités égyptiennes du musée du Caire. N°. 43227. Papyrus de Ménandre par M. Gustave Lefebvre.

Digitized by Google

Archilochis poetas epicos, quemadmodum postea Aristophanes in Ranis poetas tragicos, sic Eupolis in Demis claros aliquot duces ab inferis excitatos ostendit spectatoribus. Prodierunt *Solon*, *Miltiades*, *Aristides*, *Pericles*, ut prudentibus consiliis cives adiuvarent; pessime nimirum iam regi civitatem: non claros, ut olim, peritosque viros rei publicae iam praefici, sed impudentissimo impurissimoque cuique rabulae esse spem munerum gravissimorum ipsiusque adeo praeturae. In illa Atheniensium civitate, quam magnam fecissent Solon et qui post eum fuere, iam dominari καθάρματά τινα καὶ μειράκια βινούμενα.

Non post annum 415 hanc fabulam actam videri probabiliter statuerant viri docti: *Niciam* enim Athenis praesentem in ea fingi [1]), nondum igitur in Siciliam abiisse. Nova autem haec fragmenta annis 417—415 optime conveniunt.

Quorum primum habet partem cantici iambici. In dorso eiusdem laciniae legitur antepirrhema paene totum, dein prodit *Aristides* et cum *Solone* confabulatur. Cetera fragmenta habent partes aliquas dialogorum iambicis trimetris inclusorum — sed miserrime habitas — dimetris iambicis intermixtis. Plus semel fit mentio *Myronidae*, quem cum Pericle in Demis collocutum esse dudum e Plutarcho fuit cognitum [2]). Ridetur *Theogenes* heluo voracissimus, quem in Demis — ut in Avibus Aristophanis — vellicatum fuisse testantur scholia ad Aristophanis Aves [3]). Etiam *Pauson* ridetur ille pictor famelicus, de quo Aristophanes contemtim saepius est locutus [4]). Et de *Callia* iuvene ditissimo atque prodigo fit iocus, ut in Avibus Aristophanis. Nec non spectatoribus deridendus propinatur *Pisander*, quem et Eupolis et Aristophanes malignis dicteriis saepius proscidit [5]).

Hunc hominem etiam adiectivo ἀριστητικῷ, quod Eupolidem in Demis usurpasse ait antiatticista Bekkerianus [6]), designatum fuisse verisimile fit collato initio fragmenti, quod novorum primum est. Commemorantur *Epidaurus* et *Mantinea*, quarum civi-

1) In fragmento 91 Kock.
2) Plut. Per. 24 (Eup. fr. 98).
3) Ad Av. 822 (Eup. fr. 122).
4) In Acharnensibus, in Thesmophoriazusis, in Pluto.
5) Eupolis in Maricante (fr. 182), praeterea cf. fr. 31 et Ar. Pac. 395 Av. 1556 sqq. Xen. Conv. 2 § 14.
6) Eup. fr. 130.

Digitized by Google

tatum rebus Athenienses his annis (420—416) se immiscuisse Alcibiadis instinctu, nemo nescit [1]). Ipsos autem *τοὺς Δήμους*, quos chorum egisse testatur fabulae nomen, commemorat is qui Solonem et alium quem — Aristiden vel Periclem, ut opinor, — alloquitur.

Ex pretiosissimo igitur hoc codice [2]) supersunt tres laciniae male habitae sive fragmenta sex, et insignes gratiae debentur Lefeburio, qui miro oculorum acumine multo plura indagavit quam in imagine — a me certe — possunt discerni.

Exhibebo iam quae in sex illis fragmentis extant.

FRAGMENTUM I.

καὶ δῆλα· [3]) *Πείσανδρον διε-* [4])
στράφθαι χθὲς ἀριστῶντα φασ' [5])
ἐπὶ ξένων [6]) *τιν' οντ' αυτου* [7])
⏑ *οὐκ ἔφασκε θρέψειν.*
Παύσων δὲ προσστὰς [8]) *Θεογένει* [9])
δειπνοῦντι πρὸς τὴν καρδίαν
τῶν ὁλκάδων τιν' αὐτοῦ
. . ἕψας [10]) *ἅπαξ διέστρεφεν.*
αὐτὸς [11]) *δ' ἔκειθ' ὁ Θεογένης*
τὴν νύχθ' ὅλην πεπορδώς.
τρέφειν μὲν οὖν [12]) *χρὴ Καλλίαν*

1) Thuc. V 45, 53, 74, 77—79, 82—84 al.

2) Codex fuit, non volumen. Utrinque conscripta sunt folia, ut codicis Menandrei.

3) *δηδε* (?) pap.; an *δῆτα* (Hartman)?

4) Lef. *πεισαναρ. ιδιε.* In imagine post *πεισανδρ* equidem nihil dispicio quod certum videatur.

5) *φα* | *σ'* pap. more prisco (cf. schol. Hom. Θ 206).

6) *ξενοιν* Lef.; *ἐπεὶ ξένον* (Hartman)?

7) Certa haec, sed corrupta. Verum non invenio, non satis igitur intellego *cur* Pisander heri cum pranderet viscerum doloribus tortus fuisse dicatur (cf. Ar. Plut. 1131 Eq. 175 al.). Ceterum cf. Athen. 415*d* (fr. adesp. 64): *οἱ κωμῳδιοποιοὶ Κλεώνυμον καὶ Πείσανδρον εἰς πολυφαγίαν διαβεβλήκασιν.*

8) *προστασ* pap.; cf. Eup. fr. 310. 9) *θεογονει* pap., sed idem mox *-γενησ.*

10) [*κ*]*λέψας* Lef.; an *βλέψας*? Sed contextum non intellego; littera *λ* in imagine non apparet. 11) *.υτοσ* pap.

12) Sic dubitanter dedi; pap. [*σ*?]*τρεφεινουνπρωταμενχρηκαλλιαν*, quae corrupta esse docent numeri; fortasse olim fuit: ⏑ – ⏑ – [*διασ*]*τρέφειν* | *οὖν πρῶτα μὲν χρὴ Καλλίαν* (*διαστρέφειν* Croiset). *Callias* post patris mortem anno 421 sui iuris factus Graecorum ditissimus fuit aliquantisper et propter prodigalitatem famosus. Ab Eupolide anno 421 derisus est in Adulatoribus. Cf. etiam Ar. Av. 284.

Digitized by Google

τοὺς ἐν μακροῖν τειχοῖν θ' ἅμα —
ἡμῶν γὰρ ἀστικώτεροι [1]) —
Νικήρατόν τ' Ἀχαρνέα [2])
[κριθῶ]ν διδόντα χοίνικα
[μεμαγμένω]ν ἑκάστῳ [3]).
⏑–⏑ νη τῶν χρημάτων
[οὐδ' ἅ]ν τριχὸς πριαίμην [4]).

FRAGMENTUM II.

. . . . κἄξιοι δημηγορεῖν [5]).
χθὲς δὲ καὶ πρῴην [6]) παρ' ἡμῖν φρατέρων ἐ[δεῖτ' ἔτι] [7]),
κοὐδ' ἂν ἠττίκιζεν εἰ [8]) μὴ τοὺς φίλους ἠτχύν[ετο],
τῶν ἀπραγμόνων γε [9]) πόρνων κοὐχὶ τῶν σεμνῶν [τις ὤν],
ἀλλ' ἔδει νεύσαντα χωρεῖν εἰς τὸ κινητήρ[ιον] [10]).
τῆς ἑταιρίας δὲ τούτων τοὺς φίλους ἐσκ[έμμεθα] [11]).
ταῖς στρατηγίαις δ' ὑφέρπει καὶ τρυγῳδ[οῖς μέμφεται] [12]).

---

1) ἀστικωτεροιγαρεισινημων pap. — *Magis urbanos* quam se ipsos Demi, qui loquuntur, ioco amaro vocant rusticos pauperculos, qui postquam propter hostium incursiones in urbem confugerunt, τὰ μακρὰ τείχη ᾤκουν κατανειμάμενοι (Thuc. II 17 § 3).

2) Hunc hominem, ut ceteros agricolas famelicos, nutrire debet Callias? Pauperem igitur et ipsum.

3) Sic supplevi exempli causa. Lefebvre [εἴκο]σιν et χοίνικας. Si recte, — equidem litteras σι et σ non cerno, — ex. gr. χοίνικας [τρεῖς ἀλφίτων] ἑκάστῳ; Croiset [ᾗ καί τι πλέ]ον ἑκάστῳ.

4) Hic versus in imagine non apparet, sed quae Lefebvre dedit supplevi coll. Eup. fr. 351 μισῶ λακωνίζειν, ταγηνίζειν δὲ κἂν πριαίμην. Cf. etiam Soph. Ai. 477 οὐκ ἂν πριαίμην οὐδένος λόγου, Ant. 1171 καπνοῦ σκιᾶς οὐκ ἂν πριαίμην, Ar. Ran. 614 εἰ . . . ἔκλεψα ἄξιόν τι καὶ τριχός.

5) Fortasse utile est nunc meminisse *Pisandrum* vocari „τὸν δημηγόρον" a Philippo scurra in Convivio Xenophonteo. — Prior pars versus in imagine non cernitur; Lefebvre dubitanter dedit: . ωσφησπαν . . ει . . . . ι, litteras neque sensui neque metro aptas.

6) Cf. Ar. Ran. 726, item in antepirrhemate et in simili contextu.

7) Ridetur rabula aliqui forensis praeturam nunc appetens, fortasse assecutus. Cf. quae de *Execestide* dicuntur in Ar. Avibus.

8) η pap.

9) τε Lef., etiamne pap.?

10) Dicitur hic homo, quisquis fuit, ἡταιρηκέναι, et in sordida fornice prostitisse, ubi ne erecti quidem possent incedere qui eum viserent. Fortasse huc pertinet fr. adesp. 24: Ἐξήκεστος ἡταιρηκώς. Pro κινητήριον fortasse βινητήριον est scribendum, sed. cf. Herod. Mim. V 2 vel „Κινησίας" ille Aristophaneus.

11) Impuro homini opponiturne bonorum virorum sodalicium aliquod?

12) Circa annum 416 *Syracosius* quidam libertatem scenae comicae psephismate

Digitized by Google

εἰς δὲ Μαντίνειαν [1]) ὑμᾶς οὗτος οὐ μετ[ήγαγεν],
τοῦ θεοῦ βροντῶντος ὑμῖν, οὐκ ἐῶν[τος συμμαχεῖν] [2]);
εἰπὲ δὴ σύ, τοὺς στρατηγοὺς πρὸς βίαν [αἱρούμεθα] [3]);
ὅστις οὖν ἄρχειν τοιούτους ἄνδρας [ἡγεῖται καλόν],
μήτε πρόβατ' αὐτῷ [4]) τεκνοῖτο μήτε γῇ [5]) κ[άρπους φέροι].

ΑΡΙΣΤΕΙΔΗΣ [6]).

ὦ γῆ πατρῴα [7]), χαῖρε· σὲ γὰρ ἀσπ[άζομαι] [8])
πασῶν πόλεων ἐκ παγκα[λ – ∪ – ∪ – .

ΣΟΛΩΝ [9]).

τὸ δὲ πρᾶγμα τί ἐστι .[
χαίρειν δὲ Φ .[
παντα π . .
πρα[

FRAGMENTA III et IV.

Nimis lacunosa sunt haec fragmenta quam quae satis probabiliter — a me certe — expleri possint. Sed quae utilitatis aliquid habere videntur excerpam.

Legitur igitur III 4: τοὺς Δήμους ὅσῳ (an ὁρῶ?). En ipsum *chori* sive fabulae *nomen*.

Ibidem vs. 6: [οὐ]κ ἤρχετον σὺ καὶ Σόλων. *Solonis* igitur certum est nomen; alter ille dux, qui σύ nunc dicitur, fortasse est *Aristides*.

Vs. 7 desinit in verba οὔτ' ἐκεῖ νοῦ (aut ἐκείνου) καὶ Φρενῶν. Dein sequuntur dimetri, quorum ultimae litterae supersunt solae. Sed magni momenti est vs. 15: [Μ]υρωνίδην [10]). Quod nomen proprium in fragmento IV redit; nam IV 9 quin pro]Φωνιδησ legendum sit [Μυ]ρωνίδης non dubito. *Myroniden* clarum ducem

coërcuit (cf. schol. Ar. Av. 1297). Quem ab *Alcibiade* fuisse instigatum suspicatus est Bergk. De Syracosio hoc cf. Eup. fr. 207, ubi caniculae latranti assimulatur.

1) -νεαν pap.

2) Terrae motu numina anno 420 dehortata sunt Athenienses, ne Alcibiadi foedus cum Argivis inire iubenti aurem praeberent (Thuc. V 45). Similis est locus Ar. Nub. 581 sqq.

3) Cf. e. g. Ar. Ach. 73 πρὸσ βίαν ἐπίνομεν. „Nonne libera sunt Atheniensium comitia?" An vi compulsi ἐν ταῖς ἀρχαιρεσίαις eos praetores creamus quos nolimus?

4) προβατατεκνοιτο. Litterae αυτω Lefeburii oculos fefellerunt. αυτω

5) μήτ' εἴη Lef.

6) αρ/ pap., nisi fallor; αρμ/ Lefebvre legere sibi visus est.

7) πατρωα pap., in qua iota quiescens constanter omissum est.

8) Sic suppl. Lefebvre. 9) σολ/ pap. ni fallor, σμ/ dubitanter Lef.

10)]κρωνιδην Lef., sed certam duco literam υ.

Digitized by Google

cum *Periclis* umbra confabulantem exhibet fabulae nostrae fragmentum quod servavit Plutarchus [1]). Et congruit quod in versus sequentis fine extat verbum *ἀνήγαγε* sive (*inter vivos*) *reduxit* [2]).

Ipsa autem fragmenta haec sunt:

III.

]πεττειν . .[
]συγγενώμ[ε]θα
]ταῦτα καὶ πεπράξεται
]. σεσθε τοὺς Δήμους ὅσῳ
]οι νῦν διακείμενοι
οὐ]κ ἤρχετον σὺ καὶ Σόλων
]ὥστ' ἐκεῖ νοῦ καὶ Φρενῶν
]. σ . . ηδ . . μάτων
]οι . . : συχνή
]χεται
]τονη
∪ – ∪ – ∪]ροσθεν
]ιη προδῷς
]ν προθυμίαν
Μ]υρωνίδην
]ους ἀνήγαγεν
∪ – ∪]ἀσπάσασθαι
]α . . . δοκῶ

IV.

]. . τος γὰρ ωσ .[
ἄνδρες ωνη[
]τες ἐν τοίαισιν ἡ-
δοναῖσι κείμεθα [3]).
]ειδονωτους ἄνδρας ηδητυχη[
]ημενους οὓς Φασὶν ἥκειν παρ[
]. εα μὲν δὴ τῶν Φίλων προστη[
]ος ὀρθὸς ἔστη ηκω . . . . στ' αὐτῶν . .[
[Μυ]ρωνίδης ἐρώμεθ . . υτο[
εἰπέ μοιω[
μόλις ε .[
προσπολλων[
Φρα . ον . .[
]. δ' αὐτὸς ημ' ἐκεῖνος ὃν ἐ[[4])
]. τας 'Αθήνας πόλλ' ἔτη[
]αστ . . . . δρους ἄνδρ[ας
]η καὶ σαΦῶς οι .[
ηνανεθ . ηγγ .[

FRAGMENTUM V.

Ne hoc quidem fragmentum totum explere possum.

]τεπρσσμ . . .[
∪ – ∪ –]νῦν αὐτίχ' ἁγνός εἰμ' ὅτῳ
∪ – δι]καιός εἰμ' ἀνήρ [:] λέγ' ὅ τι λέγεις.
∪ – ∪]ος ποθεῖς ἀγο[ρὰ]ν κυκεῶ πιὼν [5])
∪ – ∪ –]ημνων τὴ[ν] ὑπήνην ἀνάπλεως
∪ – ∪]. . ων τοῦτ' ἐννοοῦμαί πως ἐγώ.
[μα]θὼν δὲ ταχέως οἰκάδ' εὐθὺς τοῦ ξένου

1) Plut. Per. 24 (Eup. fr. 98).

2) Ut Ar. Ran. 77: *εἶτ' οὐ Σοφοκλέα πρότερον ἀντ' Εὐριπίδου | μέλλεις ἀνάξειν, εἴπερ ἐκεῖθεν δεῖ σ' ἄγειν.*

3) *ἄνδρες ὧν∪ – ∪ – ντες | ἐν τοιαῖσιδ' | ἡδοναῖσι κείμεθα*?

4) *ὃδ' αὐτός εἰμ' ἐκεῖνος ὃν ἐκαλεῖτ'*? Prodit aliquis post chori breves aliquot versiculos.

5) De potione a peregrino aliquo hausta quod h. l. et infra dicitur, obscurum est. Hac fortasse hausta ad inferos descendit is qui quatuor illos duces inde in terram reduxit (*ἤγαγεν* fr. 93).

Digitized by Google

[ἀπ]έδρασας, ὦ πανοῦργε καὶ κυβευτὰ σύ,
[παρὸ]ν [1]) κελεύειν τὸν ξένον μοι χρυσίου
[πέμπει]ν στατῆρας ἑκατόν· ἦν γὰρ πλούσιος [2]).
∪–∪ ον ἐκ[έ]λευσέ μ' εἰπεῖν ὅτι πιὼν
∪–∪–∪]κᾆτ' [3]) ἔλαβον τὸ χρυσίον
∪–∪– εἴτω τις ὅ τι ποτε βούλεται [4])
]τῆς δικαιοσύνης ὅση
]ητηνουτειτωδιαστολα.
]ωνπραξεν οὐπιδαύριος [5])
]σφρενων αποκλεισεκποδων
]ραν κατέλυσας ..τηθεις πολὺ
]αξάμην δὲ χρήματ' οὐ λέγω
]θανόντων ταυτασου χάριτος ἄξια
]....νει σαφῶς τις ἀποθάνοι
]υοπου.[

FRAGMENTUM VI.

Huius fragmenti vix una et altera littera in imagine hic illic apparet. Ex Lefeburii igitur fide repetam quae ille dedit.

Loquiturne *Aristides* „ὁ δίκαιος"? Quem cum *Nicia* in Eupolidis Demis confabulatum esse testatur Galenus [6]).

]σι.τ.ντωχει.[
∪–]μεδ' ηταυταν. πορσ. χρημα[
[τί] [7]) τοὺς θανόντας ο[ὐκ] [8]) ἐᾷς τεθνηκέν[αι];
[μ]αρτύρομαί σ'. ἔτι δέ μ' ἀγωνι[ο]ύμ[ενον]
[κα]λέσας με συνδεῖς κἀδι[κεῖς;]: ἀλλ' οὐ[κ ἐγὼ]

1) Lef. ... εν, sed litteram ε incertam dicit; in imagine omnino deest.

2) Cf. Pollux IX 58, qui de *staleribus* disputans Εὔπολις ait ἐν Δήμοις τὸ νόμισμα δηλοῖ λέγων· ἔχων στατῆρας χρυσίου τρισχιλίους.

3) κατ' (cum elisionis signo) pap.

4) Numeri vitiosi; fortasse autem non ειτω sed ητω extat in pap.

5) *Epidauri* nomen memoratu dignum. Nam anno 419 Argivi Alcibiade auctore Epidaurum sunt aggressi et ceperunt (Thuc. V 53 sqq.), anno autem proximo post pugnam Mantineensem Epidaurus libertatem recuperavit et Athenienses inde recesserunt (ibid. 77—80). — Vicina ex Lefeburii fide dedi; in imagine vix quicquam cernitur. Partim neque numeros integros praebent quae ille legere sibi est visus, neque sensum.

6) Cf. Eup. fr. 91.

7) τί Eur. in Melanippe (fr. 510 Dind.); hoc igitur versu tragico nunc utitur heros, quemadmodum *Miltiades* in Demorum fragmento 90 usus est verbis Medeae Euripideae. Ceterum εἰ vel ὅς fortasse in nostro versu est legendum.

8) Lef. σ..'; in cod. post οὐκ scribi solet elisionis signum, ut et in aliis haud raro fit.

Digitized by Google

ξυνέδησά σ', ἀλλ' ὁ ξένος ὁ τὸν [1]) κυκεῶ [πιών].
— δίκα[ι]α δῆτα ταῦτα πάσχειν ἦν ἐμέ!
— ἕ[π]ου [2]) βαδίζων ⟨ὡς⟩ τὸν ἱερέα τοῦ Διός.
— ὕβριζε· ταῦτα πάντα δ' ἔτ' [3]) ὀφλήσεις ἐμοί.
. γαρουτουφηλειν λέγεις οὕτως ἔ[χ]ων.
— καὶ ναὶ μὰ Δία κλάοντα καθιῶ [4]) σ' [εὐθέ]ως [5]).
— καὶ τοῦτό μου τὸ χρέος καταψεύ[δει σαφῶς].
....τετ' αὐτὸν καὶ παράδοτε [6]) [−∪−
∪−]αρεστιν τῶν τοιούτων α[∪−
εμ..ομην δ' ἂν καὶ Διοπ...ον χα[∪−
τὸν [ἰε]ρόσυλον, ὅς ποτ' η...νενδε[
τοῦ τῶν πανούργων [ἐστ]ὶ τῶν νεωτ[έρων],
τὸν Σωκράτη [δ' ἄρ'] ὁπόταν εὖ [7]) τὸ σῶμ' ἔχ[ῃ].
ἐγὼ δὲ πάσῃ προσαγορεύω τῇ πόλ[ει]
εἶναι δικαίους, ὡς ὃς ἂν δίκαιος ᾖ [8])
]....τον.....

Paginae parte quae superest utar ut novorum fragmentorum fabulae alicuius Menandreae, quae Lefebvre dedit pag. XVIII sq., versum unum et alterum expleam. Legatur igitur ibi:

ἀλλ' εἴ με σῴζων τοῦτο μὴ πείσαις ἐμέ,
οὐκέτ[ι] πατὴρ κρίνοι' [ἂ]ν ἀλλὰ δεσπότης.
— λόγου δὲ . . . . . σεως
οὐκέτι. . . . . βοᾷ
φωνὴν ἀφιείς. εἰ δὲ κἀμὲ δεῖ λέγειν κτἑ.

Et in dorso:

τὴν πολυτέλειαν. Θεσμοφόρια δὶς τίθει· [9])
Σκίρα [10]) δίς· τὸν ὄλεθρον τοῦ βίου καταμάνθανε.
οὔκουν ἀπόλωλεν οὗτος ὁμολογουμένως;
σκόπει [δ'] ὀθε[ύ]νεκ[α] [11]) φησὶ δεῖν εἰς −∪−
αὐτὸν βαδίσαι κτἑ.

---

1) ταν Lef.; ὅταν...πίῃ? Sed quomodo id contextui convenit?
2) εφου Lef., de φ dubitans.
3) ταυταδ'εντοφλησεισ pap. secundum Lef. ἔτ'
4) καθεσω pap. secundum Lef.
5) ..ηνωσ Lef. dubitanter.
6) -το Lef.
7) ου Lef.
8) Congruit Demorum fr. 92: τὸ γὰρ δίκαιον πανταχοῦ φυλακτέον.
9) τισει Lef.
10) *Scira* sive Scirophoria, ut et *Thesmophoria*, a solis *mulieribus* celebrabantur. Cf. Ar. Thesm. 834 Eccl. 18, 59 et *Tauropolia* in Menandri Disceptantibus.
11) οσο..κ. Lef.

Digitized by Google

IOHANNIS IACOBI REISKII ANIMADVERSIONES AD ARRIANI INDICAM.

EDIDIT

A. G. ROOS.

Cum in huius Bibliothecae Vol. XXXVI p. 39—61 de Reiskii studiis Arrianeis pauca praefatus animadversiones eius ad Expeditionem Alexandri pertinentes, quas HENRICUS SCHENKL v. c. ex autographo Hauniae in Biblotheca Regia servato exscriptas humanissime mihi dono miserat, publici iuris fecerim, nunc mihi liceat eiusdem viri acutissimi elucubrationes in Indicam tunc sepositas cum Mnemosynes lectoribus communicare. Quae eadém ratione edendae mihi videbantur, quam ante triennium in adnotationibus ad Anabasin proferendis initam exposui l.l. p. 39 sq. Seclusi igitur, praeter enarrationes nonnullas longiores quibus Reiske auctoris verba explanavit, cum coniecturas paucas, quas prorsus falsas esse mihi persuasi, tum eas emendationes — sunt numero *quindecim* — quibus eum ipsam Arriani manum restituisse meliores codices postea prolati docuerunt. Praeterea in calce huius paginae quam brevissime correctiones enumerabo post Reiskium ab aliis quoque viris doctis inventas et omnes ita comparatas, ut in Indicae editione Hercheriana nulla non in textum recepta sit, unde equidem eas, cum Indicam edam, non eiecturus sum [1]). Ita optimis Reiskii inventis praetermissis, ea quae iam restant hic in lucem proferenda quamquam

1) Sunt numero *duodeviginti*: Ind. V 13 p. 7, 13 Τύριος οὗτος] οὗτος del. Reiske Hercher; VI 7 p. 8, 10 χιονόβαντα] χιονόβλητα Reiske Müller; VII 4

Digitized by Google

non omnia probo, singula tamen conamina digna videntur quae attente perpendantur. Acumen vero Reiskianum ab omnibus peritis permagni factum nescio an non ulla alia re magis praefulgeat quam ea, quod Indicam, tot egregiis emendationibus ab eo expolitam, *semel* tantum legerit, siquidem suis ad hoc opus animadversionibus praescripsit: „libellum hunc prima vice legi", iisque hanc subscriptionem adiecit: „absolvi adspirante deo d. 29 Aug. 1757. Indicam tantummodo semel ad hoc diei legi, et satis quidem *ἡμελημένως*, quare necesse est ut in eo libello multa corrupta praeterierim intacta. Reliquos septem libros superiores [Anabasin scil.] maiore cura et ter vel quater perlegi."

Singulis Indicae locis praeter capitum et paragraphorum numeros etiam paginas et versus ascripsi alterius editionis Scriptorum Arriani minorum Hercherianae ab Alfredo Eberhard curatae (Lipsiae 1885). Lemmata praeterea addidi et in paginarum calcibus coniecturas ab aliis propositas adnotavi.

I 3 p. 1, 6 sq. *οὗτοι* (sc. Ἰνδοὶ) *πάλαι μὲν Ἀσσυρίοισιν ὑπήκοοι ἦσαν· ἐπὶ δὲ Μήδοισι Περσέων ἤκουον, καὶ Φόρους ἀπέφερον Κύρῳ τῷ Καμβύσεω*] legendum videtur: *ὑπήκοοι ἦσαν, ⟨ἔπειτα Μήδοισι⟩, ἐπὶ δὲ Μήδοισι κτλ.*

II 7 p. 2, 21 sq. *τὸ δὲ πρὸς νότου τε ἀνέμου καὶ μεσαμβρίης αὐτὴ ἡ μεγάλη θάλασσα ἀπείργει· τὴν Ἰνδῶν γῆν, καὶ τὰ πρὸς ἕω αὐτὴ ἡ θάλασσα ἀπείργει*] legendum: *⟨αὖ⟩ ἡ αὐτὴ θάλασσα* [1]).

II 9 p. 2, 26 sq. *τὰ δὲ πρὸς ἕω Ἀλέξανδρος μὲν οὐκ ἐπῆλθε,*

---

p. 9, 10 *τῶν Ἰνδῶν*] *τὴν Ἰνδῶν* Reiske Eberhard; XI 5 p. 14, 6 *μαντεύουσι*] *μαντεύονται* Reiske Hercher; XIII 4 p. 16, 28 *τοῦ ἐπὶ*] *τῷ ἐπὶ* Reiske Dübner; XV 9 p. 20, 11 *ὡς ⟨ὑπὲρ⟩* Reiske Hercher; XV 11 p. 20, 22 *λέγει ⟨ὅτι⟩* Reiske Hercher; XVI 10 p. 22, 2 *τήν* del. Reiske Schmieder; XX 2 p. 25, 26 *ὅρμῳ*] *ὅρμων* Reiske Dübner; XXIII 4 p. 30, 13 *⟨ἃ⟩ τοῦ* Reiske Schmieder; XXVI 5 p. 33, 25 *οὐκ* del. Reiske Schmieder; XXVII 2 p. 34, 30 *ἐπωκέοντας*] *ἐποικέοντας* Reiske Hercher; XXXI 4 p. 40, 11 *τοὺς ἀνθρώπους*] *τοῖς ἀνθρώποις* Reiske Hercher; XXXV 8 p. 45, 28 *ἐπομνύειν*] *ἐπομνύει* Reiske Dübner; XXXV 8 p. 45, 29 *μεῖζον ὡς*] *μειζόνως* Reiske Hercher; XL 3 p. 50, 28 *ἐπιτελέως*] *ἐπὶ τῷδε ὡς* Reiske Müller; XL 10 p. 51, 23 *ταύτην*] *ταύτῃ* Reiske Hercher; XLI 3 p. 52, 6 *καὶ* del. Reiske Schmieder.

1) *ἡ αὐτὴ θάλασσα* Hercher scripsit.

Digitized by Google

τὰ δὲ πρόσω ποταμοῦ Τφάσιος, ὀλίγοι δὲ ἀνέγραψαν τὰ μέχρι ποταμοῦ Γάγγεω καὶ ἵνα τοῦ Γάγγεω αἱ ἐκβολαὶ καὶ πόλις Παλίμβοθρα μεγίστη Ἰνδῶν πρὸς τῷ Γάγγῃ. (c. III) ἐμοὶ δὲ Ἐρατοσθένης ὁ Κυρηναῖος πιστότερος ἄλλου ἔστω κτλ.] sic distinguo et lego hunc locum: τὰ δὲ πρόσω ποταμοῦ Τφάσιος ὀλίγοι μὲν ἀνέγραψαν. Huic μὲν respondet in apodosi periodi δὲ, quod legitur initio capitis III ἐμοὶ δὲ: ad illa vero, quae ultra fluvium Hyphasin sunt quod attinet, pauci quidem scriptis exposuerunt partes ad Gangem porrectas — at Eratosthenes cet. [1]).

III 3 p. 3, 9 sq. εἴη ἂν ὧν αὐτῷ (scil. Eratostheni) ἡ πλευρὴ τῆς Ἰνδῶν γῆς πρὸς ἕω μυρίους καὶ ἑξακισχιλίους σταδίους ἐπέχουσα. τοῦτο μὲν αὐτῷ πλάτος τῆς Ἰνδῶν γῆς συμβαίνει, (4) μῆκος δὲ τὸ ἀπ' ἑσπέρης ἐπὶ ἕω ἔστε μὲν ἐπὶ πόλιν Παλίμβοθρα μεμετρημένον σχοίνοισι λέγει ἀναγράφειν· καὶ εἶναι γὰρ ὁδὸν βασιληίην. τοῦτο ἐπέχειν ἐς μυρίους σταδίους. τὰ δὲ ἐπέκεινα οὐκέτι ὡσαύτως ἀτρεκέα. (5) Φήμας δὲ ὅσοι ἀνέγραψαν, σὺν τῇ ἄκρῃ τῇ ἀνέχουσῃ ἐς τὸ πέλαγος ἐς μυρίους σταδίους μάλιστα ἐπέχειν λέγουσιν· εἶναι ἂν ὧν τὸ μῆκος τῆς Ἰνδῶν γῆς σταδίων μάλιστα δισμυρίων]. Legendum ἡ πλευρὴ τῆς Ἰνδῶν γῆς ⟨ἡ⟩ πρὸς ἕω. Praeterea sic distinguo: λέγει ἀναγράφειν, καὶ (εἶναι γὰρ ὁδὸν βασιληίην) τοῦτο ἐπέχειν κτλ. Denique post τὸ πέλαγος excidit ⟨τὸ πλάτος⟩, a septentrione ad austrum ductum terrarum spatium, cui opponitur deinceps τὸ μῆκος, spatium ab occidente ad orientem porrectum.

IV 3 p. 4, 14 αὐτόν τε γὰρ μέγαν ἀνίσχειν ἐκ τῶν πηγέων (Gangem sc.)] fortasse αὐτοῦ, statim ibi ubi oritur, apud fontes.

IV 13 p. 5, 15 sq. οὔκουν ἀπιστίην χρὴ ἔχειν ὑπέρ τε τοῦ Ἰνδοῦ καὶ τοῦ Γαγγέω, μηδὲ συμβλητοὺς εἶναι αὐτοῖσι τόν τε Ἴστρον καὶ τοῦ Νείλου τὸ ὕδωρ] scribendum τοῦ τε Ἴστρου,

1) Ita Hercher haec refinxit: τὰ δὲ πρὸς ἕω Ἀλέξανδρος μὲν οὐκ ἐπῆλθε [τὰ δὲ] πρόσω ποταμοῦ Τφάσιος, ὀλίγοι δὲ κτλ.

Digitized by Google

aut, si servetur τὸν Ἴστρον, etiam legendum erit τὸν Νεῖλον, et τὸ ὕδωρ accipiendum pro κατὰ τὸ ὑδωρ [1]).

VI 2 p. 7, 21 sq. (ita Megasthenes de flumine quodam Indico:) Σίλαν μὲν εἶναί οἱ οὔνομα, ῥέειν δὲ ἀπὸ κρήνης ἐπωνύμου τοῦ ποταμοῦ διὰ τῆς χώρης τῆς Σιλέων, καὶ τούτων ἐπωνύμων τοῦ ποταμοῦ τε καὶ τῆς κρήνης] scribendum Σιλαίων, nam a Σίλα Σιλαῖος, non Σιλεὺς formatur.

VI 6 p. 8, 3 sq. ἀπὸ τῶνδε ἔξεστι τεκμηριοῦσθαι καὶ τοῦ Νείλου τὸ πάθημα τοῦτο, ὅτι ἐοικὸς εἶναι ὕεσθαι τὰ Αἰθιόπων ὄρεα τοῦ θέρεος] legendum ἐοικὸς ἐστὶ [2]).

VII 9 p. 9, 25 (Bacchus dicitur Indos et alia docuisse) μιτρηφορέειν τε ἀναδεῖξαι καὶ μύρων ἀλοιφὰς ἐκδιδάξαι] suspectum ἀναδεῖξαι, saltem καταδεῖξαι usitatius est, pro primum instituere et monstrare quod alii imitentur.

VIII 11 p. 11, 2 sq. καὶ λέγει Μεγασθένης θηρεύεσθαι τὴν κόγχην αὐτοῦ δικτύοισι, νέμεσθαι δ' ἐν τῇ θαλάσσῃ κατ' αὐτὸ πολλὰς κόγχας, κατάπερ τὰς μελίσσας] legendum κατὰ ταὐτὸ, scil. χωρίον, in uno eodemque loco, auf einem Flecke, auf einem Trippel [3]).

IX 5 p. 11, 29 sq. ἀλλὰ γὰρ εἰ τὰ ὑπὲρ τῆς ὥρης τῶν ταύτῃ παίδων ἀτρεκέα ἐστίν, ἐς ταὐτὸν Φέρειν δοκεῖ ἔμοιγε ἐς ὅ τι περ καὶ ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν τῆς ἡλικίης ὅτι τεσσαρακοντούτεες ἀποθνήσκουσιν οἱ πρεσβύτατοι αὐτῶν] supplendum καὶ ⟨τὰ⟩ ὑπὲρ, in τὰ subaudi λεγόμενα, ut in initio huius paragraphi [4]).

IX 8 p. 12, 8 sq. καὶ γὰρ τοὺς καρποὺς ἐν ταύτῃ τῇ χώρῃ πεπαίνεσθαί τε ταχύτερον μὲν τῆς ἄλλης αὐτὸς οὗτος Μεγασθένης ἀνέγραψεν καὶ Φθίνειν ταχύτερον] μὲν delendum; fortasse

1) τόν τε Ἴστρον καὶ τὸν Νεῖλον, deletis vocibus τὸ ὕδωρ, Hercher.
2) οἰκὸς, deleta voce εἶναι, Hercher.
3) δὲ κατὰ ταὐτὸ Hercher, deletis vocibus ἐν τῇ θαλάσσῃ.
4) καὶ ⟨τὸ⟩ ὑπὲρ Hercher.

Digitized by Google

totus locus ita est refingendus: *ταχύτερον τῶν παρ' ἄλλοις*, scil. *καρπῶν* [1]).

X 9 p. 13, 22 sq. (Megasthenes tradit omnes Indos liberos esse nullumque eorum servire) *τοῦτο μὲν Λακεδαιμονίοισιν ἐς ταὐτὸ συμβαίνει καὶ Ἰνδοῖσι. Λακεδαιμονίοισι μέν γε οἱ εἵλωτες δοῦλοί εἰσι καὶ τὰ δούλων ἐργάζονται, Ἰνδοῖσι δὲ οὐδὲ ἄλλος δοῦλός ἐστι, μήτι γε Ἰνδῶν τις*] *μέν γε* esset Lacedaemoniis enim, at hoc sententia non fert, quare legendum puto *μέντοι γε*, at Lacedaemoniis tamen. Ratiocinatur sic: Indis et Lacedaemoniis in ea re convenit, ut ambabus e gentibus oriundi omnes ingenui sint, at in ea tamen re discrepabant, quod Lacedaemonii servos alieni generis penes se alerent, Indi autem prorsus nullis servis, ne alienigenis quidem, uterentur.

XI 10 p. 15, 1 *κατ' ἡσυχίαν ἀροῦσιν ἢ τρυγῶσιν ἢ κλαδοῦσιν ἢ θερίζουσιν*] aut *κλαδῶσιν* (a *κλαδᾶν*) aut *κλαδεύουσιν* legendum [2]).

XIV 6 p. 18, 30 (elephantus) *τῇ προβοσκίδι ἔκρουε τὸ κύμβαλον ἐν ῥυθμῷ πρὸς ἑκατέροιν τοῖν σκελοῖν*] legendum *πρὸς ἑκάτερον*.

XVI 9 p. 21, 27 sq. *μάχαιραν δὲ πάντες Φορέουσι, πλατείην δέ, καὶ τὸ μῆκος οὐ μέζω τριπήχεος*] corrigendum *πλατείην τε*, tum aut *μείω* legendum aut *οὐ* delendum: latum et ultra tres ulnas longum.

XVII 7 p. 23, 5 *ὅπως γὰρ παρεκομίσθη Ἀλεξάνδρῳ ἐς Πέρτας ἐξ Ἰνδῶν ὁ στόλος*] scribe *ἀνεκομίσθη*, revectus, regressus fuit, rediit [3]).

XX 3 p. 25, 31 sq. (Nearchus narrat vehementer quidem cupere Alexandrum classem suam ab Indi ostiis usque ad sinum Persicum mittere) *ἀπόρως δὲ ἔχειν ὄντινα οὐκ ἀδύνατόν τε ἐς τὰ*

1) *ταχύτερον τῶν ἄλλῃ* Hercher.
2) *κλαδέουσιν* Hercher, qui etiam *τρυγέουσιν* scripsit.
3) *περιεκομίσθη* Hercher.

Digitized by Google

ἐπινοούμενα ἐπιλέξαιτο καὶ ἅμα τῶν ἐν νηὶ ἀνδρῶν, ὡς καὶ τῶν τοιοῦτον στόλον στελλομένων, ἀφελεῖν τὸ δεῖμα τοῦ δὴ ἡμελημένως αὐτοὺς ἐς προῦπτον κίνδυνον ἐκπέμπεσθαι] *ἀδύνατον* pertinet ad utrumque, tam ad *ἐς τὰ ἐπινοούμενα* quam ad *ἀφελεῖν τῶν ἀνδρῶν τὸ δεῖμα τοῦ ἐκπέμπεσθαι*. Structura verborum *ἀδύνατόν τε ἐς τὰ* eadem est atque si dixisset *ἀδύνατον ἔς τε τὰ*: qui et par esset efficiendis iis rebus quas animo agitaret et decrevisset Alexander, et qui idem quoque posset maritimae expeditionis sociis, utpote tantum iter ingressis, metum, ne velut homines nullo in loco numeroque habiti manifestum et conspicuum in periculum proiicerentur, demere [1]).

XX 6 p. 26, 17 *ταύτῃ δὴ καὶ μᾶλλον*] rescribe *ἤδη*.

XX 9 p. 26, 27 (classis magnificentia et ducum fervor) *καὶ τοὺς πάντῃ δὴ πάλαι κατοκνέοντας ἐς ὁρμὴν ἅμα καὶ ἐλπίδας χρηστοτέρας ὑπὲρ τοῦ παντὸς ἔργου ἐπηρκότα ἦν*] pro *πάντῃ δὴ πάλαι* corrigas *πάνυ ἤδη πάλαι* [2]).

XXI 3 p. 27, 20 sq. (Nearchus cum classe Indo flumine devectus ad stationem pervenit quo salsae maris undae iam penetrare solebant) *μάλιστα μὲν ἐν τῇσι πλημμύρῃσιν, ὑπέμενε δὲ καὶ ἐν τῇσιν ἀμπώτεσι τὸ ὕδωρ μεμιγμένον τῷ ποταμῷ*] valde ambigo *ποταμῷ* servandumne sit an cum *ποτίμῳ* mutandum.

XXIII 1 p, 30, 2 *ἀγκύρῃσι ἐπίβολος ἦν ὁ χῶρος*] *ἐπήβολος* solet dici.

XXVII 5 p. 35, 4 sq. (Nearchus Gadrosiam praeternavigans ad portum quendam devenit, ubi piscatores habitabant parvulis tantum et exilibus naviculis instructi) *καὶ ταῖς κώπαις οὐ κατὰ σκαλμὸν ἤρεσσον ὡς ὁ Ἑλλήνων νόμος, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐν ποταμῷ*

1) Non supervacanea est haec Reiskii interpretatio, siquidem Hercher *ὅκως* pro *ὡς καὶ* et *ἀφελεῖ* pro *ἀφελεῖν* scripsit. Ceterum vox *τῶν* ante *τοιοῦτον* delenda videtur.

2) *πάλαι* del. Hercher, *πάντῃ ἤδη πάλαι* proposuit A. Castiglioni, *Collectan. Graec.* (Pisis 1911) p. 185.

Digitized by Google

τὸ ὕδωρ ἐπιβάλλοντες ἔνθεν καὶ ἔνθεν, κατάπερ οἱ σκάπτοντες τὴν γῆν] legendum ἀλλ' ὥσπερ ἐν ⟨χώματι (vel τάφρῳ) τῷ⟩ ποταμῷ [1]).

XXVIII 1 p. 35, 30 οὗτοι γὰρ ἔσχατοι τῶν Ἰχθυοφάγων οἰκέοντες πρώτοισιν αὐτοῖσιν ὤφθησαν οὐκ ὠμοφαγέοντες] legendum πρῶτοι ἐν αὐτοῖσιν [2]).

XXIX 14 p. 38, 14 sq. θηρεύουσι δὲ (sc. Ichthyophagi) καὶ καράβους πολλαχῇ καὶ ὄστρεα καὶ κογχύλια· ἅλες δὲ αὐτόματοι γίνονται ἐν τῇ χώρῃ· ἀπὸ τούτων ἔλαιον ποιέουσιν] ἀπὸ τούτων, scil. e piscibus, ostreis et conchyliis atque sale faciunt oleum, hoc est muriam, garum [3]).

XXIX 15 p. 38, 19 ὀλίγοι δὲ αὐτῶν σπείρουσιν ὅσον τῆς χώρης] fortasse σπείρουσιν ⟨ὀλίγον⟩ ὅσον.

XLI 2 p. 52, 2 ἐν τῷ μεσσηγὺς Λευκάδος τε νήσου ἰσθμῷ καὶ Ἀκαρνανίης] immo vero πορθμῷ, nam ἰσθμός est terrae continentis.

XLI 7 p. 52, 19 sq. (Nearchus appulit ad oppidum quoddam prope Euphratis ostium situm) ἵνα λιβανωτόν τε ἀπὸ τῆς ἐμπορίης γῆς οἱ ἔμποροι ἀγινέουσι καὶ τὰ ἄλλα ὅσα θυμιήματα ἡ Ἀράβων γῆ φέρει] aut γῆς delendum aut legendum ἀπὸ τῆς Ὁμηριτῶν γῆς, nam Arabiae Felicis incolae, ubi tus provenit, Homeritae dicebantur [4]).

XLIII 1 p. 53, 27 καὶ ταύτης (Arabiae sc.) τὰ μὲν κατήκει ἔστε ἐπὶ τὴν θάλασσαν τὴν κατὰ Φοινίκην τε καὶ τὴν Παλαιστίνην

---

1) ἀλλὰ pro ἀλλ' ὥσπερ ἐν ποταμῷ Hercher, qui praeterea ἀναβάλλοντες pro ἐπιβάλλοντες scripsit.

2) πρῶτοι αὐτοῖσιν Hercher.

3) Videtur Reiskius hunc locum explanasse, quod eum eiusmodi esse sentiebat, ut facile legenti scrupulum iniceret. Omnes saltem qui nostra aetate Indicam ediderunt, Dübner, Müller, Hercher, Eberhard, in eo haeserunt et post voces ἐν τῇ χώρῃ lacunam hiare putaverunt.

4) ἐμποριικῆς pro ἐμπορίης Müller, περαίης Dübner, πέριξ Hercher.

Digitized by Google

Συρίην, πρὸς δυομένου δὲ ἡλίου ὡς ἐπὶ τὴν ἕσω θάλασσαν Αἰγύπτιοι τῇ Ἀραβίῃ ὁμουρέουσι] fortasse in initio huius paragraphi legendum καὶ ταύτης τὰ μὲν ⟨πρὸς βορέην ἄνεμον⟩ κατήκει, cum verbis πρὸς δυομένου δὲ ἡλίου κτλ. terminos Arabiae ex plaga occidentali designet.

XLIII 2 p. 54, 1 sq. περίπλους ἂν ἦν ἐκ Βαβυλῶνος ἐς τὸν κόλπον τοῦτον ἐσέχοντα ὡς ἐπ' Αἴγυπτον] legendum τοῦτον ⟨τὸν⟩ ἐσέχοντα.

XLIII 10 p. 54, 31 εἴπερ πλωτά τε ἦν καὶ βαδιστὰ ταύτῃ] corrige ⟨τὰ⟩ ταύτῃ.

EMENDATUR XEN. ANAB. IV, 5, 27.

Tandem aliquando mihi contigit ut certa (sic enim mihi persuadeo) eaque lenissima medela sanarem locum qui diu legentes vexavit. Narrat Xenophon de vino quodam hordeaceo, quod, ait, fuit πάνυ ἡδὺ συμμαθόντι. Ultimum vocabulum fere accipitur tamquam si sit συνεθισθέντι, sed neque συμμανθάνειν eam vim habet, neque, si hoc voluisset Xenophon, articulum omisisset. Denique πάνυ ἡδὺ ... ἦν legitur. Sermo ergo est de aliqua re quae *tum* ab ipso et ab eius commilitonibus est observata. Lege συμμύοντι. Dulcis erat potio, sed oculos claudere necesse erat, nam minime alliciebat ad bibendum. Nondum nata erat cerevisiae rite parandae ars, ergo quod nunc ante omnia in ea requiritur, ut liquida sit et pellucida, non habebat, sed turbulenta erat et aspectu ingrata, praesertim si οἶνον eam appellares et de vino cogitares scintillante. Postquam semel pro υ lectum erat α, in promptu erat συμμάοντι in notissimum illud συμμαθόντι corrigere scilicet. De composito autem συμμύειν ne dubites, notissima illa Platonis tibi in mentem revoco: ἄνω κεχηνότα ἢ κάτω συμμεμυκότα.

J. J. H.

Digitized by Google

AD P. ANNII FLORI FRAGMENTUM DE VERGILIO ORATORE AN POETA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

p. 183 (ed. Rossbach). † *Capienti mihi in templo et saucium vigilia caput plurimarum arborum amoenitate, euriporum frigore, aeris libertate recreanti obviam subito quidam fuere, quos ab urbis spectaculo Baeticam revertentes sinister Africae ventus in hoc litus excusserat.*

In Mnemos. Vol. XXVI (1898) p. 276 Vlietius monuit, fragmentum quod haec verba auspicantur venustius esse quam ut exspectari possit verba *plurimarum arborum amoenitate* esse genuina, atque scribendum esse *pulcherrimarum arborum* acute perspexit. Mihi iam ipsum fragmenti initium, quod multi hucusque frustra sanare conati sunt, accuratius intuenti suspicio nata est, olim scriptum fuisse: *Capienti mihi in templo* ⟨otium⟩ *et saucium vigilia caput — recreanti.* Vocabulum *otium,* quod forsitan exaratum fuerit *ocium,* propter litterarum similitudinem vocis sequentis *saucium* a librario facile omitti potuit. Ceterum cf. p. 185. 3: ut ora Nili viderem et populum semper in templis otiosum peregrinae deae sistra pulsantem.

ib. vs. 10. *nam nescio quid oculi mei ammonent et quasi per nubilum recognosco quid istic.' 'hic', inquam, 'Florum vides,* e. q. s.

Ita Rossbach locum recensuit, Mommseno auctore *hic* ante *inquam* lectioni traditae addens.

Equidem pronomen *quid* e versu superiore, ubi post *nescio* legitur, in inferiore post *recognosco* per errorem repetitum esse credo, deinde *hic,* quod antea scriptum esset, in *istic* esse immutatum. Locum igitur sic restituo:

Digitized by Google

nam nescio quid oculi mei ammonent et quasi per nubilum recognosco'. 'hic', inquam, 'Florum vides, e. q. s.

p. 184 vs. 17. *quod ad me pertinet, ex illo die, cuius tu mihi testis es,* e. q. s.

In codice est: *cuius quo tu,* unde nescio an reponendum sit: *cuius tu quoque m. t. e.*

p. 185 vs. 18. *si fata Romam negant patriam, saltim hic manere contingat.*

Emendandum est: *si fata Romam negant* ⟨et⟩ *patriam* aut: *si fata Romam negant,* ⟨negant⟩ *patriam.*

Auctor fragmenti nusquam Romam tamquam patriam suam significare solet, sed disertis verbis utramque distinguit, cf. p. 184. 16: propitia sit illa civitas (i. e. Roma) et vs. 20: totus animus resiliit atque abhorruit ab illa civitate (i. e. a Roma); contra vs. 21: ut patriae quoque meae (i. e. Africae) oblitus et parentum carissimorum. Etiam cf. p. 186. 16: an pater ab Africa subministrat?

Vocula *et* alibi quoque excidit, ut p. 184. 22 Ritschelio auctore restituta est.

ib. vs. 20. *et ecce iam familiaritate continua civitas nobis ipsa blanditur, quae, siquid credis mihi qui multa cognovi, omnium earum quae ad quietem eliguntur gratissima est.*

Corrige sodes: *qui multas cognovi* (civitates sc.).

p. 186 vs. 6. *nam praeter Caesaris vexilla, quae portat, triumphos, unde nomen accepit, adest etiam peregrina nobilitas.*

Hic quoque post *portat* excidisse videtur: *et.*

ib. vs. 18. *'o rem indignissimam! et quam aegro fers istud animo, sedere in scholis et pueris praecipere?' ad quam illius interrogationem in hunc modum respondi.*

Lege: *et* [quam] *aegro fers istud animo,* e. q. s. Vocabulum *quam* post *et* ortum videtur e dittographia vocis *quam* post *ad* in versu sequenti, quae in codice scripta est *at*!

Digitized by Google

CERDO
SIVE DE NOMINIBUS PROPRIIS LATINIS APPELLATIVORUM LOCO ADHIBITIS.

SCRIPSIT

I. VAN WAGENINGEN.

I.

Apud Graecos nomen Κέρδων, ubicumque occurrit, nomen proprium est, sive ad artificem infimum indicandum, qui manuum opere lucrum (κέρδος) quaerit, sive ad servum significandum [1]), cf. Dem. LIII 19: τὸν μὲν γὰρ Κέρδωνα ἐκ μικροῦ παιδαρίου ἐξεθρέψατο et Com. fragm. IV 493 (M), III p. 322 (K): Δρόμωνα καὶ Κέρδωνα καὶ Σωτηρίδην (ubi homines infimo loco nati, sed liberi enumerantur). Herondas autem primus, quantum scimus, hoc nomen dedit sutori, sed apud eum, sicut ubique in litteris Graecis, nomen proprium manet, cf. Herond. VI 48: Κέρδων ἔραψε (sc. coccineum tutunum) — κοῖος, εἰπέ μοι, Κέρδων; δύ' εἰσὶ γὰρ Κέρδωνες κτέ. et VII 1 (qui mimiambus σκυτεὺς inscribitur): Κέρδων, ἄγω σοι τάσδε τὰς φίλας κτέ.

Romam hoc nomen Cerdo ab operariis et servis Graecis importatum est [2]), nec minus ab Atellanarum scriptoribus, ex quibus Novius titulo utitur: *Bubulcus Cerdo* [3]), sed omnino negandum est hoc vocabulum in lingua Latina appellativum purum putum (= 'operarius, opifex infimi generis') factum esse,

1) Cf. Buecheler in Friedlaenderi ed. Iuv. IV 153.
2) Thesaurus l.l. supplem. fasc. II 335.
3) Apud Nonium p. 89 M, I p. 128 L.

Digitized by Google

sicut Thesaurus [1]) et lexica docent. Quod ut demonstrem, singulos locos scriptorum, qui hoc vocabulum usurparunt, et inscriptiones, in quibus *Cerdo* appellativum esse perhibetur, recensere mihi opus est.

Iam primum monere velim in titulo fabulae Novianae, quem supra commemoravi, alterum nomen (*bubulcus*) esse appellativum, alterum (*Cerdo*) nomen proprium, nam duo appellativa hoc modo iungi natura sermonis Latini vetat, neque si *Cerdo* appellativum esset, in hunc locum significatio 'operarius, opifex infimi generis' quadraret. Verum 'bubulcus Cerdo' eodem modo dictum esse videtur quo: 'rex Philippus', ita ut secundum nomen proprium esset.

Transeamus ad Persium, apud quem res non aliter se habet. Cum enim dicit IV 51:

'respue quod non es, tollat sua munera *Cerdo*',

non pro *Cerdo* 'operarius' vel 'opifex' vel denique aliquod appellativum substituere possumus, sed nomine proprio vulgari aliquod genus hominum universe designatur [2]). Recte igitur scholiasta ad h. l. *Cerdo* hoc modo interpretatur: 'per Cerdonem plebeiam turbam significat'.

Iuvenalis autem bis voce *Cerdo* utitur et utroque loco aliud nomen proprium ei opponit:

VIII 182: 'at vos, Troiugenae, vobis ignoscitis, et quae turpia *Cerdoni*, Volesos Brutumque decebunt'.

IV 153: 'sed periit postquam *Cerdonibus* esse timendus coeperat; hoc nocuit Lamiarum caede madenti' [3]).

Priore loco ipsa oppositio ne sinere quidem videtur *Cerdo* non nominis proprii loco accipi, altero numerus pluralis primo obtutu nobis scrupulum inicere potest, sed accuratius intuentibus apparebit *Cerdones* eodem modo dictum esse atque 'Lamiae, Scipiones, Curii', de quo usu, etiam in lingua Latina satis frequenti, in altera parte huius disputatiunculae agam.

---

1) Thesaur. l.l. II 1 p. 857.

2) Cf. 'Jan Rap'; 'Krethi und Plethi'.

3) Schol. ad h. l.: 'ignobilibus. Cerdo est proprie turpis lucri cupidus'. Quocum cf. Schol. Hor. Sat. II 3, 25: 'Cerdonem dicunt Graeci a lucro'; Fest. p. 55: 'Cercopa Graeci appellant lucrari undique cupientem, quasi Κέρδονα, quem nos quoque lucrionem vocamus'; Gloss.: 'Cerdones pauperes infimi; certones vulgares'.

Digitized by Google

Plerumque tamen Martialis epigrammata viri docti afferre solent, ut *Cerdo* idem valere atque 'sutor' demonstrent, sed etiam in Bilbilitani carminibus vocem nondum naturam nominis proprii exuisse probaturum me spero. Itaque ordiendum nobis est ab eo loco, qui verbis Novianis supra laudatis persimilis est, nam quemadmodum a Novio *bubulcus* et *Cerdo* inter se iunguntur, ita a Martiale *sutor* et *Cerdo* copulantur III 59, 1—2:

'sutor *Cerdo* dedit tibi, culta Bononia, munus.
fullo dedit Mutinae: nunc ubi copo manet'?

Notandum sane est *Cerdo* h. l. nomen sutoris esse, ut in Herondae mimiambis, sed inde haud sequitur, ut iam appellativi vice fungatur. Quod si ita esset, *sutor Cerdo* tautologia esset, in Martiale poeta non ferenda [1]). Neque mea sententia refellitur altero Martialis loco, ubi idem sutor sic ridetur III 16, 1—6:

'das gladiatores, sutorum regule, *Cerdo*,
quodque tibi tribuit subula, sica rapit.
ebrius es: neque enim faceres hoc sobrius umquam,
ut velles corio ludere, *Cerdo*, tuo.
lusisti corio: sed te, mihi crede, memento
nunc in pellicula, *Cerdo*, tenere tua.

Si quid video, etiam primus versus huius epigrammatis docet *Cerdo* iuxta *sutorum regule* esse nomen proprium, sive homo a Martiale irrisus revera *Cerdo* appellabatur, sive poeta ei hoc nomen, inter sutores frequentissimum, indidit, sed manet *Cerdo* nomen proprium sutoris vel opificis infimi, ut *Davus* servi, neque magis quam hoc in appellativum abiit.

Etiam inscriptiones, in quibus *Cerdo*, si Thesauro linguae Latinae fidem habeas, appellativum esse dicitur, contrarium docere mihi videntur, cf. C. I. IV 2413 f.: 'Romulus *Ciirdoni* sal. scias volo mii tui curam aiigisse'; 6867: '*Cerdo* sodalibus Brundisio'; 6868: '*Cerdo* hic bibit Silvaticae vides'; 6869: '*Cerdo Cerdonibus* sal.'; 6871: '*Cerdo* hic'; 7079: '*Cerdone*⟨*m*⟩'. In primo exemplo *Cerdo* rursus alii nomini proprio (*Romulus*) op-

1) Consimiles iuncturae sunt: Gloss. V 600, 50: 'gallarius (= caligarius) Cerdo'; C. I. VI 3974: 'Cerdo insularius'; Spon. misc. p. 221: 'Cerdo faber'.

Digitized by Google

positum est, in quarto iunctura numeri singularis et pluralis (Cerdo Cerdonibus sal.') documento est, quam usitatum hoc nomen proprium inter homines infimi ordinis fuerit, sed neque haec neque reliqua exempla nos cogunt statuere indolem vocabuli mutatam esse. Eo ipso quod nomen frequentissimum erat, sive solum occurrebat, sive aliis nominibus addebatur cognomen, nec minus quia multi Romani, linguae Graecae periti, notionem lucri (τοῦ κέρδους) in eo inesse sentiebant, facile fieri poterat, ut aliquis βάναυσος etiam Cerdo appellaretur, sed minime inde efficiendum est naturam nominis proprii plane evanuisse et *Cerdo* idem valuisse atque 'operarius', 'opifex infimi generis', 'sutor'.

Medio aevo ipsum nomen *Cerdo* in lingua Latina non invenitur (cf. Ducange), sed exstant in litterarum monumentis pauca vocabula ab eo ducta, in quibus notio sutoris remansit: '*cerdonia* ars' (in Actis S. S. Iunii tom. 1 p. 801), '*cerdonicum* opus' (memor. Potestatum Regiens. ad annum 1282), *cerdonissa* = cerdonis uxor (Mirac. S. Hyacinthi tom. 3 Aug. pag. 365 col. 2). Deinde commemoratur in Gloss. V 616, 41: '*cerdonius* est tergorarius; locus ipse dicitur *cerdonia* vel femina eius'. Cum tamen *Cerdo* neque medio aevo in usu esset neque vitam suam usque in linguas Romanicas protraxerit, admodum verisimile videtur derivata illa non originem suam ducere ab aliquo appellativo *cerdo* = 'sutor', quod in ore populi vixerit, sed potius artificiose ficta esse ab iis, qui in poetarum Romanorum carminibus haud peregrini erant.

II.

Hisce expositis quaestio oritur, num umquam intra fines linguae Latinae nomen proprium factum sit appellativum purum putum [1]), ut viri docti de nomine *Cerdo* contendunt. Nimirum haud negatur etiam a Romanis multa nomina propria appellative usurpata esse — qua de re infra agam —, sed hoc quaerendum est, num natura et vis alicuius nominis proprii ita ex animis Romanorum effluxerit, ut non amplius scirent se nomine proprio

1) Cf. infra: *Nestor*, et quae ibi a Friedlaendero enuntiata afferuntur.

Digitized by Google

uti. Huic enim significationis migrationi minus favebat, quod sermoni Latino deerat articulus, qui nomini proprio appositus facilius efficere poterat, ut significatio ab uno homine certo ad plures transiret. De hoc significationis transitu ita disputat Paul (Princ. der Sprachgesch.[4] p. 94 § 66): 'Zwei Fälle sind dabei zu unterscheiden. Einerseits werden bekannte Personen der Geschichte oder der Dichtung als Repräsentanten der für sie charakterischen Eigenschaften gefasst, vgl. ein *Cicero* (Redner wie Cicero), ein *Krösus*, *Nestor*, *Adonis*, *Don Juan*, eine *Xantippe*; noch weiter ist die Entwicklung gegangen in *Mäcen*, da die zugrundeliegende Person nicht so, sondern *Maecenas* genannt wird. Anderseits werden besonders häufige, darum nichts Individuelles enthaltende Personennamen für Typen verwendet, zunächst dann mit Bestimmungen, vgl. eine *dumme Lise*, etc.... Auch diese können zu reinen Appellativen werden, vgl. *Rüpel* (= *Ruprecht*), *Metze* (= *Mechtild*)'.

Itaque duo genera nominum propriorum quae in appellativa mutari possint, a Paulo distinguuntur, quorum alterum ex historia vel litteris vel scaena petitum est, alterum ex sermone vitae cotidianae, atque hoc genus etiam in appellativum purum abire potest. Non modo in lingua Germanica, sed etiam in aliis linguis recentioribus utrumque genus invenitur. Ita Francogalli ex comoedia mutuati sunt: *harpagon*, *tartufe*, *amphitryon*, ex litteris: *automédon*, *renard*, *alphonse*. Neque lingua nostra vernacula caret exemplis luculentis praeter illa, quae nobis cum Germanis communia sunt (cf. supra). Sic hominem animi exilis et ieiuni vocamus 'droogstoppel', paene obliti, a quo scriptore hoc nomen mercatori cuidam Amstelodamensi datum sit, molestum vero et importunum appellamus 'nurks', idem immemores hoc nomen initio fuisse proprium. Iam in prisco sermone Belgico legitur vocabulum 'abreye' ad lenam significandam, quod originem a nomine proprio 'Auberre' duxisse videtur [1]).

Quod ad linguam Anglicam et Germanicam attinet, totam hanc quaestionem accurate exploravit Iosephus Reinius [2]), cuius

1) Cf. Salverda de Grave, Tijdschrift voor Ned. Taal- en Letterk. XIX 86.

2) On transferred appellations of human beings, chiefly in English and German, studies in historical sematology by Joseph Reinius, Göteborg 1903.

Digitized by Google

studia me impulerunt, ut easdem significationis transitiones in lingua Latina investigarem. Quam inquisitionem cum iam instituissem, allatus mihi est libellus Ottonis Gross, qui inscribitur: 'de metonymiis sermonis Latini a deorum nominibus petitis'. Hanc igitur partem [1]) tractare supersedebo, non modo quia Gross iam egregie officio suo functus est, sed etiam quia tales metonymiae ab argumento meo diversae sunt, quippe cum ego praecipue exempla quaeram, ubi nomen proprium, unum aliquem hominem virtutibus aut vitiis insignem indicans, ex frequenti usu cotidiano vel ex litterarum monumentis vel e scaena tantopere innotuerit, ut non solum unum illum, sed totum genus ei simile designaret [2]). Etsi eius modi exempla in sermone Latino non desunt, tamen nusquam haec significationis migratio late grassata est, neque ullum exemplum exstat, quod naturam nominis proprii omnino deposuerit, nisi forte *catamitus* (= Ganymedes), sed in hoc nomine mutatio formae usum appellativum faciliorem reddidit. Saepe autem fit èt in Ciceronis orationibus èt in Iuvenalis et Martialis carminibus, ut nomen alicuius prisci Romani numero plurali appellativi loco adhibeatur, velut *Curii, Camilli, Fabricii* cet., et apud Iuvenalem [3]) etiam frequens est usus nominum Homericorum, saepe per iocum ita adhibitorum, sed in universum Romani haud proni erant ad eiusmodi migrationes usurpandas, id quod tabula infra posita docebit [4]),

---

1) Gross de his vocabulis agit: *Amphitrite* = mare; *Apollo* (*Phoebus*) = sol, indoles poetica, cantus; *Bacchus* (*Liber*) = vinum, vitis; *Ceres* = fruges, frumentum, panis, cibus; *Diana* = luna, venatio; *Doris* = mare; *Enyo* = bellum, certamen; *Erinys* = furor discordiae; *Genius* = ingenium; *Ianus* = mensis Ianuarius, annus; *Iris* = arcus caelestis; *Iuppiter* = caelum, ventus, tempestas; *Lar* = domus; *Libitina* = sepultura, feretrum; *Lucina* = partus; *Manes* = fata, supplicia; *Mars* (*Mavors*) = bellum, pugna, sanguis, pugnandi studium, fortitudo, pugnae forenses, belli fortuna, arma, acies; *Minerva* (*Pallas, Tritonis*) = oliva, oleum, textura, lanificium, mens, ingenium; *Musa* (*Camena*) = carmen, cantus, ars poetica, poesis, pax, doctrina, litterae, ingenium, mens; *Neptunus* = pisces, mare; *Nereus* = mare; *Nympha* = aqua; *Parca* = fatum, vita; *Penates* = domus, patria, focus; *Tethys* = mare; *Thetis* = mare; *Titan* = sol; *Venus* = holera, amor, coitus, σπέρμα, membrum genitale, venustas, ornatus, gratia, mare; *Vesta* = focus; *Vulcanus* (*Mulciber*) = ignis.

2) Cf. Haase, Vorlesungen über lat. Sprache I p. 136—137.

3) Friedlaender S. G. I⁸ p. 575 (516).

4) Quantum potui, omnia exempla ex lexicis collegi, sed saepius usus appellativus non plus uno exemplo illustrari poterat.

Digitized by Google

in qua non modo hominum, sed etiam paucorum locorum nomina nota dabo simulque ea nomina propria addam, quae non in sermone Latino, sed in linguis recentioribus appellativa facta sunt. Haec tamen cancellis inclusi.

Abdera = locus stultorum, cf. Cic. ad Att. IV 16, 6: 'hic *Abdera* non tacente me'.

Abderites = homo stultus et ridiculus, cf. Vitruv. VII 5, 6: 'videamus ... ne Apaturii scaena efficiat et nos Alabandeas (insipientes in statuis disponendis) et *Abderitas*'. Otto [1]) p. 1. Anglice: 'Abderite' = 'a stupid, narrow-minded man', Reinius p. 159.

[*Achates* Verg. Aen. I 188] cf. Reinius p. 44: 'fidus Achates, the faithful companion of Aeneas. He often lends his name to any faithful companion or bosom friend'; Büchmann [2]) p. 461: 'der getreue Achates ... ist zum Muster eines treuen Freundes geworden'.

Achilles = adulescens fortis et formosus, cf. Plaut. Mil. 1054: 'age, mi *Achilles*, fiat quod te oro: serva illam pulcram pulcer'; Verg. Aen. VI 89: 'alius Latio iam partus *Achilles*'; Gell. II 11, 1: 'L. Licinium Dentatum ... appellatumque esse *Achillem* Romanum'; Petron. 129: 'illa pars corporis, qua quondam *Achilles* eram'; Val. Max. III 2, 21: 'Q. Cotius, qui propter fortitudinem *Achilles* cognominatus est'.

Acidinus (cognomen in gente Manlia, Cic. de or. II 260) = vir probus, cf. *Catilina*.

[*Actaeon*, cui a Diana in cervum mutato cornua imposita sunt, Ov. Met. III 138 sqq.] in prisco sermone Anglico = 'a cuckold', Reinius p. 40.

Adonis (puer formosus, a Venere amatus, Ov. Met. X 503 sqq.) = puer formosus a dea amatus, cf. *Catamitus*; Anglice: 'a beau, dandy' (ironice); Germanice: 'ein gar zu schöner junger Mann'; Francogallice [3]): 'homme remarquable par sa beauté'; Belgice saepe per λιτότητος figuram: 'geen Adonis' = adulescens minime pulcher; Reinius p. 40; Büchmann p. 111.

1) Otto, die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer, 1890.
2) Büchmann, Geflügelte Worte, 22ste Aufl.
3) Cf. Hatzfeld et Darmesteter, dict. gén. de la langue française, Introduction § 36.

Digitized by Google

Aegisthus (Clytaemestrae adulter) = adulter, cf. Suet. Caes. 50: 'quem (Caesarem) gemens *Aegisthum* appellare (Pompeius) consuesset'.

Aemilii = prisci Romani, viri probi et amantes rei publicae, cf. Cic. Sest. § 143: 'quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, *Aemilios* [1]), innumerabiles alios, qui hanc rem publicam stabiliverunt, quos equidem in deorum immortalium coetu ac numero repono'.

[*Aesculapius*, deus medicinae] Francogallice 'Esculape', Belgice 'Aesculaap' = medicus (iocosa gravitate).

Ahala (C. et Q. Servilii Ahalae, Liv. IV 56, V 8, VII 11) cf. *Aemilii*.

Aiax Oileos (Cassandrae stuprator); inde *Aiaces* Oileos = stupratores, cf. *Cassandra*.

Aiax (cum Ulixe de Achillis armis certans, Ov. Met. XIII 1 sqq.) = orator de litis suae exitu nimis anxius, cf. Iuv. VII 115: 'surgis tu pallidus *Aiax*'; X 84: 'quam timeo, victus ne poenas exigat *Aiax* | ut male defensus'.

[*Alcides* = Hercules] Francogallice 'Alcide' = 'héros invincible', cf. Hatzf.-Darm. s. v.

Alexander (Paris) cf. *Helena*.

Allobrox = homo male Latine loquens, cf. Iuv. VII 214: 'Rufum, quem totiens (iuventus) Ciceronem *Allobroga* dixit' [2]). Francogallice 'Allobroge' = 'homme grossier'. Reinius p. 158. Iam a⁰ 1680 Richelieu: 'parler français comme un allobroge'.

Amazon = puella in amoris pugna viro (*Danao*) vincenda, cf. Ov. A. A. II 743: 'sed quicumque meo superavit *Amazona* ferro, | inscribat spoliis "Naso magister erat";' Id. III 1: 'arma dedi Danais (= viris de puella pugnantibus) in *Amazonas*' (cf. Brandt ad h. l.). Anglice 'Amazon' = 'a virago'; Francogallice, Germanice, Belgice 'Amazone' = 'femme qui monte à cheval', quam vim Angli nomini non tribuunt (cf. Murray).

[*Amphitryo*] Alcmenae maritus; nomen fabulae Plautinae, quam

1) Cicero cogitat de M. Aemilio Scauro, qui iudicio praeerat.

2) Aliter Friedlaender ad h. l.: 'weder ist Allobrox ein Spitzname, wie im neueren Französisch Allobroge ... noch kann Allobroga als Nomin. Sing. seine Heimath bedeuten'.

Digitized by Google

imitatus est poeta Francogallicus Molière, in cuius comoedia hic legitur versus: 'le veritable Amphitryon est l'Amphitryon, où l'on dîne', unde Francogallice 'un Amphitryon' = 'celui qui donne à dîner', cf. Reinius p. 59.

Ancus (Ancus Marcius, rex quartus Romae) cf. *Curii*.

Andromache = mulier aetate florens et pulchra, cf. *Hecuba*.

Antisthenes, cf. *Socrates*.

Apella (C. I. L. X 638, 4391, 4417, 6114, 6190 cognomen libertini) = quilibet (Iudaeus), cf. Hor. Sat. I 5, 100: 'credat Iudaeus *Apella*'.

Apicius (qui Augusto et Tiberio imperantibus ingentes divitias luxuria immodica dissipaverat, Friedländer S. G.^{6} III p. 18) = homo prodigus, helluo, cf. Iuv. XI 2: 'quid enim maiore cachinno | excipitur vulgi, quam pauper *Apicius*?' Tert. de pall. 5: 'taceo Nerones et *Apicios*'; Apoll. Sidon. ep. IV 7, 2: 'inter *Apicios* epulones'. Otto p. 29.

[*Argus*] custos centoculus Ius. Anglice: 'a watcher, guardian', Reinius p. 40; Francogallice: 'surveillant à qui rien n'échappe'. In multis linguis recentioribus adiectivi vice fungitur et de oculis acute cernentibus adhibetur: 'argus-eyed', 'Argus-augen', 'Argus-oogen', Büchmann p. 108.

[*Ariadne*] a Theseo Naxi derelicta. Francogallice: 'une Ariane' = 'une amante abandonnée'.

Aristarchus (grammaticus clarissimus Alexandrinus, Homeri carmina qui acri iudicio percensuit) = criticus severus, cf. Cic. Att. I 14, 3: 'meis orationibus, quarum tu *Aristarchus* es'; Pis. § 73: 'quoniam te non *Aristarchum*, sed Phalarim grammaticum habemus'; Hor. A. P. 450: '(vir bonus) fiet *Aristarchus*'; Hier. ep. 57, 12: 'quid ais, o columen litterarum et nostrorum temporum *Aristarche*'. Inde Germanice 'Aristarch' = 'ein gelehrter und gestrenger Kunstrichter', Büchmann p. 534; Francogallice 'Aristarque' = 'critique sevère et éclairé'. Etiam Belgice et Anglice eodem sensu, sed nomen apud Reinium deest.

Atrides (Agamemnon) = 1) imperator, princeps, cf. Iuv. IV 65: 'itur ad *Atridem*' (= Domitianum). 2) maritus, cuius vitae uxor (cf. *Clytaemestra*) insidiatur, cf. Iuv. VI 660: 'si praegustabit *Atrides* | Pontica ter victi cautus medicamina regis'.

Augustus (Octavianus), quod cognomen etiam a ceteris impe-

Digitized by Google

ratoribus ascitum est, cf. Suet. Aug. 7: 'postea Caii Caesaris et deinde *Augusti* cognomen assumpsit'; cf. *Caesar*.

Automedon (Achillis auriga) = auriga, cf. Cic. Rosc. Am. § 98: 'non suis manibus in curru collocat *Automedontem* illum'; Varro Sat. Men. 257 B: '*Automedo* meus, quod apud Plotium rhetorem bubulcitarat, erili dolori non defuit'; Ov. A. A. I 8 (Brandt): 'Tiphys et *Automedon* dicar Amoris ego'; Iuv. Sat. I 60: 'dum pervolat axe citato | Flaminiam puer *Automedon*'. Francogallice (per iocum) 'Automédon' = 'cocher'.

Bacchanalia (sacra arcana, lasciva et tumultuosa, in honorem Bacchi celebrata) = vita dissoluta et libidinosa, cf. Iuv. II 3: 'qui Curios simulant et *Bacchanalia* vivunt'. Francogallice 'une Bacchanal' = 'une orgie bruyante', 'un bacchanal' = 'un tapage désordonné'. Germonice, Belgice, Anglice: 'Bacchanal, Bacchanalia (G. etiam: 'Bacchanalien') = convivium, dies festus, ludicra tumultu et lascivia strepentia.

Ballio (leno, Plaut. Ps. 193; Cic. Rosc. Com. § 20) = homo nequam, perditus, cf. Cic. Phil. II § 15: 'dat (Antonius) nataliciam in hortis. cui? neminem nominabo; putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum etiam *Ballioni*'.

Belides (Beli neptes, Danaides, quae una nocte maritos suos interfecerant) = maritorum interfectrices, cf. Iuv. VI 655: 'occurrent multae tibi *Belides* atque Eriphylae'.

Boeotus = homo stolidus, cf. Hor. Ep. II 1, 244 '(Alexandrum) *Boeotum* in crasso iurares aere natum'. Francogallice 'Béotien' = 'homme qui a l'esprit lourd'; Anglice 'Boeotian' = 'a thick-head', Reinius p. 159.

Brutus (L. Iunius Brutus) cf. *Aemilii* et Iuv. VIII 182: 'quae turpia Cerdoni, Volesos Brutumque decebant'. De Bruto, Caesaris interfectore, cf. Iuv. V 37, Tac. ann. I 10. In proverbio: 'sedulitas Muci et *Bruti* (= primi cuiusque) retrahere nequit' Varro l. lat. 5, 5; Otto p. 231.

Caesar (C. Iulius Caesar) cuius nomen cognomen factum est ipsius imperatoris et (inde ab Hadriano) etiam eius qui imperatori successurus erat, cum ipse imperator *Caesar Augustus* appellaretur, cf. Suet. Galb. 11: 'deposita legati suscepit *Caesaris* appellationem'; Iul. Cap. Verus Imp. 1: 'huic naturalis pater fuit L. Aelius Verus, qui ab Hadriano adoptatus primus *Caesar*

Digitized by Google

est dictus'; Sexti Aurelii Victoris liber de *Caesaribus* 13, 12: 'abhinc (ab Hadriano imperatore) divisa nomina *Caesarum* atque Augusti; Marc. 12, 17: 'reddite igitur quae sunt *Caesaris*, *Caesari*'. Aus. de XII *Caesaribus* per Suetonium Tranquillum scriptis, Peiper p. 183. — Graece Καῖσαρ, Gothice 'kaisar', Germanice 'Kaiser', Belgice 'keizer', Reinius p. 15, 1.

Camillus (qui Romam liberavit imperio Gallorum) = patriae servator, cf. Claud. 22, 390 (Jeep): 'suscipiunt alium te rostra *Camillum*'; Liv. 22, 14, 9: 'hic novus *Camillus*' — *Camilli* (cf. *Aemilii*) = prisci Romani, viri simplices, integri sed non culti, cf. Mart. I 24, 3: 'qui loquitur Curios adsertoresque *Camillos*'; IX 27, 6 (Friedl.): 'Curios, *Camillos*, Quintios, Numas, Ancos | et quidquid umquam legimus pilosorum, | loqueris'; Cic. Cael. § 39 (v. Wag.).

Canius (Iulius Canius, 'vir imprimis magnus', a Caligula interfectus, Sen. tranqu. 14, 4) cf. *Seneca*.

Cassandra (Priami filia, cui vaticinanti non fides habebatur) = is cuius monitis haud creditur, cf. Cic. de or. II § 265: 'trahitur etiam aliquid ex historia, ut cum Sex. Titius se *Cassandram* esse diceret, "multos, inquit Antonius, possum tuos *Aiaces* Oileos nominare"'.

Castor (Pollucis frater, equorum domitor) cf. *Pollux*.

Catamitus (Γανυμήδης, Iovis pocillator et puer delicatus) = pathicus, cf. Cic. Phil. II § 77: 'ergo ut te *Catamitum*, necopinato cum te ostendisses, praeter spem mulier adspiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti?' Auson. Epit. 33, 8 (Epigr. LXII 8 p. 335 P.): 'verum aut Persephonae Cinyreius ibis Adonis, | aut Iovis Elysii tu *Catamitus* eris'. Apul. Met. I 12: 'hic est ... carus Endymion, hic *Catamitus* meus, qui diebus et noctibus inlusit aetatulam meam'. Tusce 'catmite', Italice 'catamito', Anglice 'catamite', Reinius p. 41, 259.

Catilina (L. Sergius C. coniurator) = proditor patriae, cf. Iuv. XIV 41: 'et *Catilinam* | quocumque in populo videas'; Cic. ad Att. IV 3, 3: 'ille omnium vocibus cum se non ad iudicium sed ad supplicium praesens tradi videret, omnes *Catilinas* Acidinos reddidit'; cf. etiam *Clodius*.

Cato (M. Porcius Cato Censorius et M. Porcius Cato Uticensis)

Digitized by Google

= iudex severissimus, censor tetricus, homo integer, cf. Iuv. II 40: 'tertius e caelo cecidit *Cato*'; Lampr. Alex. Sev. 68: 'Fabius Sabinus ... *Cato* temporis sui'; Phaedr. IV 7, 21: 'quid ergo possum facere tibi, lector *Cato*?" Sen. ep. 120, 19: 'quidam alternis Vatinii, alternis *Catones* sunt'. Cf. etiam *Clodius*.

Chaldaeus (incola Chaldaeae) = astrologus, cf. Cat. agr. 5, 4: 'haruspicem, augurem, hariolum, *Chaldaeum* ne quem consuluisse velit (vilicus)'; Cic. de div. I § 2: '*Chaldaei* non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati'; Marquardt RSV III 92, 1.

Charybdis (scopulus in freto Siculo) 1) = vorago, cf. Cic. de or. III § 161: 'deinde videndumst ne longe simile sit ductum. Syrtim patrimonii scopulum libentius dixerim, *Charybdim* bonorum voraginem potius'. 2) = meretrix avara, cf. Hor. C. I 28, 19: 'quanta laborabas *Charybdi*'.

[*Chimaera*] (monstrum ex leone capella dracone constans) Francogallice 'chimère' = 'création imaginaire de l'esprit qu'on prend pour une réalité'. Germanice etiam: 'Schimäre', Anglice 'Chimera'.

Cicero (M. Tullius Cicero) = summus orator, cf. Quint. X 1, 112: 'apud posteros vero id consecutus (sc. M. Tullius), ut *Cicero* iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur'; Ven. Fort. VII 2, 3; cf. Reinius p. 20: 'Cicero (It. Cicerone) seems to have lent his name in It. to appellative use (although the historical origin is unknown): Cicerone 'a guide who shows and explains the antiquities or curiosities of a place' (orig. a learned Italian antiquarian), hence introduced into other languages'.

Cincinnatus (L. Quintius C.) = homo simplicitate morum insignis et ad summos honores provectus, plur. Salv. gub. dei I 2, I 9; cf. etiam *Quintius*.

Cinna (L. Cornelius Cinna, Sullae adversarius, in inimicos crudelissimus) = homo crudelis, cf. Sall. hist. fragm. I 42: 'tyrannum et *Cinnam* appellans'.

[*Circe*] (venefica quae Ulixis comites in porcos mutavit) Anglice = 'the enchantress', Germanice 'ein durch dämonischen Zauber fesselndes Weib', Reinius p. 43, Büchmann p. 103.

Clodius (P. Clodius Pulcher, tribunus plebis turbulentus, Ciceronis inimicus) = vir improbus, seditiosus, cf. Sen. ep. 97, 10: 'omne tempus *Clodios*, non omne Catones feret'; Id. dial. X 5, 1:

Digitized by Google

'Marcus Cicero inter Catilinas, *Clodios* iactatus Pompeiosque et Crassos'.

Clytaemestra (uxor Agamemnonis, mariti interfectrix) = mariti interfectrix, cf. Iuv. VI 656: '*Clytaemestram* nullus non vicus habebit'; Cic. Cael. § 62; p. 99. v. Wag.

[*Corinthius*] (incola urbis luxuriosae Corinthi), Anglice 'Corinthian' = 'a profligate, idler, shameless fellow, swell', Reinius p. 176.

[*Crassus*] (M. Licinius Crassus, cognomine 'dives'): nusquam nomen eius appellativum factum est, sed saepe in proverbiis occurrit, Otto p. 96. Neque in linguas recentiores invasit. Cf. *Clodius*.

Craterus (medicus temporibus Augusti) = medicus, cf. Pers. III 65: 'et quid opus *Cratero* magnos promittere montes?' Hor. Sat. II 3, 161.

Croesus (rex Lydiae divitissimus) = vir divitissimus, cf. Ov. Trist. III 7, 42: 'Irus et est subito, qui modo *Croesus* erat'; Mart. XI 5, 4: 'et cum tot *Croesos* viceris'. Francogallice 'Crésus', Germanice 'Krösus', Belgice 'Cresus', Anglice 'Croesus', cf. Reinius p. 20: 'universally seem to be used e. g. *Croesus* of a very rich man'.

Curius (M.'Curius Dentatus) = vir fortis, integer, simplex, cf. Hor. Ep. I 1, 64: 'et maribus *Curiis* et decantata (nenia) Camillis'; Iuv. II 3: 'qui *Curios* simulant et Bacchanalia vivunt'; Mart. I 24, 3 (Friedl.); IX 27, 6; Cic. Cael. § 39 (v. Wag.).

Curtius (Mettus Curtius qui ad deos placandos se in specum — lacum Curtium — immisit) cf. *Scaevola*.

Daedalus (qui Labyrinthum aedificavit) = artifex, cf. Apul. Flor. 9 (13, 8 Helm): 'quis autem non laudabit hominem ... tot utensilium peritia *Daedalum*?' Apoll. Sidon. Ep. III 13, 10: 'hoc fabricatu *Daedalus* noster amicitiarum culmen aedificat'. Francogallice 'dédale' = 'labyrinthe', Anglice 'Daedal(us)' = 'a skilful artificer', 'a maze, labyrinth', Reinius p. 42.

Darius (rex Persarum) = daricus (δαρεικός), nummus, cf. Aus. Ep. XVI 23 (p. 253 P.): 'ergo aut praedictos iam nunc rescribe *Darios*' [1]).

Decius (P. Decius Mus) cf. *Aemilii*; Verg. G. II 169; Sen.

1) Exemplum metonymiae, cf. p. 152, 1.

Digitized by Google

contr. 9, 25, 9; Claud. Probr. et Olybr. cons. 147; Aug. de c. d. V 14.

Deiphobus (Troianus, qui post Paridis mortem maritus Helenae erat, Troia capta crudeliter a Menelao mutilatus) = adulter, cf. Mart. III 85, 4: 'nihil hic tibi perdidit uxor, | cum sit salva tui mentula *Deiphobi*' (= adulteri uxoris tuae).

[*Egeria*] (nympha quae regi Numae consilia dabat), Germanice 'die geheime Ratgeberin eines Staatslenkers', Francogallice 'Egérie' = 'femme qui donne de sages inspirations', Büchmann p. 113, Reinius p. 44; 58, 2.

[*Elysium*] (locus beatorum apud inferos), Anglice et Germanice: 'ein himmlischer Aufenthalt', Büchmann p. 102; Fr. 'champs Élysées', Belgice 'Elyzeesche velden' = loca amoena.

Endymion (puer formosus in monte Latmo dormiens, a Luna amatus) = puer delicatus, cf. Iuv. X 318: 'sed tuus *Endymion* dilectae fiet adulter matronae'; cf. etiam *Catamitus*.

Eriphyla (quae a Polynice monili aureo corrupta maritum suum prodidit) cf. *Belides*.

Euripus (quod fretum erat inter Boeotiam et Euboeam) = fretum, cf. Cic. Mur. 35: 'quod enim fretum, quem *Euripum*' (= 'Sond') cet. Deinde = fossa, canalis, Cic. legg. 2, 2; Sen. ep. 83, 5; Ov. Pont. I 8, 38; Plin. ep. I 3, 1; praesertim ea fossa, quae Circum circumibat, Plin. n. h. VIII § 21: 'Caesar dictator ... *euripis* harenam circumdedit"; Suet. Caes. 39; Lampr. Heliog. 23, 1.

Fabius (Q. Fabius Maximus Cunctator), unde *Fabii* = viri prisci, fortes, integri, cf. Mart. VII 58, 7 (Friedl.): 'quaere aliquem Curios semper *Fabios*que loquentem'; Salv. de gub. dei I 9 (extr.).

Fabricius (C. Fabricius), unde *Fabricii* (cf. *Fabii*, *Curii* cet.); Cic. Cael. § 39: 'ex hoc genere illos fuisse arbitror Camillos, *Fabricios*, Curios omnisque eos, qui haec ex minimis tanta fecerunt'; Sen. contr. 2, 1 (19), 17; Lucan. 10, 152; Salv. de gub. dei I 9 (extr.).

[*Fauna*] (dea, Fauni filia aut uxor), unde in sermone virorum doctorum omnium gentium: 'fauna', 'faune' = 'l'ensemble des espèces animales d'une région' [1]).

1) Exemplum metonymiae, cf. p. 152, 1.

Digitized by Google

[*Flora*] (dea veris et florum), unde in sermone virorum doctorum omnium gentium 'flora', 'flore' = 'l'ensemble des plantes d'un pays, d'une région' [1]).

Galus (C. Sulpicius Galus, trib. mil. 168 a. Chr. n.), unde *Gali* = viri boni, cf. Cic. de am. § 21: 'virosque bonos eos qui habentur numeremus, Paulos Catones *Galos* Scipiones Philos'.

Ganymedes (Iovis pocillator) = pocillator, cf. Iuv. V 59: 'tu Gaetulum *Ganymedem* | respice, cum sities'.

Gnatho (parasitus Terentianus) = homo nequam, assentator, cf. Cic. de am. § 94: 'multi autem *Gnathonum* similes cum sint'; cf. etiam *Ballio*.

Harpocrates (deus Aegyptiacus silens et aliis silentium imperans) = silens, mutus, cf. Cat. 74, 4 (Baehr.): 'et patruum reddidit *Harpocratem*'; 102, 4.

Harpyia (plur. *Harpyiae* monstra volucria quae in homines involantes eorum dapes rapiebant et polluebant) = homo rapax, cf. Apoll. Sidon. ep. 5, 7 (p. 111, 20 Mohr): 'in exactionibus *Harpyiae*' Rutil. Nam. I 607: 'non olim sacri iustissimus arbiter auri | circumsistentes reppulit *harpyias*?' Belgice 'harpy', Fr. 'harpie' = 'personne rapace; femme acariâtre'.

[*Hebe*] (dea iuventutis, ministra deorum), Anglice 'a woman in her early youth', 'a waitress, barmaid'; Germanice 'Kellnerin', Reinius p. 41.

[*Hecate*] (dea inferna, veneficarum patrona), Anglice 'a hag, witch', Reinius p. 41.

[*Hector*] (fortissimus Troianorum), Anglice 'a valiant warrior', deinde 'a swaggering fellow, a braggart, a bally' [2]).

Hecuba sive *Hecabe* (Priami uxor grandis natu) = anus turpis, cf. Mart. III 76, 4: 'cum possis *Hecaben*, non potes Andromachen'.

Helena (quae Menelao relicto Paridem secuta est) = adultera, cf. Mart. I 62, 5: 'incidit in flammas: iuvenemque secuta relicto | coniuge Penelope venit, abît *Helene*'; Hier. ep. 128, 3: '*Helenae* sequuntur Alexandros'.

---

1) Exemplum metonymiae, cf. p. 152, 1.

2) Reinius p. 42 hanc significationis migrationem ita explicat: 'the popular currency of the name may perhaps partly be traced to Hector being one of the nine worthies of the old pageants'.

Digitized by Google

Hercules (cuius corporis vires in proverbium venerunt, Ottho p. 162) = vir robustissimus, valentissimus, cf. Plin. n. h. VII § 83: 'idem M. Varro: "Rusticelius, inquit, *Hercules* appellatus, mulum suum tollebat"'; Tert. adv. nat. II 10: 'tertius, quod aiunt, *Hercules*'. Anglice 'a man of prodigious strength', 'a big man', Reinius p. 42; Fr. 'un Hercule de foire' ('qui accomplit des tours de force'); Germanice plerumque in comp. 'Herkules-arbeit' vel adiect. 'Herkulisch'.

Hyacinthus (puer formosus ab Apolline dilectus) = puer formosus, cf. Iuv. VI 110: 'sed gladiator erat. facit hoc illos *Hyacinthos*'.

Iphigenia (Agamemnonis filia, a patre immolata) = filia, cf. Iuv. XII 118: 'si qua est nubilis illi | *Iphigenia* domi, dabit hanc altaribus'.

[*Iris*] (nuntia deorum et dea arcus caelestis) in sermone virorum doctorum omnium gentium = 1) 'cercle de couleurs qui entoure les objets, quand on les regarde à travers les verres d'une lunette'; 2) 'partie colorée de l'oeil' [1]),

Irus (mendicus Ithacensis) = homo pauper, cf. Mart. XII 32, 9: '*Irus* tuorum temporum'; cf. etiam *Croesus*.

Iuno (Iovis uxor) = uxor, cf. Plaut. Cas. 230 (per iocum): 'mea *Iuno*, non decet esse tam tristem tuo Iovi'; Sen. Apoc. 8: 'propterea quod sororem suam, festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit *Iunonem* vocare'. Anglice 'a woman of stately beauty'; 'a jealous wife', Reinius p. 41.

Lais (meretrix) = mulier libidinosa, cf. *Lucretia*.

Lentulus (P. Cornelius L. Spinther) cf. *Aemilii*.

Lethe (oblivionis amnis apud inferos) = oblivio, cf. Pelag. vet. 28 p. 97 extr.: 'Lethen daemonis sui accipiet'.

[*Leuctra*] ipsum hoc nomen non appellativi vice fungitur, sed *Leuctrica pugna* a Cic. Att. VI 1, 26 adhibetur ad caedem Clodii significandam (cf. nostrum: 'bloedbad van Parijs').

Lucretia (uxor Tarquinii Collatini) = uxor pudica, gravis, cf. Mart. XI 104, 21: 'si te delectat gravitas, *Lucretia* toto | sis licet usque die: Laïda nocte volo'; Petron. IX 5: 'si *Lu-*

1) Exemplum metonymiae cf. p. 152, 1.

Digitized by Google

cretia es, inquit, Tarquinium invenisti'. Cf. etiam *Tanaquil.* Anglice 'a virtuous woman', Reinius p. 44.

Lynceus (unus ex Argonautis, oculorum acie valens) = acute cernens, cf. Cic. ad fam. IX 2, 2: 'quis est tam *Lynceus*, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat?'

Machaon (medicus Graecorum Troiam obsidentium) = medicus, cf. Mart. II 16, 5: 'quid tibi cum medicis? dimitte *Machaonas* omnes'.

Maeander (Ioniae flumen flexuosum, 'in se remeabile') = flexus, sinus, ambages viarum, cf. Cic. in Pis. § 53: 'quos tu *Maeandros*, dum omnis solitudines persequeris, quae deverticula flexionesque quaesisti?' Verg. Aen. V. 251: '*Maeandro* duplici' (cf. Servius); Amm. XXX 1, 12: 'quod ille properans ut peregrinus et insuetus, *Maeandros* faciebat et gyros'; Prud. cath. 6, 142: 'ventris *Maeandros* circumibat tortiles'; Gell. XVI 8, 17: 'dialecticae gyri atque *Maeandri*'. Fr. 'méandre' = 'détour sinueux', Anglice 'meander', Germanice '*Mäander*' (praesertim vox architecturae et picturae propria).

Maecenas (C. Cilnius Maecenas) = 1) fautor et patronus poetarum, cf. Mart. VIII 56, 5: 'sint *Maecenates*, non deerunt, Flacce, Marones, | Vergiliumque tibi vel tua rura dabunt'. 2) vir mollis, cf. Sen. dial. I 3, 11: 'non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt, ut dubium sit, an electione fati data plures nasci Reguli quam *Maecenates* velint'; Iuv. XII 39: 'vestem purpuream teneris quoque *Maecenatibus* aptam'. Germanice 'Maecen(as)' = 'ein Gönner und Beschützer der Künste', Gallice 'Mécène' = 'personnage riche, puissant, qui encourage les gens de lettres, les artistes', Reinius p. 13.

Marius (C. Marius, Sullae adversarius) = vir per plebem potentiam suam augere studens, cf. Suet. Caes. 1: 'Caesari multos *Marios* inesse'.

Maximus (Q. Fabius Maximus Cunctator) cf. *Fabius, Aemilii*; Cic. de or. II 110, 290; Pis. 58.

Menelaus (Helenae maritus, ab uxore desertus) = maritus ab uxore deceptus, cf. Cic. ad Att. I 18, 3: 'nam M. Luculli uxorem Memmius suis sacris initiavit, *Menelaus* aegre id passus divortium fecit. Quamquam ille pastor Idaeus Menelaum solum contempserat, hic noster Paris tam Menelaum quam Agamemno-

Digitized by Google

nem liberum non putavit.' Hier. ep. 128, 3: 'Helenae sequentur Alexandros nec *Menelaos* pertimescunt'.

[*Mentor*] (Ulixis amicus, in cuius formam Minerva ad Telemachum comitandum se mutavit) Fr. 'celui qui est choisi pour servir de guide à qqn dans ses actions' [1]), Anglice 'a wise and faithful guide and monitor, esp. of a younger person', Germanice et Belgice 'Erzieher und Ratgeber', Reinius p. 43, Büchmann p. 402 [2]).

[*Mercurius*] (nuntius deorum), unde Anglice 'Mercury' = 'a messenger', Fr. (obsolete) 'Mercure' = 'celui qui se charge de remettre des messages galants'. — (deus mercatorum, deus doli), unde Anglice 'a thief, trickster', Reinius p. 41.

Metellus (Q. Metellus Macedonicus et Q. Caecilius M. Numidicus) cf. *Aemilii*; Claud. Prob. et Olyb. 147: 'his ego nec Decios pulchros fortesve *Metellos* | praetulerim'.

Moneta (Iuno Moneta, in cuius templo nummi cudebantur) unde per metonymiam: 1) locus cudendi, 2) ipse nummus, 3) nota. — Belgice 'munt', Germanice 'Münze', Fr. 'monnaie', Anglice 'money', Italice 'moneta'.

Mucius (C. Mucius Cordus Scaevola) cf. *Scaevola* et *Brutus*.

Nero (imperator C. Claudius Nero) = imperator crudelis, cf. Iuv. IV 38: 'cum ... calvo serviret Roma *Neroni*' (= Domitiano); Aus. de XII Caes. II 12 (P. p. 184): 'frater, quem Calvum dixit sua Roma *Neronem*'. Anglice 'a tyrant', Reinius p. 20.

Nestor (rex Pylius, senex, hortator Graecorum in bello Troiano) = vir grandis natu, venerandus, aliis consilia dans, cf. Cic. ad fam. IX 14, 2: 'non alienum est dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiendis *Nestorem*'. De quo loco Friedlaenderus (SG^6 I p. 575) ita disputat: 'ebensowenig als dieser Gebrauch des Namens rein appellativisch ist, kenne ich ein Beispiel des Gebrauchs für "Greis", obwol er vermuthlich gewöhnlich war', cf. Iuv. XII 128: 'vivat Pacuvius, quaeso, vel *Nestora* totum'. Anglice 'a

1) Praesertim Fenelonis carmine epico, quod 'Télémaque' inscribitur, Mentoris nomen in Europa occidentali innotuit.

2) Apud Iuv. VIII 104 et Mart. XI 11, 5 *Mentor* per metonymiam significat vas argenteum a Mentore artifice (circiter 356 a. Chr. n.) confectum: 'rarae sine *Mentore* mensae'.

Digitized by Google

wise old man', Fr. 'vieillard qui exerce une grande autorité par sa sagesse', Reinius p. 43. Belgice plerumque de eo, qui in aliquo concilio vel ordine maximus natu est et aetate valet.

Numa (Numa Pompilius, secundus rex Romae) = homo antiquis moribus, cf. Mart. XI 104, 1—2: 'uxor, vade foras, aut moribus utere nostris: | non sum ego nec Curius nec *Numa* nec Tatius'.

Oedipus (rex Thebanus, qui Sphingis aenigma solvit) = coniector, cf. Ter. Andr. 194: 'Davus sum, non *Oedipus*'.

[*Orbilius*] (magister plagosus Horati), Germanice in prisco sermone civium Universitatis: 'Orbil' = 'Schulmeister', Reinius p. 44.

Orgia (sacra nocturna in Bacchi honorem celebrata) 1) cultus arcanus, 2) mysteria, unde Fr. 'orgie' = 'débauche de table', Anglice 'orgy', Germanice et Belgice 'orgiën' = helluatio.

Palamedes (multarum rerum inventor callidus) = homo astutus, cf. Apul. de mag. 81: 'quis *Palamedes*, quis Sisyphus?'

Palatium (mons Romae, in quo Augustus eiusque successores regiam suam habebant) = regia, aula [1]) (in litteris Latinis posterioribus) cf. Cap. Ant. P. 1, 8: 'educatus Lori, ubi postea *Palatium* instruxit'. Italice 'palazzo', Fr. 'palais', Germ. 'Palast', Belgice 'paleis', Anglice 'palace'.

[*Palladium*] signum Palladis ligneum, quod de caelo delapsum Troiae colebatur, pignus salutis rei publicae Troianae) Germanice: 'heiligzuhaltendes, dessen Bewahrung uns Schütz gewährt, nennen wir *Palladium*', Büchmann p. 113; Fr.: 'ce qu'un peuple considère comme assurant son salut'. Similiter Anglice et Belgice.

Paris (adulter Helenae) cf. *Helena*.

Paulus (L. Aemilius P. Macedonicus et L. Aemilius Paulus, qui in pugna Cannensi cecidit) cf. *Galus*.

Pegasus (equus volucer, e sanguine Medusae ortus) = nuntius celer, cf. Cic. Quinct. 80: 'o hominem fortunatum, qui eiusmodi nuntios seu potius *Pegasos* habeat'.

Penelope (Ulixis uxor pudica) = uxor pudica, cf. *Helena*; Mart. XI 7, 5: '*Penelopae* licet esse tibi sub principe Nerva'.

---

1) Cf. Antibarb. II[4] p. 216 (s. v. Palatium), ubi viri docti commemorantur, qui de aetatibus et temporibus huius nominis proprii egerunt.

Digitized by Google

Phaethon (filius Solis, qui unum diem patris currum regebat, sed gubernandi imperitus terram paene incendit, ipse fulmine ictus periit) = malus gubernator, cf. Suet. Cal. 11: '*Phaethontem* orbi terrarum educare'. Fr. 'Phaéton' = 'cocher' (per iocum), deinde per metonymiam 'voiture découverte à quatre roues, haute et legère', Reinius p. 44. Anglice et Germanice 'Phaeton' = 'a fourwheeled carriage'.

Philippus (nomen complurium regum Macedoniae) per metonymiam = nummus Philippeus, cf. Plaut. Bacch. 230; Hor. Ep. II 1, 234; = quivis nummus, cf. Aus. Epist. XIII 5 (p. 243 P): 'ergo interceptos regale nomisma *Philippos* | accipe tot numero, quot duo Geryones'; XVI 19 (p. 253 P).

Philomela (a dis in lusciniam mutata) = luscinia, cf. Verg. G. IV 511: 'qualis populea maerens *Philomela* sub umbra | amissos queritur fetus'; Sidon. Apoll. II 2, 14: '*Philomelam* inter frutices sibilantem'. Hinc Anglice 'Philomel', Germ. 'Philomele', Belgice 'Filomeel', praesertim in sermone poetico.

Plato cf. *Socrates*.

Podalirius (Graecorum Troiam obsidentium medicus) = medicus, cf. Ov. Rem. 313: 'curabar propriis aeger *Podalirius* herbis'; Mart. X 56, 7: 'enterocelarum fertur *Podalirius* Hermes' (nomen proprium alicuius medici).

Pollux (frater Castoris, pugil excellens) = pugil, cf. Mart. VII 57, 1—2: 'Castora de *Polluce* Gabinia fecit Achillan: *πὺξ ἀγαθὸς* fuerat, nunc erit *ἱππόδαμος*'.

Priapus (progenerandi deus, cuius simulacrum magno pene insigne erat) = homo salax, cf. Ov. Am. II 4, 31—32: 'ut taceam de me, qui causa tangor ab omni, | illic Hippolytum pone, *Priapus* erit'; Cat. 47, 4: 'verpus praeposuit *Priapus* ille'; Capit. Gord. 19,4. Deinde = penis, cf. Iuv. II 95: 'vitreo bibit ille Priapo'; Mart. XIV 69.

Procne (a dis in hirundinem mutata) = hirundo, cf. Verg. G. IV 15: 'et manibus *Procne* pectus signata cruentis'; Sidon. Apoll. II 2. 14: 'Procnen inter asseres minurientem', cf. *Philomela*.

Prometheus (qui homines e luto finxit) = figulus, cf. Iuv. IV 133: 'debetur magnus patinae subitusque *Prometheus*'.

Proteus (deus vaticinans marinus, qui tamen se in omnes formas mutando consulentes effugiebat) = homo callidus, mutabilis,

Digitized by Google

cf. Hor. Ep. I 1, 90: 'quo teneam voltus mutantem *Protea* nodo?' Sat. II 3, 71: 'effugiet tamen haec sceleratus vincula *Proteus*'. Fr. 'Protée' = 'homme qui joue tous les personnages', Germanice, Anglice, Belgice 'Proteus' = 'ein vielgestaltiges, wandelbares Wesen', Büchmann p. 102.

Pylades (Orestis amicus fidelis) = amicus fidelis, cf. Iuv. XVI 26: 'quis tam *Pylades*, molem aggeris ultra | ut veniat'.

Regulus (M. Atilius Regulus, qui a Carthaginiensibus captus, praeclaram animi magnitudinem praestabat) = vir excelsus et altus, cf. *Maecenas*.

[*Rhadamanthus*] (unus e iudicibus apud inferos) = iudex severissimus; Germanice 'Rhadamanth' = 'höllenstrenger Richter", Büchmann p. 112.

Sardanapalus (rex postremus Assyriae, ob mollitiem famosus) = homo mollis, cf Mart. XI 11, 5—6: 'te potare decet gemma, qui Mentora (cf. supra) frangis | in scaphium moechae, *Sardanapalle*, tuae'.

Scaevola (C. Mucius Cordus Scaevola) = qui pro salute patriae se morti offert, cf. Aug. de c. d. V 14 (extr.): 'hos secuti sunt martyres, qui *Scaevolas* et Curtios et Decios ... superarunt'.

Scaurus (M. Aemilius Scaurus cos. 115 a. Chr. n.) vir antiquae probitatis, cf. Iuv. II 35: 'fictos | contemnunt *Scauros* et castigata remordent'; Id. XI 90: 'cum tremerent autem Fabios durumque Catonem | et *Scauros* et Fabricium'; Hor. C. I 12, 37: 'Regulum et *Scauros* ... referam'.

Scipio (P. Cornelius Scipio Africanus Maior et P. C. Sc. A. Minor) cf. *Galus*.

Seneca (L. Annaeus Seneca, philosophus) = vir sapiens, qui sapientiae poenas dat morte, cf. Boeth. cons. phil. I 3: 'at Canios, at *Senecas*, at Soranos, quorum nec pervetusta nec incelebris memoria est, scire potuisti'.

Siren (avis praedita virginis vultu, quae dulci cantu suo navigantes in perniciem illiciebat) = illecebrae, corruptrix, cf. Hor. Sat. II 3, 14: 'vitanda est improba *Siren*, desidia'; Suet. gr. 11: 'Cato Grammaticus Latina *Siren*'. Fr. 'Sirène' = 'une femme très séduisante' [1]), Germ. 'ein liebreizendes, durch Schmeicheltöne

1) Per metonymiam etiam varia indicat instrumenta, cf. Hatz.-Darm. s. v.

Digitized by Google

ins Verderben lockendes Weib', Büchmann p. 104. Eodem sensu Anglice 'Siren' et Belgice 'Sirene'.

Sisyphus (latro calliditate insignis, a Theseo supplicio affectus) = homo vafer, cf. *Palamedes*.

Socrates (philosophus) = homo sapiens huic philosopho similis, cf. Gell. XIV 1, 29: 'ut existant per huiuscemodi stellarum concursiones et similitudines *Socratae* simul et Antisthenae et Platones multi genere, forma, ingenio, moribus, vita omni et morte pari'.

Soranus (Servilius Barea Soranus sub Nerone accusatus et ad mortem adactus) cf. *Seneca* [1]).

[*Stentor*] (unus e Graecis Troiam obsidentibus, qui voce aena quinquaginta alios aequiperabat) Fr. 'celui qui a une voix retentissante', similiter Anglice, sed Germ. et Belgice tantum in composito: 'Stentorstimme', 'Stentorstem'.

[*Sybarites*] (incola Sybaris urbis ob luxuriam et mollitiem famosae), Fr. 'Sybarite' = 'celui qui est d'une mollesse et d'une delicatesse raffinée'. Anglice 'Sybarite' = 'a person devoted to luxury and pleasure'. Eodem sensu Germ. 'Sybarit', Belgice 'Sybariet', Reinius p. 159.

Syrtis (sinus arenosus in ora Africae, navibus periculosus) = vorago, cf. *Charybdis*; Hier. ep. 125, 2: 'vitiorum *Syrtibus* obrui'. Anglice 'Syrtis' = 'driftsand'.

Talthybius (nuntius Agamemnonis) = nuntius, cf. Sen. Apoc. 13: 'inicit illi manum *Talthybius* deorum' (sc. Mercurius).

Tanaquil (Tarquinii Prisci uxor superba) = uxor imperiosa, cf. Iuv. VI 566: '(consulit) ante tamen de te *Tanaquil* tua'; Aus. ep. 23, 31 (p. 284 P.): '*Tanaquil* tua nesciat istud'; Id. Paul. ep. X 192 (p. 301 P.): 'nec *Tanaquil* mihi, sed Lucretia coniunx'.

Tarquinius (Tarquinius Superbus, ultimus rex Romae, cuius filius Lucretiae vim intulit) cf. *Lucretia*.

Tatius (rex Sabinorum, Romuli aequalis) cf. *Numa*.

Tempe (Thessaliae vallis amoenissima) = vallis amoena: Heliconia Ov. Am. I 1, 5; Eloria Id. Fast. IV 477; Teumesia Stat.

---

1) Tac. ann. XVI 21: 'Nero virtutem ipsam excindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano'.

Digitized by Google

Theb. I 485; Cycneia Ov. Met. VII 371; frigida Verg. G. II 469.

Thersites (turpissimus Graecorum Troiam obsidentium et maledicentissimus) = 1) homo turpis, cf. Iuv. VIII 269: 'malo pater tibi sit *Thersites*'. 2) conviciator, homo maledicus, cf. Sen. dial. V 3, 23, 3: 'quos Philippus conticescere iussit et *Thersitam* illum salvum incolumemque dimittere'; Amm. XXX 4, 15: 'ut ... audire existimes ululabili clamore *Thersiten*.'

Tiphys (gubernator Argonautarum) = gubernator, cf. *Automedon*.

Tiresias (vates Thebanus, oculis captus) = caecus, cf. Iuv. XIII 249: 'tandemque fatebere laetus | nec surdum nec *Tiresian* quemquam esse deorum'.

Tityrus (pastoris nomen in Vergili Eclogis) = pastor, cf. Verg. Ecl. VIII 55: 'sit *Tityrus* Orpheus, | Orpheus in silvis, inter delphinas Arion'.

Triton (Neptuni filius, deus marinus) = piscinarum possessor (per iocum), cf. Cic. Att. II 9, 1: 'sed ne de istis quidem piscinarum *Tritonibus* poterit se iactare'.

Ucalegon (Troianus, Deiphobi vicinus: 'iam proximus ardet Ucalegon,' Verg. Aen. II 311) = vicinus, cf. Iuv. III 198: 'iam poscit aquam, iam frivola transfert *Ucalegon*'.

Ulixes (qui in Graecorum contione Agamemnonem consiliis adiuvabat) = consiliarius atque administer, cf. Plaut. Men. 902: 'meus *Ulixes*, suo qui regi tantum concivit mali'.

[*Vandali*] (quae gens saeculo quinto p. Chr. n. imperium Romanum vastabat) Fr. 'Vandale' = 'contempteur, destructeur des monuments de la civilisation', Anglice 'Vandal', Germanice 'Vandale', Belgice 'Vandaal'.

Vatinius (P. Vatinius, homo vitiis inquinatus, inimicus Ciceronis) = homo vitiosus, cf. *Cato* et Sen. ep. 118, 4: 'scio apud te Catones repelli, *Vatinios* fieri' [1]).

Veiento (Fabricius Veiento, vir turpis, uxori invisus, Iuv. III 185; IV 113, 123) = vir turpis, cf. Iuv. VI 112: 'hic Sergius idem | accepta rude coepisset *Veiento* videri'.

Venus (dea pulchritudinis et amoris) = 1) puella pulchra, cf. *Iuno*. 2) mulier amore incensa, cf. Lucr. IV 1185: 'nec

1) Aliter Mart. X 3, 4, ubi *Vatinii* per metonymiam = calices a Vatinio quodam (Id. XIV 96) confecti.

Digitized by Google

Veneres nostras hoc fallit'; Ov. A. A. II 701: 'at *Venerem* quicumque voles attingere seram, | si modo duraris, praemia digna feres'; Verg. Ecl. III 68: 'parta meae *Veneri* sunt munera'.

Virro (unus e patronis nobilibus, qui superbos et nimis parcos se praebebant adversus clientes suos, Iuv. V 39) = patronus nimis parcus, sordidus, cf. Iuv. V 149: 'Virro sibi et reliquis *Virronibus* illa iubebit | poma dari'.

Volesus (pater P. Valerii Publicolae, Liv. I 58; II 30) = vir priscae nobilitatis, cf. Iuv. VIII 181: 'quae turpia Cerdoni, *Volesos* Brutumque decebunt'.

[*Xanthippe*] (Socratis uxor morosa et iurgiosa) = uxor morosa, maritum suum perpetuis iurgiis vexans, Angl. Germ. Gr. Belg.; quin etiam Germani nomen proprium mente sua cum verbo vernaculo 'zanken' connectentes ex *Xanthippe* effecerunt 'Zanktippe', Büchmann p. 528; Reinius p. 21.

Zoïlus (iudex iniquus carminum Homeri) = censor tetricus, criticus nimis severus, pusilli animi, cf. Ov. Rem. 636: 'quisquis es, ex illo (sc. livore), *Zoile*, nomen habes'; Mart. II 16, 1 (Friedl.). Fr. 'Zoïle' = 'critique malveillant, injuste', Germ. Angl. Belg. 'Zoïlus' eodem sensu, Reinius p. 20; Büchmann p. 533: 'einem schmähsüchtigen Rezensenten geben wir den Namen des griechischen Rhetors *Zoïlus*'.

Hanc tabulam percensentibus statim nobis apparet praeter illud *Catamitus*, de quo supra disputavimus, quod Romani fortasse non amplius sentiebant esse nomen proprium, nonnulla esse nomina geographica, ut ita dicam, quae appellativa pura vocari possunt, velut *Euripus*, *Maeander*, *Tempe*, cui addendum est gentis nomen *Chaldaeus*. Reliqua autem nomina locorum et incolarum naturam suam minime deposuerunt: *Abdera*, *Abderites*, *Allobrox*, *Boeotus*, *Charybdis*, *Palatium*, *Syrtis*. Et nomina sacrorum, velut *Bacchanalia* et *Orgia*, magis in linguis recentioribus quam in sermone Latino vim generalem accepisse videntur.

Quod ad personarum nomina attinet, imprimis citandi sunt *Apicius*, *Aristarchus*, *Cicero*, *Craterus*, *Croesus*, *Zoilus*, quorum nomina satis inter Romanos eruditos pervulgata erant, ut etiam alios isdem aut virtutibus aut vitiis praeditos significare possent.

Digitized by Google

Sed nullum ex iis ita in sermonem cotidianum aut in litteras se insinuavit, ut pro appellativo puro esset. Iam nomina *Augustus* et *Caesar* fines nominibus propriis constitutos non transierunt et magis cognomina quam appellativa in exemplis allatis vocanda sunt. Forsitan Iudaeus *Apella* maxima attingat necessitudine *Cerdonem* illum, nam ut *Apella* nomen usitatum inter Iudaeos est, sic *Cerdo* inter operarios, imprimis sutores. Nec vero multi dei nomina sua mortalibus concesserunt: notabamus *Harpocratem, Iunonem, Iovem, Venerem* in uno alterove exemplo, *Monetae* tamen per metonymiam vita diuturna evenisse videtur. Praeterea duo reges sunt, *Darius* et *Philippus*, qui pariter atque Iuno Moneta nummos a se nominatos habent.

Comoedia autem palliata non plus tria nomina personarum sermoni cotidiano contribuit, quarum mores adeo expressi erant, ut etiam in posterum tamquam eximia generis exempla valere possent: *Ballio, Gnatho, Lais*. Ex Vergili carminibus *Tityrus* et *Ucalegon*, in Iuvenalis saturis *Veiento* et *Virro* nomen suum latius propagarunt.

Sed paene innumerabiles sunt probi illi et fortes et integri Romani, quibus contigit, ut eorum nomina semel vel saepius in sermone pedestri et oratione vincta appellativorum vice fungerentur. Sunt enim *Acidini, Aemilii, Ahalae, Anci, Camilli, Cincinnati, Curii, Curtii, Decii, Fabii, Fabricii, Gali, Maximi, Metelli, Mucii, Pauli, Reguli, Scaevolae, Scauri, Scipiones, Volesi*. Quibus adde *Brutum, Catones, Numam, Tatium* integritatis, severitatis, simplicitatis exempla. Contra numerus malorum civium, quorum nomina legentibus vel audientibus certi alicuius vitii notionem movebant, multo minor est. Non enim alii commemorantur nisi *Catilinae, Cinnae, Clodii, Marii, Nerones, Vatinii*. Ex bonis civibus cum imprimis *Camilli* et *Curii, Fabii* et *Fabricii* a Cicerone aliisque etiam atque etiam aequalibus ante oculos ponantur ut exempla verae et priscae virtutis, admodum verisimile est eadem exempla iam in scholis rhetoricis decantata esse. *Maecenatis* autem nomen duplicem in lingua Latina vitam protraxit, cum poetarum patroni, tum viri mollissimi. Neque historia neglexit duos reges duasque feminas in luce clara collocare, nam *Tarquinius* et *Sardanapalus, Lucretia* et *Tanaquil* in memoria hominum vivere haud desierunt. Porro sex sunt viri sapientes,

Digitized by Google

qui vita et operibus effecerunt, ut eorum nomina in litteris vivere pergerent: *Antisthenes, Canius, Plato, Seneca, Socrates, Soranus.*

Denique ex carminibus Homericis et fabulis mythologicis poetae Romani, praecipue saturarum et epigrammatum scriptores, permagnam copiam nominum propriorum hauserunt, quae partim serio, partim per iocum ab iis in sermonem Latinum introducta sunt ad genus quoddam hominum vel singulos homines expressius significandos. Nullum tamen ex iis civitate Romana donatum est, sed pleraque eorum non amplius semel bisve in litterarum monumentis apparent. Ne *Hercules* quidem et *Amazon* in litteris Latinis ea vita fruuntur, quae iis in linguis recentioribus data est, sed raro se ostendunt. Quae per iocum vel ludibrium adhibentur nomina haec sunt: *Aiax, Alexander, Andromache, Atrides, Automedon, Belides, Castor, Deiphobus, Endymion, Eriphyla, Ganymedes, Hecuba, Helena, Hyacinthus, Iphigenia, Menelaus, Paris, Pegasus, Pollux, Priapus, Prometheus.* Serio tamen vel saltem locis paulo gravioribus usurpantur haec: *Adonis, Achilles, Aegisthus, Amazon, Cassandra, Clytaemestra, Daedalus, Harpyia, Hercules, Irus, Lethe, Lynceus, Machaon, Nestor, Oedipus, Palamedes, Phaethon, Philomela, Podalirius, Procne, Proteus, Pylades, Siren, Sisyphus, Talthybius, Thersites, Tiphys, Tiresias, Triton, Ulixes.* Difficile tamen est ubique inter haec duo genera nominum subtiliter distinguere.

Fieri potest, ut in tabula nominum propriorum, quae appellativorum loco adhibentur, conficienda nonnulla [1]) me fugerint, sed cum primus de hac quaestione, quantum ad linguam Latinam attinet, agam, hoc a benevolo lectore mihi ignosci posse spero.

---

1) Iam tabula absoluta in haec exempla incidi:

Appius (Appius Claudius Caecus) = orator priscus, cf. Tac. dial. 21: „(Asinius Pollio) videtur mihi inter Menenios et *Appios* studuisse."

Fabius (Q. Fabius Pictor) = annalium scriptor, cf. Cic. de div. I § 55: „omnes hoc historici (sc. tradunt), *Fabii*, Gellii, sed proxime Coelius."

Gellius (Cn. Gellius) = annalium scriptor (Schanz RLG I 1, 274) cf. *Fabius*.

Menenius (Menenius Agrippa) = orator priscus (Liv. II 32, 8), cf. *Appius*.

Tappo (cognomen in gente Valeria, speciatim eius qui iocosam legem Tappulam convivalem tulisse fingitur. Hermes 39, 339) = scurra, cf. Cat. 104, 4 (Friedrich): „sed tu cum *Tappone* omnia monstra facis."

Digitized by Google

IN TACITI DIALOGUM ADNOTATIONES.

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT H. FIL.

— Cornelii Taciti libri qui supersunt, quartum recognovit Carolus Halm. Tomi II fasc. II. Lipsiae ap. Teubnerum, MCMIV.
— Cornelii Taciti Opera Minora, recognovit brevique adnotatione instruxit Henricus Furneaux, Oxonii, MDCCCIC, ap. Henr. Frowdium.

Cap. 7. 'Tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor, tum habere quod si non *in alio* oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit'.

Crebrae sunt coniecturae, quibus viri docti huic loco succurrere conati sunt: *in alvo* (Pithoeus), *in animo* (Freinshemius), *in aliquo* (Peterus), *in nobis* (Schopenus), *in ipso* (Ernestius), *ingenio* (Seebodius), *innatum* (Steinerus), *sola indole* (Ribbeckius), *naturale* (Baehrensius); etiam aliae medelae propositae sunt minus lenes, quas hoc loco missas facere liceat.

Mihi autem legendum videtur: 'quod si non *ultro* oritur', ita ut *ultro* scribae manu in *alio* depravatum sit postquam *in* dittographia ortum esset ex voculae *non* compendio. Quo ex compendio in Dialogo saepius talia vitia nata esse apparet velut c. 23: *infirmitatem* pro *non firmitate*; c. 29: *improbitati* pro *non probitati*; c. 32: *non rhetorum officinis* ex haplographia pro *non in rhetorum officinis*.

Cap. 10. 'neque hunc meum sermonem ita accipi volo, tam-

Digitized by Google

quam eos quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere *possunt* famae'.

Restituendus videtur coniunctivus *possint*, collato capite praecedente: 'si modo efficere — *velint*'.

Ibid. 'cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat'.

Iniuria mea quidem opinione Acidalius ante verbum *ferat*, Halmius autem, quem plerique editores secuti sunt, post id quod est *natura* pronomen *te* inseruerunt. Quid enim? Non hoc dicit Aper, ipsum Maternum a natura sua in eloquentiae arcem ferri — quippe quo ferri se minime passus sit: 'errare mavis et summa adepturus in levioribus subsistis' — sed generaliter hoc vult: cum natura tua ea sit, quae (homines) in arcem eloquentiae ferat, cetera.

Ibid. i. f. '— — pro Catone offendis. nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus videris *aut* elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. *sentio quid responderi possit: hinc ingentis existere assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem.* nobis satis sit privatas et nostri saeculi controversias tueri, in quibus *expressis* si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata'.

Complura sunt in hisce, quae ferri nequeant nec non iamdudum scrupulum moverint interpretibus. Praeterquam enim quod verba illa *aut* et *expressis* (sic codd. Vaticanus et Perizonianus; *expressit* Farnesianus) sensu probabili omnino carent, summo iure F. A. Wolffius ante verba *tolle igitur* e. q. s. lacunam indicavit, quippe cum — ita Doederleinius apud Andresenum — ratio nulla appareat, cur Aper id quod responderi posse sentiat, nullo verbo refellat et tamquam refutando impar silentio transmittat. Vel potius dicam — ultima enim sententia revera Apri responsum continere mihi videtur —: id nobis dubitationem inicit quod verba illa 'tolle igitur e. q. s.' non tam bene qua-

Digitized by Google

drant in eam quae proxime praecedit Apri praesumptionem quam in eam sententiam quae supra legitur: 'meditatus videris', cetera. Qua re perspecta ipsa emendatio in promptu esse mihi videtur. Vide igitur, an duabus sententiis ita transpositis verborum contextus integer evadat:

'— — pro Catone offendis. nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus videris [*aut*] elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. *tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem. sentio, quid responderi possit: hinc ingentis existere assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri.* nobis ⟨*autem*⟩ satis sit privatas et nostri saeculi controversias tueri, in quibus [*expressis*] si quando necesse sit, e. q. s.'.

Aut illud, quod iam Puteolanus omisit, nescio an indicium atque reliquias praebeat particulae *autem*, quam in ultima sententia desideramus. Vocabulum autem *expressis* sive *expressit* unde in textum irrepserit, vix perspici potest, nisi quod mihi venit in mentem exstitisse fortasse glossam quandam in qua ad haec verba 'et probata sit fides' laudaretur Quint. Declam. CCLIX (p. 57 Ritter): 'tamen rem difficillimam *expressit*, fidei experimentum'.

Cap. 11. 'ita recitatione tragoediarum et ingredi famam auspicatus sum, cum quidem *in Nerone* improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi'.

Sic codd. Vatic. et Periz.; Farnes. habet: *in Neronem*. Hanc lectionem Gudemannus in editione defendere studuit, ita ut haec verba arte cum adiectivo quod est *improbam* coniungenda esse affirmaret; frustra, ut opinor, nam etsi contendit: 'the construction itself is supported by numerous parallels', ea quae affert parum valent. Nempe eorum locorum, quos laudat, tres cum loco nostro nihil commune habent, quippe ubi eiusmodi locutiones a verbis pendeant: Cic. de rep. II. 27. 49 et III. 15 (14). 23, ubi legimus: 'potentiam (potestatem) *habere* in aliquem', et Tac. Hist. (immo: Ann.) I. 77: 'ut praetoribus ius virgarum in histriones *esset*'. Sequitur locus, ubi nihil eiusmodi equidem indagare potui: Caes. B. G. VII. 9. Cetera demum exempla,

Digitized by Google

quamquam nostro similiora sunt, verborum ordine et excusantur et defenduntur: Tac. Ann. IV. 11: 'ex nimia caritate in eum Caesaris et ceterorum in utrumque odio'; Hist. II. 49: 'atrocissima in Verginium vi'. Ecce autem scrupulus noster: etenim si legeremus: 'Vatinii improbam in Neronem potentiam', nihil esset in quo iure offenderemus.

Tamen hac in re difficilius est decernere quid placeat quam quid displiceat. Plerique editores in Luciani Muelleri partes ierunt, conicientis: *imperante Nerone*. Contra sunt, qui cum Rittero faciant, qui excogitavit, fortasse sub nomine Neronis eandem accipiendam esse praetextam, quae supra (c. 3) Domitii titulo indicata sit. Quae coniectura licet a viris doctis nonnullis merae nugae merusque iocus appellata sit ('Ritters Phantasiescherz', Schoellius in Commentationibus Woelfflinianis, 1891; 'the conjectural fancies of Ritter', Gudemannus in ed. 1894), tamen nescio an non tantopere aspernanda sit. Nam quae vulgo contra afferuntur, falsa huius loci interpretatione niti mihi videntur. Ut Schoellius, ita Gudemannus Rittero obicit, non esse verisimile 'that the poet began his career as a dramatist with praetextatae'. Audio, sed id non dicit Maternus, nam quod huius tragoediae recitatione ingredi famam auspicatus est, inde non necessario concluditur, non antea scripsisse eum tragoedias, quibus minus gloriae sibi pepererit. Neque 'viam poëticam ingredi' et 'famam poëticam ingredi' semper sunt synonyma!

Cap. 21. 'nec unum de populo Canuti aut Atti de Furnio et Toranio quique alios in eodem valetudinario haec ossa et hanc maciem probant: ipse mihi Calvus, cetera'.

De hoc loco conclamato quamquam magnopere dubito, tamen coniecturam proferre aggredior; nempe ubi pro certo aliquid affirmare non possumus, quaerere licitum est.

Primum quidem haud dubie meliorem textum reddiderimus, si cum Gronovio ita correxerimus: '*quosque* alios in eodem valetudinario (sc. versantes) haec ossa et *haec macies* probant'. Quem verbi *probandi* usum locus confirmat in ipso Dialogo, c. 39: 'nam quomodo nobilis equos cursus et spatia probant'.

Sed summam difficultatem nomina propria paraverunt interpretibus, quippe de quorum nullo quicquam constet. Ita accidit

Digitized by Google

ut viri docti plerumque longissime a lectione tradita discederent in emendationibus proponendis, quas omnes enumerare supersedeo.

In codice Perizoniano post Canuti nomen interpungitur. Quod si in perlustrando hoc loco non neglegimus, facere non possum quin duos operum titulos indicari intellegam, nempe Canuti cuiusdam orationem 'de populo' et Atti cuiusdam orationem 'de Furnio et Toranio'. Quod attinet ad vocem *orationem* omissam, conferas quaeso in eodem hoc capite: *Calvi in Asilium aut in Drusum.* De Canutio autem illo nihil certi scimus, cum duo aequales P. et Ti. Canutius egregii oratores fuerint, neque utrius in Dialogo mentio fiat diiudicare possimus. Nec circa Attium melius res se habet. Restat tantum quaerere, fueritne umquam aliquid Furnio alicui cum Toranio aliquo, ita ut una de ambobus sermo fieri posset. Quod reapse ita fieri potuisse demonstrare conabor, etiamsi haudquaquam necessario inde sequitur, interpretationem a me propositam acu rem tangere.

Eorum enim Furniorum, quos Pauly-Wissowa laudat, unus fuit C. Furnius, qui cum L. Munatio Planco, Antonii sectator, Octaviani fuit adversarius. Item eorum Toraniorum, quos Pauly-Wissowa laudat, unus fuit C. Toranius, qui etiam Octavianum oppugnavit.

Uterque habebat filium. Uterque autem filius non cum Antonio sed cum Octaviano faciebat. Utrumque patrem Octavianus rerum potitus interficere in animo habuit. Hucusque magnus exstat consensus, iam vero fata eorum diversa traduntur.

Furnius scilicet filius Octavianum adiit patrisque vitam deprecando servavit. Qua de re Seneca de benef. II. 25 haec narrat: 'nullo magis Caesarem Augustum demeruit et ad alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius, quam quod, cum patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset, dixit: Hanc unam, Caesar, habeo iniuriam tuam: effecisti ut viverem et morerer ingratus'.

Prorsus contrarie Toranius iuvenis se gessit, de quo apud Valerium Maximum IX. 11. 5 haec legimus: 'Hanc crudelitatem, cui nihil adici posse videtur, C. Toranius atrocitate parricidi superavit. namque triumvirorum partes secutus proscripti patris sui, praetorii et ornati viri, latebras aetatem notasque corporis, quibus agnosci posset, centurionibus edidit qui eum persecuti

Digitized by Google

sunt. senex de filii magis vita et incrementis quam de reliquo spiritu suo sollicitus an incolumis esset interrogare eos coepit. e quibus unus 'ab illo' inquit 'quem tantopere diligis, demonstratus nostro ministerio, filii indicio occideris', protinusque pectus eius gladio traiecit. Conlapsus itaque est infelix, auctore caedis quam ipsa caede miserior'.

Nonne ergo credibile est in Attii illa disputatione horum iuvenum mores inter se collatos fuisse, itaque magis magisque pernotuisse? Quamquam ceteroquin perdifficile est ad coniciendum, quanam causa adductus Attius, quisquis fuit, publice de hac re disserere potuerit.

Recepta igitur Gronovii emendatione nescio an locus ita legendus sit:

nec unum 'de populo' Canuti, aut Atti 'de Furnio et Toranio', quosque alios in eodem valetudinario haec ossa et haec macies probant: ipse mihi Calvus — vix — satis facit.

Cap. 26. 'quodque vix auditu fas esse debebat (sic Muretus; codd.: debeat), laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios suos. unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens sicut *his clā et* exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur'.

Legendum censeo: 'frequens sicut *his ita et* ⟨*aliis*⟩ exclamatio'.

Digitized by Google

NOTULAE CRITICAE AD SILIUM ITALICUM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(*Continuantur e Vol. XXXIX pag.* 134).

XIII. 7. Hannibal postquam ab Urbe discessit, in itinere consistit causas obsidionis relictae detrectans.

Hic modo *primores* socium, modo iussa deorum,
Nunc sese increpitat:

Nisi librorum mss. vetaret auctoritas, vocabulum *primores* omnino respuendum putarem atque poëtam *terrores* vel tale quid scripsisse crederem. De sociorum primoribus singillatim nusquam sermo fuit atque loco nostro Hannibal milites simul omnes increpat, quibus, ut vs. 19 sq. legitur:

Terror adhuc inerat superum ac redolentia in armis
Fulmina et ante oculos irati pugna Tonantis.

33. Dasius Arpinas transfuga erat
seseque calenti
Addiderat Poeno, *Latiae* diffisus *habenae.*

Immo *Latiis* — *habenis*, cum alibi quoque Silius semper numero plurali usus sit, cf. X. 261, XI. 50. Is autem Urbem propter Palladium expugnari non posse Hannibalem edocet, narrationem ita incipiens (vs. 36):

'Longo, miles', ait, 'quateret cum Teucria bello
Pergama, et ad muros staret sine sanguine Mavors, cet.

Ita Bauer post Drakenborchium verba divisit, sed male: transfugam scilicet Hannibalem sic compellantem faciunt nomine

Digitized by Google

miles! Summers virgula ante voc. *miles* sublata vim suam vocabulo reddidit; est enim subiectum verbi *quateret*. Dasium autem ipsum Hannibalem allocutum esse e vs. 82 patet:

His fractus d u c t o r convelli signa maniplis
Optato laetis abitu iubet.

38: — *nam sic* fortissimus heros
Poscenti socero saepe inter pocula Dauno
Narrabat memori Diomedes condita mente —

Suspicio me tenet, scriptum fuisse *namque haec*, id quod sequens participium *condita* flagitare videtur.

47: Tum meus adiuncto *monstratam* evadit in arcem
Tydides Ithaco e. q. s.

Hunc locum sanum esse neque Schraderi coniecturam *sacratam* dignam quae a Bauero in apparatu critico memoretur, aliis locis allatis ostendam; patebit Silium verbum *monstrare* et verba similia saepius ita posuisse nomine non addito. In hoc ipso libro cf. vs. 415: p r a e d i c t a — placamina, 418: m o n s t r a t a piacula, 806: m o n s t r a t a Lavinia, nec non XV. 204: Este duces bello et m o n s t r a t a m ducite ad urbem.

60. In verbis Palladis iubentis, uti Diomedes Palladium Lavinium transferat, haec sunt:

quaere in Laurentibus arvis,
Qui nunc prima locant melioris moenia Troiae.
Huc vittas castumque refer penetrale parentum.

Praestare videtur: *His* vittas cet.

99. Fulvius milites suos, qui Capuam obsident, increpat.

'Dedecus hoc defende manu; *cur* perfida et urbi
Altera Carthago nostrae post foedera rupta
Et missum ad portas Poenum, post iura petita
Consulis alterni stat adhuc? et turribus altis
103 Hannibalem ac Libycas *expectat* lenta cohortis?'

Nescio an pro *cur* coniunctio *quod* reponenda sit virgula scilicet post *manu* collocata et interrogandi signo altero (vs. 102) deleto — altero (vs. 103) in exclamandi notam mutato.

Digitized by Google

Ceterum in vs. 103 pro *expectat* alterum compositum *prospectat* scribendum esse moneo, quod verba *turribus altis* in versu superiore exigunt. Cf. XV. 224, XVI. 9:

tremit omnis ab alto
Prospectans scopulo pastor nova bella parantem.

XVII. 236:

Talibus ardentem furiis Neptunus ut alto
Prospexit vertique rates ad litora vidit, cet.

162. In descriptione proelii singularis inter Tauream et Claudium commissi de illo dicitur:

Inde ruens ira telum contorquet in auras.

Verbum *ruere* ab hoc loco alienissimum esse alii ante me viderunt, quandoquidem Heinsius *furens* — Blass *amens* vel *errans* proposuit. Equidem praetulerim: *Infrendens*, quod verbum crebro in Punicis legitur.

250. Eruptione facta Campani

convertunt gressus recipique precantis
Infandum! excludunt socios. *tum* cardine verso
Obnixi torquent obices, munimina sera.

Est ista codicum mss. lectio, quam Bauer integram reliquit ascripta coniectura *nam*. Summers de suo *dum* edidit iure omissa Ruperti coniectura *qui*. Emendandum credo: *iam*, quod si rescripseris, versum sequentem, qui multis criticis corruptus visus est, optime se habere videbis. Campani, qui erumperant ex urbe, victi ad moenia refugiunt, sed cives, qui suorum cladem e turribus moenibusque conspexerant, socios periclitantes excludunt: convertunt gressus h. e. ad portas ruunt, quas iam denique totis viribus claudunt, sed illae sunt munimina sera, cum in eo iam esset ut oppidum caperetur. Itaque verba *munimina sera*, quae Drakenborch, Barth, Heinsius, Burmann, Ruperti coniecturis suis sollicitarunt, optime explicari posse arbitror, cf. III. 626: tarda senectam Hospitia excipient caeli, XIII. 280: Nunc menti Decius serae redit, 603: seroque piget sub iudice culpae, XVI. 31: indigenas serus raptabat Hiberos, 417: sero moderamina equorum discentem.

Digitized by Google

270. Virrius cives suos permovere conatur ut semet ipsi interficiant.

Hactenus est vixisse satis; dum copia *noctis*,
Cui cordi comes aeterna est Acherontis ad undam
Libertas, petat ille meas mensasque dapesque.

Heinsius *mortis* vel *voti est* proposuit addens: 'quamquam et *nox* pro morte Silio usitata'. Quod non nego, sed hoc loco vocabulum sic intellegi posse vix credo: quis pro: 'dum liberum nobis moriendi arbitrium est' umquam diceret: dum copia noctis? Scriptum fuisse opinor: dum copia *nostra est* h. e. dum res etiamnunc in manu nostra est nequedum capta urbe hostis facultatem nobis ademerit.

291: Adit omnia iamque
Concilia ac *mensas* contingit et, abdita nube,
Accumbitque toris epulaturque improba Erinys.

Et verbum *contingit* et notionum abundantia me inducunt ut pro *mensas* poëtam scripsisse credam *mentes*. Cf. vs. 403: aspectus orat contingere patrum, 506: patrios visu contingere manis, XVII. 293: ignifero mentes furiabat in iram Hortatu.

326: *Pan* Iove missus erat, servari tecta volente
Troia, pendenti similis Pan semper et imo
Vix ulla inscribens terrae vestigia cornu.

Corrigendum puto: *A* Iove.

369. *Hic* atrox virtus — nec enim occuluisse probarim
Spectatum vel in hoste decus — clamore feroci
Taurea:

Summers cruce verbis praefixa ad paginae calcem rogat: An *atrox in victis*? Iam Bentleius pro *virtus* legere voluit *visu*; alii de loci integritate dubitasse non videntur neque ego dubito. Verba *atrox virtus* in Taureae facinus et optime cadunt et appositio praecedens esse potest aut Taureae nominis aut, quod potius credo, totius narrationis quae hic instituitur. Si quid mutandum esset, pro *Hic* fortasse praeferrem *Ecce*, quo vocabulo in tali re noster saepissime utitur, cf. XI. 91, XIII. 438, XIV. 477, XV. 139, 435, 740, XVI. 73, 86, 496, 665, XVII. 7, 255, 300.

Digitized by Google

371. Taurea igitur ita Fulvium compellat:
'Tune', inquit, 'ferro spoliabis inultus
Te maiorem *anima*? et iusso lictore recisa
Ignavos cadet ante pedes fortissima cervix?
Bauer pro codicum mss. scriptura *animam* ablativum posuit, quod persuasit Summersio. At neque eos neque Bentleium, qui *violabis* pro *spoliabis* scribere voluit, loci sententiam bene intellexisse iudico, quippe qui omnes notionem necandi his verbis inesse crediderint. Verum Tauream dixisse aio: Tune mihi, qui te maior sim anima, impune ferrum i. e. gladium meum eripies? neque lectio tradita *animam* ultro vexanda est. Res a poëta tanto pondere expressa est propterea quod Taurea deinde gladio suo se ipse perfodit. Cum pro *iusso* pars codicum *viso* exhibeat, fieri potest ut Silius olim scripserit: *inviso* (pro: *et iusso*.).

394. Scipio desiderio patris patruique occisorum excruciatur:
Versatur species ante ora oculosque parentum.
Corrigendum est: *Versantur*, nam voc. *species* numero plurali positum quin sit nulla potest esse dubitatio. Cf. vs. 403: aspectus orat contingere patrum, 438: Ecce ruunt variae species.

413: Vade, age et, a medio cum se nox humida cursu
Flexerit, ad fauces vicini castus Averni
Duc praedicta *sacris* duro placamina Diti.
Mella simul tecum et puri fer dona Lyaei.
Summers pro *sacris* probabiliter proposuit: *sacra et*, quod utique poëtae reddendum esse ei credo. At vir doctus videat annon interpunctio insuper mutanda sit: mihi quidem punctum post nomen *Diti* tollendum videtur, ut voc. *placamina* appositio fiat verborum, quae in versu sequenti nominantur.

434: *Fundunt* mella super Bacchique et lactis honorem.
Sive hunc versum cum Lefeburio post vs. 431 traiciendum seu hoc loco recte legi putas, utique emendandum est: *Fundit*. Nempe Sibylla Scipioni dux atque auctor viae per inferos est, hic ipse sacra facienda peragit. Forsitan numerus pluralis *procumbunt*, qui in versu superiore iusto iure legitur, librarium in errorem induxerit.

Digitized by Google

435: 'Sta, iuvenis, faciemque, Erebo quae surgit ab omni',
Exclamat vates, 'patere. accedentia *cerno*
Tartara et ante oculos assistere tertia regna.
Legendum est: *cerne* vel *cernes*, nam imperativus requiritur. Sic vs. 441 eadem iubet: contende tueri, et vs. 445: interea cerne, ut e. q. s. Nec non Rupertium vs. 439 recte *videbis* reposuisse pro *videbat* Summersio assentior.

459. Ubi Appii umbra inhumata Scipionem alloquitur, et alia leguntur et haec:

sed lenta meorum,
Dum vanos ritus cura et sollemnia vulgi
Exequitur, cessat flammis imponere corpus,
Ut *portet* tumulis per longum membra paternis.
Malim: *portent*, ita ut non *cura* huius quoque verbi subiectum ntellegendum sit, sed *mei* (e *meorum* vs. 459).

479. In oratione illa docta sed importuna de variis humandi rationibus Scipio haec quoque docet:
Quid, qui reclusa nudos Garamantes harena
Infodiunt? quid, qui saevo sepelire profundo
Exanimos mandant Libycis Nasamones *in oris*?
Nonne potius: *in undis*?
Obiter moneo, in Baueri editione paulo inferius mendum typothetae molestissimum nunc esse; in vs. 490 enim *veri secunda* pro *fecunda* legitur.

505. Verba Sibyllae ad Scipionem sunt
Namque tibi cerno *properatum* oracula vitae
Hinc petere et patrios visu contingere manis.
Heinsius *Namque tibi certum* et in fine versus *oracula vittae* dubitanter proposuit, locum maioris indigere medicinae addens, quod idem Summersio visum est; ceterum Scaliger *properandum* Bentleius *propostum* coniecere. Suspicio mihi orta est, olim fortasse scriptum fuisse: Namque tibi, cerno, *promptumst mi*racula vitae Hinc petere cet.

535. Sibylla decem inferorum portas enumerat, e quibus receptat

Digitized by Google

Tertia ruricolas, *Cereris iustissima* turba
Quae venit ad manis et fraudum illaesa veneno.

Heinsius virgulam, quae ante nomen *Cereris* ab editoribus omnibus poni solet, post id nomen collocari iussit. Summers pro *turba* scribere voluit *cura*. At aliud vitium latere credo atque codicem F vestigium verae lectionis etiamnunc asservare, qui *certissima* exhibeat. Legendum enim puto: *Cereri sanctissima* turba, cl. turba in vss. 548 et 552, et XIV. 130: Et Cereri placitos fecundat sanguine campos, XV. 177: tunc hospita Tarraco Baccho.

571: Tristior his Acheron sanie crassoque veneno
Aestuat et *gelidam* eructans cum murmure harenam,
Descendit nigra lentus per stagna palude.

Schrader pro inepto illo *gelidam* emendare voluit *calidam* idemque in versu sequenti legendum esse censuit *pigra*.

Equidem manum poëtae potius restituere mihi videor corrigendo: et *caeco* eructans cum murmure harenam. Cf. XIV. 14, 60, 240.

591: Cerberus hic ruptis peragrat cum Tartara vinclis,
Non ipsa Alecto, non feta furore Megaera
Audet adire ferum, dum *fractis* mille catenis
Viperea latrans circumligat ilia cauda.

Hic locus si ita intellegendus esset ut verbis *fractis mille catenis* idem exprimeretur quod verbis *ruptis vinclis*, esset hercle! repetitio frigidissima atque Schrader coniectura sua *tractis* vere loco salutem attulisset. Nunc vero et Schraderum et alios locum male interpretatos esse existimo; hoc enim Silius voluit: Cerberus cum ruptis vinclis Tartara peragrat, nemo eum adire audet, donec fract*us* mille catenis (h. e. perdomitus et maiore iam catenarum vi onustus) recubuit. Tam vs. 594, quo canis cubans describitur, quam epitheton *mille* vocabulo *catenis* additum veram lectionem mutatione mea levissima revocatam esse satis superque demonstrant.

659. In oratione, qua Scipio patris patruique umbras alloquitur, haec leguntur:

Digitized by Google

tumulus vobis, censente senatu,
Mavortis geminus surgit per gramina *campo*.

Conicio: *campi*.

685. In patris autem responso haec sunt:
Non segnis nobis nec *inultis*, nate, peracta *est*
Illa suprema dies, et laude inclusimus aevum.

In codicibus mss. omnibus *est* post *peracta* omissum est, unde suspicio mihi nata est, poetam fortasse scripsisse: nec *inulta est*, nate, *per acta* Illa suprema dies.

690. In iis, quae deinde patruus respondet, legimus:
Fumantis taedas *ac* lata incendia passim
Et mille iniecere faces.

Ain vero? Iniecerunt taedas et incendia et faces? Corrige sodes: *ad* lata incendia.

730. Sibylla Scipioni umbras monstrat insignissimas.
hic inclitus ille
Aequoreis victor cum classe Lutatius *armis*.

Nisi omnia fallunt, reponendum est: *arvis*. Cf. Drakenborch ad IV. 295.

740. Denique Scipio Hamilcaris umbram compellat.
Bella tuus *toto* natus contra omnia pacta
Exercet Latio et, perruptis molibus, Alpis
Eluctatus adest, e. q. s.

Blassii coniectura *nostro*, quam editores memoratu dignam iudicarunt, omnino reicienda videtur: nihil est in lectione tradita quod offendat, immo vero *toto* ipsum epitheton est quod loco nostro quam maxime idoneum sit.

798: Sed, quae tanta adeo *grassantum* turba, requirens,
Heroum effigies maiorisque accipit umbras.
Invicto stupet Aeacide, stupet Hectore magno cet.

Hanc lectionem, quam Bauer et Summers praebent, e codicum mss. vestigiis infeliciter confictam esse contendo; *grassantum* enim coniectura est Lefeburii pro inepta librorum scriptura

Digitized by Google

gratantum, *invicto* autem Thiloni debetur pro *ire viro*, quod codices omnes exhibent.

Post criticorum coniecturas fere innumeras Summers tandem una litterula addita veram ac genuinam lectionem ita restituit: maiorisque accipit umbras *Ire virum*: stupet e. q. s., sed voc. *gratantum* etiamnunc corrigendum restat, nam neque Lefeburii *grassantum*, quod editoribus placuit, neque Rupertii *stridentum* tale verbum esse dico quod hoc loco exspectaveris. Emenda: *gradientum*, cl. 801: Aiacisque gradum, 816: Aspice Carmentis gressus, XV. 230: ceu plano gradiens victricia campo Ferret signa.

821: Ecce pudicitiae *Latium* decus, inclita leti
Fert frontem atque oculos terrae Lucretia fixos.

Voc. *Latium* Bauero adiectivum visum est ad substantivum *decus* pertinens (cf. Index Nominum s. v.), quod non credo; aut genitivus pluralis est pro *Latinorum* aut scribendum: *Latiae*, sed utique ad voc. *pudicitiae* ut referatur, loci sententia postulat.

836. Filia Servii Tullii apud inferos Phlegethontis ignibus cruciatur.

fornacibus atris
Fons rapidus *furit* atque ustas sub gurgite cautes
Egerit et scopulis pulsat flagrantibus ora.

Praestat: Fons rapidus *ruit*.

853. Denique umbrae nonnullae enumerantur, 'quae potant oblivia' et iamiam in lucem rediturae sunt.

Hic Marius — nec multa dies iam restat ituro
Aetheriam in lucem — veniet tibi origine parva
In longum imperium consul, nec Sulla morari
Iussa potest aut amne diu potare soporo.

Iam Heinsio tradita lectio suspecta fuit, nam *Iusta* proposuit. Mihi vero legendum videtur: *Iste*, ita ut Silius verbum *morari* intransitive pro: cessare, cunctari posuerit. Manifestum est, voc. *iussa* sine ulla definitione ferri non posse; accedit quod Marius pronomine *hic* vs. 853 designatur, Pompeius vs. 861 pronomine *ille*, optime igitur inter eos Sullae nomini pronomen *iste* iunctum est.

Digitized by Google

864. Postquam illis Caesarem adiunxit, Sibylla exclamat:
quantas moles, cum sede reclusa
Hinc tandem erumpent, terraque marique movebunt!
Heu miseri, quotiens toto pugnabitis orbe!

Pro codicum corrupta lectione *Hac* et *Hanc* editores Blassii coniecturam *Hinc* receperunt, male, ut credo; post verba *sede reclusa* adverbium *hinc* admodum languet neque dubito quin scriptum fuerit: *Hi*, quo vocabulo in orationis fine Sibylla omnes complectitur.

XIV. 41: (Minos) qui fraude nefanda
Postquam *perpetuas* iudex concessit ad umbras
Cocalidum insidiis, fesso Minoia turba
Bellandi studio Siculis subsedit in oris.

Immo *perpetuus iudex* Minos apud umbras factus est.

55: At non aequus amat Trinacria Mulciber antra.
Nam Lipare, vastis subter depasta caminis,
Sulphureum vomit exeso de vertice fumum.
Ast Aetna eructat tremefactis cautibus ignis
Inclusi gemitus, e. q. s.

Emenda *Atque*, cuius lectionis cod. O, qui *At* praebet, servavit reliquias. Ceterum locus Vergilianus, quem Silius imitatur, me adducit ut olim scriptum fuisse credam: *Inclusos gemitu*: atque Aetna e cautibus tremefactis ignes ibi inclusos cum gemitu eructat. Cf. Verg. Aen. III. 575:

Interdum scopulos avolsaque viscera montis
Erigit eructans liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo.

68: stat vertice celsi
Collis hiems, calidaque nivem tegit *atra* favilla.

Ad hunc locum Drakenborch annotavit, se non recipiendam putare Dausqueii coniecturam *altamque* vel *canamque nivem*, fortasse tamen legendum esse *calidamque nivem tegit atra favilla*, id quod Bauer recepit. Cum vero Postgate lectionis traditae defensor exstitisset, Summers eam retinuit. Drakenborchii Dausqueii Schraderi (*gelidamque*) propositis in apparatum criticum

Digitized by Google

relegatis. Qui quamquam iure scripturam librorum mss. omnium tueri mihi videtur, locum tamen non ab omnibus numeris sanum esse credo: quis tandem mihi illud *atra* explicat? Ego quidem id quod nunc legitur: 'atra hiems nivem favilla tegit' inepte enuntiatum dicere non dubito, cum nemo non contrarium exspectaret: 'atra hiems nive favillam tegit'. Quid autem factum est? Cum olim exaratum esset:

calidaque nivem tegit *Aetna* favilla,

nomen proprium, ut passim in codicibus mss. Punicorum, littera minuscula descriptum (cf. app. crit. Baueri ad vs. 206, 221 huius libri), deinde a librariis posterioribus non intellectum et in adiectivum bene notum immutatum est.

141. Milites Marcelli copias Siculorum facile vincunt
Solaque, quod superest, secum certamina *norunt*,
Quis dextra antistet spoliisque excellat opimis.

Pro *norunt* Heinsius aliique *morunt* scribere voluerunt.

Nescio an scripserit poëta: *ponunt*, Vergilii memor, qui Aen. V. 66: prima citae Teucris ponam certamina classis, Georg. II. 530: iaculi certamina ponit in ulmo. Cf. Silius XVI. 313: rapidos cursus proponit equorum. Notandum est, vocabula quae sunt *sola* et *secum* expressius cum emphasi esse posita ac pronuntianda: milites, cum Siculos nauci non penderent, non certamina posuerunt quorum illi quoque essent participes, sed sola certamina sibi inter se, quis etc.

189: Haud secus Eridani stagnis *ripa*ve Caystri
Innatat albus olor pronoque immobile corpus
Dat fluvio et pedibus tacitas eremigat undas.

Siquis hunc locum corruptum habere atque pro *ripa* vocabulum quale est *lympha* substituere velit, propterea quod in terra natare nemo possit, consideret Silium nostrum primoribus inter poëtas adnumerandum non esse, cuius rei et alia multa argumenta sunt et hoc vel maxime notandum videtur. Ovidius Trist. V. 1. 11 cecinerat:

utque i a c e n s r i p a deflere Caystrius ales
dicitur ore suam deficiente necem,

Verg. Aen. IX. 104

Digitized by Google

idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine r i p a s
Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum,

ubi ripas pro toto flumine posuit secundum figuram notissimam, quae 'pars pro toto' apud grammaticos audit. Iam vides quomodo noster exemplis suis usus vel potius abusus sit: voc. *ripa* pro flumine usurpavit in eo loco, quo non undae c u m r i p i s dicantur sed cycnus ille undis innatans aperte ostendat, de aquis unis sermonem esse.

199. Enumerantur oppida Siciliae, quae partibus Romanorum favebant.

Tum, quae nectareis vocat ad certamen Hymetton,
Audax Hybla, favis, palmaque *arbusta* Selinus.

Cum olim vulgo *palmis quoque onusta* editores legerent, Drakenborch e Gronovii coniectura *palmaeque arbusta S.* recensuit. Est praeterea Lefeburii coni. *palmisque.* Editores recentiores librorum mss. lectionem *palmaque arbusta S.* tueri solent, quae bonam interpretationem admittere mihi quidem minime videtur. Ego tamen sub voce *arbusta* aliud quid latere credo, id quod Gronovius curis secundis suspicatus est: non tamen cum eo *palmis Phoenica Selinus* legere velim, sed: palmaque *superba* Selinus, cf. huius libri vs. 250: telaque superba Lanigera Melite, 388: veloque superba capaci (de nave), XV. 185: caede superbi ductores Libyae.

208: altus equorum
Mille rapit turmam atque hinnitibus aera flammat
Pulveream volvens Agragas *ad inania* nubem.

Istam Gronovii lectionem, quam editores omnes receperunt, veram esse nemo umquam mihi persuadebit: immo optima est lectio tradita *menia* h. e. *moenia.* Ipse Marcellus ad Syracusas obsidendas profectus (vs. 179):

victricia signa, quieto
Agmine progrediens, Ephyraea a d m o e n i a vertit,

atque obsidio Archimedi artibus ducebatur (vs. 340):

stabatque ingens a d m o e n i a bellum.

Quandoquidem autem loco nostro Agrigentini memorantur in

Digitized by Google

longa populorum serie, qui 'Latium et Laurentia signa fovebant' (vs. 257), Heinsio roganti 'Ad quae *moenia*?' respondeo: Nimirum ad moenia Syracusarum, ibi enim Marcellus, quocum illi arma iungere parabant, castra sua locaverat. Accedit quod satis insolite dictum videtur *ad inania*, quam locutionem loci, ubi *per inania* legitur, non vindicant.

284. Duces Syracusanorum plebem inflammabant et alia dicentes et haec:

ter centum ante ora triremes
Unum naufragium, mersasque impune profundo
Clade pharetrigeri subnixas regis Athenas.

Scribe *Uno naufragio* neque opus iam erit virgula, qua post *naufragium* collocata editores nunc lectionem traditam tueri conantur.

299. Tandem Marcellus urbem undique aggreditur,
Par omnis simul ira rapit; *certant*que ruuntque.

Credo: *caeduntque* ruuntque, cl. XVI. 71: hinc tantum caedentum atque inde ruentum, Verg. Aen. X. 756: caedebant pariter pariterque ruebant.

366. Pugna navalis instat
Ac iam *diffusus* vacua bellator in unda
Cornibus ambierat patulos ad proelia fluctus,
Navali claudens umentem indagine campum.

Legendum videtur: *diffusis* — Cornibus.

371: Nec mora: terrificis saevae stridoribus aeris,
Per vacuum late cantu resonante profundum,
Incubuere tubae.

Rursus locum habemus vere Silianum, quem viri docti iniuria coniecturis emendare studuerunt, Gronovius *Increpuere* cum proponeret, quod Summers etiam in textum recepit, Heinsius *Incinuere* cum scribi iuberet.

Verg. Aen. XII. 108 cum scripsisset: Aeneas acuit Martem, Stat. Theb. VIII. 345 ponere ausus est: acuitque tubas et sibila miscet Tisiphone. Deinde vero idem vocem *tuba* sensu

Digitized by Google

etiam latiore usurpavit ita ut idem fere significaret quod arma, bellum, nam Theb. XI. 58 dedit: Tisiphone fraterna cludere quaerit bella tuba, h. e. fratrum congressu, ut Lactantius recte observat (Cf. Mnemos. Vol. XXXVII p. 103). Quid autem Silius? Ulterius etiam progreditur et tubam tamquam personam iam inducere non veretur.

387. De nave sermo est qua nulla umquam maior e navalibus Punicis exiit.

Sed *quater* haec centum numeroso remige pontum
Pulsabat tonsis, veloque superba capaci
Cum rapidum hauriret Borean et cornibus omnis
Colligeret flatus, lento se robore agebat,
Intraret fluctus solis ceu pulsa lacertis.

Locum manifesto corruptum multi temptarunt, qui omnes id egerunt ut voc. *Sed,* quod nullo modo ibi ferri posse videretur, amoverent itaque Heinsius *Acta quater centum*, Lefebure *Nam quater*, Schrader *Ter quater* protulerunt. At tamen alibi corruptelam latere suspicor atque poëtam scripsisse: Sed *quamquam* haec centum e. q. s.

Cf. XIII. 641: Implebat quamquam languentia lumina somnus, et VI. 377, ubi *erat* subaudiendum esse Lindblomio credo (In Sil. It. Punica Quaestiones, Upsaliae MCMVI pag. 109).

401: residentis puppe magistri
Affixit plectro dextram; nec deinde regenda
Puppe manus valuit, *flectenti* immortua clavo.

Si sana est lectio, voc. *flectenti* nil denotare potest nisi navem flectenti, ergo: immortua est manus clavo, qui navem flectere solet. Quod hoc quidem loco satis abundanter, ne insulse dicam, additum videtur atque Gronovio haud immerito displicuit, qui *flectendo* substituere voluit. At durum hoc esse, cum proxime praecesserit *regenda puppe* in hac ipsa periodo, cuivis patebit.

Nonne Silius scripsisse putandus est: *fluitanti*? Nempe manus magistri cum non amplius clavum dirigere valeret, hic incertus huc illuc fluitabat, ut Tacitus habet: fluitans testudo, et: praelongis hastis fluitans labansque miles. Cf. quae sequuntur:

transverberat ictu
Orba gubernacli subeuntem munera Taurum.

Digitized by Google

414: palmaeque, trahente profundo,
Luctantum frustra summis *in* fluctibus extant.
Corrigas: summis *e* fluctibus, cl. vs. 483 huius libri:
pars subnatat unda
Membrorum, pars extat aquis.

462: Hos inter Daphnis, deductum ab origine nomen
Antiqua, *fuit* infelix, cui linquere saltus
Et mutare casas infido marmore visum.
Pro *fuit* Bentley proposuit *perit*, sed veram ac genuinam lectionem esse arbitror: *ruit*. Cf. XV. 736: Fortuna ruebat Sidonia, XVI. 68: Qui postquam miseris ruit, XVII. 150: tantoque fragore ruentem Hannibal absenti retinebat nomine molem, Liv. XXVIII. 12: tantam inesse vim, etsi omnia alia circa eum ruerent, in uno illo duce censebant.

De eodem Daphnide poëta enarrare pergit:
465 At princeps generis quanto maiora paravit
Intra pastorem sibi nomina! Daphnin amarunt
Sicelides Musae, dexter donavit avena
Phoebus Castalia et iussit, proiectus in herba
Si quando caneret, laetos per prata, per arva
470 Ad Daphnin properare greges *rivos*que silere.
Barthius verba *intra pastorem* interpretatur: hoc est, pastoricia sua vita et fortuna contentus, Heinsius vero scribendum esse asseverat: *inter pastores*, quidquid libri veteres dissuadeant. An forte conicere licet: *ultra* pastorem, h. e. supra pastoris humilem statum condicionemque?

Quod ad verba *rivosque silere* attinet, ad quae Heinsius ascripsit: An *cieri*? vel *citari*? nihil mutandum esse censeo, quamvis sint dure expressa. Locum videlicet vere Silianum rursus deprehendimus; namque cum alii poëtae affirmarint, vate celeberrimo canente flumina ad vocem eius immobilia stetisse (cf. Ovid. Fast. II. 84, Propert. III. 1. 41, Phaedr. prol. III. 59 de Orpheo), noster non rem, quae fluminum imprimis propria est, sc. motum, sumit, sed proprietatem secundariam ac minus conspicuam, sc. strepitum. Quamquam igitur nil mutandum esse opinor, multo elegantius sit: *Satyros*que silere. Cf. III. 394: quam Satyri coluere leves.

Digitized by Google

570: Et quae, fusa comas, curvum per caerula piscem
Nereis *umenti* moderatur roscida freno.

Propter sequens epitheton *roscida* poëtam non *umenti*, sed *undanti* scripsisse credo.

591: Squalebat tellus, vitiato fervida dorso,
Nec victum dabat aut ullas languentibus umbras,
Atque ater picea vapor expirabat in aethra.
Vim primi sensere canes. mox nubibus *atris* e. q. s.

Non solum adiectivum nunc quidem in versu subsequenti repetitum sed etiam oppositio, quae desideratur, me inducunt ut pro *Atque ater* restituendum censeam: *At teter*. Corruptelae originem sic explico ut, cum olim *At taeter* exaratum esset, per haplographiam scriba aliquis litteram alteram omiserit, unde facile vocabulum notissimum *ater* irrepserit atque ad metrum explendum *at* in *atque* immutatum sit.

XV. Quivis huius libri novem versus priores paulo attentius perlegat; quin mox mihi assentiatur, versum nonum spurium et insiticium esse monenti, vix ac ne vix quidem dubito.

At nova Romuleum carpebat cura senatum,
Quis trepidas gentes Martemque subiret Hiberum,
Attritis rebus.

Est istud libri exordium. Deinde rerum condicio satis desperata, quae tunc erat in Hispania, breviter significatur et metus inde Romanis oriens indicatur. Denique poëta ad senatum his verbis redit (vs. 7—9):

Anxia turba patrum quasso medicamina maesti
Imperio circumspectant divosque precantur,
Qui laceris ausit ductor succedere castris.

Senatores igitur *divos precantur, qui ductor ausit* succedere laceris castris! Quaenam est ista distorta dicendi ratio? Qualia medicamina illi circumspectent, quid sit quod divos precentur, versus secundus clare diserteque ostendit; verba *divosque precantur* totius periodi clausula est aptissima eademque gravissima; versus nonus vero secundi versus repetitio molestissima est neque a verbo *precantur* rite pendere potest.

Quibus omnibus de causis noli versum coniecturis emendare,

Digitized by Google

ut Heinsius et Burmannus conati sunt, sed totum iam inducere utpote postea insertum a nescio quo, qui verba *divosque precantur* per se ipsa non satis perspicua esse sed illustratione ista indigere putaret.

100. In oratione Virtutis deae haec leguntur:

Me cinctus lauro producit ad astra Triumphus.
Casta mihi domus et celso stant colle penates,
Ardua saxoso *perducit* semita clivo.

Legas quaeso:

Ardua saxoso *quo ducit* semita clivo.

In iis autem quae sequuntur (vs. 103 sq.):

Asper principio — neque enim mihi fallere mos est —
Prosequitur labor. *adnitendum* intrare volenti, e. q. s.

pro verbo composito *adnitendum* maluerim: labor *ac* nitendum. Ita etiam IV. 603: perque aspera duro Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

121: Quae postquam cecinit sacrato pectore Virtus,
Exemplis laetum vultuque audita probantem
Convertit iuvenem.

Praestare videtur: *Extemplo* laetum. Cf. XVII. 46, 240 e. a.

129: At iuvenis, plenus monitis, ingentia corde
Molitur *iussae*que calet virtutis amore.
Ardua rostra petit, nullo fera bella volente,
Et *gravia* ancipitis deposcit munera Martis.

Verbum *iussae* hoc loco non explico; quod si *iusso* exaratum esset, interpretarer: iusso sc. a Virtute, sed una litterula mutata praefero *iustae*. In vs. 132 epitheton *gravia* vehementer displicet neque scio an scriptum fuerit: *gravis*, h. e. graviter commotus, cum conscius sibi esset incepti difficillimi, deposcit munera ancipitis Martis.

166: hinc gurgite ab alto
Tellurem procul irrumpentem in sidera cernunt,
Aerias Alpes. *occurrunt* moenia Graiis
Condita Massiliae.

Digitized by Google

Verba *Aerias Alpes* ut novum exemplum iis addas velim quae ad IV. 70 (Mnemos. Vol. XXXVII p. 333) contuli. Pro *occurrunt* legendum esse puto: *succurrunt*.

320: Tunc et Tyndarei Latias fortuna Tarenti
Auxit opes laudemque *simul*. nam perfida tandem
Urbs Fabio devicta seni, postremus in armis
Ductoris titulus cauti. sollertia tutum
Tum quoque adepta decus, capt*is* sine sanguine mur*is*.

Scribe mecum: laudemque *ducis*; praeterea maluerim *captos* s. s. *muros*, ita ut verba sint vocabuli *decus* appositio.

356. Marcellus laudat filium suum quamvis nondum puberem iam bellatorem strenuum:

urbe Sicana
Qualem te vidi, nondum permitteret aetas
Cum tibi bella, meo tractantem proelia *vultu*!

Immerito viri docti hunc locum coniecturis sollicitarunt (Heinsius *ritu*, Withof *nutu* vel *ductu*); lectionem sanam esse comprobat vs. 463:

Tunc et furtiva tractantem proelia luce
Deiecit Galam.

399. Poëta postquam res gestas Marcelli descripsit, ad alia ita transit:

Talia in Ausonia. sed non et talis Hiberis
Armorum eventus campis.

Credo eum scripsisse: *Talis* in Ausonia, sublato scilicet puncto quod post id nomen nunc collocari solet.

419: Et laetus, *repetens* gentis primordia, ductor
Festa coronatis agitabat gaudia signis,
Pacificans divos.

Praestat *reputans*, cl. XVI. 177: reputansque laborem, XVII. 78: reputet superos, 346: reputa tecum ipsa furores Sidonios.

464: sacris Carthaginis illum
*Sup*posito mater partu subduxerat olim,

Digitized by Google

Sed stant nulla diu deceptis gaudia divis.

Aut ego locum minime intellego aut emendandum est: *se*posito ... partu.

571: hortator sibi quisque: 'Age, perge, salutem
Ausoniae ancipit*es* superi et, stet Roma cadatne,
In pedibus posuere tuis', clamantque ruuntque.
Hortandi genus *acer* habet praecedere ductor:
Ill*um* augent cursus annisi aequare sequendo
Atque indefessi noctemque diemque feruntur.

An *ancipites superi*? Potius credo: Ausoniae ancipit*is* casu genitivo, ut sit: superi salutem Ausoniae ancipitis in pedibus tuis posuerunt et illud, utrum Roma stet cadatne. Etiam legi potest: ancipit*em* (ad *salutem* quod referatur).

Quod ad vs. 574 attinet, Bauer eum de suo ita constituit:

Hortandi genus — acer havet praecedere ductor,

at Summersium iure verbum traditum *habet* retinuisse opinor, quamquam pro *acer* nescio an *alterum* poëta scripserit.

Denique pro *Illum* in vs. 575 quin reponendum sit *Illi* nullus dubito.

601: At non Hasdrubalem fraudes latuere *recentum*
Armorum, quamquam tenebris Nox texerat astus.

Latet me, quibus de causis Heinsius *repentum* — Schrader *nitentum* cum conicerent, lectionem *recentum* suspectam habuerint; optime hercle se habet, id quod XVI. 18 etiam comprobat:

proque omnibus armis
Et castrorum opibus dextrisque recentibus unum
Hannibalis sat nomen erat.

Iure igitur Summers eorum coniecturas in apparatu suo non commemoravit.

614: Erepit, suspensa ferens vestigia, castris
Et muta elabi *tacito* iubet agmina passu.
Illunem nacti per rura *tacentia* noctem
Accelerant vitantque sonos.

Emendandum est: *iacentia*, quo verbo de locis tranquillis Silius alibi quoque usus est. Cf. V. 583: per stagna iacentia (ubi in-

Digitized by Google

iuria Ruperti *patentia* vel *virentia*, Van Veen *tacentia* scribere voluerunt) et multi loci, quos ibi Drakenborch contulit.

676: Ardebat gemma Garamantide caerula vestis,
Ut cum sparsa micant stellarum lumina caelo,
Et gemmis galeam clipeumque accenderat *auro*.

Corrige: clipeumque accenderat *aureum*.

Habes apud nostrum alia synizeseos exempla I. 529, III. 450, IV. 602, VI. 226, VII. 503, X. 181 e. a.

759: Turbati Rutuli, confusaque pectora *visu*
Terrifico.

Hunc versum illis velim adicias, quos ad V. 435 congessi ut ibi pro *visa* restituendum esse *visu* demonstrarem.

767: demersaque in undam
Iunxerunt cumulo crescente cadavera ripas.

Hunc versum legenti in mentem mihi venit I. 373:

Surgebat *cumulo certantem* prorutus agger,

ubi Bauer emendationem a manu prima illatam *certantum* primum recepit, deinde vero praetulit lectionem cod. Col. a Nic. Heinsio prolatam *certatim*, Summers de suo edidit: cumul*is etiam tum* prorutus agger, neque scio an hic quoque *cumulo crescenti* vera ac genuina sit lectio. Cf. I. 418: Et iam corporibus cumulatus créverat agger, VI. 111: Vidi crescentis Thrasymenni caedibus undas.

XVI. 83. Scipio ubi Hasdrubalem, Gisgonis filium, appropinquare audiit, exclamat:

'Nil amplius', inquit,
'Vos hodie posco, superi. protraxtis ad arma
Quod profugos, satis est. iu dextra cetera nobis
Vota, viri; rapite, ite, precor.

Interpungendum est: *satis est: in dextra cetera nobis! Vota, viri, rapite, ite, precor*. Ut hoc loco *vota rapere*, sic *arma rapere* IV. 98, *viam rapere* IX. 33, VIII. 181, XII. 472, *membra rapere* II. 248, *tempus rapere* I. 569 legitur.

Digitized by Google

88. In eadem oratione haec sunt:

dignas spectabitis, aut me
Praescia mens fallit, vestro iam nomine caedes.
Nam quis erit tandem campis telluris Hiberae
Bellandi modus?

Emenda: *Num* quis erit, nam Scipionem dicere voluisse, nullum umquam bellandi fore modum, et haec quaestio et illa quae sequitur clare ostendunt.

96: quantumque rapit violentia ponti
Et Notus et Boreas et inexorabilis Auster,
Cum mergunt plenas tumefacta sub aequora classes,
— — — — — — — — — — —
Tantum acies hominumque ferox discordia ferro
Demetit.

Mala ista distinctio, quae tam in Summersii quam in Baueri editione nunc obtinet, ita corrigenda est ut virgula ponatur post *ponti* — deleatur post *Auster*.

122. Masinissae dormienti flamma in capite ardere visa est,
*Con*currunt famuli et serpentis tempora circum
Festinant gelidis restinguere fontibus ignes.

Immo: *Ad*currunt famuli.

168. Scipio Masinissam variis muneribus donat
Exin, firmato *sociali* foedere regis,
Vertendas agitat iam nunc Carthaginis arces.

Heinsius vel invitis membranis scribendum censuit *sociali*, verum traditam lectionem satis tuetur huius libri vs. 274:

Qui tunc orabat socialia foedera supplex.

317. Scipio in Hispania ludos funebres in patris patruique honorem instituit.

Iamque, ubi prolato sonuere repagula signo,
Et *toto* prima emicuit vix ungula cornu,
Tollitur in caelum furiali turbine clamor.

Qui hunc versum coniecturis temptarunt (Heinsius *moto* — Schrader *curru*), non perspexisse mihi videntur, verba *vix toto cornu*

Digitized by Google

iungenda esse; quod si feceris, interpretatio nullam iam difficultatem praebet. Sequitur

Pronique ac similes certantibus ore secuntur
Quisque suos currus magnaque volantibus idem
Voce locuntur equis. quatitur certamine circus
Certantum, ac nulli mentem non abstulit ardor.
Instant *praeceptis* et equos clamore gubernant.
Fulvus, harenosa surgens tellure, sub auras
Erigitur globus atque operit caligine densa
Cornipedumque vias aurigarumque labores.
Hic studio furit acris equi, furit ille magistri.
Hos patriae favor, hos accendit nobile nomen
Antiqui stabuli. sunt, quos spes grata fatiget
Et nova ferre iugum cervix. sunt, cruda senectus
Quos iuvet et longo sonipes spectatus in aevo.
Evolat ante omnis e. q. s.

Verbum *certantum* vs. 323 post *certantibus* vs. 320 et *certamine* vs. 322 sanum esse non posse alii ante me viderunt, e quibus Bentley et Ruperti *hortantum* et *caedentum* proposuerunt, male locum intellegentes, nam non aurigarum sed spectatorum studia describuntur. Quod recte perspexit Summers, qui de suo *spectantum* dedit et in versu sequenti lectionem traditam *praeceptis* servavit neque Modio aliisque obsecutus est *praecipites* scribentibus. At tamen non *spectantum* veram lectionem esse puto, sed verbum, cuius litterarum ductus ad scripturam traditam propius multo accedant, sc. *sectantum*. Idem enim hic fit quod depingitur vs. 482 sqq.:

Diversa et studia et clamor, pendentque faventes
Unguibus atque suos, ut cuique est gratia, anheli
Nomine quemque cient.

Hoc probe tenendum esse dico, vs. 320—324 et etiam vs. 328—332 non de aurigarum, sed de spectatorum variis animi motibus sermonem esse, id quod nemo, qui accurate attenteque locum totum perlegerit, iam negabit: versu demum 333 poëta equos atque aurigas in scenam inducit verbis *Evolat ante omnis*. Quae cum ita sint, vs. 325—327, quippe qui rerum narratarum ordinem nunc male interrumpant, post vs. 332 reponendos esse moneo.

Digitized by Google

333: Evolat ante omnis rapidoque *per aera* curru
Callaicus Lampon fugit.
Schraderi coniecturam respuit vs. 398:
fertur sublime per auras
Altius attollens cervicem victor ovantem
Panchates
et vs. 480: exiluere per auras.

356: ipse asper, nec qui cervicis amaret
Applausae blandos sonitus *clausumque* cruento
Spumeus admorsu gauderet mandere ferrum.
Pro *clausumque* Heinsius *rosumque* vel *rasumque* — Summers *durumque* proposuerunt. Si quid mutandum est, malim: *calidumque*.

394: Tollit se sonipes, ceu tunc e carcere *primo*
Corriperet spatium, e. q. s.
Omnino praetulerim: *primum*.

440: Interea metis, certus iam laudis, agebat
Sese Panchates et praemia prima petebat
Arduus. effusas lenis per colla, per armos
Ventilat aura iubas; tum, mollia crura *superbi*
Attollens gressus, magno clamore triumphat.
Conicio: *supremi*. In eo est ut equus metam attingat: magnis igitur clamoribus spectatores gressus eius supremos salutant.

465—477 pueri enumerantur, qui cursu contendere parati aderant, deinde vs. 478—481 postquam certaminis initium poëta descripsit, vs. 482—484 diversa spectatorum studia tangit ut ipso vs. 484 ad pueros currentes his verbis redeat:
grex inclitus aequore fertur,
Nullaque tramissa vestigia signat harena.
Iam versus duo sequuntur, qui, quamvis satis boni per se, praepostere positi sunt ubi nunc leguntur; sunt autem (486 sq.):
Omnes primaevi flaventiaque ora decori,
Omnes ire leves atque omnes vincere digni.
Manifestum est, hos versus de loco suo, qui est post vs. 477, per errorem nescio quem huc migrasse.

Digitized by Google

533. Narratur tragicum certamen duorum fratrum de regno contendentium, quod etiam Liv. XXVIII. 21 et Val. Max. IX. 11 ex. ext. 1 referunt:

Hos inter gemini — *quid iam* non regibus ausum?
Aut quod iam regni restat scelus? — impia circo e. q. s.

Corrigendum est: quid *enim* non regibus ausum?

576. Funebribus certaminibus iam finitis
Germanus ducis atque effulgens Laelius ostro
Nomina magna vocant laeti manesque iacentum
Atque hastas simul effundunt.

Legendum est: *Numina*, collato vs. 87 huius libri, ubi eosdem Scipio sic invocat:

gemina o mihi numina belli,
Ducite, adeste; sequor.

De vocabulis hisce frequenter a librariis confusis vide Drakenborchium ad huius libri vs. 655.

590: Ad maiora iubent praesagi tendere vates:
Id monstrare deos atque *hoc* portendere *signis*.

Reiectis Heinsii et Burmanni coniecturis *signi* et *signo* S. G. Owen (Class. Quarterly 1909) proposuit: *his* portendere signis. At de uno tantum signo utique sermo est, de hasta scilicet subito frondescenti. Quamquam igitur Heinsii lectionem *signo* bonam interpretationem admittere concedo, ita ut *deos* et verbi *monstrare* et verbi *portendere* subiectum evadat, nescio an praestet: hoc portendere *signum*; ita vates iussisse ac dixisse putandi sunt: „Ad maiora tende! Id dei monstrant, id hoc signum portendit."

611. In oratione, qua Fabius senex consilio Scipionis aversatur, legimus:

Bella nova in Libyae moliris ducere terras?
Hostis enim deest Ausoniae; nec vincere *nobis*
Est satis Hannibalem.

Praestat fortasse: *vobis*, quod alliteratio etiam commendat. In iis autem quae mox sequuntur (vs. 614):

stimuli si laudis agunt *nos*,

Digitized by Google

Hanc segetem mete. composuit propioribus *ausis*
Dignum te Fortuna parem

Schraderi Blassiique emendationem *vos* recipiendam esse credo atque pro *ausis* restituendum: *armis*.

659 Scipio exegit ab orbe
Hesperio nomen Libyae nec rettulit *auri*
Signa prius, quam fumantis circa aequora vidit
Romano Phoebum solventem litore currus.

Bauer pro corrupto vocabulo *auri* in textum de suo recepit: *ora*, Summers scripturae depravatae cruce praefixa de loco desperavit, nisi quod Dausqueium *urbi* conicientem verum fortasse vidisse arbitratur: ceterum coniecturae permultae, quibus viri docti locum temptarunt, apud utrumque memorantur, quibus addi iam potest Lindblomii propositum *aurea*, qui in libro, c. t. In Sil. It. Punica Quaestiones (Upsaliae 1906), p. 137 sq. multa et docte de loco disputavit.

Quamquam audacius videbitur post tot summorum virorum vanos labores locum attingere, facere non possum quin meam quoque sententiam aperiam, quam alius huius libri locus confirmavit. Legitur vs. 275 sq.:

His actis repetit portum puppesque secundo
Dat v e n t o et notis reddit se Scipio terris.

Haec cum legerem, suspicio mihi orta est, locum nostrum conclamatum fortasse una addita litterula sanandum esse, nempe

nec rettulit *auris*
Signa prius,

ita ut Blassium cum *Euro* legi iuberet sententiam, quae requiritur, non iustum vocabulum dedisse putem.

672. In Scipionis ad Fabium responso et alia multa sunt et haec:

sat gloria cauto
Non vinci pulchra est Fabio, peperitque sedendo
Omnia Cunctator.

Suspicor olim scriptum fuisse: *Nomina*, cl. huius libri vs. 632:

pater ille tuus, qui n o m i n a vestrae
Addidit haud segnis genti.

De verbo pariendi cf. Drakenborch ad IX. 377.

Digitized by Google

691: an Roma videbit
Turpia Agenoreae muris vestigia dextrae?
Carthago *immunis* nostros secura labores
Audiet interea et portis bellabit apertis?

E duobus attributis, quibus nunc Carthago fruitur, alterum tolle et Silii manum restitue mecum scribendo: *immanes*, quod adiectivum etiam legitur XVII. 113, 414 e. a.

XVII. 8:
Iamque petita aderat *Latia* portante Cybebe
Puppe; atque ante omnis, magno *cedente* senatu,
Obvius accitis properabat Scipio sacris.

Pro *Latia*, quod ad *puppe* moleste abundat, malim: *Latio* casu dativo ad verbum *aderat* pertinens, sed in versu sequenti utique emendandum esse: magno *incedente* senatu, reiectis coniecturis Marsi *sedente* et Heinsii *censente*, mihi quidem persuasissimum est.

107. Incendii vis iam ipsi Syphaci imminebat
Hausissetque virum, *trepidus* ni clade satelles
E somno ac stratis rapuisset multa precantem.

Permulti hunc locum temptarunt, ad unum omnes corruptelam latere rati in verbis *multa precantem*: Barth. *dira pr.*, Nodell. *m. paventem*, Ruperti *m. frementem*, Bothe *m. precando*, Postgate *inulta pr.*, Summers *m. rogantem* proposuere.

Haec verba si vere vitio laborant, potius credam Silium scripsisse: *multa negantem*, verum satis bene ea explicari posse existimo: multa h. e. vehementer, etiam atque etiam auxilium implorantem. At fugit me quare t r e p i d u s satelles dicatur qui mediis e flammis regem semisomnem rapuerit: *intrepidus* genuina lectio esse videtur.

125: *celsus*que ruebat
Viso rege procul raptis exercitus armis.

Withofii coniecturam *laetusque*, quam Bauer et Summers commemorant, refutat XV. 512:

A g m i n e c e l s o
Inde alacer — properatis devolat armis.

Digitized by Google

138. Equus Syphacis, hasta vulneratus, excussit vectorem, quo facto hostes

Invadunt vanumque fugae atque attollere *fessos*
Annitentem artus revocato a vulnere telo
Corripiunt.

Immo *fusos*, nam modo pugnare coeperat. Cf. huius libri vs. 484:

Ast hos, turpe, pavor fusos proiecit in ora.

Lucan. VII. 529:

Ut primum sonipes, transfixus pectora ferro,
In caput effusi calcavit membra regentis.

438: Haec dicens Silarum, meditantem *in* proelia, telo
Praevenit.

Legendum: *meditantem proelia* inducta praepositione *in*, collatis iis quae ad IV. 188 (Mnem. Vol. XXXVII pg. 333 sq.) a me exposita sunt.

449 (de serpente): lateque per auras
Undantem torquet perfundens *nubila* tabem.

In Mnem. Vol. XXXVIII pg. 277 monui, pro inepto illo *nubila* corrigendum esse: *sibila*, id quod exemplis ex aliis poëtis confirmare conatus sum. Hisce iam exemplum ex ipsis Punicis addere liceat, nempe IX. 443:

Sibilaque horrificis torquet serpentibus aegis.

487. Scipio in pugna ad Zamam commissa cum Marte comparatur.

Qualis apud gelidum currus quatit *altior* Hebrum
Et Geticas solvit ferventi sanguine Mavors
Laetus caede nives, glaciemque Aquilonibus actam
Perrumpit stridens sub pondere belliger axis.

Pro *altior* Bothe *acrior* emendandum censuit, ego vero censeo: *arbiter*, quod Martis attributum legitimum esse nemo nescit.

540: ferrata calce cruentat
Cornipedem et *largas* Poenus quatit asper habenas.

Largae habenae quae sint, non intellego. Eques sane largus habenae vel habenarum dici potest, ut VII. 695:

Digitized by Google

imperterritus ipse
Ferrata calce atque effusa largus habena
Cunctantem impellebat equum,

sed ineptum est habenas ipsas largas appellare. Qua de causa poëtam *laxas* vel aliud epitheton posuisse mihi quidem persuasum est. Cf. Verg. Aen. I. 63: qui foedere certo Et premere et laxas sciret dare iussus habenas.

565. Hannibal postquam deos ob fraudem sibi illatam graviter incusavit, poëta pergit:

Simul haec *fundebat* et una
Spectabat dextram ac leti fervebat amore.

Suspicor olim scriptum fuisse: *frendebat*. Cf. vs. 116 huius libri.

592: Sic ubi, vi caeca tandem devictus, ad astra
Evomuit pastos per saecula Vesbius ignes,
Et pelago et terris fusa est Vulcania pestis,
Videre Eoi, monstrum admirabile, Seres
Lanigeros cinere Ausonio canescere lucos.

Ad hunc locum Drakenborch locum similem e Val. Flacci Arg. IV. 507 affert:

Sic ubi prorupti tonuit cum forte Vesevi
Hesperiae letalis apex; vix dum ignea montem
Torsit hiems, iam Eoas cinis induit urbes.

Cui hos versus perlegenti in mentem non venit Krakatai calamitatis, qua pars magna Indiae nostrae Orientalis anno 1883 afflicta est? Cui qui aequalis vixerit, Drakenborchio haud facile assentietur, qui postquam Heinsium ex Procopio et Ctesia docere affirmavit, Vesevi montis cineres non Constantinopolin solum sed et in Indiam usque nonnumquam delatos esse, exclamat: At nimium credulus sit, qui haec sibi persuaderi patiatur!

597: At fessum tumulo tandem regina propinquo
Sistit Iuno ducem, *facies* unde omnis et atrae
Apparent admota oculis vestigia pugnae.

Et hic locus et vs. 602:

talis, miserabile visu,
Prostratis *facies* aperitur dira maniplis

Digitized by Google

dubitantem me reddiderunt num VI. 168:

Scire nemus *pacem*que loci explorare libebat

Owen recte *speciemque* restituerit: immo vero Burmannum melius proposuisse nunc credo *faciemque*, cl. etiam XVII. 283:

Tum Venus, emoti *facie* conterrita ponti

atque ibid. 278: Hic varia ante oculos *facies*.

600: Qualem Gargani campum Trebiaeque paludem
Et Tyrrhena vada et Phaethontis viderat amnem
Strage *virum* undantem.

Codices mss. *vera* praebent, unde Blass *atra* vel *nigra* — Bauer *fera* (quod in editione Parmensi iam est) proposuerunt; hoc fortasse recte legi Summers autumat. At manus secundae scripturam *virum* satis tuetur IX. 189:

Strage virum mersus Trebia est.

AD EUPOLIDIS FRAGMENTA NOVA.

Ex quo primum inspexi nova Demorum Eupolidis fragmenta, de quibus in fasciculo priore pauca quaedam observavi [1]), identidem ad ea redii; sed quae operae pretium essent non inveni nisi paucissima, spero autem fore ut feliciorem in explendis corrigendis illustrandis his laciniis mox se praestet Alfredus Koerte, qui dudum [2]) indicavit id quod me fugerat: tertium fragmentum incipere ab hisce versibus, quos et antea e Demis habebamus cognitos:

[τὸ χαλκίον]
[θέρμαινέ θ' ἡμῖν καὶ θύη] πέττειν τι[νὰ
[κέλευ', ἵνα σπλάγχνοισι] συγγενώμεθα [3]).

v L.

1) Cf. pag. 129—136.
2) Cf. Berl. Phil. Woch. 9 Dec. 1911.
3) Fr. Kock 108.

Digitized by Google

Fragmenti I partem priorem non expedio; vs. 3 ἐπεὶ ξένον [2]) τιν' ὄντ' ἄσι|τον [3]) οὐκ ἔΦασκε θρέψειν?

Posterior pars sic videtur explenda:

[νῦν δια]τρέΦειν οὖν πρῶτα μὲν
χρὴ Καλλίαν
τοὺς ἐν μακροῖν τειχοῖν θάμ' [4]), — ἀ-
⟨ρι⟩στ⟨ητ⟩ικώ-
τεροι [5]) γάρ εἰσιν ἡμῶν, —
Νικήρατόν τ' Ἀχαρνέα,
[τροΦὴ]ν διδόντα χοίνικας
[τρεῖς ἀλΦίτω]ν ἑκάστῳ.
[ἐγὼ δὲ τἀπίλοιπα δ]ὴ
τῶν χρημάτων
[οὐδ' ἅ]ν τριχὸς πριαίμην.

II 6 in fine ἔσκ[ωπτ' ἀεί].

V 5 [ἔπειτα κρ]ίμνων [6]) τὴν ὑπήνην ἀνάπλεως.

V 10 non [πέμπει]ν sed [δοῦν]αι habet papyrus.

VI 10 sqq.:

A. [ἦ] γὰρ σὺ ⟨περὶ⟩ τοὐΦλεῖν λέγεις οὕτως ἔχων;
B. καὶ ναὶ μὰ Δία κλάοντα καθιῶ σ' [εὐθέ]ως.
A. καὶ τοῦτό μου τὸ χρέος καταψεύ[δει σαΦῶς].
C. [ξυλλάβε]τέ τ' αὐτὸν καὶ παράδοτ' ε[ἰς τὸ ξύλον].
[πάλαι γ]άρ ἐστι τῶν τοιούτων ἄ[ξιος] [7]).

v. L.

---

1) Cf. pag. 129—136 et 207.
2) Sic Hartman pro ἐπὶ ξένων (vel -ον).
3) Pap. αυτου, Hartman ἄλουτον coll. Ar. Av. 1554.
4) θαμά pro θ' ἅμα Naber.
5) ἀριστητικός ἀντὶ τοῦ ἔθος ἔχων ἀριστᾶν. Εὔπολις Δήμοις. Fr. 130 Kock.
6) κρίμνων pro]ημνων Naber.
7) Hoc, non οὗτος γὰρ — αἴτιος, verum videtur.

Digitized by Google

AD PLUTARCHI VITAM ARTAXERXIS.

SCRIPSIT

ALB^{s}. POUTSMA.

In huius Vitae capite XXVII in. δύσζηλα dicuntur τὰ βαρβαρικὰ δεινῶς περὶ τὸ ἀκόλαστον, ὥστε μὴ μόνον τὸν προσελθόντα καὶ θιγόντα παλλακῆς βασιλέως, ἀλλὰ καὶ τὸν ἐν πορείᾳ προεξελθόντα καὶ διεξελάσαντα τὰς ἁμάξας, ἐφ' αἷς κομίζονται, θανάτῳ κολάζεσθαι. Tria sunt quae me hoc loco detinuerunt. Primum enim mirabar, si tantum discrimen observatum fuit inter paelices regis et uxorem, ut haec armamaxa uti soleret, cuius rei auctor est ipse Plutarchus in huius Vitae c. V extr. et Apophth. 173 F, illae autem veherentur plaustris. Contuli quae scripsit Herodotus in VII. 83 extr.: ἁρμαμάξας τε ἅμα ἤγοντο, ἐν δὲ παλλακὰς, et in IX. 76: γυνὴ ... ἑοῦσα παλλακὴ Φαρανδάτεος ... καταβᾶσα ἐκ τῆς ἁρμαμάξης, quae Xenophon tradidit in Inst. Cyri IV. 3. 1 et VI. 3. 30, quae ipse Plutarchus in Themistoclis Vitae c. XXVI extr.: Οὐ γὰρ μόνον τὰς γαμετάς, ἀλλὰ καὶ τὰς ἀργυρωνήτους καὶ παλλακευομένας ἰσχυρῶς παραφυλάττουσιν, ὡς ὑπὸ μηδενὸς ὁρᾶσθαι τῶν ἐκτός, ἀλλ' οἴκοι μὲν διαιτᾶσθαι κατακεκλεισμένας, ἐν δὲ ταῖς ὁδοιπορίαις ὑπὸ σκηνὰς κύκλῳ περιπεφραγμένας ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν ὀχεῖσθαι, nec iam dubitabam quin nostro loco revera ἅμαξαι illae fuerint ἁρμάμαξαι, in eaque sententia perstabam lectis verbis Curtii Rufi in III. 3. 22/4: „matrem Darei Sisigambin currus vehebat, et in alio erat coniunx. ... Quindecim deinde, quas armamaxas appellabant, sequebantur. In his erant liberi regis et qui educabant eos spadonumque grex ... Tum regiae pelices trecentae et sexaginta vehebantur, et ipsae regali cultu ornatuque". Illud vero non audebam affirmare, Plutarchum etiam scripsisse τὰς ἁρμαμάξας, ἐφ' αἷς κομίζονται. Videbam enim et Diodorum Siculum, quae fuit ἁρμάμαξα, eam dixisse modo ἀπήνην modo ἅρμα [1]), et ipso

1) XI. 56. 7: ἔθους γὰρ ὄντος παρὰ τοῖς Πέρσαις τὸν ἄγοντα παλλακὴν τῷ βασιλεῖ

Digitized by Google

eo loco in Vita Them. quem supra memoravi, post verba allata sequi haec: Τοιαύτης τῷ Θεμιστοκλεῖ κατασκευασθείσης ἁπήνης καταδὺς ἐκομίζετο, itaque malui credere Plutarchum etiam in Vita Artaxerxis currus quibus paelices regiae vehebantur non suo, sed quasi generali nomine dixisse ἁμάξας.

Deinde morabatur denuo me paulisper praepositio ἐπί. Nempe quin inter ea ὀχήματα fuerit armamaxa, quae Pollux (X. 52) dixerit κατάστεγα et στεγαστά, nondum vidi qui in dubium vocaret. Sed si et tecto et velis hoc vehiculum erat instructum, si erat σκηνὴ τροχήλατος — ut magnifice loquar cum Aeschylo (Pers. 1000/1 cll. Hdt. VII. 41) —: nonne qui eo vehebatur, ἐν ἁρμαμάξῃ vectus dicendus erat potius quam ἐφ' ἁρμαμάξῃ aut, ut Epyaxa apud Xenophontem vel legatus ille in Aristophanis Acharnensibus (70), ἐφ' ἁρμαμάξης? Nos quidem, quantum scio, vehimur non „*op*", sed „*in* een tentwagen". Atque legitur ἐν ταῖς ἁρμαμάξαις in Xen. Inst. Cyri III. 1. 8 et IV. 2. 29.

Denique, quid esset διεξελαύνειν τὰς ἁμάξας videbar mihi intellegere. Longa nimirum fuit pompa illorum carpentorum; quam qui *transversam percurrerat* — hoc enim puto esse διεξελαύνειν: 'transversum percurrere' — morte multabatur. Sed easdem has poenas dabat ὁ προεξελθών, hoc autem participium varie redditum vidi. Atque latinus ille interpres quem Cruserium fuisse affirmat Reiskius (in Praef. p. XXXI), vertit: „qui in itinere praeterlatus fuerit"; quod quomodo in τὸν προεξελθόντα inesse possit, me fugit. Nec melius res successit ei qui in Passovii lexico interpretatus est verbum προεξέρχομαι, quod nostro loco reddendum arbitratur per 'überholen'. A sensu verbi — nam de loco nego — fortasse non alienum est quod in ed. Didot. Xylander sive ipse Doehnerus tentavit: „qui procurrerit"; sed, quantum ego quidem usum cognoscere potui, solet significare *procedere ex* aut *exire ante* aliquem vel aliquid; unde autem proceditur vel exitur, aut diserte additum est aut facile mente suppletur. Quod hic secus est. Nam quod Reiskius praepositiones πρό et ἐξ rettulit ad mansionem, unde ante signum datum prodire viris non liceret: nimis longe sane, immo, nusquam illa mansio petita est. Accedit quod

κομίζειν ταύτην ἐπὶ ἁπήνης κεκρυμμένην κ.τ.λ., XVII. 35. 3: αἱ τῆς βασιλικῆς οἰκίας ... γυναῖκες ἐφ' ἁρμάτων ὀχούμεναι κ.τ.λ. Quae ἅρματα in § 5 dicuntur ἁπῆναι. Cf. etiam XX. 25. 4.

Digitized by Google

iure mireris nullam fieri mentionem eius qui carpenta *praeter*isset. Quo quidem Xylander aut Doehnerus et Reiskius pertinere voluerunt διεξελάσαντα, ego vero ita facio cum Cruserio ut id ipsum putem latere in προεξελθόντα, Plutarchum enim scripsisse τὸν παρεξελθόντα ἢ (non καὶ) διεξελάσαντα τὰς ἁμάξας.

In c. XXVIII extr. laudato Sophocleo illo Ταχεῖα πειθὼ τῶν κακῶν ὁδοιπορεῖ, Plutarchus λείαν γάρ τις, inquit, ἡ πορεία καὶ κατάντης ἐπὶ τὸ βουλόμενον, βούλονται δὲ οἱ πλεῖστοι τὰ Φαῦλα. In his latini interpretes τὸ βουλόμενον vertunt: „id quod volumus"; quam interpretationem tantum abest ut damnem ut fatear me nescire quid hic sibi velit activum illud βουλόμενον quo usi sunt Antiphon 5. 73, Thuc. I. 90. 2, Dion. Hal. A. R. IV. 84 in., VII. 24 extr.; nam de Eur. I. Au. 1270 incertus haereo, apud Lucianum vero in Amor. 37 πρὸς τὸ βουλόμενον ἄγων vidi quidem in editione Bipontina latine sic reddita: „agens in id quod appetitur", sed ipse probo: „agens secundum voluntatem". Itaque apud unum Plutarchum hoc solo loco exemplum satis certum inventum esse videtur verbi βούλεσθαι *passive* usurpati. Quam raritatem certam tenebo, qua ipse mihi animum confirmem, dum progredior ad duos locos quorum aut me fugit sententia, aut verba corrupta sunt, aut illic quoque Plutarchus a vulgari usu audacter recessit. Scripsit enim in c. VIII extr.: Εἰ γὰρ αὐτὸς ἐσκόπει βασιλεύς, ὅπου τάξας τοὺς Ἕλληνας ἀβλαβεστάτοις χρήσεται πολεμίοις, οὐκ ἂν ἑτέραν ἐξεῦρεν ἢ τὴν ἀπωτάτω χώραν ἑαυτοῦ καὶ τῶν περὶ ἑαυτόν, ἀΦ' ἧς οὔτε νικηθεὶς αὐτὸς ἤσθετο καὶ Κῦρος ἔΦθη κατακοπεὶς ἢ χρησάμενός τι τῇ Κλεάρχου νίκῃ. Verba ἀΦ' ἧς οὔτε νικηθεὶς αὐτὸς ἤσθετο secundum usum vulgarem iam Cruserius ille recte sic vertit: „ex quo neque victum sensit se". Sed ea hic convenire nego et negavisse videtur Xylander sive Doehnerus; legitur certe in ed. Didot. haec interpretatio: „*itaque* neque sensit ille se a Graecis victum". Nempe non se rex ad Euphratem, si licuisset, collocavisset, sed Graecos; ex quo loco non potuit ipse, in media sua acie positus, se victum sentire. Num igitur putabimus ἀΦ' ἧς hoc loco esse 'itaque'? Neque omnino rex ignoravit se ipsum victum esse (a Cyro); suos quidem (a Graecis) fusos eum, qui tam longe ab iis abesset, nescisse

Digitized by Google

non nego; a Tissapherne enim et in castris Cyri demum secundum Xenophontem (An. I. 10. 5) cognovit; ea autem ignorantia regi non profuit, itaque a mente Plutarchi fuit aliena. Sed haec Plutarchum cogitavisse opinor: quod Clearchus Cyro obtemperare noluisset, id maxime regi profuisse, cum et Cyrus et Clearchus inutiliter suos uterque adversarios vicerit; alterius enim victoriae Clearchum, cum tantum spatium intercederet inter ipsum et mediam aciem regiam, inscium fuisse, altera Cyrum usum non esse, quod ei victori quidem, sed tamen in summo periculo versanti Clearchus, qui propter longum intervallum discrimen rerum ignoraret, non subveniret nec prohiberet quin ille occideretur. Quae si recte disputavi, ἤσθετο, sive Aoristus est, sive, quae mea est opinio, Imperfectum, habendum est *passivum*. Atque Praesenti tempore verbi αἰσθάνεσθαι Plato passive usus est in Parmenide, cum scripsit (142 A): (τὸ ἓν οὐ) γιγνώσκεται οὐδέ τι τῶν ὄντων αὐτοῦ αἰσθάνεται [1]).

Altero loco, qui legitur in c. XXII, breviter defungar. Ibi rex Τιμαγόρᾳ . . . μυρίους τε δαρεικοὺς ἔδωκε καὶ γάλακτος βοείου δεομένῳ δι' ἀσθένειαν ὀγδοήκοντα βοῦς ἀμέλγεσθαι παρηκολούθουν. Dico igitur hic aut vitium aliquod latere aut βοῦς esse *Nominativum pluralem*; quam χρῆσιν σπανίαν esse affirmat Choeroboscus; sed plura piget excerpere e Stephani Thesauro, memorare autem attinet Nom. pl. εὖνους et εὖρους, quorum exempla indicaverunt Meisterhans (Gramm. d. att. Inschr.[2] p. 117. 6) et Dittenberger (Syll.[2] et I. O. Indices gramm. et orthogr.).

Finem faciam ab ultimis verbis capitis XI: Τοιοῦτος μὲν ὁ Κτησίου λόγος, ᾧ καθάπερ ἀμβλεῖ ξιφιδίῳ μόλις ἀναιρῶν τὸν ἄνθρωπον ἀνήρηκεν. In his ex v. cl. Hartman opinione „ἀναιρῶν . . . ἀνήρηκε sanum esse non potest" (Mnem. XXXIX. p. 324). Sed nonne hunc locum satis tuentur duo illi quos inveneram apud Xenophontem in Inst. Cyri: τῶν μουσουργῶν ἀκούσας ἐσπέρας, ὧν σὺ νῦν ἔχεις, ἥκουσά τε ἡδέως κ.τ.λ. (V. 1. 1), et: ὑπακούων σχολῇ ὑπήκουσα; (VIII. 4. 9)?

1) Stahl v. cl. hunc locum indicavit in magno illo opere de verbi Graeci constructione p. 73 ima. In Plat. Rep. II. 375 A voro αἰσθανόμενον medium est et masculinum et referendum ad ἑκάτερον, plane ut, quod ibidem sequitur, ἑλόντα; neque Infinitivus διακάθειν recte carebit articulo. Quae monui propter Astium et Stephani Thesaurum.

Digitized by Google

AD XENOPHONTIS LIBELLUM DE RE EQUESTRI.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Nuper in his terris usu venit quod proverbio dicitur: Saulus inter Prophetas; etenim duo exorti sunt viri militares, qui publice pronunciarunt quanti facerent Graecarum litterarum studium. Horum alter, qui inter fabrum praefectos locum tenet, J. P. Enklaar [1]) nomine, non satis habuit in Academia Militari Bredana tirones artem suam docere, sed quum videret multos inter aequales esse iurisconsultos, plures medicos et plurimos naturae scrutatores, qui hoc agant ut ne in posterum in Gymnasiis discipuli teneantur addiscere Graecam linguam, quum rarissime satis proficiant ut post sex annos inutiliter consumtos ex ingrato labore aliquem fructum percipere possint: hoc igitur quum vir fortissimus animadverteret, iis certe quibus aliquid salit sub laevae parte mamillae summa ope commendavit studium cum reliquorum optimorum scriptorum Graecorum, tum divini Platonis, quem qui non cognoverit, aetatem frustra contrivisse existimandus erit. Laudo equidem generosum pectus eius, qui inter ceteros gravissimos labores numquam admirari destitit quod superioribus saeculis in deliciis fuit praeclaris viris, qui haec studia condidere feceruntque ut hodie ad illos thesauros aditus etiam iis pateat, qui non unice in litterarum campo

1) J. P. Enklaar, Eerste-Luitenant der Artillerie, Leeraar aan de Koninklijke Militaire Academie, WEL GRIEKSCH! Firma, P. C. G. Peereboom, Breda.

Digitized by Google

consenescunt; sed suspicor tamen merae libertatis hunc esse fructum aliterque meritissimum virum iudicaturum fuisse, si in Academia Bredana olim coactus fuisset praeter necessarias disciplinas etiam antiquitati aliquam operam dare. Quin et saepe disputavi in eam sententiam longe plures fore iurisconsultos, medicos, reliquos doctos viros, qui haec studia exoscularentur et in coelum veherent, si legislatores confisi libertate unicuique liberum reliquissent velletne ex limpido fonte haurire quod sitim restingueret necne. Qui Platonem tam eximie deligit, eum memoria teneat oportet decantatum illud: οὐδὲν βίαιον ἔμμονον μάθημα. O si lege lata gymnasiastae vetarentur Graecis impallescere libris, quam laete antiquitatis studium efflorescceret!

Eodem munere in nostro exercitu functus est C. A. van Woelderen, qui Xenophontis libellum de Re Equestri in vernaculum sermonem convertit [1]). Fortasse non debui opusculum in communem philologorum notitiam proferre, nam scriptor disertis verbis significavit versionem suam non venalem prostare itaque de eo tacendum fuisset, nisi simul possem affirmare me quoque exemplar quod filio meo scriptor peramanter obtulisset, haud sine voluptate plus semel perlegisse. Ridiculus forem si contenderem me Xenophontem nunc melius intelligere, nam quae sunt haud pauca numero quorum sensus me fugit, haec in versione vernacula haud magis intelligo: minus etiam fortasse; sed lucratus sum quod minime negligendum duco, me nunc primum didicisse quomodo artis vocabula, qualia apud Graecum scriptorem identidem recurrunt, nostro sermone dici debeant; nam ex commentariis doctorum virorum cognoveram quomodo Romani, Franci, Germani eadem appellarent, sed quomodo χελιδών, κορυφαία, ἀκρωμία, alia multa, ab equisonibus nostris dicerentur, ad hunc usque diem ignorabam; non enim nisi rarissime, ante quinquaginta annos sub alio sole, mihi concessum fuit equum conscendere.

Verumenimvero quod vir fortissimus laudabiliter instituit, id non perfecit necdum τέλος ἵκετο μύθων. Nimirum addere debuerat praesertim in usum collegarum suorum, quas res hodie unicui-

1) C. A. van Woelderen, Eerste Luitenant der Artillerie b. D. Xenophon. Paardrijden Eene handleiding voor den Ruiter. Utrecht, J. de Kruyff 1909.

Digitized by Google

que notissimas Graeci uti et postea Romani perpetuo ignorarint, nam nisi ad hoc attendas, haud pauca perperam intelligas necesse est. Quae huc pertinent, partim invenire poteris in Xenophontis editionibus veluti Schneideri et nova propediem proditura est editio, quam Franciscus Rühl praeparavit; sed praeterea habemus adnotationes Pauli Ludovici Courierii, qui quum equo meruisset, post aliquot stipendia in Italia Meridionali ad tribunatum [1]) provectus, in adnotationibus ad Xenophontem multo meliora dedit quam multi suspicantur, qui solummodo cognoverunt quae olim contulerat ad Longi intelligentiam, in quibus unico Codice mala fraude commaculato plus scriptori suo nocuit quam adnotationibus suis prodesse potuit. De hisce infra videbimus itemque conferam Fredericum Iacobsium, clari patris doctum filium, qui quum medicus esset in editione non sane praestitit quae praestanda erant, sed plenius quam quisquam alius ex veteribus scriptoribus de Medicina excerpsit quae ad Xenophontem illustrandum pertinent. Sunt quatuor res potissimum de quibus mihi breviter disserendum esse video.

Primum ubi de frenis Xenophon agit, quam vellem doctus interpres planum fecisset quod ipse neutiquam ignorare potuit, quid inter ea frena quibus antiquitas utebatur, intersit et ea quae postea experientia docuit: certe hoc ignorant lectores quibus opusculum suum potissimum destinavit et ipse quoque libenter cognovissem quod ex imaginibus quas solas inspicere potui non sat bene intellexi. Veterum simplex frenum χαλινός dicitur, quod Iacobsius in Xenophontis editione p. 190 repraesentavit [2]). Ab eo diversum est frenum lupatum, quod unusquisque meminit se legere apud Horatium et fuit qui me doceret admodum crudele hoc fuisse genus, quod dentium — ἐχίνους appellabant — inaequalitate equorum ora crudeliter laederet. Rem satis explanavit Xenophon X. 6: χρὴ οὐ μεῖον δυοῖν χαλινοῖν κεκτῆσθαι. Τούτων δὲ ἔγω ὁ μὲν λεῖος, τοὺς τροχοὺς εὐμεγέθεις ἔχων, ὁ δὲ ἕτερος τοὺς μὲν τροχοὺς καὶ βαρεῖς καὶ ταπεινούς, τοὺς δ' ἐχίνους ὀξεῖς, ἵνα, ὁπόταν μὲν τοῦτον λάβῃ, ἀσχάλλων τῇ τραχύτητι, διὰ τοῦτο ἀφιῇ, ὅταν δὲ τὸν λεῖον μεταλάβῃ, τῇ

1) Chef d'escadron d'Artillerie = Colonel.

2) Nobis *trens* dicitur.

Digitized by Google

μὲν λειότητι αὐτοῦ ἡσθῇ, ἃ δὲ ὑπὸ τοῦ τραχέος ἐπαιδεύθη, ταῦτα καὶ ἐν τῷ λείῳ ποιῇ. Hoc erat uti coniicio quod frenum lupatum Romani equites appellabant, quod in pugna interdum detrahebatur; vide v. c. Livium VIII 30: „Eques etiam ... detraxit frenos equis atque ita concitatos calcaribus permisit, ut sustinere eos nulla vis posset." De hoc loco ita Niebuhrius in Historia Romana III² p. 223: „Der Tribun befahl die Pferde von ihren grausamen Zäumen zu befreyen und sich mit äusserster Furie auf den Feind zu werfen"; deinde addit in adnotatione 40: „Den sogenannten *verhängten Galgen*, deren sich, wie ein sachkundiger Begleiter in den Studien zu Neapel mir bemerklich machte, die Römer gewöhnlich bedienten, wie es die Türken thun". Simplicis freni etiam hodie multiplex usus est; frenum lupatum in desuetudinem abiit; sed tertium freni genus, quod veteribus numquam usurpatum fuit itaque Latine dicere non est, Graecis hodiernis est ϛομὶς μοχλιδωτή [1]). Rescripsit mihi Hesselingius vir clarissimus, cui haec novicia nomina debeo, μοχλίδας etiam λύκους fuisse dictas, sed hunc populi errorem esse suspicor qui frena lupata non nisi fando cognoverat; multum interest inter hos et illas. Verum ridiculus fiam si praestare velim quod minime mei muneris est et quod novus interpres necessario ut digitos suos notum habet.

Deinde vellem vir fortissimus adnotavisset veteres numquam cognovisse quam hodie Graeci vocitant σκάλαν vel doctius etiam ἀναβολέα [2]). Hinc lucem accipient ea quae Xenophon retulit de variis modis quibus veteres consueverant conscendere equum et lectori cavendum est ne fortasse pueriliter scriptum esse existimet, veluti VI 12: ἀγαθὸν δὲ, τὸν ἱπποκόμον καὶ ἀναβάλλειν ἐπίϛασθαι τὸν Περσικὸν τρόπον, ὅπως αὐτός τε ὁ δεσπότης, ἤν ποτε ἀρρωϛήϛῃ ἢ πρεσβύτερος γένηται, ἔχῃ τὸν εὐπετῶς ἀναβιβάσοντα καὶ ἄλλῳ, ἤν τινι βούληται, τὸν ἀναβαλοῦντα ἐπιχαρίσηται. Sic demum recte intelliget Xen. Anab. III 2. 19: οἱ μὲν γὰρ ἐφ' ἵππων κρέμανται φοβούμενοι οὐχ ὑμᾶς μόνον ἀλλὰ καὶ τὸ καταπεσεῖν, quod bene memini, quum adulescentulus in Gymnasio Hagano vertere iuberer, mihi perquam ridiculum fuisse visum, sed quid fa-

1) Nostro sermone *stang*.

2) Belgice: *stijgbeugel*. Salmasio barbare *stapes* est.

Digitized by Google

cerem? praeceptor, in aliis fortasse meritissimus, ad talia numquam attenderat animum.

Tertio loco Xenophontis lector ne in errorem inducatur, sciat equi stratum, quod etiam Latine ephippium dicebatur, simplicem significare stragulam vestem, quae equi dorso imponitur. Quam sellam nos usurpamus, Byzantii demum usurpata fuit indeque hodie σέλλα dicitur iuxta antiquum nomen ἐφίππιον. Res minime fugit Courierium, cuius verba exscribam: „Ils n'avaient point proprement de selles, mais des panneaux recouverts d'une peau de moutons pareilles aux schabraques de nos hussards. L'usage des arçons date du Bas Empire."

Denique omnino tenendum est Graecorum et Romanorum equos numquam secundum nostrum morem ferro calceatos fuisse. Nisi hoc lectori firmiter persuasum erit, fere necessario perperam accipiet Homeri locos Θ 41 vel Ν 23: ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω, vel Arist. Eq. 552: χαλκοκρότων ἵππων κτύπος. Certe non in Apollonii Argonauticis III 409 ταύρους χαλκόποδας proprio sensu interpretabitur vel apud Virgilium Aen. VI 803 aeripedem cervam. Non magis de aere ferrove cogitandum quum Homerus ὑψήχεας ἵππους nominat vel ἐριγδούπους πόδας ἵππων, vel quum Vergilius describit generosum equum, quum quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. Res prorsus constat satisque diserte Xenophon I 3: καὶ τῷ ψόφῳ δέ φησι Σίμων δήλους εἶναι τοὺς εὖποδας, καλῶς λέγων· ὥσπερ γὰρ κύμβαλον ψοφεῖ πρὸς τῷ δαπέδῳ ἡ κοίλη ὁπλή.

De ungularum cura multa habet Xenophon, quorum partem describam. Veluti IV 3: τὰ μὲν τοίνυν ὑγρά τε καὶ λεῖα τῶν σαθμῶν λυμαίνεται καὶ ταῖς εὐφυέσιν ὁπλαῖς. Δεῖ δὲ, ὡς μὲν μὴ ᾖ ὑγρά, εἶναι ἀπόρρυτα· ὡς δὲ μὴ λεῖα, λίθους ἔχοντα κατορωρυγμένους πρὸς ἀλλήλους, παραπλησίους ὁπλαῖς τὸ μέγεθος. Τὰ γὰρ τοιαῦτα σαθμὰ καὶ ἐφεσηκότων ἅμα σερεοῖ τοὺς πόδας. Itaque quoniam aqua ungulae inimicum est, pergit V 9: τήν γε μὴν τῶν σκελῶν κατάπλυσιν ἀφαιροῦμεν· ὠφελεῖ μὲν γὰρ οὐδέν, βλάπτει δὲ τὰς ὁπλὰς ἡ καθ' ἑκάσην ἡμέραν βρέξις. Nempe ante omnia opera danda ut equus sicce stabuletur itaque Courierius, postquam longe dissitis regionibus plurimas gentes recensuit, apud quas equis natura satis durae ungulae contigerunt, inter quas etiam Iavani sunt, quod populares mei non raro

Digitized by Google

viderunt et re experti sunt, pergit ac docet pullos maxime gaudere libertate, „comme on laisse errer les poulains autour des montagnes de la Calabrie et de l'Andalousie, jusqu'à l'âge de quatre ans Enfermés à l'écurie comme nous tenons les nôtres. ou paissant dans des prairies, leur corne ne durcit point. — Dans les chemins trop âcres les anciens, non du temps de Xénophon, mais plus tard, chaussaient leurs chevaux de trait et de bât, ainsi que leurs mulets, d'une espèce de sabot de fer, appelé en Latin *solea* (pantoufle), qui s'ôtait et se mettait à volonté: c'était un usage des Romains et par la periphrase qu'emploie Artémidore, on peut juger qu'il n'y avait point de mot grec pour cela.(?) On mettait aussi, dans certaines provinces de l'empire, aux chameaux surtout, des chaussures tissues de ficelles, qu'on appelait *spartia*. Les montagnards des Pyrénées en portent de semblables pour gravir les rochers, et les nomment aussi *espardeilles*. Mais tout cela n'avait rien de commun avec notre ferrure actuelle. Les chevaux de monture allaient toujours pieds nus."

Ipse Courierius exemplo suo aliis praeiit, quod scripsit Armandus Carrel, qui amici vitam enarravit, ad mensem Iunium A. 1807, p. 272 Edit. 1839: quum Neapoli degeret, „le cheval qu'il avait bridé et equipé à la grecque, n'était point ferré. Il le montait sans étriers et courait ainsi dans les rues de Naples sur les dalles qui forment le pavé, à la grande surprise des autres cavaliers, qui n'y marchaient qu'avec précaution."

Quod nobis comparuit, veterum equos non ferro fuisse calceatos, id undecumque potest comprobari; veluti scribit Diodorus Siculus XVII 94 post longinquas expeditiones Alexandri Magni tandem: *τῶν ἵππων διὰ τὴν συνέχειαν τῆς ὁδοιπορίας τὰς ὁπλὰς ὑποτετρῖφθαι συνέβαινε*. Secundum Polybium III 79 in Apennino monte multi equi de Hannibalis exercitu *τὰς ὁπλὰς ἀπέβαλον διὰ τὴν συνέχειαν τῆς διὰ τῶν πηλῶν πορείας*. Mithridates, ut Appianus ait p. 383. 22, *τοὺς ἵππους ἀχρείους οἱ τότε ὄντας καὶ ἀσθενεῖς δι' ἀτροφίαν καὶ χωλεύοντας ἐξ ὑποτριβῆς εἰς Βιθυνίαν περιέπεμπεν*, et alia haud dissimilia conquiri possunt.

A camelis, uti coniicio, solearum usus ad equos translatus fuit: scribit Aristoteles Histor. Anim. II 2. 6: de camelis: *ὁ δὲ ποῦς ἔχει κάτωθεν σαρκώδης, ὥσπερ καὶ τῶν ἄρκτων· διὸ εἰς πόλε-*

Digitized by Google

μον ἰούσας ὑποδοῦσι καρβατίνας ὅταν ἀλγήσωσιν, itemque Plinius Hist. Nat. XI 105: „Est bisulcus discrimine exiguo pes imus, vestigio carnoso, uti ursi; qua de causa in itinere longiore sine calceatu fatiscunt." Solearum autem illarum spartearum vel coriacearum — nam proprie nec calcei sunt nec dici solent — eam partem quae pedis plantam tegebat — fulmentam Lucilius aliquando appellavit — clavis ferreis interdum subcudebant, quemadmodum pauperiores homines etiam sibi ἥλων ἐνεπίμπλαντο τὰ καττύματα, quod videre est Pompeiis et ab Atheneao XIII 565 E comprobatur. Hinc etiam Catulli versiculus illustratur 17. 26: ferream ut soleam tenaci in voragine mula (derelinquere solet). Nempe hoc saepe fiebat, quod et alibi comprobatur et testimonio Gargilii Martialis IV 8: „hodieque nonnulli iumentorum soleas in itinere derelictas ... truncis ramisque suspendunt." Scilicet hoc pertinebat ad superstitionem, quam nunc certe non attingam.

Sed ab hoc calceamenti genere multum distant ferramenta quae hodie ferreis clavis equorum ungulis affiguntur. Horum proprium Latinum nomen nescio itaque ne forte ab iis qui obiter rem considerabunt confundantur cum soleis, de quibus supra dixi, ab hodiernis Graecis nomen mutuabor et πέταλα appellabo. Sed de hoc argumento Berlagius dixit, quum Philologi Batavi Anno 1900 Leidam convenerunt, eiusque disputationem cognoscere possumus ex Actis Conventus p. 185. Diu autem ante eum multa quae huc faciunt in unum contulit Nobilissimus Ludolfius A. J. W. Baro Sloet van de Beele, qui proconsulari imperio functus, postquam ex India Orientali in patriam rediit ad studia quae ne illic quidem plane intermiserat, senex exacta aetate inter Academicos, quibus diutissime adscriptus fuit, m. Sept. 1885 summa cura de argumento egit, in quo nos quoque nunc versamur, cf. Relationes Acad. Reg. Bat. Ser. III vol. 2 p. 309. Satis autem constat, quum superatis Alpibus Romani primum in Galliam ac deinde in Germaniam penetrarent, in palustribus regionibus necessitatem eos adegisse ut ungulas equorum ferro induerent, nam fueritne hoc Romanorum an ipsorum indigenarum inventum non ausim definire. Incerta fama ad me perlata est Alesiae aenea πέταλα inventa fuisse, sed ceterum dextra Rheni ripa πετάλων ferreorum feracissima fuit. Multa eiusmodi effossa sunt in Castello Saalburgense,

Digitized by Google

sed imprimis nostra patria quo plures habet paludes, eo plura priscae artis testimonia conservavit, Noviomagi, Zwollae ad ripam Isalae, in Foro Hadriani, alibi. Primum autem locum occupant πέταλα circiter centum, quae in pago Nieuwersluis provinciae Ultraiectinae ex argilla effossa fuerunt, postquam remota fuit arena, quam praeterfluens aqua in trium metrorum altitudinem aggesserat. De hisce omnibus Sloetius diligentissime exposuit et imaginibus ostendit πέταλα illa quacumque tandem de causa equorum pedibus vi detracta fuisse, non usu detrita; apparuit praeterea vetera artis documenta tam affabre esse facta ut hodiernus faber vix possit praestare melius. Denique illud etiam addendum tum Avenione in Museo tum Romae in domo Rospigliosi imagunculas asservari equorum πεταλωτῶν.

Superest ut breviter dicam de complusculis locis qui mihi emendandi videntur.

Cap. I § 1: ἡμεῖς γε μέντοι, ὅσοις συνετύχομεν ταὐτὰ γνόντες ἐκείνῳ (scil. τῷ Σίμωνι) οὐκ ἐξαλείφομεν ἐκ τῶν ἡμετέρων, ἀλλὰ πολὺ ἥδιον παραδώσομεν αὐτὰ τοῖς φίλοις. Cum Cobeto, quem vide *Mnem.* 1858 ad calcem, reponendum futurum ἐξαλείψομεν· vide modo verbum quod sequitur παραδώσομεν. Futurum post se trahit futurum.

Cap. I § 12: καὶ ἡ πλευρὰ δὲ ἡ βαθυτέρα καὶ πρὸς τὴν γαστέρα ὀγκωδεστέρα ἅμα εὐεδρότερόν τε καὶ ἰσχυρότερον καὶ εὐχίλοτερον ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὸν ἵππον παρέχεται. Locus mihi non ab omni parte expeditus est; ausim tamen commendare: εὐχαλινότερον.

Cap. II § 1: ὅπως γε μὴν δεῖ πωλεύειν, δοκεῖ ἡμῖν γραπτέον εἶναι. Sed perpicuum est hoc Xenophontem nolle itaque Cobetus rectissime supplevit: (οὐ) δοκεῖ ἡμῖν. Rem etiam Courierius notarat sed negationem loco non suo inseruit.

Cap. IV § 2: ἐπειδὰν ἐνσκιρρωθῇ τε καὶ ἐξαμαρτηθῇ τὰ νοσήματα. Ostendit Cobetus quam nihil hic significet ἐξαμαρτηθῇ· equidem commendabo: ἐξαρτηθῇ.

Cap. IV § 4: εἰ λίθων στρογγύλων ἀμφιδόχμων ὅσον μναιαίων,

Digitized by Google

ἁμάξας τέτταρας καὶ πέντε χύδην καταβάλλοι, περιχειλώσας σιδήρῳ, ὡς ἂν μὴ σκεδαννύωνται. Sepimentum ex ferro hic plurimum miror; scripsissem equidem θριγκῷ, nec fortasse in unciali scriptura nimis diversi literarum ductus sunt.

Cap. V § 1: πολλάκις γὰρ κινῶν ὁ ἵππος ἐπὶ τῇ Φάτνῃ τὴν κεφαλήν. Acuta est Courierii emendatio qui κνῶν reposuit. Itidem cap. VIII § 1: ὅπου τρέχειν δεήσει τὸν ἵππον καὶ πρανῆ καὶ ὄρεια καὶ πλάγια, Courierius optime vidit reponendum esse ὄρθια.

Cap. VI § 9: ἐξουσίαν παρέχει συνδάκνοντι τὸ χόμιον μὴ πείθεσθαι. Longe usitatius compositum est ἐνδάκνοντι et fortasse praestat aoristus: ἐνδακόντι.

Denique notare iuvat iocularem errorem Frederici Iacobsii. Cap. IV § 2 legitur morbi nomen κριθίασις, qui etiam aliunde satis notus est. Interpres p. 124 addidit descriptiones medicorum, qui hoc argumentum attigerunt; sunt v. c. Absyrti verba: ... οὐδὲ τὰ ἄρθρα κάμπτειν δύνατκι καὶ τὰ οὖρα μετὰ βίας προΐεται. Scilicet haec Germanice ita sonabunt: und das Pferd geht nicht aus der Stelle, und *der Schweif wird mit Gewalt nach vorn gezogen*! Itaque Iacobsius filius non attendit ad discrimen quod est inter τὴν οὐράν et τὰ οὖρα! Neque errorem castigavit pater, qui filii Xenophontis editionem se legisse professus est ad Aeliani Historiam Animm. II p. 388.

Illud quoque quodammodo cum meo argumento coniunctum est: scribit Longus Pastor. p. 260. 19 hr.: νήχεται δ' ἄρα βοῦς ὅσον οὐδὲ ἄνθρωπος· μόνων λείπεται τῶν ἐνύδρων ὀρνίθων καὶ αὐτῶν ἰχθύων, οὐδ' ἂν ἀπόλοιτο βοῦς νηχόμενος, εἰ μὴ τῶν χηλῶν εἱ ὄνυχες περιπέσοιεν διάβροχοι γενόμενοι. Quid hoc est περιπέσοιεν? Equidem audacter rescribam: περισαπεῖεν. Vide modo quid Columella habeat VI 12: (postquam bovis pede sanguis missus,) solea spartea pes bovis induitur maximeque datur opera ne in aquam pedem mittat et ut sicce stabuletur.

Digitized by Google

AD VIRGILII ECLOGAM X.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Ridete o Veneres Cupidinesque, et quantumst hominum sagaciorum! Loco per multa saecula nequiquam tentato novam afferre posse mihi videor lucem, qua omnia subito fiant ipsa luce clariora. Quid aptum magis ad hominum nasutorum excitandos cachinnos? Ridicule enim cadentes viderunt multos qui sic se extulerunt, et meritas dare poenas superbiam magniloquentiamque iure laetantur. Quae vitia turpia et absurda semper longe a me afore spero, sed nova esse et inaudita quae iamiam prolaturus sum id vero non dissimulo. Aut, si nova non sunt, tam diu est ex quo sunt explosa et abiecta, ut pro novis et inauditis haberi possint si postliminii iure in integrum restituantur. Qua de re sub finem disputationis meae pauca annotabo. Nunc inventum meum, quo me non gloriari quidem sed tamen admodum gaudere iam sentiunt omnes, quam accuratissime proponam. Ad amorem illud pertinet poetae et, lepidissimae ut opinor, puellulae, ita ut cum doctis philologis ipsa me Venus, haec in meo umbraculo conscribentem, ridere possit. Quam brevissimus esse conabor, sed ab initio ad finem res est pertractanda.

De totius eclogae argumento ante omnia est videndum. Summam eius versari in vs. 2 sq.

> pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris
> carmina sunt dicenda

et vs. 69

> omnia vincit Amor et nos cedamus Amori

Digitized by Google

nemo negabit. *Pauca carmina* i. e. pauci versiculi e quibus haec constabit ecloga. Hac ergo *solari* vult Gallum, idque se rogatu ipsius Galli facere fortasse simulat, certe declarat verbis (vs. 3):

neget quis carmina Gallo?

Bucolicum autem carmen illud erit, hinc versibus 1—8 illa Arethusae invocatio, quoniam Sicula est tota poesis illa. Nam, ut hoc iam nunc declarem, quae identidem iure annotant viri docti de rebus diversissimis in hoc carmine confusis, urgenda tamen ea non sunt: Siciliam, patriam poesis bucolicae, una commemorari cum Arcadia, certa cantantium pastorum sede, et diis Graecis addi Latinum Silvanum id quidem aequi bonique consulendum censeo.

At Galli et Lycoridis amorem quid in praesentia diremit? Dicet hoc vs. 46 sq.

tu procul a patria . . . . . .
Alpinas ah, dura, nives et frigora Rheni
Me sine sola vides.

„Militem" secuta est levis puella in provinciam. Habet ergo poeta — sive Virgilius is est sive Gallus ipse, hoc enim eodem redit — argumentum quod poesis elegiaca sumpsit a comoedia nova. Et iam coepit elegiam scribere sed ex elegia faciet carmen bucolicum:

50 sq. ibo et Chalcidico quae sunt mihi condita versu
carmina pastoris Siculi meditabor avena.

(Siculi, quia poesis Sicula; ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος Arcadia est).

Sic lepide variatur argumentum. Hactenus amator ille tristis desidebat et amorem suum deflebat, at nunc fiet ... pastor, immo vero venator: virili labore expellere amorem conabitur. Nam venator non minus quam pastor agros, silvas, rus amat, sed magis quam ille strenuus est agilisque. Sed ne venandi quidem labor varius plenusque vicissitudinis sanare eum potest

60 tamquam haec sit nostri medicina furoris

exclamat: „nihil restat quam ut cum Lycoride mea reconcilier."

Hic si nobis res esset cum aliqua tabula a diligenti iurisconsulto accurate concepta, rogare liceret: „at qui iam potest res eo deduci? an et ipse Gallus ad Rheni est profecturus glaciem?" Poetam vero legentes lubenter credimus aut non tam longe abesse Lycoridem quin facile eam consectari possit amator, cui

Digitized by Google

ipse alas dat Cupido, aut veram non esse puellae fugam sed ex inani omnia metuentis amatoris natam metu.

Esto, iam certum stat Gallo consilium Lycoridis sibi reconciliandae. Hoc „carmina" effecerunt quae Virgilius ei „dixit". Optime ergo et de Lycoride et de Gallo meritus est poeta noster et optimo iure Gallo, praeclaro poetae et viro potenti, nunc absolutum iam suum eclogarum corpusculum commendare potest. Haec est sententia versus

72 Pierides vos haec facietis maxima Gallo

aut, si nihil aliud haec verba significant quam hoc: „parva haec ecloga rem Gallo praestabit summi pretii" (neque intercedo quominus sic accipiantur), effectu non caruisse conamina sua laetatur poeta.

At versu 44 pastor ille, vel venator subito fit miles:

nunc insanus amor duri me Martis in armis
tela inter media atque adversos detinet hostes.

Certatim ergo et olim pro *me* legendum esse *te* coniecerunt et nunc coniiciunt viri docti. Sed Lycoris, licet „militem" sit secuta, non est *tela inter media* atque *adversos hostes*. Suum sibi, ut opinor, habet tabernaculum aut carpentum eleganter exornatum, certe „tendit extra vallum", ab omni remota belli periculo, Et amor qui *insanus* dicitur, *poetae* esse amor debet, commiserantis quod cum tristi quodam et misero conflictetur morbo. Hoc vero gravissimum est quod utique retinenda sunt haec inter se opposita:

(utinam) hic ipso *tecum* consumerer aevo

et: *nunc* . . . . . *me* . . . . . .
tu . . . . . .

Finge enim nihil superesse in codice praeter haec:

hic ipso *tecum* consumerer aevo
nunc . . . . . .

nonne unusquisque, qui in poetis legendis non plane hospes sit, statim intelliget ita haec suppleri et posse et debere ut poeta *hic*, puella *illic* esse dicatur? Quodsi praeterea pronomina *me* et *tu* etiam legi possint, nonne enixe obstet quominus *bis* aut prima aut secunda reponatur persona? Luce enim clarius apparet hoc voluisse poetam: vocabulo *tecum* opponi enuntiatum bimembre, ita in duas divisum partes ut aliud de Gallo aliud de Lycoride dicatur.

Digitized by Google

Ante paucos dies in iucundo vespertino colloquio de hisce versibus cum discipulis meis disputaveram. Acute sane et facunde eorum unus antiquam illam coniecturam, pro *me* legendum esse *te*, defenderat sed neque mihi persuaserat neque commilitonibus. Tum quod aiunt Themistocli evenisse ut eum Miltiadis tropaea dormire non paterentur, id mihi quoque post lepidissimam illam amici iuvenis disputatiunculam accidit: somnum capere non poteram. Memineram enim sic nos finem imponere colloquio ut diceremus γρῖφον esse locum istum, sive aenigma sive scirpum, sive quocunque nomine appellare vis ludicras istas quaestiunculas quas animi causa homines proponere solent inter vinum vel in quavis hilariore confabulatione. Etenim ista *me* . . . *tu* tangenda non esse, hoc inter nos constabat, sed e tradita lectione aptum erui posse sensum desperabamus. Haec mihi identidem in mentem veniebant dum ἐστρεφόμην ἔνθα καὶ ἔνθα, et sic mecum loquebar: „omnes illae quaestiunculae convivales hoc habent ut primo adspectu obscurissimae esse videantur, sed cum semel sunt solutae, nemo non miretur se *non statim illud vidisse*. Quidni mihi, quamvis in eiusmodi rebus tardus esse soleam, in hoc „scirpo" philologico contingat ut verum inveniam?" Et inveni quod mihi quidem verissimum videretur, quodque cum iam uni et alteri ex aequalium philologorum numero probaverim, tandem aliquando in Mnemosyne nostra publici facere iuris audeam.

Gallus et Lycoris diversam habere debent sedem. Hoc, ut opinor, constat inter omnes. Lycoris autem „militem" est secuta in Germaniam. Gallus ubi est? Ut opinor, Romae remansit, sed ubi *revera* sit parum curo; cum enim pastorem et venatorem eum fecerit poeta, ex ipsa Roma, vel quaecunque vera est Galli sedes, facta est Arcadia.

Nihil ergo prodest Servii acumen annotantis: „ex affectu amantis ibi se esse putat, ubi amica est, ut *me* sit *animum meum*", nam sic quoque abiicitur, quod unice servandum, schema: „hic *tecum* consumerer, *nunc* . . . *me* . . . *tu*."

An potest ergo idem homo eodem tempore et pastor esse (vel venator) et miles? Non potest, si quotidiano sensu utrumque accipitur vocabulum. Nam desinamus censeo quaerere quodnam ad bellum huiusce eclogae tempore Gallus sit profectus, ad

Digitized by Google

quam rem longe arcessitis opus est historicorum coniecturis, quemadmodum dudum quaerere desierunt omnes quod tum in Germania gereretur bellum ad quod adulter iste esset profectus. Nam neque verus est pastor vel venator Gallus ..... neque est verus miles. Metaphorice haec sunt accipienda ut de suo amore loquatur tamquam si sit Veneris militia quaedam. Novimus omnes Ovidianum illud

militat omnis amans et habet sua castra Cupido.

Sed hic mihi interpellari videor a stomachoso aliquo adversario, qui sic loquitur: „decipis nos, o bone, nam de Veneris militia iure loquitur Ovidius: comparat enim amatorem cum strenuo milite, qui pro portis fores frangit, pro muris parietes conscendit, qui excubias agit, speculatur, pericula quaerit captatque. Quid cum illo commune habet miser iste Gallus, qui nullam habet puellam propter quam arma capiat, quoniam quam solam amat e conspectu eius evolavit et frustra quaeritur revocaturque?" Non eo solum sensu de Veneris loquuntur militia poetae ut agilem nobis et pugnacem ante oculos ponant amatorem; ille quoque „militat amans" qui solus est a perfida amica relictus et nunc vigil torquetur. Non cum ianitoribus et rivalibus bellum gerit ille, sed quodammodo cum Venere ipsa. Cf. eiusdem Ovidii haec: Am. II, 9, 3:

quid me, qui miles nunquam tua castra reliqui,
laedis et in castris vulneror ipse meis?

et, quae sunt disertiora etiam, haec Propertiana:

II, 12 evolat, heu, nostro quoniam de pectore nunquam,
assiduusque meo sanguine bella gerit.

Amor infelix eius, quem perfida solum reliquit amica, apte comparari potest cum *morbo*, sed potest etiam cum gravi labore, optime vero cum dura et crudeli militia. Gallum autem in sua militia *detinet* amor, cf. vs. 14:

piniferum illum etiam dura sub rupe iacentem.

Multo autem praestat cum terribili aliquo confligere hoste quam *detineri*. Hac nulla est miserior miseria. Qui *detinetur* nihil agit quoniam quod agat non habet, sedet iacetve sed expers quietis, quoniam undique in eum fit impetus. Nullus est, ut opinor, in literis latinis locus qui quid sit *detineri* luculentius doceat quam hic Senecae (de Prov. c. 4):

Digitized by Google

„nolite, obsecro vos, expavescere ista, quae dii immortales velut stimulos admovent animis; calamitas virtutis occasio est; illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners *detinet*.".

E quibus verbis facile efficias felicem esse militem cui facultas detur manus cum hoste conserendi prae illo qui in castris, quae clausa tenet cautus dux, *desidet*, undique barbaris assultantibus provocantibusque.

Mihi autem egregie haec inter se opponi et componi videntur: „me amor *detinet* in Martis armis, tela inter media atque adversos hostes, tu militem tuum secuta es in regionem gelidam." Neque hoc magno opere me movet quod suos versus sic paulo reddiderit obscuriores.

Concedo tamen tum revera „luce clariora" (iterum mihi hic ea excidit formula) futura fuisse omnia si *inverso ordine* usus esset: „tu militem tuum secuta es (hoc enim nemo non statim efficit e verbis „tu procul a patria Alpinas, ah dura, nives e. q. s."), tu *quodammodo* militas, ego veram eamque durissimam perfero militiam." Sed simul intelligo quo modo obscuritas illa, si tamen obscuritas dicenda est, nata sit. In animo, ut opinor, haec fere habuit poeta:

At nunc tu procul a patria — vix credere possum —
Alpinas ah sola nives et frigora sentis,
Me male sanus amor duri Mavortis in armis
Tela inter media atque adversos detinet hostes.

Contumaci nunc opus erat lectore qui *nollet* intelligere de qua hic militia sermo esset. Sed sentiebat egregius poeta (et quam egregius poeta fuerit Virgilius tibi semper elucet quotiescunque aliquem eius locum paulo accuratius pensitas: in illo intelligere est admirari) sic nimis exile fieri illud quod de Lycoride dicatur. At praeclara ista

ah, te ne frigora laedant!
ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!

addi non poterant nisi priorem locum Gallus, alterum Lycoris obtineret.

Quodsi quis dicat durius esse istud: „*Amor* me detinet in *Martis* armis", duriusculum esse concedo, sed si nihil hic locus haberet quod legentem *posset* in errorem inducere, qui fieri

Digitized by Google

potuisset ut per tot saecula etiam doctissimi et perspicacissimi viri in eo tractando caecutirent?

Non possum quin pauca hic addam de verbis „nec sit mihi credere tantum", quamvis multum absit ut in illis quaestionis cardo versari possit. Ingenue fateor me quid sibi velint nescire. Hoc unum video frigidissima et languidissima nobis obtrudi ab iis qui *tantum* a *credere* separent et cum *nives et frigora* iungant. Corrupta verba censeo et in hanc fere sententiam scripsisse Virgilium: „sitque o mihi credere tantum" i. e. „o utinam vana specie deceptus id fingam tantum, verum ne sit!".

Denique quod dicebam aut novam esse meam coniecturam aut dudum sepultam a me in vitam revocari, id huiuscemodi est: annotat Heynius: „ad allegoricam vero rationem omnia haec transferre si velis, et verbis et naturae carminis et sensui animi *veris et simplicibus inusto* id repugnare facile senties." Verba literis inclinatis notata non intelligo; sed quemnam hic Heynius impugnat? Serviumne cum suo „meum animum"? Neque nego neque credo, nam in iis quae proxime praecedunt illum iam refutavit. Recentiorum tamen nemo eiusmodi allegoriam protulisse videtur. Certe in nitidissima accuratissimaque Deutickii editione, quae a. 1907 prodiit, nihil annotatum video quod eo pertineat.

AD CIC. VERR. II, § 83 (ED. PETERSON OX. MCMVII).

Sthenius est, hic qui nobis adsidet, Thermitanus, antea multis propter summam virtutem summamque nobilitatem, nunc propter *suam* calamitatem atque istius insignem iniuriam omnibus notus.

Misere istud *suam* languet. Lege *summam*, egregie *summa calamitas* opponetur *summae virtuti summaeque nobilitati* nec minus egregie inter se iungentur „*summa* calamitas" et „*insignis* iniuria".

J. J. H.

Digitized by Google

EPISTULA CRITICA

AD

IACOBUM IOANNEM HARTMAN DE TIBULLO POETA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Scripta tua, vir optime, cum omni tempore magna delectatione perlegerem, tum libellus ille aureus, quem de Tibullo poeta conscriptum donum nuper ad me misisti, praeter multos alios nomine haud uno animum meum summa voluptate permulsit [1]).

Si quis Apollinea fieri vult clarus in arte,
Colles Pierios sedulus ipse petat.
Carmina si quis avet summi cognoscere vatis,
Illius in patriam perferat ipse pedem!

Ista fere Germanus, summus ipse poeta, aliquando cecinit, quae quam vere enuntiata sint quivis sentit qui poetico sensu et ardore non omnino careat. At vero quotus quisque, cui nostris temporibus carmen aliquod Latinum recensendum explicandumque mandatur, ante opus susceptum praecepti Goethiani bene memor est! Viri, ingenti sane doctrina praediti intimaque linguae notitia penitus imbuti, sed carminibus componendis vel percensendis neque natura neque arte vel exercitatione ulla satis idonei, munus illud subtilissimum sanctissimumque temere ar-

1) Flos delibatus elegiae Romanae. Tibulli defensionem suscepit J. J. Hartman. Lugduni Batavorum, E. J. Brill 1911.

Digitized by Google

ripiunt — invita Minerva atque manibus poetae flebiliter lugentibus.

In universum mirum est quanta nostra sit audacia, cum de rebus praeteritis deque hominibus ab aetate nostra remotissimis sententiam nostram in medium sumus prolaturi. Nemo, credo, de rebus technicis hodiernis, quarum ipse nullum umquam fecerit periculum itaque prorsus ignarus sit, alios edocere sponte conabitur, sicut qui mare nondum vidit de navigandi arte magistrum se non profiteatur neque is, qui caestus numquam manibus induxit, de pugilandi certamine se res satis probabiles exponere posse facile sibi persuadeat. Verum enimvero res aliter se habet, siquando de iisdem artibus apud poetas Latinos mentio inicitur: tum iusta linguae notitia atque doctrina quadam generali unice opus esse creditur — non ipsarum artium, quas explanare aggrediuntur, intima cognitione ac peritia! Nomina odiosa sunt neque quemquam offendere lubet, verum quot errores ridiculi in libris spissis nobis venditantur, quos viri, re maritima ne mediocriter quidem docti, de rebus nauticis apud veteres conscribillare non verentur! quot nugas atque hariolationes legere me memini in commentariis, quibus editores, impense eruditi sed vere umbratici, certamina illa, quae in Aeneidos libro quinto enarrantur, interpretari atque illustrare temptarunt! Ista sane temeritas famae immortali Maronis vix et ne vix quidem damnum ullum intulit; quivis intellegens quisquilias istas subridens raptimque percurrit neque ieiunae istae ineptaeque annotationes voluptatem, qua versus eum afficiunt, quicquam imminuere possunt. At vero, hercle, peior est res, cum illud quod primum dixi usu venit, nempe si homines, quibus omnem ardorem poeticum natura denegavit, de vero quodam poeta iudicia sua, ad normam mathematicam nimirum redacta, divulgare audent. Tunc tempus iam est, consilii Goethiani eos admonere: ipsi in poetae patriam, hoc est in Heliconem, ante ire debuerant quam de eius operibus iudices se praeberent acerrimos; iam enim periculum est ne homines, dum auctoritatem eorum aliis rebus diu lateque stabilitam suspiciunt, ne tum quidem eos errare sibi persuadeant atque artificia magnificentissima ipsi non iam inspiciant, sed male creduli in posterum pro vilissimis habeant contemnantque. Tunc profecto ille de poeta

Digitized by Google

iniuriose tractato, quin etiam de tota humanitate optime merebitur qui ipse iudex idoneus iustusque cum sit in causam inquirere non dubitarit; non enim res unius artificis pridem vita defuncti iam agitur, immo vero agitur quicquid est elegantissimi in republica litteraria sensus iudiciique.

Ideo tu, mi Hartmanne, nunc libello tuo lepidissimo conscribendo praeclarum praestitisti beneficium neque solum Tibulli, venustissimi poetae, sospitator iure summo nunc audis, sed etiam dux atque auspex eorum omnium iam factus es, qui margaritas pretiosissimas in sterquilinium iam relegari maxima tristitia cernebant. Tu, ipse poeta probatissimus, Musarum regionem, patriam illam poetarum, probe nosti atque in Tibulli Sulpiciaeque poematia delicatissima mente animoque penitus te insinuando eorum amoenitates nobis aperuisti, locos hucusque misere corruptos feliciter emendasti, vitia ipsa qualiacumque non infitiando sed indicando explicandoque quodammodo ornasti, denique χειμήλιον illud, quo iusto titulo corpusculum vocatur, a criminationibus vindicasti iniquissimis. Iam nemo, qui quidem tuum libellum attente perlegerit, Tibullum aspernabitur, iam suus honor poetae nostro redditus est! Macte virtute tua, qua poetae optimi memoriam nec non veram iustamque litterarum nostrarum existimationem beasti!

Uti par est, plus quam semel libellum diligentissime accuratissimeque perlegi atque si quid mihi in mentem veniebat quod iudicio tuo submittere fortasse operae pretium esset, in margine ascripsi. Hasce notulas prae tuis de poeta meritis sane levissimas deinde collegi atque pluribus expositas hac epistula ad te mittere decrevi: grati animi mei documenta sunto pro summa voluptate, qua donum tuum acceptissimum me cum permultis Tibulli amantibus affecit.

De loco in primae elegiolae fine prima mea sit observatiuncula, locum dico quem pag. 10 supra subtiliter disseruisti:

21 Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis
Et testudinea Phoebe superbe lyra.
Hoc solemne sacrum multos *haec sumet* in annos:
Dignior est vestro nulla puella choro.

Neque Scaligeri *consummet* neque Baehrensii *haec visat* probari

Digitized by Google

posse neque minus repudiandum esse *sumat*, quod manus secunda in cod. G posuit, tibi libenter concedo, sed Italorum scriptura *celebretur*, quam tu probas recipique iubes, mihi quidem arbitraria nimis semper visa est atque etiamnunc videtur; nam quomodo id in *hoc sumet*, quod libri mss. fideli concordia exhibent, umquam depravari potuerit frustra quaero.

Si tanti est, meam opinionem iam accipe.

Quandoquidem in disticho priore poeta Apollinem cum Musis alloquitur, quos Sulpiciam cantare iubet, pentametro autem postremo eosdem compellat deos, id quod *vestro — choro* comprobat, nonne consentaneum est, eum versu 23 quoque cum iisdem egisse atque aliquid eos iussisse, quod sequens versus *dignior — choro* commendaret confirmaretque? Porro cum vs. 21 sq. a dis petat ut Sulpiciam cantent itaque velut novum quoddam sacrum Kalendis istis adiungant, nonne iusta argumentatio exigit ut huic voto deinde alterum illud adiciat, ut non solum his Kalendis, sed per multos annos venturos eo die sacrum illud Sulpiciam solemniter cantandi iterare velint? Nempe „dignior est vestro nulla puella choro!" Quae cum ita sint, post imperativum *cantate* alterum imperativum exspecto atque versum ita restituendum esse opinor:

Hoc solemne sacrum multos *assumite* in annos:
Dignior est vestro nulla puella choro!

Si hanc emendationem receperis, codicum mss. corruptelae *hoc sumet* originem nec non scripturam mendosam *haec sumet*, quam fragmentum Cuiacianum praebet, facile explicabis, sed στιγματίαις istis, quamvis praestantia saepissime protulerint, hic quidem morem gerendum non esse mecum agnosces.

Versus, quos ex elegiola sequenti pag. 11 media descripsisti:

15 Tunc mihi, tunc placeant silvae, si, lux mea, tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas

suspicionem mihi movent, Sulpiciam ibi ad Martis Venerisque concubitum allusisse, in quo pingendo Ovidius Met. IV. 169—189 et A. A. II. 561—588 tantum sibi indulsit; quod ut suspicarer imprimis verbum *arguar* animum induxit.

Digitized by Google

Pag. 14 sq. de tertii poematis versibus ultimis egisti. Sunt autem:

Iam celeber, iam *laetus* eris, cum debita reddet
Certatim sanctis laetus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba deorum,
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

Rursus plane tibi assentior, istam repetitionem *laetus* ... *laetus* in tersissimo poeta molestissimam esse indignissimamque. At tamen contendenti pro priore *laetus* nihil aptius reponi posse quam *magnus* album calculum adicere tibi nequeo: sane fieri potuisse concedo ut scriba oscitans, cuius oculi in versum inferiorem aberrassent, pro vera lectione qualicumque adiectivum *laetus* in superiore quoque exararet, verum enimvero ipsa verba, quibus Apollinis partes egregie describis, quid in versu corrupto aegre desideretur suggerere iam videntur, verba dico quae sunt: „nobis ante oculos ponitur deus, quem sortis suae paeniteat, quem homines diligant amentque magis quam venerentur metuantque, cuiusque in Olympo ars lenis clemensque sordeat si comparetur cum Iovis, Martis, aliorum telis armisque". Haec cum perlegerem, mihi quidem nulla iam restabat dubitatio quin Tibullus scripsisset:

Iam celeber, iam *lautus* eris, cum debita reddet
Certatim sanctis laetus uterque focis.

Qua medela adhibita consideres, quaeso, quam praeclara haec praeclari carminis clausula iam sequatur:

Tunc te felicem dicet pia turba deorum,
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

Versus tertius elegiolae, quae verbis *Natalis Iuno, sanctos cape turis acervos* incipit, scrupulum tibi iniecit, quem ut evellere valeam vehementer metuo, etiamsi de integritate sermonis incorrupta ego quidem nullus dubitem. Est distichon, de quo pag. 18 tui opusculi quaestio instituitur:

Tota tibi est hodie, tibi se laetissima compsit,
Staret ut ante tuos conspicienda focos.

Vocabulum, quod litteris inclinatis exprimendum curavi, tu sanum esse non posse affirmas, ego contra verum genuinumque esse credo. Arguis, primum verum non esse Sulpiciam totam

Digitized by Google

iam se tradidisse Iunoni Natali: maiorem sui partem suo servare Cerintho.

Ignoscas mihi obsecro, quod istam argumentationem utpote sophisticam mihi visam discutere conabor. Poetam enim non hoc significare voluisse opinor quod tu e verbis traditis elicere videris: Sulpicia tibi totam iam se tradidit neque quicquam Cerinthum curat, verum hoc: Hodie Sulpicia tota est in te colenda, hodie non Cerintho suo — sed tibi uni se compsit. Adverbium *hodie* vetat ne quid gravius tristiusve de Cerintho poetam innuere credamus.

Quod deinde affers, id vix latine sic posse significari: *tota tibi est*, quamquam tibi obloqui vereor, tamen concedere nequeo. Quid, rogo, prohibet quominus *tibi* sit dativus commodi qui vocatur atque haec locutionis vis: Sulpicia hodie tota tibi est, ceteris diebus alia multa sunt quae agitet curetque, sed hoc die tibi, Iuno Natalis, praesto est uni toto corpore et mente animoque?

Quibus omnibus perpensis èt Guyeti *tota tua est* èt Baehrensi *culta*, quod utcumque probas, èt Canteri *lota*, quod pro iudicio tuo elegantissimo ut parum decens recte repudiasti, omnia refutanda, traditam vero lectionem utique servandam esse censeo.

In eiusdem carminis fine distichon est, quod vere conclamatum fereque desperatum pag. 22 sq. copiose pertractasti, scilicet:

Si iuveni grata veniet cum proximus annus
Hic idem votis iam vetus esset amor.

Sic est traditum nisi quod versu priore codex F habet *sis iuveni*, G a manu secunda *sit* — versu altero libri recentiores *adsit* (in cod. G *ss* ex corr.), G a manu secunda *ut sit*.

Licet post summorum virorum conamina, quae deinceps percensuisti neque hic repetere opus est, temerarium videri possit aliquid meo Marte temptare, nescio tamen an sic potius versus restituendi sint:

Sic tu grata *veni*, veniet cum proximus annus,
Hic idem votis iam vetus *ut sit* amor!

Quid enim factum est? In archetypo nostrorum codicum ordo vocabulorum *grata* et *veni* mutatus est eo quod scriba primum verbum *veni* propter sequens *veniet* omiserat, deinde supra vo-

Digitized by Google

cabulum *grata* ascripserat, quo facto librarius sequens illud *veni* rursus in textum sed non loco suo recepit. Cum igitur *sic tu veni grata* iam legeretur, unde vis metro illata est, correctores exstiterunt atque nimirum ad manum erat correctio *sic iuveni*, cuius scripturae vestigia in variis lectionibus *sis* et *sit* etiamnunc supersunt; item vera ac genuina lectio *ut sit* in codicibus recentioribus sui reliquit memoriam, in codice autem G a manu secunda servata est.

Propositum meum pluribus commendare vix necesse videtur: repetit poeta verbum quod vs. 13 posuit: Annue purpureaque *veni* perlucida palla.

Pauca sunt quae in Sulpiciae epistoliis arbitrio tuo subicere velim. In illo, quod primum eam fecisse Cartaltio tibique credo, haec sunt (pag. 30 sq.):

Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae
Atque Arretino frigidus amnis agro?

Ubi qua de causa ablativum *Arretino — agro* tantopere damnes non intellego; ego sane, si genitivum legissem, ablativum ut certo usui congruentem desiderarem, nam poeta, ut fere fit, praepositionem *in* neglexit. Sed istud levius est. Ad distichon quod proxime sequitur transeo quale in libris mss. est traditum:

Iam, nimium Messala mei studiose, quiescas
Neu tempestivae saepe propinque viae.

Una in libris discrepantia est, quod codices recentiores pro *Neu* praebent *Non* — codex V a manu secunda *Heu*, ita ut scripturam in archetypo male exaratam fuisse appareat.

Quod pace tua dixerim, nemo umquam mihi persuadebit, Sulpiciam, postquam modo Messalam nomine ipso compellarit, versu subsequenti verbis *saeve propinque* eundem esse allocutam, neque Roberti Ungeri inventum, cui *saeve* illud debetur, equidem flocci facio. Propinquitas, qua Messala et Sulpicia coniuncti erant, ipsa impedimento fuit ne pridem noster pentameter restitueretur, quippe quae viris doctis ita menti infixa esset ut id *propinque* legentes ne suspicarentur quidem, in hoc ipso vocabulo corruptelam latere: voce *propinque* excepta cuncta vocabula deinceps in suspicionem venerunt et coniecturis sollicitata, sed critici ad unum omnes *propinque* intactum reliquerunt, nempe

Digitized by Google

Messala Sulpiciae propinquus esset! At hercle rogo, num ista compellandi ratio tam vulgaris, nedum legitima apud Romanos fuerit ut verba cetera ad eam iam omnia detorquenda essent. Praeclare ratiocinatus es, *tempestivae* natum esse e *tempestiva ē*, idque cum semel in unum vocabulum coaluisset, simul istud *viae* peperisse, at cetera sic velim mecum constituas:

Non tempestiva est saepe propinqu*a* via.

Ita Sulpiciam hoc probabile dicentem facio: Vel brevissima via saepe molesta est sc. ei qui domi remanere maluerit.

Obiter moneo id quod te fugit, cur Baehrensius vs. 8 *quoniam* e codice G receperit atque etiam maluerit *quom me*, non me latere: videlicet ille ut subiectum verbi *esse* mente supplendum putabat e versu superiore *animum sensusque meos*. Quamquam *quamvis* bonam lectionem esse tibi concedo, licet L. Muellerus quoque *quoniam* praetulerit.

In epistolio *Gratum est, securus* cet., quod pag. 33 sq. percensuisti, miror quod non memoras Heinsii palmariam emendationem *Si tibi cura* virgula scilicet pro plena interpunctione substituta post *Sulpicia* vs. 4, atque ad postremam observatiunculam meam propero quae pertinet ad locum (pag. 41 infra):

Nulla tuum nobis subducet femina lectum:
Hoc primum iuncta est foedere nostra Venus.

In isto *primum* te haerere dicis, quod amor non hoc, quod hic significatur, initium habere soleat sed ita demum omnibus suis impleatur numeris, atque pro *primum*: *quoniam* proponis. At, credo, Sulpicia non hoc vult, amorem ipsum eo foedere lecti demum initium cepisse, sed, vis verborum cum in *iuncta est* omnis sit posita, hoc potius: artius illud vinculum, quo iuncti iam sumus, ibi primum est contractum confirmatumque.

Ceterum pusillis meis annotatiunculis te, vir optime, morari amplius non decet; iam vereor ne eius libelli censuram agere videar quem nemo tantum admirari possit quantum ego et admiror et dignis laudibus extollere velim. Tu vero aequi bonique notulas meas consulas, cui opto precorque ut per poetarum Latinorum patriam dux fidus atque auspex nostratibus in multos annos permaneas qualem nunc omnes merito te reveremur. Vale!

Digitized by Google

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Denuo me ad Plutarchi scripta Moralia cum pulvisculo excutienda accingo. Gratissimus mihi labor ille, sed et necessarius. Qui enim operam dederim ut magnus ille mentium medicus popularibus meis quam maxime innotesceret, et praesertim Graece nescientium causa volumina illa conscripserim, quibus ut potui vitam eius aetatemque qua vixit depinxi [1]), ad quam rem sat multa eius scripta mihi vernacule erant vertenda, quaecunque critici erant generis obiter tantum tetigi et in annotationibus plerumque quam paucissimis verbis me ab editione Teubneriana, quam Bernardakis curavit, recedere significavi, sive ipse novi aliquid mihi invenisse videbar sive antea ab alio inventum erat quod eius lectioni, me iudice, praestaret. Nunc doctorum virorum mihi est habenda ratio et quidquid mihi vel olim vel nunc Moralia perscrutanti in mentem venit, quo textus paulo emendatior fieri posse videretur, ordine proponendum, adiunctis illis quoque observationibus quas per aliquot annos Mnemosynae inserendas curavi. Quas aut — ne multa simul sint tractanda legentibus volumina — in brevius contractas spatium hic repetam, aut, si opus videbitur, argumentis novis stabilire conabor. Et quoniam a critica, quae in vocabulis emendandis, supplendis, delendis versatur, divelli „altior" illa non potest, quae ad quaestiones de librorum auctore et virtutibus vitiisque per-

1) Libri vernacule scripti c. t.: De Avondzon des Heidendoms, het leven en werken van den Wijze van Chaeronea. Leiden, S. C. van Doesburgh 1910.

Digitized by Google

tinet, de singulis libris quam brevissime potero sententiam meam iudiciumque praemittam. Sic simul, aliquatenus certe, etiam philologi apud exteros libri illius vernacule scripti eas cognoscent partes quas vulgo notas esse e re mea sit et fortasse etiam scriptoris quem tantopere admiror in deliciisque habeo. Cumque in toto hoc negotio pervulgatum librorum tam Plutarcheorum quam spuriorum sim secuturus ordinem, initium mihi est faciendum a

Libello de liberis educandis

quem a Plutarcho conscriptum iam nemo est qui serio contendere possit. Volkmannus, vir doctissimus prudentissimusque et de Plutarcho egregie meritus, operam perdere censet si quis post Wyttenbachium hac de re etiam verba faciat. Ita est: exemplo omnibus, qui eiusmodi quaestiones tractant, Wyttenbachii illa de nostro libello disputatio esse potest, tam est omnibus numeris absoluta. De una tantummodo re, neque magni momenti neque tamen prorsus contemnenda, etiam moveri posse controversia videtur. Ab adolescentulo scriptum libellum Wyttenbachius censet, qui a Plutarcho magistro hoc argumentum tractandum acceperit. De priore huius sententiae parte lubenter clarissimo viro assentior; puerilis ista meditatio est, sed e Plutarchi schola profectam haudquaquam credo. Quid quod eam magistro satis probatam esse nobis esset statuendum, si cum Wyttenbachio ab ipso Plutarcho adiectum epilogum sumeremus. Est enim ille huiuscemodi:

τὸ μὲν οὖν πάσας τὰς προειρημένας συμπεριλαβεῖν εὐχῆς ἴσως ἢ παραινέσεως ἔργον ἐστί· τὸ δὲ τὰς πλείους ζηλῶσαι καὶ αὐτὸ μὲν εὐμοιρίας δεόμενόν ἐστι καὶ πολλῆς ἐπιμελείας, ἄνυστον δ' οὖν ἀνθρωπίνῃ Φύσει καθέστηκεν.

Ubi primum manus emendatrix requiritur. Non enim post *προειρημένας subaudiendum* cum Bernardake *ὑποθήκας*, sed ipsum illud vocabulum, aliudve in eandem sententiam, *supplendum* censeo. Praeterea post *ἴσως* excidisse *μᾶλλον* videtur; hoc enim voluit noster: „optari illud potest non praecipi." Nunc locum sic correctum aspiciamus. Plutarchine hic agnoscis orationem? Immo vero hic quoque puerulum declamantem audimus, qui dummodo periodum eleganter, ut ipsi videtur, exornet claudatque, ad exilem proferendam sententiam largam effundit vocabulorum copiam. Ut cetera sensu vacua mittamus: quam inepte, dum clausulae dat

Digitized by Google

operam, ἔστιν et καθέστηκεν inter se opponit. Et sunt multa alia eiusdemmodi. Sed totius loci consideremus argumentum:

„haec omnia ut simul comprehendas optare potes, praecipi tibi non potest; at maiorem eorum partem si conaris assequi, tum quoque magna tibi opus est felicitate magnaque industria, sed eo tamen pervenire potest humana natura."

Fac sic unquam Plutarchum scripsisse; si talia subscripsit discipuli meditationi, nonne eam admodum sibi placere testatur? Placere autem Plutarcho qui potuit de re gravissima, quaeque ipsi prae ceteris cordi esset, disputatio, in qua nihil legeretur eorum quae in mentem venire deberent homini qui vel primoribus labris aliquam philosophiae attigisset partem? Rhetorica sunt omnia, vana et inania. Sed non est meum de hac re legentes edocere. Omnia reperire apud Wyttenbachium possunt, qui quomodo haec fuisset tractanda quaestio ut idoneis illius aetatis satisfieret iudicibus praeclare demonstravit.

At enim nonne fieri potuit ut Plutarchus discipuli meditatiunculam obiter tantummodo inspectam tali epilogo ornaret? Nonne est credibile magistrum, multis variisque districtum negotiis, discipuli laudasse industriam, qui de argumento sibi proposito tot implesset paginas, sed prae nimia festinatione non vidisse quam multa eaque gravissima ibi desiderarentur, quam plenae essent ineptiarum? Eiusmodi aliquid in quavis schola et fieri posse et saepe factum esse minime nego, sed hic Plutarcho evenire illud *non potuit*. Quid enim? Quamvis festinaret, tamen non adeo caecutiebat quin ipsis verbis in quibus puer, iamiam sibi laudandus, fecisset finem oculi eius ferirentur. Quae simulatque aspexit quos eum edidisse risus censeamus vel quanta cum indignatione totum abiecisse libellum e manibus? Disticha enim sunt, sed qualia, di boni! Exemplum legentibus proposuit puer noster Eurydicen quandam, barbaram, in Illyria natam, quae provecta iam aetate puerorum suorum causa literas didicerit „quemadmodum" ait „ipsa testatur hoc epigrammate quod Musis dicavit":

Εὐρυδίκη Ἱεραπολιῆτις τόνδ' ἀνέθηκε
Μούσαις εὔιστον ψυχῇ ἑλοῦσα πόθον·
γράμματα γὰρ μνημεῖα λόγων μήτηρ γεγαυῖα
παίδων ἡβώντων ἐξεπόνησε μαθεῖν.

Digitized by Google

Unde pedem huc intulit *Illyrica* illa Hierapolitana? Et de qua nobis cogitandum Eurydice? „De altera Philippi, Alexandri magni patris, uxore" Wyttenbachius ait, „quae fuit Illyrica, et cum a parentibus *Audatam* accepisset nomen, a Philippo Eurydice est appellata." Sed nulla unquam in Illyria urbs Hierapolis fuit, certe a nullo scriptore commemoratur. De suo, id est de nihilo, Eurydicen cum bella ista historiola finxit ῥητοριδεύς noster, ipse bellos hos panxit hexametros pentametrosque, non de lapide sepulcrali in suum libellum transtulit. Et quales sunt illi! Aspice primum: οὐχὶ κλαύσεται versus caesura carens et qui eum conflavit? Et qui sermo! τόνδ' ἀνέθηκε. Num λίθον? Sed quis talia vocabula omittit? Experto credite, nemo nisi qui versuum Graecorum Latinorumve faciendorum prima facit tirocinia. Cum verbo autem ἀνέθηκε necessario iungendum Μούσαις, quod sic in initio pentametri positum tamquam si cum *sequentibus* cohaereret vocabulis. Tum, iure quidem εὖιστον in textu Wyttenbachius retinuit, sed quid eo poetaster voluerit ut sciamus divinatione opus est. De re enim adhibuisse *videtur* quam scire non nolis, cuius te non pudeat, qua glorieris. Cepit ergo animo bona mater *desiderium* quod latere minime vellet. Cuiusnam rei, quaeris: literarum! Mirum, hercle, desiderium et quod nunquam in mente hominis natum est. Multo rectius et naturae convenientius sub finem declarat se literarum discendarum *laborem*, gravem, ut opinor, et iniucundum suscepisse. Sed praeterea nulla re secundum distichon priori praestat. A magistro suo in ludo literario audiit puerulus *memoriae instrumentum* et *memoriae effectricem* dici a poetis literas, et fortasse nobiles illos Aeschyli edidicit versus, ubi Prometheus declarat se et alia utilissima invenisse et dedisse hominibus

γραμμάτων τε συνθέσεις
μνήμης [1]) ἁπάντων μουσομήτορ' ἐργάνην

cumque utique istud γράμματα γάρ iusti hexametri initium fieri deberet, adiecit μνημεῖα λόγων, quae verba vix *possunt* significare id quod poeta voluit, et hic certe ineptissime adduntur:

1) Spernitur nunc — communis ea sors lectionum quas sana mens requirit — certissima haec Hermanni emendatio, et secundum codicem editur aut μνήμην θ', ut memoriae artem, atque adeo ipsam memoriam *invenisse* Prometheus dicatur, aut μνήμην, quod prorsus sensu cassum est.

Digitized by Google

utilitatem enim literarum laudare eius est qui *sua causa* eas didicit, non matris quae propter filios ingrato isto opere est perfuncta. Sed nondum plenus est versus; additur μήτηρ γεγαυῖα. Bonus poeta ea non posuisset illo loco nisi hoc vellet: „simulatque mater facta erat" et ne sic quidem venustus evaderet versus. Vide enim quam ridicule sententia in tres partes sit divisa:

γράμματα γάρ | μνημεῖα λόγων | μήτηρ γεγαυῖα.

At multo ineptius noster et contra ipsam versuum naturam *in sequenti versu* a nomine quod est μήτηρ dependentem facit genitivum παίδων ἡβώντων.. Quae verba et ipsa ineptissimum produnt versificatorem. Quid enim? Num *adulta aetate* filii illi literas discere coeperunt? Non opinor, sed hoc voluit: „cum ad discendi pervenissent aetatem"; id autem pentametro suo infercire non potuit quin vim faceret ipsi sermoni Graeco.

Esto: pueruli misella est meditatio libellus noster. At insperatum inexspectatumque nostra aetate honorem nactus est. Testis enim est adhibitus in gravissima controversia de Taciti *Dialogo de oratoribus*. Qui liber praestantissimus, a Tacito ea scriptus aetate cum ad plenam pervenisset maturitatem, ne posthac nimia legentes impleret admiratione, *fons* eius erat indagandus. Quasi vero is demum magnus sit poeta scriptorve qui e *nullo* fonte hauriat! Et illud „fontem indagare" quo modo hac aetate fiat nemo ignorat qui non in his rebus plane sit hospes. E tenebris protrahitur Graecus aliquis auctor, cuius scripta plane interierunt, exceptis, si ita res fert, paucis vocabulis hic illic sparsis. Sic itur ad astra. Nihil enim facilius quam de libro aliquo deperdito quamvis doctos conscribere commentarios. Praesertim autem sic facultas nascitur *latinarum* literarum laudes detrectandi.

Hic labor, hoc studium parvi properemus et ampli
aiunt qui semel intellexerunt quae merx in hodierno doctrinae foro plurimo veneat. Nam qua re illud fiat nescio, sed hoc quotidie fieri video ut si quis in chorum „vere doctorum" recipi velit in aliquem scriptorem poetamve Latinum faciat impetum. Et munita via est, certique stant parati duces. Habemus opus aliquod a praeclaro artifice Romano structum quod contemplari nemo possit quin vehementer mente et animo moveatur. Protrahendus aliquis e latebris recentior libellus qui aut multa, aut — nam eo quoque contentos nos esse oportet — pauca

Digitized by Google

cum eo habeat communia. Iam recentiorem illum, Graecum vel Graeculum plerumque, ea a Romano sumpsisse putare nefas est; aetate maiorem aliquem Graecum Romanus tam anxie est imitatus ut etiam quae non intelligeret in suum librum transferret. Virgiliumne tu admiraris? Scito eum, ineptissimum in modum saepe, Stoicorum placita e Graeco in Latinum transtulisse sermonem. Horatiumne diligis, urbanum prudentemque monitorem? Non Horatium legisti sed ... Bionem Borysthenitam, utcunque Latine versum. In transitu declaro palamque profiteor nihil esse facilius quam demonstrare Horatium nullam unquam Bionis illius suis oculis perlustrasse paginam. Sed hoc alienum a proposito. Ad Tacitum redeo praeclarumque eius Dialogum. Illum paucis ante annis ita edidit Americanus Gudemannus ut e paulo plus triginta paginis amplum nasceretur volumen, in quod et alia multa congererentur et ea quae quocunque tandem modo ab adolescentulo Tacito illud esse conflatum opusculum demonstrarent. De ceteris alio tempore disputandi dabitur facultas. Nunc quomodo libello nostro pseudo-Plutarcheo Gudemannus usus sit videamus. Docere vult — ipsa eius afferam verba —

„that the chapters on education are not *entirely original* with Tacitus."

Quasi vero quidquam ab ullo unquam sit prolatum homine in quod illud *entirely original* conveniret. Quid quod disputationem suam sic claudit Gudemannus:

„we cannot but admit that Tacitus, even in his youth, was no servile imitator, but that he assimulated his borrowed material in such a manner as to make it practically his own, admirably succeeding in producing a work, homogeneous in construction, artistically elaborated in its style, and bearing all the outward indications of an original composition."

Profecto egregius, immo fere caelestis hic nobis depingitur artifex, qui unde rudem materiam sumserit quid quaeramus? Rembrandtius ubi linteum suum oleumque emere sit solitus quis curat? Sed quid, quod ad Tacitum pertineat, e libello pseudo-Plutarcheo profert vir doctus? Uterque de educatione, eaque corrupta, agit. In promptu est illud argumentum, ut opinor, unicuique qui de suae aetatis scribit moribus; tritum et decantatum paene dixerim. Et communia quaedam hi scriptores

Digitized by Google

habent. Miraculi instar esset si nihil haberent commune; ipsum argumentum certas sententiolas certaque vocabula secum trahit. Non ita Gudemanno visum, sed sic ratiocinatur: „libellum pseudo-Plutarcheum Tacitus vix *potuit* inspicere, certe non inspexit. Sed antea idem argumentum fuse tractatum est a magno viro — Chrysippo, quemadmodum e Quintiliano apparet. Ergo Chrysippum exscripsit Tacitus." Et qui loci sunt, quibus tamquam firmissimo fundamento istud doctrinae innitatur aedificium? Unum afferam. Legimus apud Tacitum:

at nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus.

In eam *sententiam* disputare cuiusvis esse censeo; sed *vocem* tamen hic agnoscimus Romani hominis atque ipsius Taciti. Quid vero Graecus?

ἐπεὶ νῦν γε τὸ γινόμενον πολλοῖς ὑπεργέλαστόν ἐστιν ... ὅ,τι δ' ἂν εὕρωσιν ἀνδράποδον σινόληπτον καὶ λίχνον, πρὸς πᾶσαν πραγματείαν ἄχρηστον, τούτῳ φέροντες ὑποβάλλουσι τοὺς υἱούς.

Profecto mirandum tantam esse posse vocabulorum discrepantiam in duobus locis tam pervulgatam rem tractantibus!

Et sunt cetera a Gudemanno prolata indicia eiusdemmodi.

Sed mittamus Tacitum; ad libellum nostrum redeamus. Hoc quoque egregie demonstravit Wyttenbachius quam sit ieiunum, exile, puerile istud opusculum ab eo demum intelligi qui paulo attentius legerit, nam obiter aspicienti facile fieri posse ut sat magni pretii videatur. Ergo non mirandum quod meditatio illa scholastica, quae *ἀνώνυμος* circumferebatur, de puerorum educatione, illius est adiecta operibus *δι' οὗ* (verba haec Himerii sophistae) *πάντας ἐπαίδευον* ii qui multis post eius mortem saeculis laude literarum florebant. Sic factum est ut multorum tereretur manibus et multis commacularetur vitiis, iisque quae in quovis obvia libro manuscripto. Age iam quaedam eorum eluere conemur [1]). Simul hic illic ipsius scriptoris notabimus proprietates ineptiasque.

---

1) Priusquam quidquam in *Moralibus* emendare coner, indicare volo errorem a me in *Vitis* commissum. Fefellit oculos meos brevis Naberi annotatio ad Artax. 24, quo factum est ut nescirem multo ante me reposuisse illum *φθάνειν ἀλλήλους* pro *φθονεῖν ἀλλήλοις*.

Digitized by Google

I C καὶ μάλ' ὀρθῶς ὁ λέγων ποιητής φησι (sequuntur versus ex Hercule Euripideo).

Ridiculam hanc lectionem transponendis inter se vocabulis ὁ et λέγων esse emendandam dixi Mnem. 1908, 215 neque nunc me eius correctionis poenitet. Sic enim aptissima haec nascitur sententia: „dicit poeta et rectissime dicit".

Versuum Euripideorum hoc est argumentum: „parentum infamia liberos implet pudore". Tum sic pergitur: ὥσπερ ἀμέλει μεγαλαυχίας ἐμπίμπλανται καὶ φρυάγματος οἱ γονέων διασήμων. Et affertur notissima narratiuncula de Themistoclis filio qui quidquid ipse vellet totum populum velle dixit. Ab adversario haec annotata dixeris qui nostrum refutare vellet. Sed ipsius scriptoris hoc est vitium qui se sibi obloqui non senserit. Etiam narratiunculam de Themistoclis filio alia excipit quae cum illa haudquaquam cohaeret: Archidamo multam dictam quod parvae staturae uxorem duxisset.

II A ὃ κατὰ τῶν τεχνῶν καὶ τῶν ἐπιστημῶν λέγειν εἰώθαμεν, ταὐτὸ καὶ κατὰ τῆς ἀρετῆς φατέον ἐστι.

Proprium nostri esse videtur λέγειν κατά τινος pro περί.

II B „Quemadmodum in agro colendo primum fertili humo opus est, deinde perito agricola, postremo seminibus sanis ..." Quo modo pergendum sit ut imago ad puerorum transferatur educationem quis non videt? Non vidit noster, qui haec subiungit: τὸν αὐτὸν τρόπον γῇ μὲν ἔοικεν ἡ φύσις κτέ.

III C Oportet αὐτὰς τὰς μητέρας τὰ τέκνα τρέφειν καὶ τούτοις τοὺς μαστοὺς ὑπέχειν.

Ridiculus hic pronominis usus recurrit E: „recens natorum membra fingenda sunt ἵνα ταῦτ' ὀρθὰ καὶ ἀστραβῆ φύηται."

III D „Ipsa suam prolem nutriat mater: vel geminis nutriendis eam natura parem creavit. Atque ea res prolis amorem auget" καὶ μὰ Δι' οὐκ ἀπεικότως.

Quid nunc sequitur? Quid putas? Disputatio de mutua caritate eorum qui una sunt educati!

III F καὶ μοι δοκεῖ Πλάτων ὁ δαιμόνιος ἐμμελῶν παρκινεῖν κτέ.

Operarii, ut opinor, vitium. L. ἐμμελῶς.

IV E Ridicule sane Socrates hoc ornatur epitheto: ἐκεῖνος ὁ παλαιός.

Dicere autem solebat Socrates:

Digitized by Google

ὅτι εἴπερ ἄρα δυνατὸν ἦν, ἀναβάντα ἐπὶ τὸ μετεωρότατον τῆς πόλεως ἀνακραγεῖν μέρος (sequitur locus e Clitophonte).

Excidit δεῖ vel δέοι unde infinitivus pendebat.

V D πλοῦτος δὲ τίμιον μὲν ἀλλὰ τύχης κτῆμα, ἐπειδὴ τῶν μὲν ἐχόντων πολλάκις ἀφείλετο, τοῖς δ' οὐκ ἐλπίσασι φέρουσα προσήνεγκε.

In ἐπειδή quid praeterea lateat nescio, certe in ultima litera latet pronomen ᾗ. Hoc loco recte τίμιον ponitur, sed absurde paulo antea (IV F) τοὺς μηδενὸς τιμίους.

ib. πλοῦτος appetitur etiam ab iis qui nihil pensi habent, a servis atque maleficis; καὶ τὸ μέγιστον ὅτι καὶ τοῖς πονηροτάτοις μέτεστι. Adde (ν) αὐτοῦ.

V E εἴ τις ἐπὶ τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ φρονεῖ. Rectissime Hirschigius supplevit μέγα φρονεῖ. Frequentissimum in nostro libello vitium vocabulorum a librario omissorum.

VI B ὁρῶ δ' ἔγωγε τοὺς τοῖς συρφετώδεσιν ὄχλοις ἀρεστῶς καὶ κεχαρισμένως ἐπιτηδεύοντας λέγειν καὶ τὸν βίον ὡς τὰ πολλὰ ἀσώτους καὶ φιληδόνους ἀποβαίνοντας.

Sensu cassa haec; sed apta nascitur sententia, si aut καὶ, quod post λέγειν legitur, deles aut ei addis αὐτούς: „qui dicendo appetunt gratiam intemperantis turbae hi *et ipsi* intemperantes fiunt".

VI E Ante aetatem virilem ex tempore orationem habere non oportet,

ἀλλ' ὅταν τις ῥιζώσῃ τὴν δύναμιν, τότε τοῦτον τῶν καιρῶν καλούντων ἐλευθεριάζειν τοῖς λόγοις προσήκει.

Sic editor cum Herwerdeno; in codicibus est aut solum τοῦτον aut solum τῶν. Mihi τοῦτον abiiciendum videtur.

VII C Gustare tantummodo puer *pulchras literas* debet, sed penitus haurire philosophiam:

ἔχω δὲ δι' εἰκόνος παραστῆσαι τὴν ἐμαυτοῦ(!) γνώμην· ὥσπερ γὰρ περιπλεῦσαι μὲν πολλὰς πόλεις καλόν, ἐνοικῆσαι δὲ τῇ κρατίστῃ χρήσιμον· ἀστείως δὲ καὶ Βίων ἔλεγεν κτέ. (sequitur lepidissimum exemplum quod a procis Penelopae sumsit Bion, urbanissimus ille et lenissimus quotquot fuerunt philosophorum).

Hic post χρήσιμον lacunae signa ponit editor. Cur? quid, obsecro, deest vel addi possit? Si ullo laborat vitio locus, abundat ὥσπερ γάρ, sed hoc quoque in hac ferendum censeo disputatiuncula.

Digitized by Google

VII E Hic quoque lacunae signum tollendum censeo:

δεῖ θεοὺς μὲν σέβεσθαι, γονέας δὲ τιμᾶν, πρεσβυτέρους αἰδεῖσθαι, νόμοις πειθαρχεῖν, ἄρχουσίν ὑπείκειν

non enim video quid post πειθαρχεῖν inseri possit quin iusta perturbetur enumeratio.

VII F. Tam dolorem quam gaudium moderatum esse oportet

ἅπερ ἐγὼ πάντων τῶν ἐκ Φιλοσοφίας περιγιγνομένων ἀγαθῶν πρεσβύτατα κρίνω.

Iam in Mnem. 1908, 215 παραγιγνομένων legendum esse dixi. Non enim agitur de *residuo* aliquo *lucro*, sed de praecipuis quae philosophia affert bonis.

VIII A Perfectos ego homines duco

τοὺς δυναμένους τὴν πολιτικὴν δύναμιν μῖξαι καὶ κεράσαι τῇ Φιλοσοφίᾳ, καὶ δυεῖν ὄντοιν μεγίστοιν ἀγαθοῖν ἐπηβόλους ὑπάρχειν ὑπολαμβάνω, τοῦ τε κοινωφελοῦς βίου πολιτευομένους, τοῦ τ' ἀκύμονος καὶ γαληνοῦ, διατρίβοντας περὶ Φιλοσοφίαν.

Quomodo haec essent in integrum restituenda dixi Mnem. 1909, 76. Primum pro ὄντοιν legendum est τοῖν, deinde, quae nunc vehementer et structuram et sententiam perturbant, abiicienda verbum ὑπολαμβάνω et virgula post γαληνοῦ. Nunc ordine procedunt omnia: „perfectos homines duco qui possunt civilem artem miscere philosophiae et (sic) duorum summorum bonorum fieri participes: vitae civibus utilis rempublicam capessendo, vitae quietae placidaeque philosophando."

ib. τριῶν γὰρ ὄντων βίων ὧν ὁ μέν ἐστι πρακτικὸς ὁ δὲ θεωρητικὸς ὁ δ' ἀπολαυστικός, ὁ μὲν ἔκλυτος καὶ δοῦλος τῶν ἡδονῶν ζῳώδης καὶ μικροπρεπής ἐστιν.

Mirum ni vita dissoluta et voluptatibus obnoxia turpis et feris animalibus digna sit! Sed quorsum id hic infertur? Verum post ἡδονῶν insere ὧν, ipsam scriptoris manum restitueris. Inverso enim ordine quid de singulis illis vitis censeat *et quare* censeat exponit: „ultima vita homine est indigna utpote quae dissoluta sit et voluptatibus dedita." Tum eodem modo de prioribus iudicium pronuntiat:

ὁ δὲ θεωρητικός, τοῦ πρακτικοῦ διαμαρτάνων, ἀνωφελής, ὁ δὲ πρακτικός, ἀμοιρήσας Φιλοσοφίας, ἄμουσος καὶ πλημμελής.

VIII B οὕτω Δίων ὁ Συρακόσιος, οὕτως Ἐπαμεινώνδας ὁ Θηβαῖος, ὧν ἑκάτερος Πλάτωνος ἐγένετο συνουσιαστής.

Digitized by Google

Cuius sit coniectura ἄτερος, quam editor in textum recepit, nescio; falso eam Wyttenbachio adscribit. Huic enim non visum est incredibile nullo auctore puerum nostrum e Lysidis discipulo Platonis discipulum fecisse. Nec mihi.

VIII B Oportet etiam vetustorum librorum collectiones facere

κατὰ τὸ γεωργῶδες. τὸν αὐτὸν γὰρ τρόπον ὄργανον τῆς παιδείας ἡ χρῆσις τῶν βιβλίων ἐστί.

Aeque absurde atque II B hic istud τὸν αὐτὸν τρόπον infertur. Hoc voluit noster: „agricola sua sibi instrumenta habet, doctrinae instrumenta sunt libri". Tum haec addit:

καὶ ἀπὸ πηγῆς τὴν ἐπιστήμην τηρεῖν συμβέβηκεν.

De quibus emendandis Wyttenbachius desperat. Editoris coniectura ταύτης pro πηγῆς nihil proficimus. Immo quo magis locum aspicio eo certius balbutientis pueruli vocem agnosco. Hoc enim vult: qui vetustos collegit libros non solum, ut agricola agriculturae instrumenta, eruditionis instrumenta parata habet, sed etiam eruditionem ipsam eamque ex ipsis haustam fontibus.

VIII D ἰσχνὸς δὲ στρατιώτης πολεμικῶν ἀγώνων ἐθὰς ἀθλητῶν καὶ πολεμίων φάλαγγας διωθεῖ.

Editor καί transponit ante ἀθλητῶν, inutiliter, ut opinor. Una litura delenda est. Demonstrare enim noster studet bellicas exercitationes multo praestare gymnasticis: bellicis exercitationibus assuetus miles aciem hostium in palaestra excultorum perrumpet. Quam inepte ille ἰσχνός hic dicatur docebit Wyttenbachius Platonis loco allato.

VIII E Hic adversarium inducit sic suam interpellantem disputationem: o bone, de liberorum educatione te disputaturum pollicitus

ἔπειτα φαίνῃ τῆς μὲν τῶν πενήτων καὶ δημοτικῶν παραμελῶν ἀγωγῆς, μόνοις δὲ τοῖς πλουσίοις ὁμονοεῖς τὰς ὑποθήκας διδόναι.

Contra syntaxin editor hic ἐμμελεῖς coniicit, nam sic simul pro διδόναι requireretur διδούς.

Equidem ὁμολογεῖς legendum censeo: „ipse hoc vel invitus fateris tota tua disputatione quae tantummodo ad opulentos pertinet". Hoc noster utcunque dicentem facit adversarium istum.

VIII F Oportet pueros ad virtutem ducere

παραινέσεσι καὶ λόγοις μὴ μὰ Δία πληγαῖς μηδ' αἰκισμοῖς.

Digitized by Google

Ioculare vitium. Quis sic admonitiones et verba inter se opponit? Quasi vero non *verbis* admoneamus!

Legendum esse *ψόγοις* iam dixi Mnem. 1909, 161.

IX B *Ἤδη δέ τινας ἐγὼ εἶδον πατέρας οἷς τὸ λίαν φιλεῖν τοῦ μὴ φιλεῖν αἴτιον κατέστη. τί οὖν ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν ἵνα τῷ παραδείγματι φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον;*

Primum, ne quis putet apud nostrum *παράδειγμα* aliud quid significare quam apud ceteros mortales omnes (quid enim de eo suspicari nefas?) aspiciamus locum qui est X B. Ante omnia haec adolescentem meditari oportere dicit *τὸ τὸν βίον ἀτύφωτον ἀσκεῖν, τὸ τὴν γλῶτταν κατέχειν, τὸ τῆς ὀργῆς ὑπεράνω γίγνεσθαι, τὸ τῶν χειρῶν κρατεῖν*, atque sic pergit: *τούτων ἕκαστον ἡλίκον ἐστὶ σκεπτέον· ἔσται δ' ἐπὶ παραδειγμάτων γνωριμώτερα.* Postremo inverso ordine *exempla* dat hominum qui ea praecepta aut fideliter observarunt aut non observatis graves dederunt poenas: Gylippus in peculatu deprehensus in exsilium est missus; Socrates noluit in ius vocare petulantem adolescentem a quo calce erat petitus ne similis esset eius qui asino calcitranti et ipse calcem impingeret, atque aequo animo Aristophanis tulit iocos; Archytas et Plato, quia se iratos esse sentiebant, ipsi poenas sumere nolebant; Sotades et Theocritus a tyrannis, quibus maledixerant, gravissimis sunt poenis affecti. In transitu, ut appareat e quo genere hic scriptor sit, moneo eum ultima haec exempla hisce praemissis afferre: *τὸ τοίνυν τῆς γλώττης κρατεῖν (περὶ τούτου γὰρ εἰπεῖν λοιπόν)*. At, o bone, etiam superest dicere *περὶ τοῦ τὸν βίον ἀτύφωτον ἀσκεῖν*. Nonne meministi? An non te pudet libellum tam negligenter scriptum tradere magistro? Esto: apud eum *παραδείγματα* sunt *exempla*, quae possint secum trahere vel deterrere legentes. At nullum affert exemplum hominis qui nimio amore verum amorem pessumdedit. Accedit quod vel sic ineptissime articulus *τῷ* additur. Opinor nunc satis manifestum esse mendo laborare locum et pro *ἵνα τῷ* legendum esse aut *ἵνα μή* aut *ἤ* („an exemplo rem illustrem?" Talibus interrogationibus delectatur rhetoris hic discipulus).

IX D *αὐτοὶ ... οὔτ' αὐτόπται γίγνονται.* Hoc est Graece scribere!

X A *οὐ γὰρ τὸ νικᾶν μόνον ἀλλὰ καὶ τὸ ἡττᾶσθαι ἐπίστασθαι καλὸν ἐν οἷς τὸ νικᾶν βλαβερόν, ἔστι γὰρ ὡς ἀληθῶς καὶ νίκη*

Digitized by Google

Καδμεία. Sic ne noster quidem potuit scribere. Quis enim dubitat quin sit (fuerit) quaedam victoria Cadmea? Leni transpositione sanum sensum restitui Mnem. 1909, 66: ἔστι γὰρ ἐν οἷς τὸ νικᾶν βλαβερὸν ὡς ἀληθῶς καὶ νίκη Καδμεία.

X C Nullus liber tam ineptus est quin suos sibi sciolos sit nactus qui suis annotationibus eum aliquanto ineptiorem facerent. Velut hic post decantatam illam sed tamen lepidissimam narratiunculam de Socrate, qui adversarium suum cum asino calcitrante comparavit, haec legimus absurdissima:

οὐ μὴν ἐκεῖνός γε παντελῶς(!) κατεπροίξατο, πάντων δ' αὐτὸν ὀνειδιζόντων καὶ λακτίστην ἀποκαλούντων ἀπήγξατο. Quae etiamsi minus inficeta essent, tamen huc haudquaquam quadrarent.

X E περὶ τούτου γάρ, ὥσπερ ὑπεθέμην, εἰπεῖν λοιπόν. Immo ὥνπερ: hoc reliquum ex iis rebus de quibus dicere in animo habui.

X F ἐπὶ τὴν τῶν ἀνθρωπίνων μυστηρίων πίστιν τὸν ἀπὸ τῶν θεῶν μεταφέρωμεν φόβον.

Dixi in Mnemosyne 1908, 395 θείων esse legendum, neque nunc verbum addo.

XI B Theocritus haud impune tulit quod maledixerat Antigono regi:

τὸν γὰρ ἀρχιμάγειρον Εὐτροπίωνα γεγενημένον ἐν τάξει πέμψας παραγενέσθαι πρὸς αὐτὸν ἠξίου (Antigonus) καὶ λόγον δοῦναι καὶ λαβεῖν.

Hiatibus vitandis puerulus noster dat operam, sed quam inepte! Etenim illud πρὸς αὐτόν iungendum est cum πέμψας.

XII B Inter gravia adultorum peccata commemorantur etiam γυναικῶν οἰκοφθορίαι γαμετῶν. Vide mihi quomodo ipsum sermonem patrium ludibrio habeat noster. Non facile alibi sic οἰκοφθορίαι positum videbis. Quemadmodum enim e proxime praecedenti παρθένων ἔρωτες apparet nihil aliud vult quam hoc: „nuptae corumpuntur, ad adulterium aguntur".

XII E Praeceptum Pythagoricum μὴ Φορεῖν στενὸν δακτύλιον sic explicat: ὅτι δεῖ τὸν βίον ἐπιτηδεύειν καὶ μὴ δεῖν δεσμῷ προσάπτειν. Locus conclamatus, cui nihil profuit editoris coniectura ὡς μὴ δεῖν αὐτόν. Non enim ea verba traditis magis perspicua.

XIII A Pessimum mortalium genus sunt adulatores; miseros

Digitized by Google

enim et patres reddunt et filios τῶν μὲν τὸ γῆρας ἐπίλυπον τῶν δὲ τὴν νεότητα ποιοῦντες, τῶν δὲ συμβουλευμάτων δέλεαρ ἀφύλακτον προτείνοντες τὴν ἡδονήν. Secundum τῶν δέ oscitanti debetur librario. Rescribe ἀντί (Mnem. 1909, 161).

XIII B Adulatores et aliis criminibus notantur et hoc ut dicantur καὶ ψυχῆς ὑποβολιμαῖα καὶ νόθα μέρη βίου. Isto ψυχῆς quid faciam nescio. In καὶ ψυχῆς latere suspicor genitivum alicuius adiectivi. Nihil proficimus Wyttenbachii lectione τύχης vel editoris ψευδῆ καί.

XIII C Notetur adiectivum ἀνθρώπινος sensu humani, lenis, clementis positum.

AD CIC. VERR. II, § 84.

Ad verba in or. p. Cluent. § 83 „cum in consilium *iretur* ... cum in consilium *mittebant*" Faussetus docte et acute exponit quando *cum* habeat imperfecti vel plq.perfecti indicativum, sed prudentissime addit: „but a large residuum of instances remains unexplained." Ita est, et omnino in subiunctivi vel indicativi usu nonnumquam Cicero legem spernit, aures solas consulit. Insigne exemplum hic locus praebet: „ferebat Sthenius ut poterat; angebatur animi necessario quod domum *eius* exornatam et instructam fere iam iste *reddiderat* nudam atque inanem"

ubi „syntactica" lex haud dubie *suam* et *reddidisset* flagitabat.

J. J. H.

Digitized by Google

AD SEXTI AURELII VICTORIS LIBRUM DE CAESARIBUS CETEROSQUE LIBROS SUB EIUS NOMINE TRADITOS.

SCRIPSIT

W. A. BAEHRENS.

Ed. Franciscus Pichlmayr in Aed. B. G. Teubneri MCMXI.

Ad opusculum quod inscribitur 'Origo Gentis Romanae' haec sunt animadvertenda:

c. 16. 3 (p. 17. 6 sq.): *Tum Ascanius iureiurando se purgans, cum nihil apud eos proficeret, petita dilatione ⟨ad⟩ inquirendum, iram praesentem vulgi aliquantulum fregit.* Ita legimus in nova editione Pichlmayri; attamen iam satis constat gerundivum vel gerundium finali usu usurpatum praepositione facile carere posse (de gerundivo cf. imprimis Löfstedt Spätlat. Stud. p. 86, Elss Unters. über den Stil und die Sprache des Venantius Fortun. Heidelberg. Diss. 1907 p. 45, Stangl Pseudoasc. p. 151, Schmalz[4] p. 447). Exempla gerundii hoc modo adhibiti aliquanto rariora sunt; nostrum autem locum satis tuentur loci quales sunt Paulin. Med. vit. Ambr. 37: *cum ... intercedendum perrexisset*; Ael. Donat. I p. 488. 17 W.: *adductus est conandum*, II p. 397. 22: *deliberandum quod ago*; Marcell. Empir. p. 309. 2 H.: *bibendum dabis* (cf. etiam p. 257. 29). Quos locos iam antea defendi (cf. Mnemos. XXXVIII p. 403); de primis exemplis obviis in Philolgi S. B. XII 2 iam sub prelo versante agam.

In eodem capite (p. 17. 15) legimus haec: *At vero alii tradunt quod, cum Ascanius ab universo populo ad restituendam Laviniam*

Digitized by Google

cogeretur ..., *Tyrrhum petito silentio ... professum indicium, si sibi ... fides incolumitatis daretur. quod* delet Pichlmayr Seppio praeeunte; neque tamen recte deletur. In posteriore enim Latinitate saepissime coniunctionem *quod* (*quia, quoniam*) verbis sentiendi et declarandi esse adiunctam omnes scimus (cf. Schmalz[4] p. 540); duabus igitur constructionibus uti tunc licebat; quo factum est ut uno tempore ambae interdum adhiberentur (cf. Bonnet le Latin de Grég. d. T. p. 668, Archiv f. Lat. Lex. II 63, III 50, Vict. Vit. III 14, Dombart ad August. Civ. Dei XXII 28, Schmalz[4] p. 541). Multum interest iam apud Cyprianum — teste Hartelio in indice editionis — idem inveniri; qua enim re noster locus iam satis defenditur. — Cognatus locus in Hist. Aug. II p. 26. 20 Peter exstat: *de quo nos nihil habemus amplius quod dicere*, ubi pessime Peter *quod* delet. Licebat dicere aut: *nihil habemus amplius quod dicamus*, aut: *nihil habemus amplius dicere*; hoc quoque loco mira quadam mixtione constructio psychologica ratione explicanda exorta est.

c. 23. 1 (p. 22. 5 sq): *Cum ... Romulusque locum ... in monte Palatino designaret Romamque appellari vellet, contraque item Remus in alio colle ... eundemque locum ex suo nomine Remuriam appellaret neque ea inter eos finiretur contentio;* cur hoc modo cum Scholtio ediderit Pichlmayr, equidem non intellego. Nam ex eo quod traditum est: *appellarit*, nihil est cur audaci coniectura *appellari vellet* efficiamus; medela lenissima *appellaret* corrigendum esse docent verba sequentia: *Remus ... appellaret*; ut Remus, ita imprimis Romulus ex suo nomine urbem appellabat eo tempore, quo inter fratres erat contentio.

Ad librum qui 'de Viris Illustribus' inscribitur, haec adnotare velim:

c. 9. 1 (p. 32. 23): *Regias nurus in convivio et luxu deprehendunt*; ita perperam edidit Pichlmayr pro traditis: *vel luxu* (in altera codicum stirpe *vel lusu* exstat); Wyga quoque in editione sua Groningae a. MDCCCXC in lucem emissa *et lusu* scribens erravit. Quisquis scriptoribus posterioris Latinitatis operam dedit, *vel* (*aut, sive, ve*) pro *et* persaepe a compluribus auctoribus usurpatum esse non nescit. Neque tamen intra fines posterioris Latinitatis cohibemur. Ut saepius proprietates posteriorum temporum iam in prisca Latinitate inveniri nos docet

Digitized by Google

cognitio accurata, ita apud Terentium eundem usum vocabuli *vel* pro *et* positi (cf. Heaut. 56) inveneram: eundem locum addito Plauti Amph. 444 laudat Löfstedt in praeclaro suo commentario: Philologische Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae Uppsala 1911 p. 198 sqq. [1]). — Ne in aurea quidem quam vocamus aetate usus prorsus evanuit, cf. Schmalz[4] p. 502.

c. 24 (p. 40. 22 sqq.): *regni affectati* ⟨*suspectus*⟩ *in carcerem coniectus populi consensu liberatus est* (*sc. Manlius*). Premo hoc loco nil esse addendum; ut dicimus: *damnare aliquem regni affectati*, ita hoc loco analogia quadam minime audaci genetivus adiungitur illi verbo, quod poenam, quae sequitur damnationem, exprimit. — Haec quoque explicatio fortasse nonnihil valet: ut in lingua Graeca (cf. tab. Gortyn.), ita in lingua Latina et Osca verbis iudicialibus genetivum liberius adiunctum invenimus; minime (ut explicant adhuc nonnulli) in enuntiationibus quales sunt: *proditionis accuso*, *vanitatis damno* vocabulum *nomine* antiquis temporibus subaudiebatur, immo obloquuntur exempla haecce: gort. *ὀμόσαι τῶ πεντηκοντασταθήρω*, osc. *manim aserum eizazunc egmazum*, lat. *ego te manum iniciam quadrupuli*; optime fortasse hic genitivus pro gen. caus. explicetur: functionem ablativi genitivus hisce locis usurpat. Hic liberior genitivi usus nostro quoque loco exstat.

c. 71. 2 (p. 64. 13 sqq.): *Pacem a Popilio maluit integer petere quam victus* (sc. Viriathus) † *et cum alia dedisset et arma retinerentur, bellum renovavit.* Ita traditum est in altera codicum stirpe B (in A omnia sunt corrupta); quae omnia viri docti invenerunt, facile in adnotatione critica legas: una vera lectio est illa, quam iam Keilius proposuit; *sed cum alia* (= *cetera*) *dedisset et arma retinerentur, bellum renovavit*: mala haplographia *sed* in *et* corruptum est; subiectum verbi *renovandi* Popilium esse facillime apparet.

Ad librum de Caesaribus c. 3. 3 (p. 79. 6 sqq.): *Quorum modestia atque immaturo ... interitu vulgus ... permovebantur.* Male cum Schottio Pichlmayr *permovebatur* scripsit. Locum iam Mnemos. l.l. p. 420 defendi: ubi ad constructionem, quae vocatur ad synesim, post *vulgus* defendendam Cass. Hemina fr. 11, Apul.

1) Löfstedtio Ter. Ad. 55 sq. *aut* pro *et* accipienti minime adstipulor.

Digitized by Google

Met. IV 2 p. 76. 2 H. laudavi. Sed aliud quoque exemplum cognatum idem auctor praebet: c. 33. 33 (p. 112. 14): *et patres quidem praeter commune Romani malum orbis stimulabant proprii ordinis contumelia,* ubi minime singularem numerum *stimulabat* esse corrigendum satis docet locus nunc demum a me in lucem protractus: Pompon. Mela Chorogr. III 5. 45 (p. 65, 26 sqq. Frick): *sed praeter physicos Homerumque universum orbem mari circumfusum esse dixerunt Cornelius Nepos ut recentior, auctoritate sic certior.* Utroque loco verbum in media enuntiatione positum est, quo in fine (vel initio) collocato minus durior orta esset constructio!

Quae omnia cum ita sint, equidem non dubito, quin c. 41. 17 (p. 126, 13 sqq.): *quod sane populus Romanus aegerrime tulit, quippe cuius armis legibus clementi imperio quasi novatam urbem Romam arbitrarentur* recte in o (Oxoniensi) traditum sit, (in p, Bruxellensi, singularis: *arbitraretur* exstat); hic illic in eadem enuntiatione singularis et pluralis formae variantur, saepius ita, ut in sententia relativa vel enuntiatione liberius adiuncta — ut nostro loco — pluralis forma usurpata sit; e multis exemplis affero Iustin. XIV 4. 16: *sequitur exercitus prodito imperatore suo et ipse captivus, triumphumque de se ipso ad victoris castra ducit, omnia auspicia regis Alexandri et tot bellorum palmas laureasque una secum victori tradentes* (male Rühl *tradens* cum Giunta); cf. XXXIII 2. 8: *Aetolorum universarum urbium senatus cum coniugibus et liberis, quia dubia fide fuerant, Romam missus; (fuerat* Rühl). — Sed quaerat quis num aliis quoque locis solus o verum servaverit, in p contra interpolaverit librarius. De qua re ego non dubito. Eisdem enim manuscriptis etiam Origo Gentis Romanae ad nos pervenit; c. 6. 3 legimus haec: *scrutatisque omnibus eiuscemodi latebris;* sed illud *eiusmodi* non habet, quo referatur; suo igitur iure E. Baehrens *cuiusque modi* proposuit; ego puto lectionem cod. Oxon.: *huiuscemodi* corruptelam esse illius (librario codicis Oxon. incogniti) vocabuli, quod Vlietius noster primus in lucem protraxit: *cuiuscemodi,* cf. Archiv f. Lat. Lex. X 386, Neue-Wag.[3] p. 453. — Certiora exempla exhibent alii duo loci: c. 12. 4, ubi in o: *ibique cum lavisset* traditum est, Pichlmayr cum p: *ibique cum se lavisset* scripsit. Attamen verbum *lavandi* ut in prisca ita in posteriore Latinitate non semel intransitive vi reflexiva usurpatum esse

Digitized by Google

iam diu constat (cf. Wölfflin Arch. f. Lat. Lex. X 1—10); hanc proprietatem errore quodam librarii in cod Oxon. irrepsisse vix credam, immo librarius cod. Bruxellensis usu sibi incognito offensus*se* interpolavit. Eadem ratione iudicandum est de verbis, quae c. 19. 2 (p. 19. 11) exstant: *optionem dedit, ut ex his, utrum vellet, eligeret.* Ita recte in o legitur, nam vocabulum *mallet* (ita p, Pichlmayr) esse interpolationem unicuique nostrum satis perspicuum esse credo.

Sed ad 'librum de Caesaribus' redeamus. c. 16, 10 (p. 95, 12), ubi sermo est de M. Aurelio Antonino a philosophorum turba rogato ne proelio se committeret antequam *sectarum ardua ac perocculta explanavisset,* legimus haec: *ita † incerta belli in eius salute doctrinae studiis metuebantur*: verba corrupta a compluribus viris doctis frustra temptata; hinc exeundum est, quod vocabulum *in,* quod in Brux. deest, in Oxon. dittographia exortum est; unde facile ad hanc lectionem perveni: *ita incerta belli eius saluti doctrinae studi⟨os⟩is metuebantur.* (graviter interpungo, contra ante *ita* leviter, quod haec verba cum antecedentibus magis cohaerent). Si quis ⟨*a*⟩ *doctrinae studiosis* requirat, addat illam praepositionem; moneo autem praesertim in posteriore Latinitate dativum quem vocamus Graecum praesenti quoque tempori formae passivae crebro adiunctum esse.

c. 42, 19 (p. 129, 1 sqq.): *quod adeo praestat, ut Tiberius Galeriusque subiecti aliis egregia pleraque, suo autem ductu atque auspicio minus paria experti sint.* Pro *sint* in codd. *sunt* legitur; quod ut defendam, refero ad Schmalz[4] p. 571 (ipse de hac quoque re in opere laudato fusius disputabo), ubi exempla indicativi post *ut* consecutivum adhibiti enumerantur. Hoc premendum est indicativum praesertim tunc usurpatum esse, cum in enuntiatione principali *adeo* additum esset. Neque id mirum. Nam illud *adeo* iam satis ostendebat coniunctioni *ut,* quae sequebatur, vim consecutivam inesse, neque igitur coniunctivus neglectus valde desiderabatur! Hac observatione locus noster aptissime defenditur!

Ad Epitomen de Caesaribus c. 5. 5 (p. 140, 3): *Matrem etiam stupro contaminavit, quamque postmodum interemit*; *quam* scripsit Pichlmayr. Recte tamen tradita se habent; saepius enim in posteriore Latinitate *quique* pro *qui* legitur (cf. Bonnet le Latin

Digitized by Google

de Grégoir d. T. p. 302, Mnemos. XXXVIII p. 417); qui usus analogia exortus est: ut pronomini demonstrativo ita per analogiam pronomini relativo *que* adiungebatur. Qui est nostrum quin interdum minus accurate dicat talia: hem vertrouw ik zeer en wien ik al mijn geheimen zou meedeelen, zoo hij aanwezig was? Per mixtionem quoque constructionum usum explicare licet. Dicendum erat aut: *matrem ... quam postmodum interemit* aut: *matrem ... eamque postmodum interemit*, e quibus constructionibus mixtis *quamque* exortum est. Talia in litteras quoque Romanas irrepsisse ostendunt multa exempla locis laudatis congesta.

c. 5. 7 (p. 140, 10): *desertus undique noctis medio egressus urbe*; ita edidit Pichlmayr. Sed in omnibus fere codicibus *urbem* rectissime legitur; nam saepissime verba *exire, egredi, excedere* non cum ablativo, sed cum accusativo coniunguntur, qua de re cf. C. F. W. Müller Akkus. p. 135, qui tamen minus recte iudicat exempla apud Livium non exstare, ubicumque in codd. Livii talia exstant exempla, corrigendum esse, cf. tamen I 29. 6: *egressis urbem Albanis*, III 57. 10: *priusquam urbem egrederentur*, XXII 55. 8: *egredi urbem*, XXXII 25. 7: *qui excedere urbem iuberet*; eodem modo post *excedere* acc. exstat II 37. 8, XXIV 3. 15, 20. 10, XXXIV 28. 12; Zingerle quoque ubique mutavit (quanto rectius de hac re iudicabat Drakenborghius ad II 37. 8 et XXIX 6. 4!). — Concedendum quidem est Muellero Velleium, Curtium, Suetonium aliosque verbo *egrediendi* translate usurpato accusativum adiunxisse, ita ut *fortunam egredi*, contra *urbe egredi* diceretur; sed idem vir doctus apud Valerium Maximum promiscue usum exhiberi ipse nos docet. Atque hunc usum promiscuum minime esse proprietatem a Valerio primum adhibitam probat illud Terentianum *exire limen* (cf. etiam Lucr. V 1330: *exibant dentis adactus*, VI 1217 *ut acrem exiret odorem*); quoquo igitur modo adhibitis accusativum illis *exeundi, egrediendi, excedendi* [1]) verbis adiungebant prisci Romani secundum linguae

1) Verba quidem *egrediendi* et *excedendi* nusquam in prisca latinitate ita usurpata invenimus: quod tamen invidae, quae tam pauca nobis servavit, Fortunae tribuendum est. Sed id, quod de verbo *exeundi* constat, sine dubio de verbis *egrediendi* et *excedendi* maxime congruentibus statuere licet.

Digitized by Google

latinae indolem: quod idem apud Livium nostroque loco exstare concedendum est.

c. 12. 7 (p. 147, 19 sqq.): *Sed milites neglecto principe requisitos Petronium uno ictu, Parthenium vero demptis prius genitalibus et in os coniectis iugulavere † redempto magnis sumptibus Casperio.* Locus ita traditus prorsus repugnat iis quae Xiphilinus LXVIII 3. 3 III p. 189. 3 Boiss. docet: Αἰλιανὸς δὲ ὁ Κασπέριος ... τοὺς στρατιώτας ἐστασίασε κατ' αὐτοῦ, παρασκευάσας ἐξαιτῆσαί τινας (sc. interfectores Domitiani) ὥστε θανατωθῆναι (de illa seditione cf. etiam Suet. Dom. c. 23, Plin. Paneg. c. 6); idem Casperius in nostro quoque opusculo grave quoddam commisit scelus (cf. verba quae sequuntur: *qui* (sc. *Casperius*) *scelere tam truci insolentior sqq.*). Verba igitur antecedentia contrarium indicantia graviter corrupta sunt; id imprimis monendum est in duabus e quattuor codicum familiis *Casperi* (= *Casperii*) legi, quam formam minime intellectam in ceterorum codicum archetypo in *Casperio* depravatam suspicor: iam iam videmus secundum epitomatorem milites a Casperio magna pecunia ad Domitiani interfectores necandos esse adductos. Vocabulum igitur *redempto* gravissima laborat corruptela; quod ab hoc loco alienissimum mea quidem sententia nil aliud est nisi vocabulorum antecedentium: *dempto* et *iugalavere* dittographia. In supplendo igitur verbo liberius grassari licet; e. g. *corrupti* propono. Eandem militum corruptionem Dionem narrasse e vocabulo παρασκευάσας a Xiphilino tradito efficiat quis.

c. 41. 2 (p. 166, 5 sqq.): *atque ad frustrandos insequentes publica iumenta, quaqua iter egerat, interfecit et ad patrem in Britanniam* [*situm*] *pervenit. situm* equidem delere nolim, quomodo enim in textum irrepsit? Praestat, credo, *cito* (quam saepe *o* et *ū* in codd. inter se mutantur!) legere; deest quidem vocabulum in libro de Caes. 40. 2, 3 (qui locus nostro auctori exemplo fuit), sed ut vocabula *ad patrem* ipse epitomator addidit, ita in adverbio addendo liberius fortasse operatus est.

Haec habebam, quae animadverterem de editione ceteroquin omnibus partibus laudabili. Tandem nobis contigit ut uno fasciculo quattuor illa opuscula sub nomine Aurelii Victoris tradita ederentur.

Digitized by Google

Ex Hyacinthi sanguine apud Ovidium in Met. X. 212/3

> flos oritur formamque capit quam lilia, si non
> purpureus color his, argenteus esset in illis.

Apparet poetae animum ab uno et certo flore delatum esse ad genus, nam *his* est *huic generi*.

Notum est „caput" illud „acris equi" secundum Vergilium, „bellatoris equi" secundum Silium, quod caput Poeni urbis condendae locum quaerentes effoderunt. Aut nullum tunc aut certi cuiusdam equi caput inventum esse constat; qui equus utrum acer fuisset et bellator necne, ex capite invento effici non potuit. Sed hic quoque ab uno et certo mens deflexit ad genus, et „caput acris equi" est „caput equi cuiusdam, qui equus fuit unus de illo genere animalium, quod propter acre ingenium est insigne"; verbo: „caput acris equi" est „caput equi, *quod genus* est acre" [1]).

Similiter Vergilius aberravisse videtur in Ae. VIII. 97/100:

> Sol medium caeli conscenderat igneus orbem,
> cum muros arcemque procul ac rara domorum
> tecta vident; quae nunc Romana potentia caelo
> aequavit; tum res inopes Euandrus habebat.

Sane, pronomen relativum non pertinet ad eos muros eave tecta quae Aeneas eiusque comites viderunt; neque enim illa „Romana potentia caelo aequavit". Sed sic breviter scripsit poeta, cum cogitavit haec: „quae tecta et muri fuerunt de illo genere rerum, in quo sunt etiam haec quae nunc Romana potentia caelo aequavit"; hoc est: scripsit *quae*, in mente nunc quoque habuit *quod genus*.

Eodem huc referendus est locus quidam in Xenophontis Anabasi, ubi leguntur haec (IV. 5. 35): *ἵππον, ὃν εἰλήφει, παλαίτερον δίδωσι τῷ κωμάρχῳ ἀναθρέψαντι καταθῦσαι, ὅτι ἤκουεν αὐτὸν ἱερὸν εἶναι τοῦ ἡλίου*. Hic Krügerus non *ἱερόν* scribendum putavit, sed aut *ἱερέα* aut *αὐτοὺς ἱερούς*. Sed ipsum illud generale, quod desideravit Krügerus, Xenophontem significasse arbitror singulari *αὐτόν*.

In contrarium autem abiit Plutarchus, cum in Artaxerxis Vitae c. XIX scripsit: *Γίνεται δὲ μικρὸν ἐν Πέρσαις ὀρνίθιον ... ὅλον διάπλεων πιμελῆς τὰ ἐντός· ... ὀνομάζεται δὲ ῥυντάκης. Τοῦτό φησιν ὁ Κτησίας ... τὴν Παρύσατιν διαιροῦσαν ἐκμάξαι τῷ ἑτέρῳ μέρει τὸ φάρμακον.*

ALBS. POUTSMA.

---

1) Cf. Hom. *ν* 436: *ἀμφὶ δέ μιν μέγα δέρμα ταχείης 'τέσσ' ἐλάφοιο* et universum hunc usum appositorum, quae ita dicuntur, constantium.

Digitized by Google

AD SCRIPTORES HISTORIAE AUGUSTAE.

(*Continuantur e Vol. XXXIX pag.* 241).

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Scriptores Historiae Augustae iterum recensuit H. Peter. Volumen prius. Lipsiae MDCCCLXXXIIII.

AEL. SPARTIANI HADRIANUS 10. 1 *Post haec profectus in Gallias omnes casuariis liberalitatibus sublevavit.*

Pro corrupto vocabulo *casuariis* Peterus cum Egnatio edidit: *causarios*, at non dubito quin veram lectionem Robertus Bonon. restituerit: *omnes civitates variis liberalitatibus*. Compendium scilicet, quod ad voc. *civitates* significandum positum erat, cum adiectivo *variis* in unum vocabulum coaluisse videtur. Ut Roberti emendationem unice veram esse crederem, hi loci me adduxerunt:

§ 6 supra: Campaniam petit eiusque omnia oppida beneficiis et largitionibus sublevavit.

Severus 9. 7: multas etiam civitates eiusdem partis iniuriis affecit et damnis.

ibid. 23. 1: Sunt per plurimas civitates opera eius insignia.

Anton. Caracallus 5. 1: His gestis Galliam petit — et cum multa contra homines et contra iura civitatum fecisset, morbo inplicitus graviter laboravit.

Gordiani 4. 6: Cordus dicit in omnibus civitatibus Campaniae, Etruriae, Umbriae, Flaminiae, Piceni de proprio illum per quadriduum ludos scaenicos et iuvenalia edidisse.

Digitized by Google

Probus 13. 5: His gestis cum ingenti exercitu Gallias petit — tanta autem illic proelia et tam feliciter gessit, ut a barbaris sexaginta per Gallias nobilissimas reciperet civitates.

11. 7 *et hoc quidem vitiosissimum putant atque huic adiungunt, quae de adultorum amore ac nuptarum adulteriis, quibus Hadrianus laborasse dicitur, adserunt, iungentes quod ne amicis quidem servaverit fidem.*

Corrige *et hoc quidem quidam v. p.* Pronomen *quidam* nimirum propter praecedentis vocabuli similitudinem a librario omissum est.

12. 6 *Per ea tempora et alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in modum muralis saepis funditus iactis atque conexis barbaros separavit.*

Prorsus inepte et absurde scriptum est, stipites illos magnos ibi iactos esse, ut etiam adverbium *funditus* demonstrat; reponendum est *actos.*

13. 10 *et circumiens quidem provincias procuratores et praesides pro factis supplicio adfecit, ita severe ut accusatores per se crederetur inmittere.*

Immo, opinor, *prae se.*

14. 2 *moverunt ea tempestate et Iudaei bellum, quod vetabantur mutilare genitalia. sed in monte Casio, cum videndi solis ortus gratia nocte ascendisset, imbre orto fulmen decidens hostiam et victimarium sacrificanti adflavit.*

Cum de alio quodam bello sermo nullus fuerit ita ut copula *et* ante *Iudaei* abundare nunc quidem videatur, neque sit quo coniunctio adversativa *sed* respiciat, enuntiata male separata sic rursus copulanda sunt: *moverunt ea tempestate et Iudaei bellum, quod vetabantur mutilare genitalia, et in monte Casio — adflavit.*

15. 2 *idem tamen facile de amicis, quidquid insusurrabatur, audivit atque ideo prope cunctos vel amicissimos vel eos, quos summis honoribus evexit, postea ut hostium loco habuit.*

Sana ratio postulat ut illud *vel* ante *amicissimos* deleatur.

Digitized by Google

20. 1 *In conloquiis etiam humillimorum civilissimus fuit, detestans eos, qui sibi hanc voluptatem humanitatis quasi servantis fastigium principis inviderent.*

Pro *servantis* quamquam ipse *subruentis* conieceram, loci duo Cornelissenii propositum *quasi non servanti* haud parum commendare postea mihi visi sunt. Sunt autem Anton. Pius 6. 4: imperatorium fastigium ad summam civilitatem deduxit, Anton. Philos. 6. 3: (Marcum) aulico fastigio renitentem ornavit (Pius sc.). At tamen locum sanatum iam esse non credo.

25. 1 *iussam tamen iterum Hadriano eadem dicere atque genua eius osculare recepturam visum, si id fecisset.*

Ista Peterus recensuit recepto vocabulo *visum*, quod in libris mss. deest, sed utrobique addidit manus tertia. At vero non post *recepturam* quidquam praetermissum esse verisimile est, sed post *osculare* propter litterarum similitudinem voc. *oculos* excidisse aio, cum praesertim haec continuo sequantur: quod cum insomnium implesset, oculos recepit.

25. 10 (versus) *tales autem nec multo meliores fecit et Graecos.*

Testantur Iordanus et Eyssenhardtius pro *multo* in libris mss. esse: *multos*, quod quamquam a Petero non confirmatur, utique emendandum est: *tales autem multos nec multo meliores fecit et Graecos.*

Ael. Spartiani Helius 2. 2 *eo prope genere, quo nostris temporibus a vestra clementia Maximianus atque Constantius Caesares dicti sunt quasi quidam principum filii virtute designati augustae maiestatis heredes.*

Pro librorum scriptura, quae est *viri et*, editores Germani Bernhardyi coniecturam *virtute* recipere pergunt, quamquam lectionem veram et genuinam esse *veri et* Cannegieterus iudicibus idoneis pridem persuasit. Cuius emendationis certissimae fidem nescio an loci etiam firment atque augeant qui sunt:

Opil. Macrinus 3. 7: sed ab ipsis Antoninis, qui veri successores Antonini fuerunt, hoc nomen magis quasi proprium retentum est.

Triginta Tyranni 14. 2: ut vere Macriani filius, Macriani etiam frater.

Digitized by Google

Aurelianus 24. 3: amicum verum deorum (ubi libri: *vir* et *virum*!).

ibid. 26. 5: sed credo adiuturos Romanam rem p. veros deos (ubi *veros* Salmasii correctio est pro librorum lectione *vir*!).

Carus et Carinus 2. 2: et, ut a Romulo incipiam, vero patre ac parente rei p.

Denique conferas, quaeso, quae ad Capitolini Max. et Balb. 5. 2 (Mnem. Vol. XXXIX p. 192) a me exposita sunt.

2. 3 *Caesarem vel ab elephanto — doctissimi viri et eruditissimi putant dictum, vel quia mortua matre et ventre caeso sit natus, vel quod cum magnis crinibus sit utero parentis effusus, vel quod oculis caesiis et ultra humanum morem viguerit.*

Particula *et*, quae nunc inter vocc. *caesiis* et *ultra* legitur, inducta ubi erit, locus demum sanam interpretationem admittet.

5. 9 *atque idem Apicii Caelii relata, idem Ovidii libros amorum in lecto semper habuisse, idem Martialem, epigrammaticum poetam, Vergilium suum dixisse.*

Ista quidem Peterus dedit, sed tradita haec sunt:

atque idem ovidii ab aliis relata idem apicii libros amorum

unde temere ac parum probabiliter locum a Petero constitutum esse cuivis patet.

Si et quae supra et quae infra locum nostrum Spartianus narrat inspexeris, § 8 his verbis incipere videbis *iam illa frequentantur a nonnullis, quod* e. q. s. — § 10 autem verbis hisce *iam illa leviora quod* e. q. s. Nonne credibile est, verba *ab aliis relata* in margine archetypi a nescio quo ascripta esse ad locum alterum illustrandum hoc modo: *iam illa* (sc. ab aliis relata, i. e. non ab illis, qui supra in § 8 auctores significantur) *leviora, quod* e. q. s. Ita saltem corruptelae origo explicatur atque Iordano credo, verba *ab aliis relata* et *amorum* uncinis includenda esse: nempe hoc quoque ab interpretatore aliquo ad *Ovidii* (libros) additum et alieno loco postea insertum esse opinor.

Non tamen cum eo facio, ubi post *semper* verbum *fertur* inseruit. Si verbum aliquod excidit, quod mihi quidem dubium non est, verisimilius videtur, post *dixisse* verbum *dicitur* neglectum esse, cf. Severus 22. 5: dixisse ille dicitur ioci causa,

Digitized by Google

Triginta Tyranni 21. 2: ipse denique Valens — dixisse dicitur.

Ceterum verbum aegre desiderari ratio enuntiatorum simillima declarat: § 8 iam illa frequentantur a nonnullis quod — § 9 atque idem dixisse dicitur = § 10 iam illa leviora quod — § 11 idem uxori .... dixisse fertur.

6. 3. *Ter milies perdidimus, quod exercitui populoque dependimus; si quidem satis in caducum parietem incubuimus et qui non ipsam rem publicam, sed nos ipsos sustentare vix possit.*

Pro *satis*, quod nemini umquam scrupulum iniecisse videtur at nihilominus intempestivum est, olim scriptum esse conicio *fatis*. Cf. Claudius 6. 2: ut videantur fata Romana bŏni principis occupatione lentata, Tyranni Triginta 13. 2: sed ad fata aut in bellis quantum unius valet fortitudo? Opilius Macrinus 11. 6: Si talem Graium tetulissent fata poetam.

Capitolini Antoninus Pius 4. 6 *adoptatus est V. kal. Mart. die.*

Iordanus voc. *die* uncinis saepsit, Peterus fortasse *dein* scribendum esse affirmavit, quos iniuria scripturam suspectam habuisse loci ostendunt qui sunt Verus 1. 8: Natus est Lucius Romae in praetura patris sui XVIII kal. Ianuarium die, Commodus Antoninus 2. 4: cum patre imperator est appellatus V kal. Dec. die.

9. 6 *quattuor praeterea leones mansueti sponte se capiendos in Arabia praebuerunt.*

Post complura prodigia commemorata istud ultimum affertur. At rogo quomodo mirum videri potuerit, leones iam mansuetos sponte se capiendos praebuisse atque adiectivum *mansueti* scurrae nescio cui deberi et quantocius expungendum esse arbitror.

Capitolini M. Antoninus Philosophus 8. 13 *cum Marcus horis omnibus rei publicae actibus incubaret patienterque delicias fratris et prope invitus ac volens ferret.*

Displicent coniecturae Casauboni *prope non invitus*, Ungeri *proprie invitus*, Peteri *sed perinvitus ac nolens* atque potius corrigendum esse credo *et prope invitans ac volens.*

Digitized by Google

11. 3 *Italicis civitatibus famis tempore frumentum ex urbe donavit omnique frumentariae rei consuluit.*

Non omni frumentariae rei tunc consuluit, nam infra § 5 verbis *rei frumentariae graviter providit* de urbe ipsa sermo est, sed consuluit frumentariae rei Italicarum civitatium: pro *omnique* igitur restituas, quaeso, *omniumque.*

17. 7 *in munere autem publico tam magnanimus fuit, ut centum leones una in missione simul exhiberet, et sagittis interfecit eos.*

Ista Peterus recensuit e Mommsenii coniectura pro eo quod in libris mss. ad unum omnibus exaratum est: *interfectos.* Veram lectionem ita revocatam esse non credo, sed Capitolino reddendum: *interficiendos.*

CAPITOLINI VERUS 4. 2 *Lucius quidem Marco vicem reddens † si susciperet obsecutus ut legatus proconsuli vel praeses imperatori. iam primum enim Marcus pro ambobus ad milites est locutus et pro consensus imperio ... graviter se et ad Marci mores egit.*

Proposita Peteri *sic submisse est obsecutus* et Kleinii *sic suspiciens* minime spernenda sunt atque quod ad palaeographiam attinet, probabiliora sane videntur quam id quod mihi in mentem venerat *si quid praeciperet.* At vero magnopere miror, in sequentibus alios lacunae signum posuisse neque ante me perspexisse quo manifesto ista nunc laborarent vitio. Nempe magistellus quis nomen *Marcus* (post *enim*) addidit, prave videlicet sententiam loci intellegens, cum pro verborum *locutus est* et *egit* subiecto non Marcus, sed Lucius habendus sit, id quod etiam verba *ad Marci mores* satis superque comprobant. Quod igitur nemo ubi semel admonitus erit, non videbit, delendum est nomen *Marcus,* quo sublato nihil prorsus dubii vel salebrosi iam relinquitur. Ceterum nomina a posterioribus crebro inserta esse quo sententia auctorum clarior fieret ac magis perspicua monere opus non est: quae quamquam multis locis ab editoribus iam expuncta vel uncis cincta sunt, nonnulla etiamnunc permanent qualia sunt M. Ant. Philosophus 22. 5 [*Marcus*] *ad militiae labores,* 23. 8 *idem* [*Marcus*], quod iam Peterus notavit, et alia quae in tempore indicabuntur.

Digitized by Google

4. 6 *ut vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria obtecto capite cucullione v u l g a r i viatorio et comisaretur cum triconibus* e. q. s.

Suspectum est adiectivum *vulgari*, quod primo suprascriptum deinde in textum receptum videtur, cl. Anton. Heliogabalus 32. 9: tectus cucullione mulionico.

6. 5 *in huius equi gratiam primum coeperunt equis aurei v e l brabia postulari.*

Emenda *aurei v e l u t brabia.* Cf. 8. 10: veluti tropaeum. Idem mendum Casaubonus sustulit Caracallus 1. 6: neque patrem suum neque patrem pueri v e l u t auctores verberum diu respexit, ubi codices mss. omnes dant *vel.* Sic etiam Maximini Duo 32. 1: v e l u t (umbra pulchri oris) pro tradita scriptura *vel* ab Hauptio et Cornelissenio restitutum est.

Vulc. Gallicani Avidius Cassius 5. 3 *et praeter laridum ac buccellatum atque acetum militem in expeditione portare prohibuit et, si aliud quippiam repperit, l u x u r i e m non levi supplicio adfecit.*

Non *luxuriem* sed *l u x u r i a n t e m* militem supplicio, opinor, affecit. Cf. 14. 7: qui ob hoc sibi a senatu et ab Antonino provincias datas credunt, ut l u x u r i e n t u r, ut divites fiant? Gordiani Tres 20. 6: quae appareat hominis esse ingeniosi sed l u x u r i a n t i s et suum deserentis ingenium.

Ael. Lampridi Commodus 8. 4 *appellatus est C o m m o d u s etiam Brittanicus ab adulatoribus.*

Rursus exemplum habes nominis posterius appicti, quod neminem iam latebit qui verba proxime praecedentia attente perlegerit.

11. 6 *deorum templa p o l l u i t stupris et humano sanguine. imitatus est et medicum* cet.

Istud quidem *polluit* editores èt vetustiores èt Peterus, ad incitas redacti, ponere solent pro eo quod in libris mss. omnibus est: *pollutus.* Immerito tamen participium in libris traditum ab iis sollicitari puto atque alibi corruptelae sedem sitam esse: post *sanguine* enim excidisse credo verbum *i n i i t* propter sequentium litterarum similitudinem *i m i t a t u s.* Cf. M. Ant. Philosophus 27. 1: sacrarium solum ingressus est.

Digitized by Google

13. 6 *quae omnia ista per duces sedata sunt.*

Casauboni coniectura *statim* ab editoribus fere commemoratur atque sane scriptura *ista* quin corrupta sit dubium non est; at vero ego quidem dativum commodi qui dicitur *isti* restituere malim, h. e. Commodo imperatori.

CAPITOLINI PERTINAX 13. 5 *nec multum tamen amatus est. si quidem omnes, qui libere fabulas conferebant, male Pertinacem loquebantur, christologum eum appellantes, qui bene loqueretur et male faceret.*

Tollatur interpretamentum meo quidem iudicio manifestum *qui bene loqueretur et male faceret.*

14. 6 *Milites eum et aulici odio habuerunt, populus mortem eius indignissime tulit, quia videbat omnia per eum antiqua posse restitui.*

Immo *potuisse restitui.*

AEL. SPARTIANI DIDIUS IULIANUS 8. 8 *missi tamen a senatu, quorum cura per militem gregarium in Palatio idem Iulianus occisus est fidem Caesaris implorans, hoc est Severi.*

Deleatur putidum emblema *hoc est Severi.*

AEL. SPARTIANI SEVERUS 20. 2 *Antoninum scilicet Bassianum quidem ex priore matrimonio susceperat et Getam de Iulia genuerat.*

Insiticia haec atque eicienda sunt, cl. 10. 3: filium suum maiorem Bassianum — Caesarem appellavit, ut fratrem suum Getam ab spe imperii, quam ille conceperat, summoveret. — unde Getam etiam quidam Antoninum putant dictum, ut et ipse succederet in imperio, 16. 3: ideo etiam filium eius Bassianum Antoninum, qui Caesar appellatus iam fuerat, annum XIII agentem participem imperii dixerunt milites. Getam quoque, minorem filium, Caesarem dixerunt, eundem Antoninum, ut plerique in litteras tradunt, appellantes, 19. 2: Reliquit filios duos, Antoninum Bassianum et Getam, cui et ipsi in honorem Marci Antonini nomen inposuit.

Ecquis qui hos locos accurate perlegerit, scriptorem haud plane iam insipidum etiam verba supra descripta addidisse crediderit?

Digitized by Google

AEL. SPARTIANI PESCENNIUS NIGER 1. 4 *Hic eruditus mediocriter litteris, moribus ferox, divitiis inmodicus, vita parcus, libidinis effrenatae ad omne genus cupiditatum, ordines diu duxit.*

Conicio *vitiis inmodicus*. Cf. 5. 1.

2. 4. *Ad occidendum autem Nigrum primipilarem Iulianus miserat, stulte ad eum qui haberet exercitus Severi posset; proinde quasi qualis libet imperator a primipilario posset occidi.*

Ista tradita sunt, sed vulgo pro verbis *Severi posset* recensetur: *et se tueri posset* itaque Peterus quoque recensuit. Ego vero Iordano credo, verbum *posset* repetitum esse e versu sequenti, ceterum praeterea verba *stulte ad eum qui haberet exercitus Severi* per errorem in textum recepta atque rursus in marginem ableganda esse moneo.

3. 7 *ipse a milite nihil accepit. cum tribunatus ageret, nihil accipi passus est.*

Particula *et*, quam post postremas litteras verbi *accepit* omissam esse credo, reddita uno tenore scribendum puto: *accipit et cum tr. a.*

5. 3 *nec tamen in senatum quicquam de Nigro Severus dixit, cum iam audisset de eius imperio, ipse autem proficisceretur ad componendum orientis statum. tantum sane illud fecit proficiscens, ut legiones ad Africam mitteret, ne eam Pescennius occuparet et fame populum Romanum perurgueret.*

Librorum scripturam, non Peteri recensionem descripsi, qui recepta Petschenigii coniectura edidit: *statum nutantem. sane illud*, nam mutatione perexigua facta locum restitui posse existimo: pro *illud* nimirum, quod Iordanus sine iusta causa delevit, reponas: *ille*. Spartianus enim id pronomen, quamvis prorsus supervacaneum, pro personali adhibere adamat, cf. 8. 3: ad quod ille respondit alium versum talem, 10. 1: quod quidem illi odium militare concitavit.

6. 3 *sed exarsit secundo civili bello, immo iam tertio et factus est durior, tunc cum innumeros senatores interemit Severus et ab aliis Syllae Punici, ab aliis Marii nomen accepit.*

Digitized by Google

Pro *cum*, quod Iordanus auctore Mommseno expunxit, Peterus in *etiam* mutare voluit, scriptum esse arbitror: *enim*. Cf. 10. 2: dicebat enim posse fieri, ut cet., Ant. Caracallus 3. 4: ipse enim inter suasores Getae mortis primus fuerat.

10. 1 *addito eo ut ligneis vasis uterentur. — dicebat enim posse fieri, ut sarcinae militares in potestatem hostium venirent, nec se barbarae nationes argento nostro gloriosiores facerent, cum alia minus apta hosticam viderentur ad gloriam.*

Pro *alia* malim: *illa* scr. lignea vasa.

12. 3 *Apud omnes constat quod, si rerum potitus fuisset, omnia correcturus fuerit, quae Severus vel non potuit emendare vel noluit, et quidem sine crudelitate, immo etiam cum lenitate, sed militari, non remissa et inepta atque ridicula.*

Deleatur additamentum *non remissa et inepta atque ridicula.*

Capitolini Clodius Albinus 2. 5 *sane ut tibi insigne aliquod imperialis maiestatis adiciam, habebis utendi coccini pallii facultatem impraesentiarum et ad me et cum mecum fueris.*

Peterus *adiciam* de suo dedit pro librorum lectione, quae est *accedam*, alii alia proposuerunt. At emendandum esse *concedam* aio, cf. 6. 6: quaesturae gratia illi facta est, qua concessa aedilis non amplius quam decem diebus fuit. Quod autem ex Ungeri coniectura editor edidit *impraesentiarum* pro codicum mss. scriptura *me praesentem* displicet: tradita lectio mihi quidem dubitationem relinquit nullam quin formam usitatiorem Capitolinus posuerit quae est *in praesenti*, cl. eiusdem Maximus et Balbinus 1. 4: neque in praesenti ullum sit auxilium quo respirare possimus, 14. 7: imperator est appellatus, quia non erat alius in praesenti.

3. 1 *His litteris acceptis omnino facere id, quod iubebat, noluit.*

Sic vulgo scribi solet pro scriptura tradita *a nonio*, nisi quod Iordanus vocabula uncis inclusit, Salmasius *a Commodo* obtulit. Conicio: *continuo*. Cf. eiusdem Opilius Macrinus 5. 1: quem continuo, ut diximus, Antoninum appellari a militibus iussit, Maximini Duo 6. 7: et continuo dixit: 'Date alium, sed tribunum'.

Digitized by Google

11. 7 *in vestitu nitidissimus fuit, in convivio sordidissimus et soli studens copiae, mulierarius inter primos amatores, aversae Veneris semper ignarus* cet.

Voc. *amatores* interpretatori deberi et delendum esse satis est perspicuum.

12. 11 *quin etiam audiendus in senatu fuit Statilius Corfulenus, qui honores Albino et eius fratri decernendos ducebat, cui hoc superfuit, ut de me ille decerneret homo nobilis et triumphum.*

Scribendum est *ut de me illi* (sc. Albino), quo pronomine per totam epistulam Albinus significatur.

AEL. SPARTIANI CARACALLUS 8. 6 *est etiam haec fabella, quod dictare noluerit orationem, qua invehendum erat in fratrem, ut causa eius melior fieret qui occiderat; illum autem negantem respondisse, aliud esse parricidium aliud accusare innocentem occisum.*

Ecce scriptura quae in libris mss. nunc exstat.

Salmasius aut *aliud* semel delendum aut *illud* — *aliud* scribendum esse pronuntiavit, e quibus emendandi rationibus Iordanus illam, hanc Peterus in textu recensendo elegit. At tamen utraque reicienda est. Ipse verborum tenor facile docet, Spartianum Papinianum loquentem fecisse:

aliud esse parridium ⟨excusare⟩, aliud accusare innocentem occisum.

9. 11 *in quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, cum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut et Anubin portaret et pausas ederet; nisi forte iste addidit celebritati, non eam primus invexit.*

Pro *eam* scribendum puto: *ea* (sacra Isidis sc.).

10. 6 *nam cum Germanici et Parthici et Arabici et Alamannici nomen adscriberet — Helvius Pertinax, filius Pertinacis, dicitur ioco dixisse:*

Post *Alamannici* excidisse videtur: *sibi*, cl. Gordiani Tres 4. 7: ut sibi quoque, ut multi dicunt, Antonini, ut plerique autem adserunt, Antonii nomen adscripserit.

Digitized by Google

11. 3 *Severus dicitur animo volutasse, ut et hunc occideret, nisi repugnassent praefecti eius, gravis viri.*

Scripserunt alii *praefecti eius graves viri.* Conicio: *praefecti eius gravissime.* Cf. Tyranni Triginta 33. 3: cumque se gravissime gereret, Maximini Duo 7. 3: quod Alexandro — gravissimum fuit.

CAPITOLINI MACRINUS 5. 5 *timuit autem etiam collegam, ne et ipse imperare cuperet, sperantibus cunctis quod, si unius numeri concessus accederet, neque ille recusaret et omnes cupidissime id facerent.*

Pro *unius* vel potius pro *unus*, nam hoc in codicibus legitur omnibus, emendandum est *cuius.*

6. 6 *Diadumenum filium meum vobis notum et imperio miles donavit et nomine, Antoninum videlicet appellans, ut cohonestaretur prius nomine, sic etiam regni honore.*

Corrigendum videtur *prius nominis, tunc etiam regni honore.*

12. 10 *servos, qui dominis fugissent, reppertos ad gladium ludi deputavit.*

Legendum credo *ad gladium ludii*, cl. Claudius 5. 5: habuit proxime tuus libellus munerarius hoc nomen in indice ludiorum. Cf. etiam Iuven. Sat. 6. 82 et 11. 20.

14. 3 *et isti versus sex translati sunt in Latinum, nam Graece sunt disertissimi. videntur autem mihi ab aliquo poeta vulgari translati esse.*

Verba ultima *videntur — esse* in marginem expelle, unde male in textum irrepserunt.

AEL. LAMPRIDII DIADUMENUS 4. 4 *ferunt denique Diadematum puerum appellatum, sed ubi adulevit, avi sui nomine materni Diadumenum vocatum, quamvis non multum abhorruerit ab illo signo Diademati nomen Diadumeni.*

Tradunt libri omnes *signum diadematis*, lectio mutata Salmasio debetur. At, hercle, emblema manifestum non emendare, sed expungere debuit! Verba videlicet ab interpretatore postea ad-

Digitized by Google

dita esse forma ipsa comprobat, nam ad voc. *illo* explicandum ille suprascripsit: *signum diadematis* (sc. intellege *vel* scriptor dicit) casus nimirum vocabuli ratione non habita.

AEL. LAMPRIDII HELIOGABALUS 4. 4 *sed Symiamira facta sunt senatus consulta ridicula de legibus matronalibus.*

Conicio *sub Symiamira.*

6. 7 *nec Romanas tantum extinguere voluit religiones, sed per orbem terrae, unum studens, ut Heliogabalus deus ubique coleretur.*

Ante *unum* excidisse suspicor *universas.*

16. 1 *iussit subito senatum urbe decedere. omnesque, quibus aut vehicula aut servi deerant, subito proficisci iussi sunt, cum alii per baiulos, alii per fortuita animalia et mercede conducta veherentur.*

Locum corruptum esse neque tamen Kellerbauerum eo quod pro *subito proficisci* substituere suadet *pedibus proficisci* Lampridii sententiam recte perspexisse opinor neque eiusmodi corruptelae originem facile explico. Equidem auctorem hoc dicere voluisse credo: quicumque aut vehicula aut servos habebant, iis causa nulla erat morandi, itaque subito proficisci iussi sunt; ceteris vero, qui non habebant, aut baiuli aut iumenta mercede conducenda erant, ita ut non illico abire possent sed aliquantulum dilationis iis concederetur. Quae tum demum eum eloquentem reddideris, si pro *deerant* correxeris *aderant* aut ante *deerant* inserueris *non.*

17. 2 *sed cum non cepisset cloaca fortuito, per pontem Aemilium adnexo pondere, ne fluitaret, in Tiberim abiectum est, ne umquam sepeliri posset.*

Additamentum illud puerile *ne fluitaret* expellendum est.

19. 5 *denique* [haec genera poculorum ante Heliogabalum non leguntur.] *nec erat ei ulla vita nisi exquirere voluptates.*

Verba a me inclusa e margine in textum irrepserunt, quae quam ridicule orationem interrumpant nemo non videbit, quam inepte observata sint agnoscet quicumque ea, quae supra a Lampridio narrata sunt, perlustraverit.

Digitized by Google

20. 6 *exhibuit et Palatinis ingentes extis mullorum refertas et cerebellis foenicopterum et perdicum ovis* e. q. s.

Varie hic locus a criticis temptatus est. Salmasius post *ingentes* excidisse coniecit *lances*, Iordanus et Eyssenhardtius lacunae signum posuerunt, Peterus pro *ingentes* scripsit *magides*. At emendandum est: *exhibuit et Palatinis patinas ingentes*. Litterarum similitudo vocabulorum *palatinis* et *patinas* fecit ut hoc in describendo fuerit omissum. Cf. Claudius 17. 5: patenam argenteam hederaciam librarum viginti et trium, Probus 4. 5: patinam argenteam librarum decem specellatam.

21. 1 *habuit leones et leopardos exarmatos in deliciis, quos edoctos per mansuetarios subito ad secundam et tertiam mensam iubebat accumbere ignorantibus cunctis, quod exarmati essent, ad pavorem ridiculum excitandum.*

Pro *cunctis* maluerim *convivis* cl. 29. 3: donavit et argentum omne convivis, quod habuit in convivio.

Ael. Lampridii Alexander Severus 2. 4 *primus denique omnium cuncta insignia et honorificentiae genera simul recepit suffragante sibimet Caesaris nomine, quod iam ante aliquot annos meruerat, et magis suffragante vita et moribus.*

Scribendum videtur *at magis suffragante v. e. m.*

6. 2 *cum senatus frequens — convenisset rogatusque esset Aurelius Alexander Caesar Augustus ut concineret ac primo recusasset, quod sciret de honoribus suis agendum, deinde postea venisset, adclamatum:*

Pro corrupta lectione *concineret* Casaubonus coniecit *conveniret*, Mommsen *consideret*, Peterus scripsit *eo veniret* propter sequentia verba *deinde postea venisset*. Mihi videtur scriptum esse olim *ut consuleret*.

9. 1 *Antoninorum nomen vel iam numen potius quantum fuerit, meminit vestra clementia: si pietatem, quid Pio sanctius? si doctrinam, quid Marco prudentius?*

Post *si pietatem* excidisse credo verbum *spectatis*.

Digitized by Google

19. 2 *senatorem numquam sine omnium senatorum, qui aderant, consilio fecit, ita ut per sententias omnium curaretur, testimonia dicerent summi viri.*

Peterus scripsit *circumiretur*, postquam alii *crearetur — gyraretur — curreretur — scrutaretur — iretur* temptaverant. Veram et genuinam lectionem esse censeo *cum iretur*, cl. 16. 2: et id quidem ita ut iretur per sententias singulorum. Conferas etiam 19. 3: idem senatores non nisi ad summorum in Palatio virorum suffragium fecit e. q. s.

20. 1 *Moderationis tantae fuit, ut nemo umquam ab eius latere summoveretur.*

Post *latere* omissum esse suspicor *temere*.

33. 4 *clamides hirtas Severi et tunicas asemas vel macrocheras,* † *et purpureaque non magna ad usum revocavit suum.*

Locus corruptissimus nescio an ita restituendus sit *et purpurea ora eaque non magna*. Apud Catullum quoque *ora purpurea* pro margine purpureo legitur.

38. 4 *Pulchrum quod vides esse nostrum regem,*
†*quod Syrum detulit propago,*
venatus facit et lepus comesus,
de quo continuum capit leporem.

Praestare visum est, secundum versum huius epigrammatis describere qualis in libris mutilatus traditur quam ex improbabili Peteri recensione: *quem Syrum tetulit propago, pulchrum*. Nempe in versus initio propter idem vocabulum quod in versu superiore est facile fieri potuit ut *pulchrum* omitteretur, at quomodo in fine exciderit ego non video. Deinde lectio *Syrum* vera esse nequit, id quod statuo collatis locis hisce:

28. 7: volebat videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici. 44. 3: Syrum se dici nolebat, sed a maioribus Romanum et stemma generis depinxerat, quo ostendebatur genus eius a Metellis descendere. 68. 4: hi sunt qui bonum principem Syrum fecerunt.

Hos locos qui cognoverit et deinde versus (§ 6 infra) perlegerit, quibus Alexandrum ad nostrum epigramma respondisse Lampri-

Digitized by Google

dius narrat, an credibile ei videbitur, imperatorem sex versibus usum esse ut scurram, qui pulchritudinem suam eiusque causam ficticiam irrisisset, vituperaret, sed ne verbo quidem originem illam, quam tantopere in odio habebat, commemoravisse, si poeta noster iocularis eam quoque illi obiecisset? Dubitare igitur noli, quin nomen *Syrum* vocabulum detruserit cui primum a nescio quo fuerit suprascriptum, et versum ita iam restitue:

pulchrum quod vides esse nostrum regem,
pulchrum quod sua detulit propago.

Homo petulans cum dicit *sua* qualiscumque sc. *propago*, non aperte quicquam dicit quod offendere possit, at simul ad originem illam obscuram atque ipsi imperatori odiosam leniter alludit, ita tamen ut hanc cavillationem neglegere et quasi non agnoscere Alexandro melius sit.

39. 4 *Balnea omnibus regionibus addidit, quae forte non habebant. nam hodieque multa dicuntur Alexandri.*

Verba postrema a magistello postea addita sunt.

39. 7 *tuncque primum semisses aureorum formati sunt, tunc etiam cum ad tertiam aurei partem vectigal desidisset, tremisses, dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quod minus non posset.*

Peterus ad paginae calcem rogat num forte *quo minus* sit legendum. Equidem dubito an *quoad minus non posset* vera lectio sit. Cf. Gordiani Tres 25. 3: quid enim facerem, quoad nos mater venderet (ut Eyssenhardtius emendavit) atque ea quae a me observata sunt ad Triginta Tyrannos 18. 10 (Mnemos. Vol. XXXIX pag. 229 sq.).

41. 2 *prorsus censuram suis temporibus de propriis moribus gessit. imitati sunt eum magni viri et uxorem eius matronae pernobiles.*

Sententia flagitat *imitati sunt enim eum*, nam ita locum interpretandum opinor: suis temporibus (h. e. hominibus suae aetatis) censuram gessit de propriis moribus (h. e. in moribus suis emendandis). Siquis explicare vellet censuram suorum morum gessit, illud *suis temporibus* probabilem interpretationem non admitteret. Ceterum ut hoc loco *enim*, ita Lampridius 45. 4 voc. *autem* collocavit: certum est autem eum numquam id quod proposuerat fefellisse.

Digitized by Google

42. 4 *iudices cum promoveret — et argento et necessariis instruebat, ita ut praesides provinciarum acciperent argenti pondo vicena — et, si uxores non haberent, singulas concubinas, quod sine his esse non possent.*

Peterus pro *quod* scripsit *quot*, ego vero verba *quod sine his esse non possent* scurrae illi reddere velim, qui quin iocum suum posteris traderet facere non potuerit.

45. 3 *iam enim inde tacebatur, et omnes ambulabant, ne dispositionem Romanam barbari scirent.*

Iam inde a Casaubono, qui post *omnes* inseri iussit *taciti*, viri docti in hoc loco restituendo desudarunt. Plerique verbum *ambulabant* corruptum esse censuerunt, pro quo Cornelissen *ambigebant* — Golisch *elaborabant* — Petschenig *simulabant* proposuerunt, verum si istam sententiam loco inculcandam putarem, certe probabilius duxissem *aemulabantur*. Peterus adnotat, suspectum sibi esse *ambulabant*, desiderari enim ignorandi notionem; denique Iordanus nodum non solvit sed dissecuit, nam verba *et omnes ambulabantur* uncis inclusit.

Criticos illos omnes auctoris sententiam minime intellexisse contendo. Quid enim? Haec continuo praecedunt:

> primum tamen eius consuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis. tacebantur secreta bellorum, itinerum autem dies publice proponebantur, ita ut edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum esset: 'Illa die, illa hora ab urbe sum exiturus et, si di voluerint, in prima mansione mansurus', deinde per ordinem mansiones, deinde stativae, deinde ubi annona esset accipienda, et id quidem eo usque quamdiu ad fines barbaricos veniretur. iam inde enim tacebatur e. q. s.

Non igitur hoc primum inquirendum esse aio, quale verbum pro *ambulabant* probabiliter substitui possit, sed hoc, quid iam inde taceretur. Nempe si Lampridius verbum *tacebatur* absolute hic posuisset, nimirum in praecedentibus enarrare debuerat, facultatem libere confabulandi militibus eousque in itinere concessam fuisse, eos sermonibus quasi iter fefellisse. At nil tale dixit, sed disertis verbis affirmavit, se imperatoris consuetudinem de rebus vel tacendis vel prodendis esse traditurum, atque multa

Digitized by Google

deinceps enumeravit, quae ille cum militibus fideliter communicare soleret eo usque quamdiu ad fines barbaricos veniretur. Nonne consentaneum erat iam sequi, eum ab eo inde temporis momento res vel minimas milites suos aeque fideliter celavisse, ne dispositionem Romanam barbari scirent? Quae cum ita sint, sic locum restituo:

iam enim inde tacebatur et omnis ambulatio, ne e. q. s.

59. 8 *a militibus tamen constat* (sc. Alexandrum occisum esse), *cum iniuriose quasi in puerum eundem et matrem eius avaram et cupidam multa dixissent.*

Pro *eundem* conicio *crudum.*

ΣΚΕΛΛΙΑΣ — ΣΚΕΛΙΑΣ.

Benevolentissime nuper vir doctissimus Stanislaus Witkowski dono mihi misit exemplar Studiorum Aristophaneorum in Commentariis Eos anno 1911 evulgatorum, qua commentatione locis compluribus Avium fabulae prodesse conatus est.

Qui de Avium versu 126 fuse et erudite disputando demonstratum ivit, non sequendum esse Kirchhoffium, qui verba tradita:

ἀριστοκρατεῖσθαι δῆλος εἶ ζητῶν. — ἐγώ;
ἥκιστα, καὶ τὸν Σκελλίου βδελύττομαι

ex auctoritate cuiusdam inscriptionis sic mutari iussit:

καὶ γὰρ τὸν Σκελίου βδελύττομαι,

sed servandum esse id quod praebent codices; cui lectioni hactenus unus Wilamowitzius (Aristot. u. Athen I 100, 3) patrocinatus fuerat.

Plane mihi persuasit Witkowski, eoque facilius quod et sponte mea ad eam opinionem perveneram. Nam certum — me quidem iudice — argumentum, quod Witkowskio commentationem suam scribenti nondum innotuerat, ad longam syllabam initialem nominis Σκελλίου tuendam iam praebet alius versus Aristophaneus, qui e papyro Florentina 112 innotuit:

εἰς τοῦ στρατηγοῦ κωμάσω τοῦ Σκελίου.

Nam licet ibi quoque, ut in inscriptione cui Kirchhoff et multi alii fidem habuerunt, semel exarata sit littera λ, numeri tamen versus ceteroquin minime suspecti luculenter docent primam nominis syllabam *longam* fuisse, Σκελλίου igitur esse scribendum. Quod nomen non ad substantivum τὸ σκέλος sed ad adiectivum σκελλόν sive διεστραμμένον (Hesych.) esse referendum ostendit Witkowski et contulit nomina similia in lapidibus obvia Κυλλίας (κυλλός), Μικκίας (μικκός), Σι(μ)μίας (σιμός), alia.

v. L.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE AD P. VERGILII MARONIS ECLOGAE QUARTAE INTERPRETATIONEM ET VERSIONEM GRAECAM [1]).

SCRIPSIT

ALPHONSUS KURFESS.

P. Vergilium Maronem ecloga quarta prophetae christiani gradum consecutum esse quis est qui nesciat? et usque ad nostram aetatem nonnulli viri docti [2]) in hac ecloga vaticinium de Iesu Christo et totius mundi permutatione religione christiana effecta invenerunt. accuratissima autem eiusmodi interpretatio apud Eusebium in Constantini ad sanctum coetum oratione exstat [3]), ubi Vergilii ecloga quarta non solum in sententiam christianam accipitur et tribus capitibus (XIX—XXI) exponitur, sed etiam explicatione interposita Graece vertitur, ita ut interpres ille Graecus ex libidine a textu Vergiliano longe discedat et versus mutet et interpolet.

De auctore huius orationis Heikelius in praefatione [4]) sic iudicat: neque Constantinum neque Eusebium orationis auctorem

1) Extat apud Eusebium in Constantini ad Sanctum coetum oratione: Eusebii opera, tom. I ed. I. A. Heikel, Lipsiae 1902, p. 181 sq.

2) Cf. Renan, vie de Jésus, Berol. 1863, ch. 1. p. 12 et ch. 4 p. 34 sq.; Michaëlis in progr. gymn. Zittav. 1864, 'Praestantissimum Romanorum oraculum. Brevissima de Virg. ecl. IV expositio'.

3) Cf. Comparetti, Vergil im Mittelalter, Lipsiae 1875, p. 93 sq.

4) p. CXII sq.

Digitized by Google

esse, sed quinto demum saeculo exeunte ab ignoto quodam viro, qui Constantini sermonem ex epistulis et edictis imitari studeret, orationem lingua Graeca [1]) scriptam et sero admodum operibus Eusebii additam esse [2]).

De iis autem capitibus, quibus Vergilii ecloga explicatur, Heikelius in praefatione [3]) sic scribit: „Mit Recht behauptet Rossignol [4]) — und dieser Beweis verliert nicht seine Gültigkeit gegenüber der Annahme, dass nicht Constantin selbst, sondern ein anderer in seinem Namen der Verfasser ist —, dass die vorliegende griechische Form der Vergilischen Ekloge mit dem dazu gehörenden Commentar sich nicht aus einem lateinischen Originale erklären lasse, sondern von Anfang an diese Form gehabt habe."

Contra equidem arbitror in oratione ipsa vestigia inveniri, e quibus satis appareat interpretationem Graecam ad ipsam Vergilii eclogam, non ad versionem Graecam pertinere.

1) Versibus [5])

Τὸν δὲ νεωστὶ πάϊν τεχθέντα, Φαέσφορε μήνη,
Ἀντὶ σιδηρείης χρυσῆν γενεὴν ὀπάσαντα,
Προσκύνει.
Τοῦδε γὰρ ἄρχοντος τὰ μὲν ἕλκεα πάντα βρότεια
〈Ἰᾶται〉, στοναχαὶ δὲ κατευνάζονται ἀλιτρῶν

---

1) Si enim Constantinus orationis auctor est, eam lingua Latina composuit et per interpretes Graecos verti iussit, ut ex vita Constant. IV 32 apparet: Ῥωμαΐᾳ μὲν οὖν γλώττῃ τὴν τῶν λόγων συγγραφὴν βασιλεὺς παρεῖχεν, μετέβαλλον δ' αὐτὴν Ἑλλάδι μεθερμηνευταὶ φωνῇ, οἷς τοῦτο ποιεῖν ἔργον ἦν, τῶν δ' ἑρμηνευθέντων λόγων δείγματος ἕνεκεν μετὰ τὴν παροῦσαν ὑπόθεσιν ἑξῆς ἐκεῖνος συνάψω, ὃν [ὁ] αὐτὸς ἐπέγραψε „Τοῦ τῶν ἁγίων συλλόγου", τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ ἀναθεὶς τὴν γραφήν, ὡς μή τις κόμπον εἶναι νομίσῃ τὴν ἡμέραν ἀμφὶ τῶν λεχθέντων μαρτυρίαν.

2) Contra vide P. Wendland, Berl. philol. Wochenschrift 1902, p. 230; Harnack, Altchristl. Lit.-Gesch. II 2, p. 117; Ed. Schwartz, Eusebius, Pauly-Wissowa, Realencyclopädie VI, col. 1427.

3) p. XCVII sq.

4) Jean Pierre Rossignol, Virgile et Constantin le Grand (Paris 1845), praef p. IV:: „J'ai cherché alors d'où venaient ces altérations, et j'ai vu que Constantin n'en pouvait être l'auteur, puisqu'il avait dû citer et commenter le texte même de Virgile. J'ai vu également qu'on ne pouvait les attribuer au traducteur, chargé de mettre en grec les discours de l'empereur, puisqu'il n'était permis de supposer ni que Constantin eût autorité de pareils changements, ni que le traducteur eût pris sur lui une pareille responsabilité."

5) Heikel p. 182, 11 sq. (= Verg. vs. 8—10 et 13—14).

Digitized by Google

laudatis in commentario dicitur [1]): ὅπως δὲ μήτις τῶν δυναστευόντων ἐν τῇ βασιλευούσῃ πόλει ἐγκαλεῖν ἔχῃ τῷ ποιητῇ, ὡς παρὰ τοὺς πατρῴους νόμους συγγράφοντι ἐκβάλλοντί τε τὰ πάλαι ὑπὸ τῶν προγόνων περὶ τῶν θεῶν νομιζόμενα, ἐπικαλύπτεται τὴν ἀλήθειαν. sic dici non posse equidem arbitror, nisi legatur: 'Casta fave Lucina, tuus iam regnat Apollo', quae verba in versione Graeca aut mutantur (προσκύνει, Φαέσφορε μήνη) aut omittuntur. Vergilii autem eclogam Latinam legenti et interpretanti poëta excusandus erat.

2) Λήψεται [2]) ἀφθάρτοιο θεοῦ βίοτον καὶ ἀθρήσει
Ἥρωας σὺν ἐκείνῳ ἀόλλεας· ἠδὲ καὶ αὐτός
δηλαδὴ τοὺς δικαίους,
Πάτριδι καὶ μακάρεσσιν ἐελδομένοισι φανεῖται [3]).

Quid sibi vult vox δηλαδὴ τοὺς δικαίους? Heikelius codice I auctore haec verba omitti iubet, sed male, ut opinor. videamus versus Latinos (15/16):

'Ille deum vitam accipiet divisque videbit
Permixtos heroas et ipse videbitur illis',

scilicet iustis. nunc omnia congruunt. in Latinis haec interpretantis verba in extremo versu decimo sexto bene poni, sed in Graecis in medio versu ponenda esse luce clarius est:

Ἥρωας σὺν ἐκείνῳ ἀόλλεας·
δηλαδὴ τοὺς δικαίους.
ἠδὲ καὶ αὐτὸς
Πάτριδι καὶ μακάρεσσιν ἐελδομένοισι φανεῖται.

3) Versus 24/25 [4]) sic explicantur [5]): οὐκοῦν δικαίως ἐτελεύτα πᾶσα ἡ τῶν ἰοβόλων φύσις, ἐτελεύτα δὲ καὶ θάνατος, ἐπεσφραγίσθη δὲ ἡ ἀνάστασις, ἀπώλετο δὲ καὶ τὸ τῶν Ἀσσυρίων γένος, φύεσθαι δὲ ἀνέδην καὶ πανταχοῦ Φάσκων τὸ ἄμωμον πλῆθος (!) τῶν θρησκευόντων προσαγορεύει. interpres Latinus Vergilii versum sic construxerat: Occidet Assyrium; vulgo nascetur amomum. sed

1) Heikel p. 182, 18.
2) id. p. 183, 1 sq.
3) Paene totum hunc versum poëta christianus interpolavit et Vergilii verba male intellexit: 'et ipse videbitur illis, scil. permixtus', h. e. iis admixtus erit. sed in Graecis sic vertitur, quasi Vergilius dixerit: videbitur ab illis.
4) Heikel p. 183, 18 sq.
5) id. p. 184, 11.

Digitized by Google

recte vertitur: ὄλλυτ' ⟨ἄγρωστις⟩ [1]) λοίγιος, Ἀσσύριον θάλλει κατὰ τέμπε' ἄμωμον.

4) Post versus 26/27 (Heikel p. 184, 10):

Αὐτίκα δ' ἡρώων ἀρετὰς πατρός τε μεγίστου
Ἔργ' ὑπερηνορέῃσι [2]) κεκασμένα πάντα μαθήσῃ.

in commentario Graeco legimus: τοὺς μὲν τῶν ἡρώων ἐπαίνους τὰ τῶν δικαίων ἀνδρῶν ἔργα σημαίνων, τὰς δὲ ἀρετὰς τοῦ πατρὸς κ. τ. λ. i. e. *heroum laudes* iustorum virorum facta significans, *parentis virtutes* etc. eadem vocabula in textu Latino legimus (vs. 26/27):

At simul heroum laudes et facta parentis
Iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus.

Si interpres Graecus ex versione Graeca commentatus esset, sine dubio dixisset: τὰς τῶν ἡρώων ἀρετάς et τὰ ἔργα τοῦ πατρός.

5) Quod in commentario ad v. 36 dicitur [3]): τὴν δὲ Τροίαν (scil. χαρακτηρίζει) τὴν οἰκουμένην πᾶσαν, inde colligere poteris in ecloga 'Troiam' legi. sed poëta Graecus sic vertit [4]): πολέμου δὲ Τρώων καὶ Δαναῶν πειρήσεται αὖθις Ἀχιλλεύς, cum Vergilius (vs. 36) dicat, id quod commentarius postulat: 'atque iterum ad *Troiam* magnus mittetur Achilles'.

6) Eduardus Schwartz [5]) verbis [6]) ἐπολέμησε γοῦν ἄντικρυς (= contra) τῆς ἀντικειμένης δυνάμεως πονηρᾶς Latinismum, ut ita dicam, inesse vidit.

7) Verba [7]) τό τε εὔχεσθαι τὸν ποιητὴν τοῦ βίου τέλος αὐτῷ μηκύνεσθαι magis ad Vergilii versum quinquagesimum tertium 'O mihi tam longae maneat pars ultima vitae' quam ad versionem Graecam [8]): Εἴθε με γηραλέον δῴη ποτὲ [9]) νήδυμος ἰσχὺς σὴν ἀρετὴν κελαδεῖν quadrare idem Schwartzius cognovit.

---

1) Sic cum Wilamowitzio. optimus codex (V) exhibet ὄλλυται ποίη cum gravissimo mendo versus; ποίη mihi primum ut glossa in margine scriptum esse videtur, unde in textum venit. quod ceteri libri tradunt, omni sensu caret.

2) ὑπερηνορίῃσι codd.

3) Heikel p. 185, 21.

4) id. p. 185, 11.

5) Pauly-Wissowa, Realencyclopädie VI, col. 1427.

6) Heikel p. 185, 21.

7) id. p. 186, 26.

8) id. p. 186, 13.

9) Sic cum Wilamowitzio; ζῶντα τε vel ζῶντα τ' ἔχε codd.

Digitized by Google

8) *Ἄρχεο μειδιόωσαν ὁρῶν τὴν μητέρα κεδνὴν γνωρίζειν* [1]): *μειδιᾶν ὡς ἂν ὁρῶν* V, *μειδιόων ὡς ἂν ὁρῶν* I M. ex quibus facillimum erat veram huius loci scripturam restituere. qua quidem emendatione certius nihil. sed poëta iste Vergilii verba 'risu cognoscere matrem' perperam accepit et sic interpretatus est: oculos in matrem conicere et ex hoc, quod tibi arridet, eam cognoscere. est autem interpretandum: ridendo matri significare eam a te cognosci. puer videt, non mater. cf. Lydus De mensibus VI, 26 (ed. Wuensch p. 85, 18) *οἱ τῶν Ῥωμαίων τὴν φυσικὴν ἱστορίαν συγγράφοντές φασιν .... ἐπὶ τῆς τεσσαρακοστῆς* (scil. *ἡμέρας*) *προσλαμβάνειν* (scil. *τὸ βρέφος*) *τὸ γελαστικὸν καὶ ἄρχεσθαι ἐπιγινώσκειν τὴν μητέρα.* sic interpretatur etiam codex E, qui *μειδιόων ἀνορᾶν* exhibet, ex coniectura, ut opinor. atque Rob. Stephanus hunc versum primus sic edidit: *ἄρχεο μειδιόων ἀνορῶν.* sed verbum *ἀνορᾶν* non est Graecum; adiectivum *ἀνόρατος*, quod apud Platonem (Tim. 51 A) et Pollucem (V 150) legimus, idem significat atque *ἀόρατος* (invisibilis). — Versus qui sequuntur (62/63):

'Incipe, parve puer: cui non risere [2]) parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est'

Forbigerus eleganter sic interpretatur: 'Qui non iam primis vitae mensibus dulci et blanda amabilitate parentum amorem sibi conciliat, is ipsis dis invisus est; itaque ad deorum vitam et consortium admitti non poterit, quod tamen poëta puero promiserat' [3]). sed Vergilii verba non recte intellexit poëta christianus, qui ita vertit [4]):

Σοὶ δὲ γονεῖς οὐ πάμπαν ἐφημέριοι [5]) *ἐγέλασσαν*
Οὐδ' ἤψω λεχέων, οὐδ' ἔγνως δαῖτα θάλειαν,

et sine ulla distinctione legit: 'Incipe, parve puer, cui non risere parentes', quasi Vergilius dixisset: puero parentes non arrisisse, nec deum illi mensam nec deam cubile impertivisse. sed in oratione versus illi recte intelleguntur. nam orator ille

---

1) Heikel p. 187, 6 = Verg. vs. 60.
2) i. e. arrisere ipsius risu provocati (vs. 60).
3) vs. 15 et 49.
4) Heikel p. 187. 8.
5) Sic cum codice E, *ἐφημερίως* ceteri.

Digitized by Google

cum tamquam reprehendens Vergilium dixerit [1]): πῶς γὰρ ἂν πρὸς τοῦτον οἱ γονεῖς ἐμειδίασαν, infra [2]) pergit: ἀλλὰ ταῦτα ἐΦείσθω λέγειν τοῖς ἀνθρωπίνην τινὰ καὶ ὀχλοχαρῆ παιδείαν μετερχομένοις, παιδείας δὲ θείας ἀπείροις, unde manifeste perspicitur eum Vergilii versus recte intellexisse.

Quibus argumentis nisus non solum eclogam, sed etiam commentarium ex lingua Latina versum et eclogam non ex versione Graeca, sed ex ipso textu Latino expositam esse puto. nam verba ἐπανήξει δὲ ἐκ δευτέρου [καὶ] τὴν οἰκουμένην παραγενόμενος ἐπικουΦίσει, quae codices deteriores, quibus editiones priores [3]) nituntur, exhibent et quibus Valesius haec adscribit: 'Supple ὁ ἐρατὸς βασιλεύς, cuius mentio fit in ultimo versu [4]) Ἥκει παρθένος αὖθις ἄγουσ' ἐρατὸν βασιλῆα, non praebent argumentum, quo demonstretur versionem Graecam explicari aut, ut Valesius opinatur, iam Constantinum Vergilii versum paulum immutavisse et Saturni [5]) nomen consulto expunxisse, ut argumento suo serviret. optimus enim codex V sic exhibet [6]): ἐπανήξει δὲ ἐκ δευτέρου, ὅταν καὶ ὁ θεὸς ἐκ δευτέρου τὴν οἰκουμένην παραγενόμενος ἐπικουΦίσῃ. hoc codice locus valde corruptus sanatus et quasi liquatus est.

Contra commentarium nonnullas voces ex versione Graeca recepisse apparet. nam ibi legimus [7]): Κόσμου κητώεντος ὄρα, Φησί, καὶ τῶν στοιχείων ἁπάντων χαράν, quocum conferas [8]) vs. 50/51:

Κόσμου κητώεντος ὁρῶν εὐπηκτα θέμεθλα,
Χαρμοσύνην γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἠδὲ θαλάσσης.

et cum legeris [9]): παιδὸς δὲ τεχθέντος ἀνθρώπου, ποῖον δὴ ἔχει λόγον γῆν ἄσπαρτον καὶ ἀνήροτον καὶ τήν γε ἄμπελον μὴ ἐπιποθεῖν τὴν δρεπάνου ἀκμὴν μηδὲ τὴν ἄλλην ἐπιμέλειαν, non dubitabis, quin his verbis explicentur hi versus 40/41) [10]):

Αὐτὴ δ' ἄσπαρτος καὶ ἀνήροτος· οὐδὲ μὲν ἀκμὴν
Ὀτρηλέου δρεπάνοιο ποθησέμεν ἄμπελον οἶμαι.

1) Heikel p. 187, 10. 2) id. p. 187, 15.
3) Cf. Eusebii Pamphili scripta historia denuo ed. F. A. Heinichen, Lipsiae 1869 tom. II p. 228.
4) Heikel p. 182, 5.
5) vs. 6 iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna.
6) Heikel p. 182, 8.
7) id. p. 186, 18. 8) id. p. 186, 10.
9) id. p. 186, 20. 10) id. p. 186, 3.

Digitized by Google

Cum igitur eclogae versio et commentarius inter se repugnent, alium eclogam, alium commentarium ex lingua Latina vertisse puto. sed cum commentarius etiam ad versionem Graecam pertineat, ut modo demonstravi, oratio Latine scripta non solum in Graecum versa, sed nonnumquam retractata mihi videtur esse. qua de re me consentire gaudeo cum Victore Schultze [1]), qui in commentariolo, quod inscribitur 'Quellenuntersuchungen zur Vita Constantini des Eusebius', de hac oratione sic iudicat: „Die Lösung gibt Eusebius nur zum Teil an die Hand, wenn er bemerkt [2]), dass der Kaiser seine Reden in lateinischer Sprache abfasste, sie dann aber durch eigens dazu bestellte Personen in das Griechische übertragen liess. Diese 'Uebersetzung' könnte, da sie die Brücke bildete, um dem privaten Schriftstück den Weg in die Oeffentlichkeit, in das griechische Publikum zu bahnen, wohl als eine Umarbeitung und Erweiterung angesehen werden, welche die ursprünglich hauptsächlich auf den beiden angeführten Quellen [3]) fussende Rede erweiterte, um sie wirkungsvoller zu gestalten."

Haec de auctore dicturus eram [4]). accedunt nonnulla critica.

Ed. Heikel. p. 183, 17: omnes codices finem huius versus mendose exhibent. Valesius scribit σπάργανα ἄνθεα αὐτά, quam lectionem Heinichen recepit. sed haec coniectura a codicibus nimis discrepare mihi videtur. nam ad unum omnes codices tradunt CΠΑΡΓΑΝΑCΘΙ, deinde confusio incipit: σπάργανα σεῖο τ' ἐνυπλεῖν V, σπάργαν ἄσει τὲ ἐνιπήν I, σπάργανας εἴτε νιπήν M, σπάργανα, deinde lacuna, in mg. λείπει E. hoc tenendum est: 1) in versu Latino (23) dativus 'tibi' exstat, quo in Graecis carere non possumus; 2) hic versus in commentario (p. 183, 21)

1) Zeitschrift für Kirchengeschichte XIV (1899) p. 551.

2) Vit Constant. IV, 32 (cf. p. 278 not. 1).

3) Lactantii div. inst. et de morte persec.

4) His observatiunculis iam scriptis Heikelii libellus, qui inscribitur 'Kritische Beiträge zu den Constantinschriften des Eusebius', Leipzig 1911 (Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristliche Literatur, ed. A. Harnack et C. Schmidt, vol. XXXVI fasc. IV) mihi ad manus venit, ubi hic vir doctus cum de aliis rebus, tum de Vergilii eclogae interpretatione Graeca (p. 30—39) disseruit et opinionem, quam in editionis praefatione proferebat, defendere conatus est. sed argumenta, quae affert, gravia mihi quidem non esse videntur. quid? quod concedit fieri posse, ut is, qui commentarium scripsit, *interdum* ipsos versus Latinos ante oculos habuerit.

Digitized by Google

sic explicatur: *αὐτὰ γὰρ τὰ τοῦ θεοῦ σπάργανα, πνεύματος ἁγίου δύναμις, εὐώδη τινὰ ἄνθη νεολαίᾳ ὤπασε γέννᾳ.* qua re motus magister meus praestantissimus, Hermannus Diels, mihi proposuit sic legere:

Φύσει δ' εὐώδη τὰ σπάργανα σεῖο γενέθλῃ.

Heikel. p. 184, 29 omnes codices sine sensu exhibent *ἤγοντο*. Ch. G. Heyne [1]) coniecit *ἤχθοντο*: gravatae sunt areae, *βεβρίθασι*, spicis. quam coniecturam sagacem Heikelius, si non in textum, at tamen in apparatum criticum recipere debebat. cf. Hom. Od. *ο* 457 *κοίλη νηῦς ἤχθετο τοῖσι νέεσθαι*; Xenophan. frg. 1, 9 [2]) *γεραρή τε τράπεζα τυροῦ καὶ μέλιτος πίονος ἀχθομένη*. apud Theophylactum — nescio quo loco — Thesauro linguae Graecae teste legitur: *αἱ ἄμπελοι ταῖς βότρυσι ἄχθονται, αἱ ἀχράδες βρίθουσιν*. Eodem redit quod Wilamowitzius coniecit: *ἔπληθον* vel *ἔβριθον* [3]).

Heikel. p. 156, 15: omnibus codicibus traditur *με πλήξειεν*. Wilamowitzius, qui sensit hoc poëta indigne dictum esse, scripsit *μ' ἐκπλήξειεν*, quod Heikelius in textum recepit. sed haec coniectura necessaria esse mihi non videtur. nam *πλήττεσθαι* saepius de exercitu victo dicitur: Herod. V 120 *Μιλήσιοι μάλιστα ἐπλάγησαν*; id. VIII 130 *ἅτε μεγάλως πληγέντες οὐ προῄϊσαν ἀνωτέρω*. Thuc. 408 *τῶν Ἀθηναίων ἐν τοῖς Βοιωτοῖς νεωστὶ πεπληγμένων*. id. VIII 38, 3 *οἱ δὲ Χῖοι ἐν πολλαῖς ταῖς πρὶν μάχαις πεπληγμένοι*. si cum Wilamowitzio legimus *μ' ἐκπλήξειεν* (i. e. terrere, stupefacere) a Vergilii verbis 'non me carminibus vincet' (vs. 55) discedimus. verba tradita, quamquam poëtam non decent, teneo ob eam quoque rem, quod in proximo versu haud minus inepte dicitur *ἀνθέξεται*, qui terminus ipse quoque e re militari sumptus apud poëtas non exstat.

---

1) Excurs. I ad ecl. IV, Vergilii opera[4] ed. Wagner, Lipsiae 1830, vol. I p. 250.

2) Diels Vorsokr. I[2] p. 44, 24.

3) Heikelius l. c. (cf. p. 283 not. 4) p. 35 conicit: *βρωτὰ μὲν ἀνθερίκων ξανθῶν ἤγοντο ἀλωάς* (acc. loci) 'die geniessbaren(!) von den gelben Aehren werden zu der Tenne geführt'. hoc utinam ne scripsisset. si cum Heikelio interpretamur *πρῶτα μὲν ἀνθερίκων ξανθῶν* 'die ersten von den gelben Aehren', nihil mutandum est, dummodo *ἀλωαί* ut 'campi' intellegantur: cf. Od. *ζ* 293 *τεθαλυῖά τ' ἀλωή*, ibid. *ω* 221 *πολυκάρπου ἀλωῆς*. tum vertendum esset: 'die Gefilde bringen aus sich hervor' (medium!). sed sine dubio *πρῶτα μὲν* ut *πρῶτον μὲν* (ac primum quidem) interpretandum est.

Digitized by Google

DE ILIADIS FONTIBUS ET COMPOSITIONE.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 41).

b. *Quibus carminibus Ilias doceat Achillem, alios Thessalorum heroes ante Homeri aetatem celebratos esse.*

Commemorans Nestor (γ 102 sqq.) labores et pericula quae exhausissent Graeci in bello adversus Troianos, incidit in memoriam expeditionum quas praedandi causa mari suscepissent Achillis ductu. Rogas cur Achillis, non Agamemnonis; reputanti vero, id quod in Iliade narratur, insulas Lesbum (I 129—132, 271—279) et Tenedum (Λ 625) ab Achille captas, urbes Thebam (Α 366, Β 691, Ζ 397, 416, Χ 479), Lyrnessum (Β 691, Τ 60, Υ 92), Pedasum (Β 691, Υ 92), Scyrum (I 688) ab eo eversas, id quod in Cypriis traditur, victum ab eo Telephum Teuthraniae regem (Proclus Et. Gud. fr. 18. 19) occisum Cycnum qui Colonis vel Tenedi imperaret (l.l. Paus. X 142, Diod. V 38, Schol. Α 38, Tzetz. Lyc. 232, 233), id quod Aristobulus testatur, Trambelum regem Lelegum ab eo necatum (Athen. 2. 43^{d}, Schol. ad Lycophr. 427), quarum omnium rerum nemo e ceteris Graecorum principibus particeps fingitur, vix cuiquam dubium esse potest quin olim fuerint carmina quibus is solus proponeretur dux classis Graecorum mare Aegaeum traductae. Quo eodem tendit quod Achilles ipse gloriatur (I 328 sqq.) navibus se duodecim

Digitized by Google

urbes cepisse, copiis pedestribus expugnasse undecim. Tamen ingentem hunc locorum numerum potius credas temere editum ipso consilio rem in maius augendi quam e fontibus petitum. Neque omnia quidem quae supra attuli, ad carmina de quibus agimus pertinere videntur. Nam infra ostendere conabor neque urbis Thebae in iis mentionem esse factam neque Trambeli regis, quem in urbis Mileti vicinia interfectum ab Achille legimus. Sed quoniam his exceptis cuncta loca ad quae referri vidimus incursiones Achillis ductu factas, postea universo nomine Aeolis vocata a Graecis habitata sunt, apparet carmina quibus illae agerentur condita esse a poetis qui, e colonis in eam regionem deductis oriundi, maiorum res gestas in ea occupanda in laudem converterint daemonis ab his culti — nam inter daemones quin Achilles initio fuerit vix quisquam hodie dubitat — deinde in hominem conversi. Belli autem adversus urbem Troiam, quod in superioribus vidimus ab initio cantatum esse nulla Achillis ratione habita, in illorum carminibus manifesto mentio non est facta.

Iam vero non meram recensionem sive locorum sive regum huc pertinentium — Lyrnessi Mynes (B 692, T 296) et Epistrophus (B 692) Eueni filii (B 692), Pedasi Altes (Φ 86, X 51), Scyri Enyeus (I 668) regnasse leguntur [1]) — verum etiam nonnulla quae pertinerent ad pugnas et praedationes, quas una cum his proponi consentaneum erat, nobis servavit Ilias. Sed huc referendum esse, id quod narratur Λ 625, in Tenedo occupanda Achillem potitum esse Hecamede Arsinoi filia, in Lesbo oppugnanda, quod legitur I 665, Diomede Phorbante nata, in Scyro capienda, quod invenimus I 668, Enyei filia Iphitide,

---

1) B 690 sqq. legimus: *τὴν* (Βρισηίδα) *ἐκ Λυρνησσοῖ' ἐξείλετο* ('Αχιλλεὺς) *πολλὰ μογήσας, Λύρνησσον διαπορθήσας καὶ τείχεα Θήβης, καδ δὲ Μύνητ' ἔβαλεν καὶ 'Επίστροφον ἐγχεσιμώρους, υἷέας Εὐηνοῖο Σελητιάδαο ϝάνακτος*, T 296 *'πέρσεν δὲ πόλιν θείοιο Μύνητος*. Quid autem vWilamowitz v. cl. (Hom. Unters. p. 410)? »Man kann sich, wenn man T mit B combinirt nur Mynes als König von Lyrnessos, Epistrophos als König von Theben denken." Miror virum clarissimum in hanc cogitationem incidisse. Nam oculos ferit verba *Λύρνησσον διαπορθήσας καὶ τείχεα Θήβης* in parenthesi stare et sic iungendum esse *Λύρνησσον ἐξείλετο πολλὰ μογήσας καδ δὲ Μύνητ' ἔβαλεν καὶ 'Επίστροφον ἐγχεσιμώρους*. Quo accedit quod Mynes et Epistrophus fratres esse dicuntur, Thebae autem regnasse Eetionem docet Z 395 sqq. Praeterea minime incredibile videtur vs B 691 insiticium esse.

Digitized by Google

minus verisimile puto; malim credere eorum locorum auctores patrum nominibus e fontibus suis arreptis filias addidisse de suo. Neque alio modo septem eae mulieres quas I 129 Agamemnon monet se e praeda excepisse insula Lesbo ab Achille capta, videntur deberi ingenio huius loci auctoris.

De his vero mulieribus ἀνωνύμοισ aliter sentit Tuempel v. d. qui ingenti doctrina pervincere conatus est [1]) eas habendas esse pro heroïnis ἐπωνύμοισ septem urbium insulae Lesbi, neque dubitat quin in fonte unde poeta hauserit, qui fons ab eo nuncupatur „Achilleusmythos" nominatim laudatae sint. Mitto quod ab antiqua poësi epica alienum videtur urbibus tribuere heroïnas ἐπωνύμουσ, quod potius cadit cum in carmina epica γενεαλογικὰ quae dicuntur, qualia saeculum VII a Chr. n. genuit, tum in historicos antiquos quos aequales λογογράφουσ vocabant. Sed Tuempelii argumentationem nego recte se habere. Nam quia Agamemnon, septem illis Achilli oblatis, addit (I 131 sq.): μετὰ δ' ἔσσεται ἣν ποτ' ἀπέτραν, κούρη Βρισῆοσ, Tuempel perhibet sequi ut poëta voluerit Briseïdem unam ex iis esse, atque hoc eo confirmari quod Aiax Achillem alloquitur (I 638) „νῦν δέ τοι ἑπτὰ παρίσχομεν ἔξοχ' ἀρίστασ", quem, nisi Briseïs una ex septem fuisset dicere debuisse „ὀκτώ κ.τ.λ."; itaque locum T 246 ubi legimus ἐκ δ' ἄγον αἶψα γυναῖκασ ἀμύμονα ἔργα ϝιδυίασ ἕπτ' ἄταρ ὀγδοάτην Βρισηίδα καλλιπάρῃον, locosque B 690, T 59 sqq. ubi Briseïs ex urbe Lyrnesso capta traditur, recentioris esse originis, porro quoniam in insula Lesbo extitit promontorium Βρίσιον et oppidum Βρῆσαν [2]), sequi ut Briseïs fuerit heroïna ἐπώνυμοσ oppidi huius. Sed haec omnia pro nihilo habenda sunt. Nam totidem verbis Agamemnon dicit (I 128 sqq.) se septem illas mulieres e praeda Lesbia sibi excepisse, Briseïdem scilicet non sibi exceperat quam Achilli 'δόσαν υἷες Ἀχαιῶν (A 162, 392) [3]). An quisquam credit eam summo duci ademisse

1) Philolog. 1889. 48 pg. 99 sqq. 1890. 49 p. 89 sqq.

2) Cf. vWilam. l.l. p. 409 sqq.

3) Ea quae affert Tuempel ut locum sibi molestum expediat non video quid sibi velint. Sic enim vir doctus: „δώσω ἑπτὰ Λεσβίδασ", inquit, „zuerst ganz unbestimmt, wohl weil aus einer grösseren Anzahl im γέρασ Agamemnons ausgewählt, dann erst bestimmt, τὰσ μέν οἱ δώσω zusammengefasst als Sühngeschenk an Achilleus; ‚eine unter ihnen soll die dem Achilleus besonders werthvolle Briseis sein'."

Digitized by Google

milites ut Achilli darent? Quod autem negligentius poëta hanc ab Agamemnone „inter illas" cum velit „simul cum illis" Achilli ait traditum iri non est cur moremur [1]); Aiax autem quod eam non commemorat (I 638), quid mirum? Ulixes iam nuntiaverat eam redditurum Agamemnonem, Aiacis intererat intellegi magnifice regem agere ideoque monuit septem mulieres dono dari. Inde vero quod Lesbi promontorio nomen Brisio, oppido nomen Bresae fuit, neutiquam sequitur ut huius oppidi Briseïs fuerit heroïna ἐπώνυμος. Nam nihil vetat credere Briseïdem ab initio fuisse numen quod èt in promontorio Brisio eiusque vicinia èt aliis locis coleretur [2]). Ut in Schol. ad Theocr. 13. 6 commemorantur nymphae Brisae dictae insulam Ceum incolentes. Hoc tantum sequitur Briseïdis personam non ab Homero inventam esse, cumque Lyrnessi captam esse dicat neque ulla iam causa sit cur huius urbis expugnationem, aliter quam Lesbi vel Tenedi, pro recentiore habeamus invento, apparet in antiquo fonte illam in mortalem conversam Lyrnessi civem esse habitam [3]). Porro Tuempel etiam Chryseïdem censet in septem Lesbiarum fuisse numero, miro modo negans ex Achillis dictis ad matrem (A 365 sq.) necesse sequi ut Homerus Thebae eam captam velit. Tamen constat Homerum noluisse captam ex urbe quam Achilles expugnasset, nam pater Chryses Apollinis auxilium implorans inter alia deum alloquitur ὅσ Χρύσην ἀμφιβέβηκασ (A 37). An senex narratur deum dixisse praesidem urbis modo ab hoste expugnatae? Οὐχ οὕτω μαίνεται ὁ ποιητήσ. Accedit quod Ulixem non legimus (A 390, 431) patris domum, cui cum

---

1) Fere eodem modo poëta de veste pretiosa agens (Z 295) sic loquitur „ἕκειτο δὲ νείατοσ ἄλλων" pro „πάντων" et regis Rhesi morte narrata (K 560) Ulixen inducit primum sic loquentem παρ' δ' ἑτάρουσ δύο καὶ δέκα πάντασ (ἔκτανε Διομήδησ)" deinde sic pergentem „τὸν τρὶσ καὶ δέκατον σκόπον εἵλομεν ἔγγυθι νηῶν", pro „τέσσαρεσ καὶ δέκατον". Etiam neglegentius Antinoum Penelopae fallaciam exprobrantem facit primum sic (β 89 sq.) ἤδη γὰρ τρίτον ἐστὶ ῥέτοσ τάχα δ' εἶσι τέταρτον, ἐξ οὗ ἀτέμβει θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν Ἀχαιῶν" mox autem sic (β 106) ὥσ τρίετεσ μὲν ἔληθε δόλῳ καὶ ἔπειθεν Ἀχαίουσ· ἀλλ' ὅτε τέτρατον ἦλθε ῥέτοσ καὶ ἐπήλυθον ὧραι, καὶ τότε δή τισ ἔειπε γυναικῶν."

2) Cf. Bacchus Bresagenes vWil. Moell. l.l.

3) In Cypriis legimus (Schol. Vict. Il. Π 57) ea potitum esse Achillem in expugnanda Pedaso, neque mirum in diversis carminibus quae essent de Achillis expeditione diversa ratione singula esse tradita.

Digitized by Google

urbem devastaret pepercisse Achilles potuit, sed εἰσ Χρύσην reducere virginem, Calchasque monuerat (A 100) εἰσ Χρύσην hecatombe mitteretur [1]). Inter urbes complures quibus Chrysae nomen fuisse traditur, una aliqua in insula Lesbo sita erat; hanc Tuempel opinatur Homerum respicere, de qua re non iudico. Sed et Chrysen sacerdotem èt eius filiam Homeri ingenio deberi puto, urbemque Chrysen eum non sibi proposuisse hostilem Graecis; quin virginem Thebae in Troianorum urbe peregrinari voluerit cum haec a Graecis caperetur, dubitare non licet [2]); sic iniuria patri ab Agamemnone illata gravior fiebat et Apollinis ira iustior. Ceterum quae e scriptoribus recentioribus affert Tuempel ad demonstrandum inter urbes Lesbias nonnullis fuisse heroïnas ἐπωνύμουσ, quaeque disserit de septem Musis Lesbiis [3]), deque virginibus Lesbiis inter stellas receptis aut ad Homerum non pertinent, aut, si qua pertinent, e solo loco I 129 derivata sunt nec quicquam valent ad locos Homericos explicandos.

Etiam Idum et Antiphum, quos in Idae montis convallibus apud greges deprehensos Achillem pretio dimisisse legimus (Λ 104 sqq.) nescio an Ἀγαμέμνονοσ ἀριστείχσ auctor, cum ex antiquo carmine cognovisset Achillem petentem urbes Pedasum ac Lyrnessum, in ea regione bellavisse, ultro excogitaverit; utique rege Troiano eos natos esse, id quod in Iliade traditur, ex illo fonte non didicit. Sed aliter res se habet de Lycaone quem in flumine Xantho obtruncat Achilles Φ 34 sqq. Hic frustra victoris misericordiam invocans inter alia memorat se natum esse matre Laothoë filia Altae Pedasiorum regis, patre vero Priamo, et paulo ante ab Achille e patris fundo abreptum

---

1) Perperam vWil. Moell. l.l. p. 411: „Man hat keine Veranlassung dem Dichter von A die Erbeutung bei einer andern gelegenheit als dem Falle von Chryse zu schreiben." Recte vLeeuwen Mnem. 1910 p. 384 „Chrysen urbem non captam esse ab Achivis aperte dicit Homerus A 37, 390, 431."

2) Recte hoc perspecto temere recentiores causam confinxerunt cf. Schol. A ad A 18: εἰσ Θήβασ ἥκουσα ἡ Χρυσηὶσ πρὸσ Ἰφινόην τὴν Ἠετίωνοσ ἑάλω ὑπ' Ἀχιλλέωσ.

3) Lesbos apud Homerum dicitur „Macaris sedes" (Ω 544) cuius regis nemo negabit fieri posse ut mentio sit facta in carminibus de quibus hic agimus. Verum quod Myrsilus narravit (apud Clem. Alex. Prot. p. 9. 24, Car. Muell. F.H.G. IV 457) Macarem pecunia sua Musas emisse, ecquis inde efficiet insulsam eam narratiunculam Homero cognitam fuisse?

Digitized by Google

Lemnum venditum, triplici pretio redemtum, ante duodecimum diem quam illi rursus occurreret patris domum redisse. Ex eius verbis (vs. 80) „νῦν δ' ἐλύμην τρὶς τόσσα πορών" efficias eum sua vel suorum pecunia a suis solutum esse, sed paucis versibus ante poëta eandem rem narrans sic loquitur (vs. 42) „κεῖθεν δὲ" (i. e. ex insula Lemno) „ξεῖνος μιν ἐλύσατο, πολλὰ δ' ἔδωκε Ἰμβριος Ἡετίων." Haec quamvis non optime concinant tamen discrepantia non eiusmodi est ut ferri nequeat. Sed alia accedunt. Nam regis Troianorum filio potitus supersedere poterat Achilles labore eum mittendi Lemnum ut ibi eum venderet, quippe quem probe scire posset patrem haud gravate tanti quanti ipse vellet redemturum. Sed optime illud convenit si Lycaon captivus esset factus urbe patria deleta, nullis cognatis superstitibus qui pro eo pretium solverent, cumque nepos dicatur Altae Pedasi regis et revera Pedasum ab Achille devastatam legamus Υ 92, sponte inducimur ut credamus Μάχης παραποταμίας auctorem ex antiquo carmine quo Pedasi ageretur expugnatio Lycaonem arcessivisse ut eius casibus pugnae imaginem ornaret patre Priamo ei addito. Utrum fratrem quoque Polydorum, quem ab Achille in eadem pugna occisum legimus (Υ 407 sqq., Φ 89 sqq.), ex eo fonte repetiverit noster an ex nihilo finxerit, mitto, quamquam hoc verisimilius videtur. Sed illud notandum puto urbem Pedasum sitam dici (Φ 87) ad flumen Satniuntem. Nam Ξ 442 sqq. Aiax Oileï filius narratur vulnerare Satnium quemdam Enopis filium quem Naiadum aliqua in lucem edidisset prope Satniuntis ripam. At vero Σάτνιος et Σατνιόεις manifesto eiusdem nominis formae diversae sunt, neque ullo modo fieri potest ut Σάτνιος derivatum sit a Σατνίοεις. Itaque nomen ipsum bellatoris vulnerati prodit haec hausta esse e carmine quod ipsius amnis cum heroë Graeco certamen referret, quo etiam tendit Satnii matris origo e Naiadum genere. Illo autem carmine non Aiacem cui apud Satniuntem nihil negotii esset, sed Achillem laudari qui urbem adiacentem cepisset consentaneum erat. Videtur ergo Aiax pro Achille substitutus esse postquam clades ab Achille flumini illata a Satniunte in Xanthum translata est, sive hoc est factum iam ante Homerum sive ab auctore Μάχης παραποταμίας. Ceterum Pedasi in urbe prope ripas Satniuntis etiam Elatus quem Agamemnon interficit

Digitized by Google

habitasse narratur (Z 33 sq.). Nec tamen est cur inde efficias Elatum ex antiquo carmine receptum; satius enim erit sumere auctorem libri Z èt eius personam finxisse èt, ut patriam daret, notae urbis arripuisse nomen. Tum idem nomen Pedasus datur militi Troiano quem cum fratre Aesepo trucidat Euryalus Mecistei filius (Z 21 sqq.). Fratris nomen refert flumen Aesepum, et rursus mater Abarbarea nomine est e numero Naiadum (Z 22). Itaque hic quoque pro fundamento fuit certamen heroïs Graeci cum flumine barbaro, idque rursus coniunctum cum interitu urbis Pedasi, quippe cuius urbs Pedasus noster manifesto heros eponymus sit. Sed Aesepus ex Ida oritur ab oriente, Pedasum autem urbem ab occidente sub Idae radicibus sitam, praeterfluit, id quod supra vidimus, Satnius. Vix igitur potes quin suspiceris nostri loci auctori ob animum versatum esse Pedasum captam et Satniuntem victum ab Achille, sed pro hoc substituisse Euryalum, pro Satniunte Aesepum. Praeterea Pedasus audit Achillis equus funalis, qui equos immortales Xanthum et Balium currui iunctos comitatur (Π 152, 467). Illius equi nomini quoquo modo est explicandum — an ab eodem radice atque verbum πηδάω? — ab origine vix quidquam commune erat cum urbe Pedaso. Sed cum Πατροκλείασ auctor narret ex Eetionis urbe Achillem eo potitum, fieri potest ut ὁμωνυμία induxerit eum qui primus Pedasi expugnationem cecinit ut inde absportatum narraret, deinde vero ille sive ob metri rationes sive mera incuria pro Altae urbe, Pedasum dico, substituerit Eetionis urbem i. e. Thebam. Porro hic paucis agendum est de Iphitione Othryntei filio, ipso quoque matre Naiade nato. Hunc Achilles peremit in flumine Xantho (Υ 381 sqq.), origo autem divina, vox πτολίπορθοσ patri adhibita (vs. 384), fundus regius prope lacum Gygaeum quo hic praeditus dicitur (vs. 390), tum quod ipse compellatur πάντων ἐκπαγλότατ' ἀνδρῶν si cuncta spectas, arguunt Iphitionem non confictum eese a poëta, qui nonnisi duodecim versus consumit in eius congressu cum Achille exituque depingendo, sed personam aliquam respici iam vetustioribus carminibus insignitam. Et quia mater eum sub Tmolo Lydiae monte peperisse narratur, Lydia autem finitima est Teuthraniae cuius regem Telephum supra monuimus in Cypriis ab Achille victum tradi, non absurde existimabis ipsius quoque cladem

Digitized by Google

in carminum de quibus nunc agimus argumenti parte fuisse [1]).

Postremo in his carminibus quas partes Aeneas egerit indagandum est. Hunc legimus (Υ 83 sqq., 188 sqq.) armenta pascentem in monte Ida ab Achille deprehensum Lyrnessum fugisse, ea autem urbe paulo post ab Achille capta, a Iove e periculo vitae ereptum esse, quod referendum esse ad carmen quo celebrata sit Lyrnessi expugnatio èt per se veri simile est èt in ea re praecipuam vim habet Iovis auxilium Aeneae latum. Nam quod Thetidis rogatu rectorem Olympi Homerus fingit paulisper Troianos iuvasse, acute vidit vLeeuwen [2]) poetam id excogitavisse ne absonum videretur, id quod in fontibus suis invenisset, deum Idaeum, quem initio ab Olympio diversum, antiqui iam cantores huic assimilassent, Troianis favere. At mons Ida cum ab urbe Troia satis longe remotus in antiquissimis de bello Troiano carminibus ullius momenti fuisse minime veri simile sit, tum denique huius montis praeses Troianorum tutela habitus esse videtur cum, Achille in bellum Troianum recepto, urbes Ideae Pedasus et Lyrnessus ab eo deletae sub Troianorum dicione et ipse mons cum regione adiacenti in eorum finibus situs esse crederetur. At manifesto Iuppiter Aeneae ex urbe Lyrnesso fugienti non propter Thetidis preces subvenit sed quia fuit deus Idaeus, Iovisque igitur auxilium neque ab Homero excogitatum est, neque ab antiquissimis belli Troiani cantoribus qui ne Achillis quidem rationem haberent, sed facillime intelligitur si sumitur haustum e carminibus de quibus nunc agimus. Tamen etiam alter fons extitisse videtur unde Aeneas in Iliadem receptus sit, carmina volo in Peloponneso condita e quorum materie ea fere derivata sunt, quae in libro E de illo narrantur; sed in eis neque Achilles ullas partes egit, neque, quod per se perspicuum, Iuppiter Idaeus. Ceterum in nostro fonte Aeneas rex Dardanorum fuisse videtur. Nusquam in Iliade sic appellatur nisi Catalogi loco B 819 sqq., huius vero loci auctorem e nostro hausisse fonte ostendere conabor. Ubi Aeneas Lyrnessum con-

1) Iphitionem per imprudentiam neglexi in superioribus cum scribebam (p. 38) Maeones i. e. Lydiae incolas in Iliade appellari tantummodo B 840 sqq., E 44, K 429, P 216. Itaque necesse est etiam Mesthlen et Antiphon fonti de quo hic agimus tribuere, aut duos diversos fontes admittere.

2) Mnem. 1906 p. 295 sqq., 1910 p. 387, 392 sqq., 1911 p. 425.

Digitized by Google

fugisse narratur hanc urbem Leleges habitasse dicuntur, quod in promptu est eidem fonti deberi atque fugam. Sed non additur hanc urbem illius fuisse sedem, contra legitur id quod supra iam monuimus, ibi imperasse Mynetem (B 692 T 296). Atque in ἐπεισοδίῳ, quod est de Aeneae cum Achille certamine (Υ 75—352), Aeneas èt cum Hectore collocutus fugae illius mentionem facit et paulo post, antequam proelium init, γενεαλογῶν memorat auctorem generis sui Dardanum etiamnunc in monte Ida residentem urbem Dardaniam condidisse in planitie adiacenti; cumque Catalogi auctor l.l. Aeneam a matre in Idae convallibus partum tradat, nusquam autem in Iliade praeterea neque de hac Dardani patria neque de loco quo Aeneas natus sit mentio fiat, in promtu est haec eidem fonti deberi, fontem autem hunc Aeneam Dardaniae regnantem habuisse. Neque tamen Aeneae stemmatis auctor e nostro solo fonte hausit. Nam non obscure indicat Dardanos et Troianos revera eosdem esse, quod ad fontem nostrum non quadrat, utpote qui Troianos omnino cognitos non habeat. Quid igitur? Dardano unum modo nepotem tribuit eumque Troëm, unde non potes quin colligas eum ab hoc velle Dardanis nomen Troianis obvenisse, non vero velle Troianos esse partem Dardanorum, nam si hoc vellet Dardano plures nepotes dedisset, quorum Tros unus esset. Itaque Troëm non Priami tantum, sed Anchisae quoque Aeneae patris abavum habet, sic significans eum Troianum esse, quo accedit, quod per totum ἐπεισόδιον nostrum nusquam totidem verbis populus Dardanorum appellatur, sed Neptunus inter pugnam Aeneae cum Achille ceteros deos qui proelio adessent allocutus, portendisse traditur Aeneam Priami stirpe deleta Troianis imperaturum. Atqui facillime stemmatis auctor Troem eiusque quem memorat filium, Ilum, derivare potuit e carminibus antiquis quibus de bello Troiano ageretur, quemadmodum Erichthonium, quem Troïs patrem habet, ex eisdem carminibus arcessivisse supra suspicati sumus [1]). Dardanos antiquorum cantorum temporibus inter veros Troadis incolas fuisse, satis fidenter statuere licet. Nam non poterant cantores rerum in Troade a Graecis gestarum non suis auribus audire nomina, quaequae fuerunt,

1) p. 23.

Digitized by Google

populorum ibi habitantium, cumque supra viderimus [1]) vehementer dubitandum esse an inter hos non fuerint Troiani, eo minus causa est cur credamus nomen Dardanorum fuisse φάντασμα illorum ingenio debitum Neque ulla est causa cur censeamus id nomen ab illis ex aliis regionibus in Troadem esse transportatum. Nam verum quidem est Dardanos etiam in Europa offendi, est enim gens Illyrica, Dardanosque Asiaticos ab eadem stirpe oriundos esse atque Illyricos illos propter ὁμωνυμίαν ipsam veri simillimum est, quemadmodum Leleges quoque quos iuxta eos in Troade invenimus non levibus argumentis Fick v. cl. ex Illyria eo profectos demonstravit [2]). Sed nullum omnino vestigium extat cognovisse cantores nostros Dardanos et Leleges Illyricos. Revera autem multo recentiore tempore etiam extitit urbs Dardanus non longe a Troia orientem versus sita, cuius mentionem facit Strabo (XIII c. 1. 594), civem autem eius urbis commemorat Xenophon (Hell. III. 1. 10). Tum quod Troiae portae ter apud Homerum vocantur πύλαι Δαρδάνιαι (E 789, X 194, 413) forsitan pro documento sit portis arcis semirutae antiquorum cantorum temporibus hoc nomen, indigenarum ore versatum, remansisse [3]). Accedit quod in Catalogo praeter Aeneam Dardanorum principes appellantur Acamas et Archelochus, quos non ex eodem fonte atque illum depromptos esse posse supra demonstravimus [4]), unde sequitur ut duo diversi fontes fuerint de Dardanorum ducibus inter se repugnantes, alter Aeneam ignorans, alter Archelochum et Acamantem, at in ea re congruentes, quod in Troade Dardanos extitisse traderent, hic autem concentus intellegi nequit, nisi ex rei veritate. Ceterum, siquidem constat iam extitisse revera in Troade gentem antiquis poëtis cognitam quae Dardani audiret, quae non tantum in monte Ida sedes suas haberet, sed etiam regionem in qua urbs Troia sita esset, incoleret, incredibile est aut eam gentem siluisse antiquissimos belli Troiani auctores, aut nullos eorum commemorasse principes, cumque nulla sit causa cur

1) p. 33.
2) Fick Vorgriech. Ortsnamen p. 107.
3) Quatuor habuisse portas arcem semirutam ostendit Doerpfeld (Troja und Ilion p. 125 sqq)
4) p. 33.

Digitized by Google

credamus Archilochum et Acamantem ex alio fonte quam ex horum cantorum carminibus in Iliadem receptos esse, confirmatur id, quod ob alias causas in superioribus suspicati sumus [1]) utrumque deberi fonti huic [2]). Inde autem, quod hi cantores Aeneam ignorabant satis facile explicatur, quod auctor loci N 459 sqq. eum fingit succensentem Priamo, utpote ab hoc neglectum ideoque proelio abstinentem, hoc modo scilicet explicaturus quod desiderabatur in horum carminibus. Neque ab his, quemadmodum a stemmatis auctore Troiani et Dardani pro eisdem habebantur. Nam compluribus Iliadis locis distinguuntur [3]), non ita quidem ut non unum populum efficiant — id quod in superioribus ostendimus [4]) — sed ita ut unius populi partes diversae sint, quippe cum ille appelletur Τρῶες καὶ Δάρδανοι. At vero cum praeter fontes quos adhuc pertractavimus etiam alios fuisse unde in Iliadem recepti sint nulla causa sit cur credamus, discrimen intellegi nequit nisi deberi censeatur antiquissimis de bello Troiano cantoribus. Atque ita ab his distinctum esse ut Troes haberent cives urbis Troianae, Dardanos incolas regionis circumiacentis per se veri simile est. Nam tribus quidem Iliadis locis (B 826, E 211, M 96) de quibus locis in superioribus egimus [5]), res aliter proponitur, sed patet hoc ad fontem eum nihil pertinere. Ab altera parte ea quae in superioribus suspicati sumus de ratione poëtarum qui Troiam et Troianos primi usurpaverint [6]) optime quadrant. Quin etiam stemmatis auctor cui supra monuimus fontem de quo nunc agimus non ignotum fuisse [7]), quamvis Troianos et Dardanos pro eisdem habeat, tamen Aeneam quem in altero fonte suo regem Dardanorum esse invenerat, per transennam negare videtur civem urbis Troiae fuisse, neque enim eius originem ducit ab Ilo urbis Troianae heroë eponymo, verum ab huius fratre. Atque eodem

---

1) p. 33.

2) Hinc, quemadmodum Ilum ita Dardanum quoque cognoverint incertum est, at nihil credere vetat cognovisse. Itaque quod in Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ duobus locis (Λ 160, 372) Ilus Dardani proles dicitur, inde non necesse sequitur ut ἀριστείας auctor Aeneae stemma cognoverit.

3) Γ 456, H 414, Θ 154, 172, Λ 285, N 150, O 425, 486, P 184, Σ 122, 139.

4) p. 24.

5) p. 24 sq.

6) p. 23.

7) p. 293.

Digitized by Google

tendit, quod Neptunus (Υ 297 sqq.): „cur" inquit „Aeneas immerito affligitur propter mala aliena" — i. e. regis civiumque urbis Troiae — „laborans". Ceterum, contendentes ab antiquissimis belli Troiani cantoribus Dardanos et Troianos pro diversis eiusdem populi partes haberi, nullo modo infitiamur, quod contra èt per se veri simillimum est èt confirmatur eis quae de portis Dardaniis disputavimus [1]), antiquissimo tempore, quod illorum poëtarum aetatem antecederet, quo tempore, volo, arx semiruta quam pro Troia Homerica habemus, integra etiamnunc staret et incoleretur, eius cives partem fuisse populi Dardanorum. Ab altera parte quod permultis Iliadis locis totus populus solo Troianorum nomine significatur [2]), non opus est sumere horum locorum auctores ita egisse quod ex Aeneae stemmate effecissent Troianos et Dardanos eosdem esse, sed potuerunt populi partem praepollentem pro toto usurpare populo.

Aeneas autem, aliter quam Dardanorum populus, a poëtis in Asiam est transportatus, a poëtis rex Dardanorum factus est. Ab initio inter Graecorum daemones eum fuisse produnt ea quae e fonte Peloponnesio hausta in libro E de eo narrantur, neque non origo divina e matre Venere cuius ἐπίκλησιν notissimam Αἰνειάδα ab Aenea seiungi non posse viderunt vv. dd. Quid, si eadem natura divina èt masculine èt feminine enuntiata, altera autem cum Venere coniuncta effecerit ut altera pro eius filio sit habita? Neque tamen poëtae hi, qui celebraverunt Aeneae congressum cum Achille in monte Ida et fugam ex urbe Lyrnesso, eum arcessiverunt e Peloponneso sed e Thessalia. Quod cum contendimus minime negligimus daemonem Achillem praeterquam in Thessalia èt in aliis regionibus èt in Peloponneso olim cultum esse, quod luculenter demonstravit Usener [3]). Verum quaecunque Achillis res gestae a poëtis collocantur in eis regionibus quas posteri nomine Aeolidis complexi sunt, manifesto Achilli Thessalico sunt adscribendae nam e Thessalia atque Boeotia eae Graecorum manus profectae sunt quae eas regiones occupaverunt. Sed in Boeotia nullum Achillis vestigium reperitur nisi πεδίον Ἀχιλλεῖον

1) p. 293.

2) Vide supra p. 24.

3) Sitzungsber. Hist. Phil. Classe der k. Ak. d. Wissensch. 1898. Vol. CXXXVII p. 9 sqq., p. 57 sqq.

Digitized by Google

quod pro documento est ibi daemonis Achillis sacellum fuisse [1]), nihil aliud. Praeterea Boeotia ad nos nihil pertinet cum Aeneae in Boeotia omnino nullum vestigium cernatur. Ab altera parte ut id quoque hic addamus, si qua in Asiae litore praeterquam in Aeolide memorantur Achillis fortia facta, manifesto deneganda haec sunt Achilli Thessalico, quippe cum ad Thessalos non pertineant. Atque propterea in superioribus memorantes pugnam Achillis cum Trambelo quem apud fontem prope Miletum, i. e. in regione quam posteri Ioniam appellabant interemisset, negavimus hanc notitiam haustam esse e carminibus eiusdem κύκλου atque Lesbum, Tenedum, Lyrnessum, Pedasum ab Achille captas [2]). Revera autem ea de Trambelo narratio e nullo carmine epico deprompta, sed recta via e cultu daemonis Achillis orta esse videtur [3]). Iamvero, ut ad Aeneam redeamus, si quis rogat quid sit cur cogamur Aeneam, quem in regionibus Idaeis cum Achille conflixisse vidimus, ex eadem patria atque hunc eo a poëtis transportatum sumere, respondendum est propterea id sumendum quia alia causa non appareat cur Aeneas eo transportatus sit, nisi quod simul cum Achille ideo quod in communi patria iam hostilia egissent transportatus sit. Idque ultro confirmatur eo quod in Cypriis [4]) Achilles Aeneae κακὸς γείτων dicitur, qui eius armamenta rapiat. E nihilo id confingere Homero invito Cypriorum auctor non potuit. Neque spectavisse potest Achillis incursiones in regiones maritimas Asiae; nam cuius γείτων aliquis est in eius vicinia habitat, at Achilles non habitavit in illis regionibus quas cum classe adiret praedaturus. Nam quamquam carminibus quibus eius navigationes agebantur memoria est servata Graecorum occupationis earum regionum, procul dubio tamen hoc non ita se habebat ut Achilles proponeretur aliquam terram expugnavisse ubi domicilium regnumque conderet. Sin autem monet quis fieri posse ut Cypriorum locus non pertineat ad Achillem Thessalicum, sed ad Achillem Peloponnesium, respondemus tamen suo loco manere

1) Usener l.l. p. 10.
2) p. 286.
3) Usener l.l. p. 11, Vuertheim de Aiacis origine p. 78 sq.
4) Procl. apud Arist. Poet. c. 16.

Digitized by Google

id quod ostendere conamur, Aeneam Aeolicum — ut ita dicam — e Thessalia arcessitum esse, permirum vero futurum esse si Cypriorum locus ad omnia alia spectaret quorum ceteroquin nihil notum esset, cum praesertim heroem Achillem praeterquam Thessalicum carminibus epicis celebratum esse nusquam appareat. Statuendum ergo videtur in Thessalia iam Thessalorum carminibus Aeneam e daemone in hominem conversum fictum esse Achilli hostilem, et deinde eosdem poetas qui Achillem in Asiam transferentes cum Dardanis proeliantem facerent, Aeneam quoque eo traduxisse et horum fecisse regem. Postremo hoc notandum. Certamen Achillis et Aeneae quod in Troiae campo commissum ab Homero narratur (Υ 259 sqq.) nihil est cur credamus haustum ex eorundem illorum carminibus; in eis enim quae hinc derivata esse vidimus nullus ei locus esse videtur, sed aut ex antiquis Thessalorum carminibus est derivatum aut e nihilo confictum ab eo qui in Iliadem id inseruit; quoquo modo autem hoc se habet insertum esse videtur inprimis ut ansa daretur Aeneae stemma proferendi. Nihilo minus credibile puto auxilium a Neptuno ei allatum petitum esse e fonte Peloponnesio, sed quod deus narratur (Υ 318 sqq.) eum e manibus Achillis detractum per aërem avectum procul deposuisse quo loco Caucones in acie constitissent, nescio an in Caucones inciderit poëta, quod in carminibus quibus de Aeneae fuga ageretur, in Cauconum fines ex fuga eum pervenisse vidisset; nusquam sane nisi nostro loco et Κ 249 in Iliade prodeunt. Omnino Caucones neque non Leleges, qui praeterquam nostro loco et Κ 249 etiam memorantur Φ 86, non aliter ac Dardani et fortasse Pelasgi [1]) et Teucri [2]) antiquorum cantorum temporibus inter veros Troadis incolas censendi videntur extitisse.

In superioribus cum ageremus de simultatibus quae Achilli cum Aenea in ipsa iam Graeca patria intercessisse traderentur, ansamque dedissent hunc simul cum illo in Asiam transportandi, apparuit cogitandum esse de carminibus antiquis Thessalicis quae cognita essent poëtis Achillem ducem fingentibus expedi-

1) Supra p. 39 in ann. 1 s. f.
2) Supra p. 26.

Digitized by Google

tionum in Asiam emissarum, quorum igitur auctores hos aetate superarent. Sic vero alia multa de Achille ex Iliade cognoscuntur, quae dubitari nequeat, quin iam antequam illius celebrarentur in Asia res gestae, in ipsa Thessalia carminibus divulgata sint, multa inquam, quae partim nunquam desierint ad antiquam referri patriam, partim magis minusve mutata novam in Asia scenam invenerint ubi acta esse in posterum crederentur. Inter illa commemoranda sunt parentum Pelei et Thetidis nuptiae, quibus dei adfuerunt (Ω 61 sqq.), quippe qui deam iunxissent homini mortali (Σ 84, Ω 536); equi et arma, deorum dona nuptialia, quae filius ad bellum Troianum secum absportavit (Π 381, 867, P 202, Σ 84, Ω 354) [1]); fraxinus quam Peleo cecidit Chiron, Achilles contra Troianos gerebat (Π 143 sqq., Τ 388 sqq., Υ 277, Φ 162, Χ 133); idem Chiron Achilli artis medicae doctor datus (Λ 382); Achillis capilli devoti flumini Sperchio (Ψ 142); Thetidis taedium mariti mortalis (Σ 431) secessusque in patris Nerei sede marina (Α 358, Σ 36), Achillis filius Neoptolemus in insula Scyro eductus (Τ 326 sqq. cf. Ω 467) [2]); inter haec quae statim vides transformata esse, primum locum obtinent quae tradiderunt cantores de Achillis exitu. Nam in Iliade non tantum legimus (Α 352, 415, Σ 59 sqq., 95 sqq. 440 sqq.) mortem praematuram ei sorte paratam, verum etiam e bello Troiano eum non domum rediturum esse (l.l. l.l.), sed sagittis ab Apolline (Φ 277 sqq.), sive potius a deo simul et homine mortali (Τ 410—417), eoque Paride (Χ 359), oppressum, in Troiae porta Scaea extinctum iri, cum tamen demonstratu non opus sit eius fatum multo ante

1) Forsitan eiusdem fabulae forma alia fundamento fuit eis, quae in libro Σ narrantur de armis a Vulcano Thetidis rogatu fabricatis. Absonum enim erat, si rem per se spectas, quo temporis momento laboraretur in Patrocli corpore reducendo et periculum in mora esset, Achillem a matre moneri (Σ 135 sqq.) eiusque monitis obsequi (189) ne in aciem prodiret antequam ei arma a Vulcano attulisset, prorsus autem ineptum erat addere Achillem, nulla aliorum heroum arma sibi convenire nisi scutum Telamonii (vs. 192 sqq.), quasi, credo, scuto viri minoris staturae tegi non potuisset. Sed haec intelleguntur si sumis conficta esse a poeta qui abuti vellet antiqua fabula. Quid? ipsa armorum commutatio, quam Πατροκλείᾳ ab initio defuisse multi suspicati sunt, nonne eodem consilio in Iliadem inserta est?

2) Achillem ne propter virtutem bellicam in mortem praematuram rueret a matre in insula remota muliebri habitu inter regis filias collocatum ex una harum filium procreasse, nihil vetat credere antiquis carminibus traditum, dum ne ab initio bellum Troianum in causa fuisse censeatur.

Digitized by Google

quam in bellum Troianum induceretur, quo tempore nullaedum eius res gestae extra patriam Graecam circumferrentur, ab antiquis cantoribus celebratum esse. Neque deest quod probare videatur his auctoribus eum ab Alexandro nondum Paridi assimilato sed inter Thessalorum heroës habito sagitta perfossum esse, sive propterea Paridi est assimilatus Alexander quod Achillis interfecti fama in Paridem traducta est, sive huius famae Paris particeps est factus, quod Alexandro assimilabatur. Plutarcho auctore (Thes. c. 34) Ister Alexandrinus in Atthide retulit nonnullos narrare Ἀλέξανδρον τὸν ἐν Θετταλίᾳ Πάριν, ὑπ' Ἀχιλλέως καὶ Πατρόκλου μάχῃ κρατηθῆναι παρὰ τὸν Σπερχειῖον, Ἕκτορα δὲ τὴν Τροιζήνων πόλιν λαβόντα ἁρπάσαι καὶ τὴν Αἴθραν ἐκεῖ καταληφθεῖσαν [1]). Probe distinguendum quid in hac relatione antiquum et genuinum, quid nugatorium et recens sit. Nam quem praepostera doctrina luderet, cum omnes scirent Sicyonem fuisse sedem Aethrae Thesei matris, apud Homerum autem commemorari (Γ 144) eodem nomine ancillam Helenae, sic secum agere potuit Aethram reginam Sicyoniorum cum Troiae serviret, nonnisi per vim urbe patria deleta a Troianis absportari potuisse, sed eiusmodi facinus a moribus consiliisque Paridis abhorrere [2]), itaque tribuendum esse Hectori cum classe in expeditionem profecto. Sed proelium apud Sperchium inter Achillem et Alexandrum nihil est neque in aliis quantum scimus Graecorum fabulis, neque in fabula Troiana, unde falso nugatoris acumine potuerit colligi, contra nonnulla sunt quae probare videantur id ex antiquis carminibus in memoria hominum resedisse. Verba Ἀλέξανδρον τὸν ἐν Θετταλίᾳ Πάριν, a multis sollicitata, vulgo de coniectura Coraesii v. d. sic leguntur: Ἀλέξανδρον μὲν ἐν Θετταλίᾳ τὸν Πάριν. Verum nihil moliendum est, dummodo recte interpreteris. Nam verba illa valent: „Alexandrum, Paridem Thessalicum" i. e. „Alexandrum quo nomine Paris appellabatur in Thessalia sive ab auctoribus carminum quibus agerentur Thessalica" [3]). Hoc autem quisquis primus

1) mss: καταλειφθεῖσαν, errore manifesto.

2) Paridem enim non armis infestis sed placide iter in Graeciam suscepisse docere videbatur locus Γ 353 sqq.

3) Eodem modo vertit Bethe v. cl. l.l. Quem perstringit O. Crusius (Sitz. Ber. d. K. Bair. Akad. d. Wiss. München 1905 p. 760 sqq.) fastu solito agens; „Bethe's

Digitized by Google

dixit, cur dixit nisi quod cognitum habuit id ita esse? An dubium est quin Paris et Alexander ab initio diversi fuerint? An raptor Helenae, fax belli Troiani, ab initio audivit „Alexander" i. e. „qui viros defendit"? Adde quod, cum vulgo in Iliade, sive Paris sive Alexander proponatur mollis, ignavus, hostem sagittis potius ex latebris quam cominus hasta petens, uno tamen loco (Z 503—H 14) depingitur acer, bellicosus, equo indomito per campum ruenti similis hostes adoriens, praeterea gravi armatura indutus. Haec igitur eius imago ex alio fonte derivata est atque altera. Atqui luxuries et mollities magis conveniebat mulierum amatori, bellatoris ferocis imago ad nomen „Alexander" unice quadrat, itaque ex eodem fonte est hausta atque hoc [1]). Unde tamen non efficiendum puto ut in hoc antiquissimo fonte Alexandro gravis armatura tributa sit. Nam, id quod acute animadvertit Bethe v. cl. [2]), sagittis suis vulnerat Alexander duos heroës Thessalos Machaonem [3]) et Eurypylum [4]). Antiquissimo autem tempore heroës ipsa sagittandi arte insignes erant, cui rei documento sunt Heracles, Eurytus, Philoctetes. Sed ex quo heroës coepti sunt proponi graviter armati, illa ars non necesse quidem erat ut dedecori verteretur, sed tamen molli militi convenientior habebatur quam hastae usus. Tunc temporis igitur Alexandro etiamtum forti bellatori, nondum mulierum insidiatori, illa ars adempta esse videtur a poëtis, eique tributa gravis armatura; illa ei reddita est e carminibus

---

Folgerungen" inquit v. cl. (p. 775) halten bei einer elementären exegetisch-kritischen Nächprüfung nicht stand" et (p. 774) „Bethe wird durch die alte Plutarchvulgata irregeführt sein", — quasi nemini sana mente liceat dubitare an libris plus fidei habendum sit quam Coraesii conjecturae — „Alexander der Paris in Thessalien wäre ja eine völlig verdrehte Anschauung". Sed hoc ne dixerat quidem Bethe, dixerat vir clarissimus „Alexander der Thessalische Paris", Crusii vero interpretationi repugnat sermo Graecus; quae ita recte se haberet, si legeretur: Ἀλέξανδροσ ὁ Πάρισ ἐν Θετταλίᾳ.

1) Aut utrumque fontem, aut ex Iliade utramque Paridis imaginem coguoverat, ipse cum esset inter recentiorum poëmatis partium auctores, is qui N 765 Paridem fortiter se gerentem et socios adhortantem ab Hectore tamen increpari finxit eisdem uso verbis ignominiosis quibus eum compellavit certamen cum Menelao detrectantem (Γ 39).

2) Hom. u. d. Heldensage p. 14.

3) Λ 505 sqq.

4) Λ 581 sqq.

Digitized by Google

antiquissimis postquam mollities ei iniungebatur. Graviter armatus occidit Menesthium, qui quo loco eius mors narratur (H 8 sqq.) Arna ex urbe Boeotiae oriundus dicitur, sed cuius ὁμώνυμος, Sperchei filius, commemoratur inter Myrmidones Achillis milites (Π 173 sqq.); hunc igitur vix dubium est quin e carmine vetustiore etsi non vetustissimo depromserit illius loci auctor patre et patria mutatis, quemadmodum heros claviger Areïthous, pater Menesthii Boeoti, alio loco (H 137) Arcadum princeps dicitur. Ab altera parte arcus intentus contra duos illos heroës Thessalos prodit fontem et unum et antiquissimum. Quod autem omnium gravissimum est, Alexander ipse, teste Iliade minore, occumbit sagittis Philoctetis qui etiam ab Homero inter Thessaliae heroes numeratur (B 716 sqq.), et aliis oppidis imperans et Thaumaciae in Sperchii vicinia sitae. Nam quod ante Troiae muros Philoctetes in Iliade minore Alexandrum caedit, vix quisquam censebit obstare quominus censeamus ab initio eam rem in Thessalia collocatam ibique celebratam esse. Idemque quod de Alexandri exitu, de Achillis iudicandum erit, deque hostilibus inter utrumque exercitatis. Ceterum quod in pugna illa apud Sperchium Achilli additur Patroclus, neque antiquissimum est, neque carminibus debetur Thessalicis si in superioribus recte monuimus [1]) eum ab origine Locrensem fuisse.

Porro Thebae expugnatio ad Achillis res Thessalicas referenda videtur. Nam apud Homerum quidem eam urbem in Troade vel in eius regionis vicinia collocari inde patet quod eius rex ab Achille in defendenda sua sede occisus, in Iliade Hectoris socer est, verumtamen Thebam in Troade sitam Ed. Meyer v. cl. [2]), non ante saeculum VII, Staehlin v. d. [3]) ne ante VI quidem conditam esse demonstravit [4]); cumque apud Homerum Thebe dicatur ὑποπλακίη (Z 397), et legatur sita esse ὑπὸ Πλάκῳ (Z 396, 425 X 479), montem cui conveniat nomen Πλάκος i. e.

1) p. 9.

2) Gesch. der Troas p. 80.

3) Programm. des Kön. Wilh. gymn. in München 1907.

4) Inde vero quod ante saeculum VII a Chr. nulla vera urbs Thebe in Troade exstitit, cave inde efficias non potuisse ante id tempus Homerum fingere urbem eo nomine in Troade sitam. Contra nihil prohibet sumere veram illam Thebam appellatam esse ab Homerica hac ficta.

Digitized by Google

tabulati formam reddens („Plattenberg", nostrates „Tafelberg") neque in huius urbis vicinia inveniri neque in ullius ex sex urbibus quae eodem nomine apud antiquos commemorentur, ostendit Staehlin, sed vocem „ὑποπλάκιοσ" unice quadrare ad Thebam Phthiotidem, dummodo pro vulgato ὑπὸ Πλάκῳ substituas „Ὑποπλάκῳ" i. e. „in regione cui nomen Ὑπόπλακοσ", et intellegas illo nomine ab initio indicatam esse imam partem campi Crocii, qui a radicibus montis Othryis declivis in planitiem vergit convenienter Strabonis verbis (IX 433), cui Demetrius Scepsius auctor est „ὑπὸ δὲ τῷ Κροκίῳ (sc. πεδίῳ) εἰσὶ Θῆβαι αἱ Φθιωτίδεσ". Censet igitur Staehlin, id quod iam ante eum suspicati sunt Bethe [1]) et O. Kern [2]) v.v. dd., poëtam eum qui primus Thebae expugnationem cantaret hanc urbem non in Asia collocasse sed in proxima vicinia Achillis patriae, quod autem apud Homerum eam Cilices habitasse dicantur (Z 397) quorum in Troade vel eius regionis vicinia nullum verum vestigium unquam inventum sit — nam quamvis ex antiquis non desint qui docte de his eorum sedibus agant nullo negotio ostendi posse eam doctrinam nullo alio fundamento niti nisi solo loco Homerico [3]) — satis veri simile esse eum qui Thebam Hypoplaciam e Thessalia in Asiam transportasset temere arripuisse nomen gentis quam in Asia habitare cognitum haberet [4]). Haec omnia quin verissima sint vix dubitare licet. Verum Bethe, Kern, Staehlin arbitrantur iam in antiquo carmine Thessalico etiam Hectorem et Andromachen suas partes egisse, illum in urbe patria Thebe defendenda occisum esse, uxorem ab Achille captam. Quod iis minime dandum videtur. Nam Troianorum ducem et propugnatorem in Iliade Hectorem appellatum, in antiquissimis de bello Troiano carminibus quae eum ab Aiace occisum haberent alio nomine designatum esse pro quo e car-

1) Hom. u. d. Heldens. p. 14.

2) Neue Jahrb. für das klass. Alterth. 1904 p. 12 sqq.

3) Staehlin l.l. p. 15 sqq.

4) De vera Cilicum patria ultra montem Taurum habitantium utique non cogitavit, neque enim credibile est eum voluisse Hectoris uxorem e remotissima regione arcessitam, aut sibi proposuisse, id quod nemo unquam audivit, in ea Achillem bellavisse nedum inde praedam in castra ad Hellespontum traduxisse vel illuc ab Hellesponto reginam captivam pretio accepto remisisse (Z 429).

Digitized by Google

mine nostro nomen Hector sit substitutum [1]) èt, si per se rem spectas parum veri simile videtur, néque reliquiae argumenti carminis nostri satis ansae dant sumendi rem ita se habuisse. Nam hoc maxime argumento Staehlin nititur quod Hector Andromachae praedicit (Z 457) „καί κεν ὕδωρ φορέῃσ Μεσσηίδοσ ἢ Ὑπερείησ"; inepte autem eum cum uxore acturum fuisse de fontibus quos sive coniuges in Asia sive in Thessalia colloquentes fingantur utrique necesse sit ignotos fuisse [2]), quemadmodum Pausanias docet (III 20. 1) Messeïdem fontem exstitisse in Laconia prope Therapnam et teste schol. ad Pindarum (Pyth. IV. 222) nonnulli ferebant fontem Hyperiam inveniri in eadem regione; sed cum Strabo testetur (IX. 431) utrumque fontem prope Pharsalum ostendi, Hyperiam etiam prope Pheras (IX. 432) in promtu esse de his fontibus non procul ab urbe Theba sitis cogitasse carminis auctorem, quod enim apud Homerum dicat Hector ἐν Ἄργε' ἔουσαν uxorem ex eis aquam petituram, nihil obstare quin credas antiquum poetam spectasse Argos Pelasgicum, et minus consulte qui Thebam e Thessalia in Asiam transtulisset illorum fontium nomina retinuisse ex antiquo carmine. At quamquam haec omnia perquam probabilia sunt, tamen minime necesse est in illo carmine Hectorem fontium mentionem fecisse, potuerunt et alii, potuerunt captivae sortem suam deplorantes. Nam quod addit pro sua sententia Staehlin in Iliadis minoris fragmenta legi (Kinkel 18) „ἀπαχθῆναι (Ἀνδρομάχην) σὺν αὐτῷ (Νεοπτολέμῳ) εἰσ Φαρσαλίαν τὴν Ἀχιλλέωσ πατρίδα" quod mutato victoris nomine ex antiquo carmine haustum censet, aequo iure contendas Andromachae Pharsali servitium propter locum Homericum inventum esse ab aliquo qui illos fontes recte in Thessalia collocaret [3]). Potius igitur quam Staehlinio cett. adstipulem ita rem mihi propono poetam, qui pri-

1) Hesychius: Δαρεῖοσ ὑπὸ Περσῶν ὁ φρόνιμοσ, ὑπὸ δὲ Φρυγῶν Ἕκτωρ, unde collato loco Ε 9 ubi agitur de Darete Troiano, Vulcani antistite, M. Duencker v. cl. (Gesch des Alterth. V[5] p. 317 in ann.) colligendum censet in antiquissimis de bello Troiano carminibus Hectori fuisse nomen Dareti. Sed Hesychii verba obscuriora sunt quam ut id inde efficere liceat.

2) Prope Ormenion Thessaliae oppidum fons Hyperia appellatur Β 437.

3) Cf. Scholia ad Z 457 ἡ διπλῆ ὅτι κατὰ τὸ προστυχὸν οὕτωσ εἰπόντοσ Ὁμήρου οἱ νεώτεροι ὑδροφοροῦσαν εἰσάγουσιν αὐτήν.

Digitized by Google

mus Hectorem cum uxore colloquentem finxerit, eo quod eam orbam et solam fingere [1]) cuperet inductum esse ut adhiberet antiquum carmen quo Thebae clades celebraretur ex qua urbe in eo fonte ab Achille deleta et ab ipso in Troadem traducta illam oriundam faceret. Eundem primum omnino uxorem tribuisse Hectori, vel saltem nominatim eam appellasse suspicor. Nomen Andromache ipsum prodit se ab initio fuisse nomen Amazonae, atque sic saepius in vasis invenitur, neque tamen inde sequitur ut id curaverit is qui Hectoris uxorem sic appellaret. Hoc nomen arripuit, aliud nomen arripere vel ipse excogitare potuit. Forsitan id sic accipi voluerit non „quae cum viris pugnat" sed „ob quam proci certant".

Tum Achillis certamen cum Asteropaeo Paeonum rege (Φ 140 sqq.) in Europa cantatum videtur, antequam Μάχη παραποταμία insertum est. Alter rex Paeonum Pyraechmes nomine invenitur B 849, Π 287, quibus locis contra Asteropaeus desideratur. Itaque veri simile est utrumque fonti diverso deberi. Pyraechmen autem cum Patroclus occidat a Protesilai nave hostes proturbans non temere eidem fonti adiudices atque ipsos Patroclum Protesilaumque [2]); Asteropaeus praeter quam in Μάχη παραποταμία duobus locis occurrit, P 217 ubi inter alios sociorum duces eum compellat Hector, P 350 ubi comitem Apisaonem a Leocrito interfectum frustra ulcisci parat. His locis per se spectatis nihil inest cur de antiquo fonte cogitemus, sed aliter res se habet loco Φ 140 sqq. Nam ibi Asteropaei pater dicitur Pelagon i. e. ἐπώνυμος Pelagonum, qui a Paeonibus diversi non sunt, „quem procreaverunt Axius et Periboea Acessameno nata". Atqui id ipsum quod proavus commemoratur, avus paternus ei deus adscribitur

1) Colloquium si cum Staehlinio ad Thebae obsidionem refers, nondum cum haberetur mortem obierant Andromachae parentes — nam de fratribus dubitare licet — nondum patria deleta erat, parentes et maritum simul amisit.

2) Per imprudentiam hoc neglexi cum agerem de Troianorum sociis ex hoc fonte derivatis cf. supra p. 36. Muelder (l l. p. 239 sq) propter Paeonum mentionem factam censet ipsius Protesilai casum ab Homero haustum esse e carmine quo celebraretur Graecorum expeditio aliqua Achiliis ductu adverso flumine Axio Paeonum terram aggredentium. Hoc èt redargui puto iis quae in superioribus (p. 4 sq.) de Protesilao Phthiorum rege disserui, èt re per se spectata parum credibile esse Graecos apud barbaras gentes incursiones fecisse septentrionem versus, cum eos a partibus septentrionalibus meridiem versus perrexisse notissimum sit.

Digitized by Google

pro documento est eius famam iam ante Homerum floruisse carminibus, quo etiam tendit quod proavum cum nihil nisi nomen tradatur, poetae eiusque auditoribus notum fuisse apparet, neque non quod ipse propria aliqua virtute — est enim ambidexter — ceteros mortales superat. Paeones in Asia habitasse neque Homerus neque alius quisquam tradidit, sicubi igitur Asteropaei cladem a bello Troiano seiungis, sponte haec quoque ex Asia in Europam remittitur, neque ullo modo mirum est Paeones quamvis satis longe a Thessalia in Macedonia sedes suas haberent, cum vestigia compluribus Graeciae locis reliquerint [1]), manus eorum etiam in Thessaliam olim incursiones fecisse. Quae etiam causa fuisse potest ut Pyraechmen antiquissimi belli Troiani cantores inter Troianorum socios numeraverint. Nam fac iis cognita fuisse bella cum Paeonibus a diversis gesta Graecis gentibus, inde ansam capere potuerunt eos contra Graecos etiam Troianis auxilio mittendi.

Ex Achillis comitibus supra iam egimus de Patroclo [2]), deque Menesthio [3]). Menesthius est primus inter quinque duces quos singulos singulis copiarum partibus Achilles praeficit (Π 168 sq.), eumque cum filius Sperchii dicatur eiusque ὁμώνυμος ab Alexandro necetur, iam in vetustioribus carminibus aliquas partes egisse censuimus, quo accedit quod Pelei nepos dicitur. Atque Eudorus alter e quinque illis, cum copiose dei Mercurii et Polymelae eius parentum amores narrentur in patria iam a poëtis laudatus videtur. Tertiae et quartae parti qui praesunt Pisander et Phoenix, quamvis hic in Πρεσβείᾳ haud exiguas partes agat [4]), non habent cur suspiceris eos iam ante Homerum in carminibus extitisse. Sed qui superest Alcimedon, cum eius nomen nonnisi leviter discrepet a nominibus Automedontis Achillis in Iliade aurigae, et Alcimi qui Automedonti adest in Achillis equis iungendis (Τ 392 cf. Ω 574 sq.), neque non ipse quoque dicatur (Ρ 474) praestare ceteris Graecis, uno Patroclo excepto, in equis immortalibus ducendis, triplicem cum illis imaginem reddere vi-

1) Collegit Vuertheim l.l. p. 58.

2) p. 9 sqq. 3) p. 302.

4) Praeterea commemoratur Ρ 555 sqq. ubi Minerva eius speciem induit et Τ 311 ubi cum Atridis, Ulixe, Nestore, Achilli animum erigere conatur.

Digitized by Google

detur Achillis aurigae nominibus diversis at tamen non prorsus dissimilibus appellati in antiquis carminibus diversis. Neque enim in eis, quippe in quibus equi immortales Xanthus et Balius, dona deorum — nam de tertio equo Pedaso supra vidimus [1]) — haud dubie, id quod ipsum supra quoque monuimus [2]) celebrati fuerint, eorum auriga deësse potuit. Quemadmodum etiam equorum praesagitionem domini exitus praematuri, quamvis apud Homerum ad bellum Troianum referatur, simul cum hoc exitu ipso ex antiquis Thessalorum carminibus haustam esse vix negare licebit. Supersunt e Myrmidonibus quos quidem Homerus nominatim affert, Epigius Agaclis filius, et Bathycles Chalcone natus, alter ab Hectore (Π 576 sqq.) alter a Glauco (Π 593) interfectus, quos causa nulla est cur non credamus ab Homero inventos [3]).

Praeter Achillem eiusque comites et milites e Thessalorum heroïbus in Iliade celebrantur Machaon atque Podalirius Aesculapii filii (B 731 sq., Δ 194, 204, Λ 518, 832); Philoctetes (B 718 sqq.); Eurypylus (B 736 E 76 sqq., Z 36, H 167, 626, Λ 575 sqq., 661, 810 sqq., M 2, O 392 sqq.); Eumelus Admeti filius (B 714 sqq., 763 sqq., Ψ 288 sqq.); Lapithae e quibus recensentur (A 263, B 741) Pirithous, Caeneus, (A 263) Dryas, Exadius, Polyphemus, (B 740 sqq., M 130, 188 Ψ 841) Leonteus Perithoi filius atque Polypoetes, cui pater Coronus, avus Caeneus (B 740, Z 29, M 129, 182, Ψ 836 sqq.); postremo (Λ 832) Centauri quorum iustissimus Chiron fuisse dicitur (l.l.), et Pheres (A 268) quo nomine vulgo existimantur significari eidem. De Philoctete Machaone Eurypylo supra iam vidimus [4]), quos ex iis quae supra demonstravimus apparet ad eundem carminum Thessalicorum κύκλον referendos esse atque Achillem, neque a Machaone separari posse patrem et fratrem perspicuum est. De Philoctete pauca addenda videntur. Eius vulnus et exsilium in insula Lemno commemoratur in Catalogo

1) p. 291. 2) p. 299.

3) Ad informandam poëta Epigei imaginem pro exemplari Patroclo usus esse videtur. Nam quemadmodicum hic, Epigeus e patria profugus propter propinqui caedem supplex ad Peleum venisse narratur. Patria autem Budeum iam antiqui incerti haerebant ubi sita esset. Stephanus in Magnesia, Schol. Ven. ad Π 572 in Phthiotide collocavit.

4) p. 301.

Digitized by Google

(B 721 sqq.) inque his tradendis tangit poëta res Herculis, Philoctetem enim Lemni degisse dicit ἕλκεϊ μοχθίζοντα κακῷ ὀλοόφρονος ὕδρου. Sed quemadmodum de Herculis rebus gestis hodie iam apud omnes fere constat diversa olim extitisse carmina vel carminum κύκλους, inter quae fuisse quae Philoctetem omnino silerent, sic ab altera parte vix dubium esse potest quin hic quoque sagittariorum princeps propriis carminibus nulla Herculis ratione habita, laudatus sit. Neque sane propterea in bellum Troianum receptus est quod Herculis sagittis opus esset ad Troiam expugnandam, id autem postea inventum, sed quia separari non potuit ab Alexandro a se interfecto, qui ipse nullam ob aliam causam Troianus esse fictus est nisi quod Achillem interemit, hic autem Dardanorum victor, quam gentem Troianis cognatam esse docebant antiqua quae essent de bello Troiano carmina, tot locorum non procul ab urbe Troia sitorum expugnator, sponte inter huius urbis oppugnatores adsciscebatur. Neque igitur quae Catalogus de Philoctetis casibus profert e fontibus quae adhuc pertractavimus hausta sunt. Porro ne Lapitharum quidem Pherumque certamen (A 263 sqq., B 743 sqq.) quo Pirithoum hos a monte Pelio ad fines Aethicum, Pindum si Straboni fides est [1]) incolentium, propulisse Catalogus tradit, huc referendum videtur. Nam non dubium quidem est quin hoc antiquis Thessalorum carminibus celebratum sit, sed vix est cur credamus in ea re quidquam pertinuisse ad Peleum et Achillem. Leonteum vero et Polypoeten nonnisi quia gentes nobiles Ionicae originem suam duxerunt a Pirithoo et Caeneo [2]), in Ionum sedibus Asiaticis excogitatos et ab eorum poetis in bellum Troianum arcessitos esse veri simile est. Postremo Eumelus Admeti filius qui nonnisi in Ἄθλοισ ἐπὶ Πατρόκλῳ comparet, in eis produci videtur quoniam poëtae cognita erat Thessalorum ἱπποτροφία, quam ludicrum circense depicturus nullo modo sibi negligendam esse censeret. Itaque inter proceres curribus certantes e Thessalorum quoque principibus unum aliquem prodisse finxit, atque huic dedit nomen Eumelo. Hunc enim iam ante carminibus celebratum esse vel etiam commemoratum nihil est

1) IX; postea eosdem Epirum incoluisse idem auctor est VII. 18.
2) Suid. Phot. Πειριθοΐδαι, Harp. Κορωνίδαι.

Digitized by Google

quod convincat, Catalogi autem auctor et ipsum et equorum laudem (B 763 sqq.) ab Ἄθλων auctore mutuatus est. Sed hic Admeti filium eum finxit ut vinclum constitueret cum Thessalorum heroë antiquis carminibus celebratissimo, e quibus etiam Catalogi auctor uxorem Alcestim socerumque Peliam petivit, et tetigit Apollinis apud Admetum servitium. In iis carminibus et Alcestis devotionem pro marito et Argonautarum expeditionem cuius auctor Pelias esset, tractata esse per se perspicuum est. Sed nihil in his pertinebat ad Achillem.

In Catalogo inter urbes quibus Machaon et Podalirius imperant (B 728) etiam refertur Oechalia his additis verbis: πόλιν Εὐρύτου Οἰχαλιῆος. At alio Catalogi loco (B 591 sqq.) ubi recensentur Pyliorum urbes inter quas Dorium quoque numeratur, poëta narrat Musas ibi visu et cantu privasse Thamyrin Thracium vatem „Οἰχαλιῆθεν ἰόντα παρ' Εὐρύτου Οἰχαλιῆος", haec autem urbs Oechalia, cum omnino quinque eo nomine urbes ab antiquis appellentur in Thessalia, Messenia, Euboea, Aetolia sitae quarum nulla non Euryti sedes vocatur, dubitaverunt vv. dd. utrum habenda esset in Thessalia an in Messenia a poëta collocata esse. Sed inter urbes unde ad bellum Troianum principes vel milites profecti sint nulla apud Homerum urbs Oechalia est in Peloponneso sita, quapropter malim credere Oechaliam eam Messeniam, quam Pausanias (IV. 22. 33) eundem esse locum voluit cui postea Carnasio nomen, Strabo (III. 6. 26 VIII. 4. 5 X. 1. 10) cui Andaniae fuit, nonnisi φάντασμα esse inde ortum quod nostri loci auctor censeretur cogitavisse de urbe in Dorii vicinia sita, cui opinio favere videbatur quod in Odyssea (Φ 15 sqq.) Ulixes narratur in Messenia congressus esse cum Euryto Iphiti filio, qui locus tamen omnia alia probat, nam — id quod viderunt Faesi v. d. [1]), alii — si Eurytum poëta in Messenia habitare sibi proposuisset, non dixisset „(Ὀδυσσεὺς καὶ Εὔρυτος) ξυμβλήτην ἀλλήλοιν ἐν Μεσσήνῃ" cum praesertim addat „οἴκῳ ἐν Ὀρσιλόχοιο δαΐφρονος". Atqui iam Hesiodus auctor est [2]) in campo Dotio prope Triccas in Thessalia sito, Thamyrin

1) In Ed. Od.: „ἐν Μεσσήνῃ. Auch diese Bestimmung spricht dafür das Eurytus nach dem Dichter nicht aus Messene (sondern aus Thessaliën) war; sonst würde er wohl nicht sagen: sie trafen einander in Messene".

2) Steph. Byz. v. Δώτιον.

Digitized by Google

a Musis occaecatum esse, quamobrem in promptu est suspicari auctorem loci B 591 sqq. confudisse Dotium et Dorium, cum praesertim factis et casibus tam Musarum quam cantoris natione Thracis scenam fuisse magis idoneam partes Graeciae septentrionales quam Peloponnesum censeas. Nihilominus cum auctor loci Φ 15 Iphitum dicat cum Ulixe convenisse perquirentem greges suos qui ei e pascuis discessissent, non dubium est quin alicubi in Peloponneso non in Thessalia remotissima eius sedem hic sibi finxerit [1]), quemadmodum inter Epeiorum quoque duces apud Homerum supra offendimus Eurytum quemdam Actoris filium [2]). Itaque etiamsi discedis ab illa Oechalia Messenia, videtur extra Thessaliae fines compluribus locis Euryti sedes collocata esse, sive hoc debetur Graecarum gentium migrationibus sive cantorum itineribus, et sive e diversis urbibus Oechalia nomine ubi ille regnasse narraretur, plus una revera exstitit sive minus. Iamvero Eurytus Oechaliensis quem Catalogus memorat, quamvis haud dubie e carminibus Thessalicis sit arcessitus et eius sedes recenseatur inter urbes Machaonis et Podalirii, quos Alexandro Thessalo Achillis hosti infensos fuisse supra ostendimus, quamobrem eos referendos censuimus ad eundem carminum κύκλον atque hunc, tamen ipse inter huius socios aut hostes apud antiquos non numeratur et ita in Catalogo eius mentio fit ut non videas quomodo poëta sibi proponat factum esse ut eius urbs Aesculapii filiorum dicionis sit facta. Itaque propterea tantum eam his tribuisse videtur quoniam sciebat eam sitam in regione cuius ex antiquis carminibus collegisset eos fuisse dominos, Oechaliam autem memoranti ei in mentem venisse Euryti alio carminum κύκλῳ laudati et nullo vinculo cum eorum rebus coniuncti. Ceterum argumenta carminum Thessalicorum quae ad Achillem minime pertinerent tamen facillime in Asiae litore pervulgari poterant a Graecis eo profectis, et ab horum patria nova simul cum rebus Achillis tum quae ad hanc tum quae ad patriam Graecam referrentur temporis decursu pervenire ad Iones Asiaticos a quorum poetis in Iliadem inserta sunt.

E Thessalorum etiam carminibus haustam esse fabulam ex-

1) Aliter Faesi vide ann. superiorem.
2) p. 12.

Digitized by Google

peditionis Argonautarum, quae dicitur, demonstratu non opus est, eamque iam ante Homeri aetatem pervulgatam esse luculenter apparet. Nam H 467 in insula Lemno regnare dicitur Euenus filius Iasonis et Hypsipylae et Φ 41 filius Iasonis Lemni habitasse narratur matre et nomine proprio non additis; item Φ 747, sed simul ibi rex Thoas ita memoratur ut discas hunc aliquanto ante Euenum ibi imperasse, cum tamen non addatur quo cognationis vinculo iuncti fuerint; tum Ξ 230 Lemnus dicitur civitas Thoantis, et B 715, id quod supra vidimus, Peliae mentio fit; quibus collatis patet èt Iasonem èt eius filium, uxorem, patruum, socerum ita omnibus notos fuisse ut ne opus quidem esset Homero, ubi eos appellaret, auditores monere quae rationes inter eos intercederent. Neque eorum res ad Achillem pertinuisse manifestum est; sed cum hic narretur (Φ 40 sqq., Ψ 746 sqq.) Eueno vendidisse Lycaonem a se captum, Lycaonis autem captivitatem supra ostenderimus [1]) cohaerere cum clade urbis Pedasi ab Achille deletae, ubi illius avus Altes regnaret, et in argumenti parte fuisse eorum carminum quibus laudarentur Achillis res gestae in Asiae litore, satis causae esse videtur suspicandi iam horum quoque auctores Argonautarum expeditionem et Iasonis commorationem in insula Lemni, utpote omnibus notam tetigisse. Atque haec res potuit inducere poëtam, qui primus Philoctetem in bellum Troianum adhiberet, cum eum cognovisset e carminibus nullam huius belli rationem habentibus, quae eum proponerent Herculis sagittarum heredem imparem, laborantem e vulnere his ei inflicto, ut eum Lemni a Graecis propter hoc vulnus fingeret relictum, quod factum esse legimus in Catalogo B 722 sqq. Hos enim ipsos ad Troiam oppugnandam profectos in itinere ibi commoratos esse traditur Θ 230, quod perquam credibile est repetitum esse e carminibus quibus de Achillis ageretur expeditionibus, si forte haec tradiderint eum ibi cum militibus commoratum. Sed quod legimus H 467 vinum Atridis ceterisque Graecis Lemno advectum esse, quodque memorat Hecuba Ω 753 multos e filiis suis Samum, Imbrum, Lemnum ab Achille venumdatos esse vix dubium quin horum locorum auctores id excogitaverint. Aliter res se

1) p. 289

Digitized by Google

habet de Vulcano quem Lemnus excepit e coelo deiectum a patre (A 590 sqq.), deque Iunonis et Somni in eadem insula congressu Ξ 230 sqq., neque tamen haec pertinent ad fontes quos nunc persequimur.

Maioris autem momenti quam insula Lemnus in Iliade mons Olympus est, Iovis, denique deorum magnorum omnium Musarumque sedes, qui mons cum in Thessalia situs sit, si quid aliud, pro documento est quantum in opiniones Graecorum de rebus coelestibus carmina Thessalorum valuerint. Nam quamvis minime negare liceat non sola poësi epica factum esse ut ab universa Graecia prae ceteris omnibus sedibus Olympus deis habitandus daretur, complures enim sine dubio gentes Graecas aliquamdiu in Thessalia degentes et inde meridiem versus profectas in novis domiciliis retinuisse memoriam montis ubi olim deos summos collocassent, manifesto tamen id non prohibere potuit praeterea diversissima loca, montes praesertim, pro deorum sedibus haberi, satisque constat Homero deberi quod abinde saeculo VII a Chr. n. per totam Graeciam Iovi Olympio aedes consecrari coeptae sint, et coelum Olympusque qui in eum se erigeret, pro uno eodemque eoque vero magnorum deorum domicilio haberi. Itaque quod in Iliade rerum caelestium imago ea est quae ex ea cognoscitur, non propterea est quod quo tempore illud poëma condi inciperetur, omnem iam Graeciam, quo nomine etiam litus Asiae a Graecis inhabitatum complecti par est, pervaserit communis opinio quam poëtae reddiderint, sed unice debetur ea imago Thessalorum carminibus, quae inter eius fontes fuerunt. Quae res etiam eo confirmatur quod sedes Musarum quoque in Iliade Olympus est, quam postea invito Homero Boetorum sententiam secuti poëtae in Heliconem traduxerunt, unde sequitur ut minime de ea re iam ante Homerum communis aliqua extiterit opinio. Atqui de harum sede si non extitit cur de deorum? Uno Iliadis loco, Achillis precationem notissimam dico Patroclum in aciem missuri (Π 233 sqq.), Iuppiter appellatur Dodonaeus Pelasgicus procul habitans. Hanc appellationem E. Meyer censet [1]) a Πατροκλείαι auctore usurpatam esse ob doctrinae ostentationem. Hoc mitto, sed haud

1) Forsch. z. alt. Gesch. I 37 sqq.

Digitized by Google

dubie ex antiquo hausit fonte [1]). Assentior autem viro clarissimo hic Epiri locum celeberrimum, non Thessaliae aliquod oppidum ignotum spectari quemadmodum praeeuntibus nonnullis ex antiquis [2]), Welckero v. cl. aliis placuit [3]). Quo etiam tendere videntur verba „procul habitans". Neque ullo modo mirum antiquos Thessaliae incolas, quos credibile est eo per Pindi saltus ex Epiro advenisse, quemadmodum constat de Thessalorum gente proprie sic dicta quae saeculo fere VIII. a Chr. n. eorum fines invasit, memoriam servasse pristini fani, eorumque poëtas Iovem Dodonaeum vocasse sive neglegentes hanc eius sedem non optime quadrare ad domicilium in monte Olympo, sive quod aetate eius qui primus illud τηλόθι ναίων ex ore emisit, nondum in ipsius populariumque mentibus fixum constaret Iovis verissimam sedem Olympum esse. Sed is qui Catalogo inserens vss. B 755 Perrhaebis Dodonam inhabitandam tribuit, nostro loco Π 233 male intellecto eam urbem Thessaliae adiudicavit. Doctus videri cupiens disseruit de regione in qua eam collocavit, sed Enienes et Perrhaebos finitimos fingens conturbavit omnia.

Sequitur ut quaeramus utrum prius extiterint carmina haec quibus Achillis laudarentur fortia facta quae in Aeolide et regionibus proximis insulisque adiacentibus edidisse crederetur, an illa quae in priore parte huius commentationis pertractavimus, quibus celebraretur expeditio Boeotorum eorumque sociorum ad Hellespontum profecta cuius poëtae ducem haberent Aiacem. In Iliade nusquam Achilli alia tribuitur patria nisi Phthia. Cur

1) Meyer l.l.: „Es entspricht dem Charakter der Patroklie dass der Dichter es liebt seine gelehrsamkeit, die Kenntnisse, die er von seinen Meistern gelernt und auf der Wanderschaft erweitert hat zur Schau zu stellen". An propterea tantum Achillem finxit invocantem Iovem Dodonaeum, quod ipse a magistris audivisset vel in itineribus cognovisset Dodonae Iovis fanum esse? Cras credam. Addit autem Achilles ἀμφὶ δὲ Σελλοί σοι ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι, de qua re Meyer: „(Der Dichter) benutzt die gelegenheit über die Form seines (i. e. Iovis) Cults einige zwar in das Gebet absolut nicht hineingehörende aber die Hörer interessirende Bemerkungen anzufügen." Neque tamen haec precationi aliena sunt, augent enim eius maiestatem. Quemadmodum Apollinis sacerdos non tantum (A 37 sqq.) „ὃσ Χρύσην ἀμφιβέβηκασ" sed „Κίλλαν τε ζαθέην Τενέδοιο τὲ κίφι κανάσσεισ, Σμίνθιε".

2) Steph. Byz. Apoll. lex. schol. ll. Π 234.

3) Götterlehre I p. 199 A 1.

Digitized by Google

Phthia nisi propterea quod in carminibus nostris unde in bellum Troianum arcessitus est haec eius patria esse inveniretur? Quid? Etiam is, quisquis fuit, qui eum apud Sperchium flumen cum Alexandro Thessalo pugnantem finxit, de qua re supra egimus [1]), non aliter rem sibi proposuisse videtur. Verumtamen non iam ab antiquissimo inde tempore eum Phthia oriundum voluerunt poëtae. Sive enim civitatem sive regionem mavis antiquissimo tempore eo nomine appellatam esse, nemo sane contendet unquam eius fines pertinuisse ad montem Pelium. Atqui ipsum patris nomen Peleus prodit numen in eo monte residens postea in mortalem conversum; et eodem spectat promontorium Sepias sub Pelii radicibus situm, ubi Herodotus auctor est [2]) Xerxem sacrificasse Thetidi πυθόμενος παρὰ τῶν Ἰώνων τὸν λόγον, ὡς ἐκ τοῦ χώρου τούτου ἁρπασθείη ὑπὸ Πηλέως; neque aliud quidquam significat fraxinus Pelias qua et Peleus et filius Achilles insignes sunt, atque huius magister Chiron iustissimus Centaurorum quos a monte Pelio proturbasse Perithoum in Catalogo legimus. Fuisse igitur tempus patet quo nondum Pelei Achillisque cultus a Phthiotis receptus esset, Boeotorum autem expeditionem, inter quorum socios Phthiotas fuisse invenimus, eo tempore emissam esse apparet propterea quod in carminibus quae de ea conderentur Achillem vidimus sileri. Vetustiora igitur haec carmina fuerunt quam illa quibus Achilles Phthiota dux fingeretur expeditionis qua primum Graeci in Aeolidem deferrentur [3]); altera autem cum saeculo fere medio XII a Chr. n. adscribenda videantur [4]), vix multum aberrabimus si altera saeculo post edi coepta esse credemus. Recentiores poëtae utramque Pelei patriam et praeterea tertiam, insulam Aeginam volo, quam cur addiderint non huius propositi est indagare, studuerunt coniungere fingentes eum ex insula ea Phthiam fugisse propter necem fratris

1) p. 300 sq.

2) VII. C. 191.

3) Alias multas deinceps expeditiones eo profectas esse imprimis postquam Dores Peloponnesum invasissent eiusque rei aliquam memoriam latere in iis quae scriptores abinde Hellanico tradant, Peloponnesiorum manus domo profugas ab Agamemnonis posteris in insulam Lesbum inque litus Asiae adiacens ductas, probabiliter monet Drerup v. d. in opere cui titulus „Homerus" p. 47.

4) Ed. Meyer v. cl. censet Troiam Homericam ineunte fere saeculo XII. a Chr. aut paulo ante deletam esse. (Gesch. des Alterth. I² p. 658).

Digitized by Google

Phoci et inde demum se contulisse Iolcum in Pelei montis viciniam ibique ceteram degisse vitam [1]). Haec non concinunt cum Homero quippe apud quem senex Phthiae habitasse narretur [2]), nemo autem perhibebit in illis quidquam esse quod ad explicanda quae de eo ante Homerum sint tradita pertineat.

Superest ut consideremus utrum Homerus demum an iam ante Homerum poëtae alii, Achillem, Aeneam, Alexandrum ceteros Thessalorum heroës quos antiquis carminibus nulla dum belli Troiani ratione habita celebratos esse vidimus in id bellum induxerint. De Achille quaeramus primo. Hunc vix quemquam Iliadem perlegentem latere poterit ita in ea proponi ut non dubitare videatur poëta quin cognitum eum habeant auditores inter belli Troiani principes. Statim exordium illud *μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληιάδα' Ἀχιλῆος κ.τ.λ.* mire frigeat nisi ipsum Pelidae nomen suffecerit ad auditores monendos quod sit illud bellum in quo eius ira mille funeribus Graecis constitisse dicatur, sed incerti de ea re haeserint. Fac autem, quod nonnullis vv. dd. placuit quibus minime assentiendum puto, sed fac exordium Iliadis, quale id nunc habemus recoctum esse et initio in eo Achillis nullam mentionem esse factam, res eodem loco manet, nam tamen ubi primum ipse in scenam prodit (A 54), nihil nisi hoc: *τῇ δ' ἀγορήνδε κάλέσσατο λαὸν Ἀχιλλεύς*, quod aliter, credo, poëta enuntiasset nisi sciret Achillem iam ante inter principes Graecorum Troiam oppugnantium celebratum esse. Ab altera parte aliqua indicia permanserunt carminum huc spectantium. Nam Aeneas quem vidimus in eis carminibus quibus nulla Troianorum ratione habita Achillis laudarentur res gestae contra Dardanos, Leleges alios, Dardanorum regem esse fictum, tamen diversis Iliadis locis dicitur *Τρώων βουλήφορος* vel *ἀγός* [3]), quo iure autem id fiat explicatur eius stemmate de quo supra vidimus, quo propter originem a Troë cognatus fingitur Priamo et Hectori, nullo vero alio loco [4]). At sive censes totam Iliadem

1) Apollod. 3. 12. 6.

2) Π 15.

3) E 217 N 463 P 485 T 83.

4) Tangi videtur stemma E 263 sqq. ubi agitur de equorum divinorum subole quam regi Troï surripuisse traditur, cum praesertim et ibi et in stemmate memoretur Ganymedes.

Digitized by Google

uni auctori deberi, incredibile est eum commisisse ut per maximam poëmatis partem auditores incerti de ea re haererent, sive mavis Iliadi plures poëtas operam navasse absurdum est omnes locos quo Aeneas dicatur Τρώων βουλήφοροσ vel ἀγόσ recentiores esse eo loco quo eius genus editur. Itaque hoc fere constat stemma illud Homeri aetatem superare. Insertum autem nostra Ilias id habet certamini Aeneae et Achillis, itaque huius certamines auctor id aut in fontibus suis invenit aut ipse confecit, quod si verius est ipse etiam Homeri aetatem antecessit. Sed procul dubio verius est. Nam Neptunus in illo certamine Aeneam Achillis manibus subtracturus ad ceteros deos qui proelio adsunt conversus, nolle Iovem inquit (Τ 300 sqq.) Dardani progeniem exstirpari sed in fatis esse Aeneae ut et ipse et eius liberi et nepotes quique ab eis oriantur Troianis imperent. Id autem quid aliud significat nisi hoc poëtae temporibus fuisse aliquam domum regiam, quae ab Aenea originem suam duceret, qualem fuisse testatur Strabo (XIII. c. 1 p. 606), quam Dardanorum alicui civitati imperantem honorare poëta voluerit testando eam imperare reliquiis superstitibus verae Troianorum gentis? [1]) Ab altera parte cur stemma ipsum confectum sit nisi honorandi causa aliquam domum regiam quae ab Aenea originem duceret, cum ostenderetur Aeneas ortus esse a stirpe regia Troianorum, nemo videt; etenim laus auctori generis tributa etiam posteris eius decori erat. Quo etiam certamen ipsum pertinebat unde ille cum tremendo Graecorum heroë congressus paene aequo Marte discessise narraretur. At si et certamen et stemma eodem consilio conficta sunt eandem honorandi domum regiam, separari nequeunt cum praesertim se invicem expleant, neque credibile est utriusque auctorem non eundem fuisse. Habemus igitur hic carmen quo ante Homeri aetatem condito usus est sive auctor libri Τ, sive poëta etiam recentior, qui suum opus ei libro inseruerit, id enim sciri nequit. Utrum carmen illud paene integrum adhibuerit an prorsus reformaverit, ita ut magis eius materie quam eo ipso sit usus, mittendum videtur. Hoc unice nostra interest ita Achillem sine verbis recipi potuisse inter

1) Domum illam cum ad Aeneam se referret perspicuum est titulum hunc derivasse ab antiquis carminibus quae eum Dardanorum regem proponerent.

Digitized by Google

socios belli Troiani. Nam cum diserte ostenderetur Aeneam Priamo et Hectori cognatum interque Troianorum fuisse principes, sponte auditorum mentes cogitationem subire necesse erat, eius certamen cum Achille, quem iam ante non Troianorum quidem sed Dardanorum tamen quibus Troiani proximi essent victorem cognovissent, id enim iam ex antiquis carminibus de bello Troiano quae essent, apparebat, ad illud pertinere bellum, itaque etiam Pedasi et Lyrnessi expugnationem eo referendam esse. Atque ea res eiusmodi est ut nihil vetet credere nullum aliud ante carmen nostrum extitisse quo Achilles cum Troianis bellasse traderetur; saltem ut hoc inde intellegeretur nullo alio carmine opus fuit.

Nam aliorum quoque carminum eodem pertinentium vestigia indicare licet. Inter quae nunc demonstrabo extitisse unum aliquod quod pro fundamento fuerit Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίᾳ. Carminis quod volumus auctor, quemadmodum auctor carminis quo Aeneas laudabatur in usum suum convertit carmina antiqua quibus cantaretur expugnatio Lyrnessi et Pedasi, sic ille Thebae, cumque ex hac urbe ab Achille deleta Hectorem uxorem duxisse fingeret, ea ipsa re auditorum mentes inclinavit in hanc opinionem, eius urbis cives non procul degisse ab urbe Troia, arma consociasse cum Troianis, Achillem eos oppugnasse cum his bellantem. At tamen cum poëtae temporibus nulladum in Troade urbs Theba extaret — veram enim Thebam in Troade sitam non ante saeculum VII vel VI a Chr. conditam esse vidimus [1]) — de Cilicibus autem quibus satis temere urbem suam Thebam adscripsisset, nemo unquam Troadem incolentibus audivisset, neque prorsus incredibile habendum esset Hectorem uxorem e longinquo arcessivisse — Theba enim Thessalica ex antiquis carminibus haud dubie satis nota erat, ibi vero habitasse populum cui Cilicibus nomen, quid credere prohibuit? — conclusio quam diximus non satis in expedito erat auditoribus nisi iam gnaris Achillem participem fuisse belli Troiani. Quapropter malim credere carmen quo Aeneae res agerentur temporis ordine antecessisse nostro. Huius autem vestigia in Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίᾳ nobis servata esse

1) p. 302.

Digitized by Google

sic ostendere posse mihi videor. Colloquium celeberrimum quo loco in Iliade legatur non optime se habere, quippe in qua Hector post omnia eo intenta ut postremi digressus species moveatur tamen antequam mortem obeat uxorem denuo convenisse fingatur, multi abinde Naberio v. cl. [1]) professi sunt viri docti, nemo distinctius pronuntiavit quam vLeeuwen v. cl. qui „fieri non potuit" inquit [2]), „ut verus ullus poëta nedum tam egregius poëta quam fuit is, cui hoc priscae poësis gemma debetur, heroëm in pugnam redeuntem uxori sic valedicere et ut vita iam functum ab ea defleri fingeret, si mox eum ad suos vita salva esset reducturus. Poëta nisi ultimum hoc coniugum colloquium voluit verus non fuit poëta neque potuit fingere illud quod omnes novimus et admiramur colloquium." Sed vLeeuwen sibi videtur difficultatem expedire duobus versibus (Θ 58, 59) eiectis, alteris duobus (H 478, Θ 55) leviter mutatis ita ut pro κατὰ πτόλιν legatur κατὰ στρατόν [3]). Invitus confiteor non persuasisse mihi virum clarissimum. Componam ea quae eius sententiae mihi obstare videantur. Hectorem sub finem eiusdem diei quo cum uxore convenerat, post certamen cum Aiace comites ἦγον προτὶ ἄστυ (H 310). „Non dicitur in ipsam urbem adductus esse Hector" (v. L.). Quod tamen nisi propter gravem aliquam causam prohibeberis sponte inde efficies, cum praesertim ad suos redire iam proxime ante dictum esset his verbis (H 307) ὃ δ' (Ἕκτωρ) εἰσ Τρώων ὅμαδον ἴκε. Mox autem (H 345): Τρώων ἀγορὴ γένετ' Ἰλίου ἐν πόλι' ἀκρῃ δεινὴ τετρηχυῖα παρὰ Πριάμοιο θύρῃσι. „Non *cunctorum*, quibus in summa arce locum fuisse nemo unquam in animum inducere sibi potuit — sed ducum et senum, qui cum ipso Priamo in urbe remanserant" (v. L.). At ingentem multitudinem hominum arte stantium vel etiam sedentium exigua area includi posse, qui attendet percipiet. Nonne in area Capitolina olim habebantur concilia plebis [4]). De *contione* autem Troianorum Catalogi auctor hoc (B 788 sqq.) „οἳ δ' ἀγορὰσ ἀγόρευον ἐπὶ Πριάμοιο θύρῃσι πάντεσ ὁμηγέρεεσ ἡμὲν νέοι ἠδὲ γέροντεσ". Itaque vereor credere „ἀγορὴν

1) Quaest. Hom. 1877 p. 156.
2) Mnem. 1910 p. 338.
3) l.l. p. 344 sqq.
4) Liv. XXV. c. 3.

Digitized by Google

δρεινὴν τετρηχυῖαν habendam esse βούλην γερόντων". At ex eis, quae paulo post sequuntur (vs. 380) „δόρπον ἔπειθ' εἵλοντο κατὰ στρατὸν ἐν τελέεσσι" vLeeuwen collegit Hectorem cum iuniori-bus coenasse extra urbem. Quid autem? Priamus in illa sive contione sive consilio dixerat νῦν μὲν δόρπον ἕλεσθε κατὰ πτόλιν ὡς τὸ πάρος περ καὶ Φυλακῆσ μνήσασθε καὶ ἐγρήγορθε ἕκαστοσ, haec vero mandata si pertinuisse censentur tantummodo ad „se-niores, qui intra muros remanserunt" (v. L.) intellegi nequit, quid sibi velit illud „vigilare et custodias disponere". An non satis praesidii erat in iuniorum exercitu cum Hectore in campo pernoctante? An etiam seniores opus erat somno abstinere et vigilias obire? Atque cum Priami verbis si haec, unice recte me iudice, de tota Troianorum sociorumque multitudine intel-leguntur ea concinunt quae leguntur (vs. 477) Τρῶεσ δὲ (δαί-νυντο) κατὰ πτόλιν ἠδ' ἐπίκουροι quo loco igitur nihil arbitror profici si pro κατὰ πόλιν legis κατὰ στρατόν. Sed nihil cogimur vs. 380 verba κατὰ στρατόν accipere de exercitu considente in campo potius quam in arce, et praeterea hunc versum, quem mss. complures omiserunt non sine causa complures vv. dd. in-sertum censuerunt e libro Σ ubi idem legitur (vs. 314). Neque igitur ulla iam iusta causa superest ut eiciamus vss. Θ 58, 59 ubi Troiani ex omnibus portis effundi dicuntur [1]), neque ut vs. 54 ubi eidem arma induere narrantur pro ἀνὰ πτόλιν sub-stituamus κατὰ στρατόν. Et, Hercle, rogare licebit quid inter-polatorem pervincere potuerit ut nullo alio consilio nisi ever-tendi omnem rectam rationem alia insereret alia mutaret. Sed etiam hoc affert vLeeuwen, Hectoris in illo quod vult ducum consilio nullam mentionem fieri. Neque tamen rogatus poeta negaverit, credo, Hectorem inter duces adfuisse cum praesertim de re minime levi, nimirum de Helena reddenda sententiae di-cerentur. „At Hector si adfuisset, ut Antenori assentiretur fere-

1) Urbi plures portas fuisse non dubito quin sibi proposuerit huius loci auctor (quemadmodum Catalogi auctor B 809). Nam si cum Aristarcho vocem πάσασ vertis „totas" ridiculum est significari portam totam esse apertam ut exercitus emitteretur. Quod autem ibi poëta manifesto de sociis non cogitat, quippe qui non tantum Troianos aiat pauciores quam Graecos in aciem profectos esse, sed addat 'μέμασαν δὲ καὶ ὧσ ὑσμῖνι μάχεσθαι πρό τε παίδων καὶ πρὸ γυναικῶν, nonnisi incuriae tribuendum arbitror.

Digitized by Google

bat ratio" (vL.). Audio, sed rem sic explico, poëtam ad alia festinantem nonnisi rerum summas attigisse: Antenorem rogantem, Paridem dissuadentem, Priamum consensu principum si minus omnium, maioris tamen partis decernentem. Silentur ceterorum sententiae, siletur discessio facta, sed facilius hoc fero cum persuasum habeam poëtam in re adumbranda abusum esse argumento vetustioris carminis quo copiosius ageretur. Alio loco accuratius hoc persequar, hic satis sit monere Λ 122 narrari ab Agamemnone occisos filios Antimachi „ὅσ ῥα μάλιστα χρῦσον Ἀλεξάνδροιο δεδεγμένοσ ἀγλαὰ δῶρα οὐκ εἴασχ' Ἑλένην δομέναι ξανθῷ Μενελάῳ", neque id tantum sed etiam ἐνι Τρώων ἀγορῇ Μενέλαον ἄνωγε ἀγγελίην ἐλθόντα σὺν ἀντιθέῳ Ὀδυσῆι αὖθι κατακτεῖναι μηδ' ἐξέμεν ἀψ' ἐσ Ἀχαιούσ. Eam legationem, quae etiam tangitur in Τειχοσκοπίᾳ (Γ 205 sqq.) et contionem propter eam advocatam proprio carmine celebratam fuisse censeo.

Iamvero „quodsi parum placet στρατόν pro πτόλιν scriptum, et credibile videtur poetam cunctum Troianorum atque sociorum exercitum in urbis arcem coegisse, superest ut Hectoris cum Aiace pugnam singularem non ab ipso poëta, sed postmodo manu aliena carmini insertam esse sumamus" (vL.) Verum hoc minime sufficit, nam etiam Θ 54 „κατὰ πτόλιν" legitur, et praeterea tamen resecandi erunt vss. Θ 58, 59. Sed fac illud κατὰ πτόλιν et vss. illos deberi eidem quae Hectoris et Aiacis certamen inseruerit, vehementer tamen dubito an sic non multum iuvemur. Nam non satis erat poëtam non totidem verbis dicere in urbem redisse Hectorem ante mortem; debebat narrationem suam ita instituere ut vetarentur auditores sibi proponere id potuisse fieri; minime debebat committere ut sponte eas subiret cogitatio aliter fieri non potuisse; quid enim intererat utrum ipse id enuntiaret poëta an cogeret auditores id sumere? Non afferam quod mortuos sepeliendi causa per duos dies in Iliade legimus indutias actas quibus diebus sane insanisset Hector nisi ad uxorem revisendam urbem intrasset, quod propterea non afferam cum facile credam quicunque Hectoris et Aiacis certamen propter insequentem contionem insiticium existimet, cetera quoque quae sub finem libri H sequantur, praecisa velle. Sed etiam si haec praeciduntur tres tamen noctes intervenerunt Hectori antequam ei illucesceret vitae diei ultimus, quarum

Digitized by Google

una κόλον μάχην antecessit altera ei successit tertia Patrocli exitium secuta est, ecquis autem tam ferocem et inmitem censuerit quem eundem modo audivit dicentem ne parentum quidem neque fratrum cladem tantopere se curare quam uxoris lacrimas ploratumque, ecquis inquam tam inhumanum eum sibi finxerit ut non duarum harum noctium, non dico tempora longiora sed semel utique dimidium horae impenderit, sive statim a pugna stationibus dispositis cum milites corpus curarent, sive diliculo cum pranderent et arma pararent, in uxore convenienda, confirmanda, dextra ei iungenda?

Nihilominus summo iure negatur poëtam qui primus animum induxit proponere coniuges amantissimos paulo ante mariti obitum fatum instans praesagientes, latuisse quantum commiserationis huic imagini detraheret nisi supremum eorum colloquium audiri videretur. Verum prorsus alia fit res sicubi sumimus Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίας auctorem adhibuisse carmen sua stans pila quo illud depingeretur. Carmen hoc perspicuum est non potuisse condi priusquam pervulgatum esset in patria defendenda Hectorem mortem obisse, sed eo ipso quod non pars erat poëmatis maioris quo dierum complurium comprehenderetur decursus, integrum manebat auditoribus colloquium tum habitum sibi fingere cum maxime placeret. Eius carminis argumentum si sumimus referre Ὁμιλίαν, huius ἐπεισοδίου causa eadem est atque Ἕκτορος καὶ Αἴαντος μονομαχίας quam item e carmine vetustiore haustam in superioribus demonstravimus [1]), qua de re Leeuwenium consentientem habemus. Quid? ipsa viri clarissimi verba poetam qui id non aptissime in suum usum convertit excusantis, de Ὁμιλίᾳ quoque rem acu tangere censeo: „Huius carminis argumentum" inquit [2]), „suo carmini inseruit ut poterat et ubi poterat .... contextum cum spectamus, poëta vituperandus videtur ..... ipsum episodium cum consideramus nulla contextus ratione habita non possumus non gaudere." Ceterum si de Hectoris nece in superioribus probabiliter argumentati sumus [3]), cuius titulum a Πατροκλείας demum auctore Achilli tributum esse demonstravimus cum antea tribueretur Aiaci, nonnisi

1) Mnem. 1912 p. 15.
2) Mnem. 1910 p. 345.
3) l.l. p. 10, 15.

Digitized by Google

ab huius manu illi mortem instare carminis de quo nunc egimus auctor sibi proposuit. Sed nihil vetat credere Ὁμιλίαν aut eidem deberi auctori atque Πατροκλείαν aut recentiorem esse, idque si ita est illius auctori felicissime contigit ut necesse esset audientibus occurreret, Achillem qui Hectoris uxorem omnibus orbasset proximis etiam ei eripuisse maritum; utique Iliadi qualem nos eam habemus decori est, quod in ea sic res proponitur.

Cum Hectoris et Andromachae colloquio in Iliade nostra cohaeret Hectoris adventus domum Alexandri, fratris adhortatio, reditus cum eo in pugnam. Haec Bethe v. cl. [1]) dum coniugum colloquium, ut nobis quoque placuit, proprio carmini deberi censet, ab initio in huius carminis partem venisse vult, inque eo etiam Helenae mentionem esse factam. De Helena dissentio, carminibus enim quibus eius raptor Troianorum fuisse princeps fictus est recentiorem quam carmini nostro originem tribuendam esse infra demonstrare conabor. At vix dubitandum, cum Achilles iam ante Homeri aetatem a poëtis in Asiae litus traductus sit, quin idem contigerit eius hosti Alexandro. Nam quominus credas ab Homero demum eum Paridi assimilatum esse, utriusque nominis in Iliade promiscue adhibitus usus obstat. Praeterea eius imaginem de qua supra egimus [2]), non modo animum bellicosum sed etiam armaturam gravem exhibentem neque ad antiquissimam eius personam convenire neque vero ad mores Helenae raptoris quadrare itaque tamen Homeri aetatem superare vidimus; cumque nulla vestigia sint unde appareat, quemadmodum Aeneam sic Alexandrum quoque in carminibus ullis quibus Achilles in Asia quidem, nondum vero contra Troianos pugnasse ederetur, memoratum esse, quibus ne ansa quidem dabatur huius rei quippe cum interfecisse Peliden Alexander e Thessalicis sciretur fontibus, illius autem mors eorum argumento aliena esset, veri simile est primum eos aliquo carmine quo Achilles Troianos oppugnasse fingeretur igiturque etiam Alexander in horum haberetur numero, propositos esse in Asia certantes Itaque quod in Iliade Hector moriens Achilli portendit (X 359 sq.) occisum eum iri a Paride, i. e. Alexandro, in Troiae porta

1) Hectors Abschied von Erich Bethe, apud Teubn. 1909 p. 14.
2) p. 301.

Digitized by Google

Scaea, siquidem minus credibile est hoc ab Homero esse excogitatum, haustum videtur ex illius modi aliquo carmine. Quo eodem tendit quod inter ea quae in Iliade ad Patrocli mortem referuntur nonnulla sunt quae illinc deprompta esse videntur. Nam èt Achillem Apollinis ope praedicit Hector interemtum iri (l.l. quocum conferatur etiam T 417) èt Patroclo idem Apollo occurrit (Π 702 sqq.) in eiusque exitu non exiguas partes agit (Π 788 sqq.); qua in re optime ad Achillis personam quadrat, heroëm, qui ceteros omnes viribus superaret, necari non potuisse nisi antea eum deus, urbi quam ille oppugnaret praeses, armis exuisset, tum Achilles, ipse in porta Scaea casurus, Patroclum sibi apud animum proponit cecidisse ἐγχριμφθέντα (Τρώεσσι) πύλῃσιν (P 405), quod non vides quid poetam induceret ut excogitaret — cur enim Achilles suspicaretur Patroclum in Troiae porta versari, quem praefracte vetuit urbi appropinquare? — nisi fons e quo hauriret suppeditasset. Etiam miraculum tenebrarum quae offenduntur pugnantibus de mortui corpore (P 368 sq. 644 sqq.), et ploratus equorum immortalium (P 426 sqq.) maiora fere erant quam quae convenirent sorti hominis mortalibus parentibus nati, neque aliter se haberent si ipsius Achillis non Patrocli mors ageretur; vinculum autem quo cum huius exitu illius iunctus est statim deinde insecuturus, nullo alio consilio inventum esse videtur nisi ut Thetidis eiusque sororum luctus (Σ 37 sqq.), cum in fonte heroëm iam extinctum deplorassent, in Patrocli causa adhiberi posset dum adscriberetur Achillis morti instanti [1]). Atque inde rursus — sponte, ut ita dicam — singularis amor quo in Πατροκλείᾳ ceterisque quae ab ea pendent — nam in prioribus Iliadis partibus minime apparet [2]) —

---

1) Matris nenia qualis fuerit si rogas, nihil desiderabis lectis vss. Σ 53—60. D. Muelder v. cl. sicut nos Achillis exitum Patrocli pro exemplari fuisse ratus tamen initio Thetidis ploratum qualis in Iliade legitur non filii mortem pro causa habuisse sed tum editum fuisse vult cum hic in bellum proficisceretur (l.l. p. 193 sqq.), Achillem autem cecidisse in oppugnanda urbe Dardania (p. 221, 255). Quas coniecturas nullo fundamento niti arbitror.

2) Partes iam aliquas non exiguas egisse Patroclum in carminibus antiquissimis de bello Troiano a Graecis gesto duce Aiace, vidimus supra p. 9 sq., hostes enim propulsasse a Protesilai nave iam ab eis incensa, et paullo post in eis persequendis occisum esse ab Euphorbo. Sed utrum primus eius nomen inde arripuerit Achilli eum comitem daturus Μήνιος auctor (quem a Πατροκλείας auctore separandum puto)

Digitized by Google

Patroclum Achilles amplectitur originem traxit, quippe enim quo copiam sibi faceret poëta Thetidis lamentationem inserendi requirebatur insignis filii ob mortem amici dolor quo permota accurrit ad eum consolandum. Postremo quod in Iliade Patroclus Achillis arma induit ut a Troianis pro ipso haberetur Pelide (Λ 798 sqq., Π 40 sqq.), qui hoc addidit — nam et hoc et omnia quae inde pendent altera manu Πατροκλείᾳ addita esse, propter complures causas alio loco exponendas persuasum habeo [1]) — vix in eam cogitationem incidisset nisi eum movissent multa e carmine quo Achillis exitns narraretur in Πατροκλείᾳ repetita. Ceterum, cum nihil vetet credere Thetidis, Nereïdum, equorum ploratum et caliginis miraculum in eodem carmine tradita esse quo contra Troianos pugnans occidisse traderetur Achilles, simul tamen, nescio quomodo, speciem movent etiam multo ante iam extitisse in Thessalorum carminibus antiquis mortem eum in patria obeuntem fingentibus, quippe ex eius origine et natura divina sponte consequentia. Iamvero quoquo modo hoc se habet, Alexandri quoniam imago quam supra diximus graviter armati pertinere videtur ad ea carmina quibus Achilles contra urbem Troiam bellasse est traditus, in quorum numero fuisse apparuit etiam carmen unde Ὁμιλία est hausta, in Iliade autem locus quo ea imago depingitur (Z 563—H 16) arte cohaeret cum Hectoris adhortatio fratris fratrumque in pugnam reditus atque sic cum ipsa Ὁμιλίᾳ, Bethio dandum videtur fieri posse ut haec omnia ex eodem carmine hausta sint. Sed fac ita esse, tamen quo vinculo ibi fratrum colloquium cum coniugum iunctum sit, quam causam eius attulerit poëta, omnino quid praemiserit, quem finem carmini statuerit prorsus latet. Nam Achillis exitum potius quam eodem hoc carmine alio aliquo eiusdem κύκλου editum esse credideris, nimirum id quod apud Romanos inter-

---

an carminum alicuius de quibus nunc agimus, sciri nequit, sed nihil vetat cogitare de Μηνίοσ auctore; saltem huic eum indicanti — ut fit A 307 — nomine mero patronymico non metuendum erat ne auditores non intelligerent quem vellet, atque etiamsi hi a nullodum cognovissent eum Achillis comitem esse, e contextu satis perspicuum erat pro tali eum e mente poëtae habendum esse.

1) Supra iam monui (p. 299 in ann.) maxime propterea armorum mutationem inventam videri ut antiqui carminis quo Vulcani ageretur Achillis armorum fabricatio, usurpare liceret argumentum, unde ὁπλοποιία hausta est.

Digitized by Google

dictum erat, ne lex satura ferretur, idem, ut in alia causa, in carminibus epicis antiquis condendis valuisse censendum est, materiem adeo uberem et variam nullo vinculo nisi quod tota ad bellum Troianum spectaret colligatam, non uno eodemque carmine fuisse comprehensam. Nam quo tempore carmen nostrum pangeretur non ab Achille Hectorem, sed ab Aiace interfectum cecinisse poëtas, nedum Helenae raptum ad bellum Troianum retulisse, si rite demonstravimus in superioribus, concidit Bethii coniectura suspicantis opponere poëtam voluisse Hectoris amorem coniugalem, pietatem in patriam, fatum sinistrum ab Achille instans, fratris adulterio, levitati, fortunae secundae in Achille occidendo, qua in re praeterea τὸ ἠθικὸν consulto enuntiatum (Teutonice „die Tendenz") a poesi epica alienum videtur. Itaque potius quam de uno carmine, aut de duobus aut de tribus eiusdem κύκλου carminibus cogitandum erit, de tribus enim si fratrum quoque colloquium proprio carmini adscripseris, de duobus si hoc aut ex eodem atque coniugum, aut ex eodem atque Achillis in porta Scaea interitus haustum censueris [1]).

---

1) Bethe etiam mulierum pompam quam habet liber Z, ex antiquo aliquo carmine receptam esse censet, ex alio tamen atque coniugum colloquium et ea quae cum hoc coniungenda esse arbitratur v. cl. ad Paridem et Helenam pertinentia. At Leeuwenio assentiendum videtur demonstranti (Mnem. 1910 p. 349 sqq.) non esse cur illam ab auctore libri Z excogitatam esse negemus. Triplicem causam affert Bethe. Primum hanc quod cum unice Heleni mandatu Hector matrem iubeat matronas ad Minervae delubrum cogere, vestem pretiosam deae dono dare, supplicare ut Diomedem perdat, tamen mentionem ad matrem non facit Heleni, alteram quod Minerva preces non audit, tertiam quod ne satis quidem causae est in praecedentibus cur praecipue Diomedi exitium imprecentur matronae quippe qui Martem quidem vulneraverit neque tamen Troianos etiamnunc victores fugaverit. At ante quam Mars in aciem prodiit magnam Troianorum stragem ediderat Diomedes itaque vehementer metuendum erat ne, deo vulnerato, magis etiam saeviret, praeterea recte vLeeuwen: eo quod Troianorum praeses et dux vulneratus erat ipsi erant profligati neque ea res poetae verbis egebat. Heleni autem consilium a poeta negligentius haberi — ne magni id faciant auditores ipse cavet cum vatem, quamvis οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστον, non ab Apolline monitum fingit sed αὐτὸν γνόντα — facillime ferimus tenentes unice inventum esse ob duas rationes aptissime iunctas, èt ut Paris in aciem reduceretur qui post fugam e certamine cum Menelao tamen reducendus erat èt ut veteris carminis vel veterum carminum materies adhiberi posset, itaque etiam ipsas matronarum preces in hac re minoris momenti esse quae tamen non poterant omitti cum ob eas consilium datum esse videretur. Etiam ea quae Bethe affert quo ostendat matronarum pompam et coniugum colloquium, cetera, non ab eodem poëta inventa esse, quoniam aliis argumentis usus supra demonstrare conatus sum quae ea sint quae auctor libri Z antiquis

Digitized by Google

In eo autem carmine quodquod fuit, quo primum Alexander Troianus fingeretur, simul eum Hectoris fratrem esse fictum conspicuum est, nam haec una res sufficiebat ut illud etiamsi novum esset facile intellegeretur.

Praeter carmina quorum vestigia adhuc persequi tentavimus nulla alia unquam extitisse quibus Achilles contra Troianos pugnans proponeretur, quis contendere audeat? Ab altera parte statuere licet inter ea quae cum ab initio sint edita aut carminibus antiquissimis, quae nullasdum Achillis res gestas casusque extra fines patriae Thessaliae collocarent, aut carminibus paulo recentioribus quae eius expeditiones in Asiam contra Dardanos aliosque populos, nondum vero contra Troianos celebrarent, ex Iliade ad nostram cognitionem pervenerint, nihil esse quod non aut in eorum carminum Achillem Troianorum hostem proponentium quae nobis eruisse videmur, argumentis commemoratum esse potuerit aut recta via ab Homero ipso ex illis vetustioribus petitum. Quod non opus erit pluribus demonstrare quoniam cuique ea consideranti statim apparebit rem ita se habere. Etiam quod supra vidimus [1]) Achillis proelium adversus Xanthum flumen Troianum, fieri posse ut derivatum sit ab eiusdem cum amne Satnio vel Satnioente, qui urbem Pedasum ab eo captam allueret certamine — quod suspicati eramus latere in Aiacis minoris pugna adversus Satnium Enopis filium — credibile videtur illam fluviorum permutationem deberi *Μάχης παραποταμίας* auctori, hunc enim, cum ex antiquo carmine cognitum haberet adversus Satnium pugnasse Achillem, in Xanthi autem ripis eum Troianos opprimentem depicturus esset, sic in cogitationem incidisse ipsum fluvium indigenam contra hostem evocandi.

Achilles postquam vidimus quas partes in bello Troiano egerit

---

fontibus debuerit, hic satis habeo animadvertere a Leeuwenio me iudice redargui. Ben. Niese v. cl. (die Entwicklung der Hom. poësie), versum Z 311 *ἀνέγνως δὲ Παλλὰς Ἀθήνη*" insiticium esse censet (p. 77 A 2), Diomedis vulnus ei ab Alexandro illatum Λ 310 sqq.) initio cum huius cum fratre in proelium reditu cohaesisse arbitratus (l.l. p. 81). Quam rationem praeposteram duco quippe quae nullo nitatur fundamento. At inquit Niese non propterea, credo, Hector Alexandrum reduxit ut hic nihil efficeret. Nihil ergo, quod Troianis laborantibus lucem faciebat nonnullosque interficiebat ex principibus? Non ita iudicavit Minerva H 17 sqq.

1) p. 290.

Digitized by Google

iam ante Homeri tempora celebratas, idem considerandum est de ceteris Thessalorum heroïbus. Et Alexandrum quidem iam apparuit nonnullis e carminibus quae modo persecuti sumus simul cum Achille in bellum Troianum inductum esse; praeterea èt Alexandrum, cum Paride in unam personam iunctum èt Machaonem èt Philoctetem alio loco demonstrabimus veri simile esse iam ante quam ab Homero eius belli socios esse factos carminibus quorum argumenta pro fundamento haberent carmina Peloponnesia. Ex Achillis autem comitibus militibusque in Iliade commemoratis quosnam censeamus ab Homero ipso excogitatos esse supra indicavimus [1]), e ceteris quinam ex antiquissimis Thessalorum carminibus aut ex iis carminibus quibus Achillis expeditiones Asiaticae nulladum Troianorum ratione habita ab Homero primo transsumti sint, qui vero iam ante Homeri aetatem in eisdem carminibus sint memorati quibus Achilles Troianorum hostis fingeretur, parum statuere licet. In his carminibus eius aurigam sive eum Automedontem vocas, sive Alcimedontem, sive Alcimum, non defuisse veri simile est, ceteris neque ulla necessitas videtur cur singulis idem tribuas, neque cur cunctis deneges. Porro matrem vix credibile est defuisse, patrem minime certum, Chironem quoque incertum. At Patroclus ne inter Achillis comites quidem a quoquam ante Homerum receptus esse videtur, de qua re supra egimus [2]); eius cum Sarpedone certamen e nullo antiquo fonte in *Πατροκλείαν* insertam esse posthac ostendere conabor. Postremo ex eis Thessalorum heroïbus quales sunt Lapithae, Eurytus, Eumelus atque Admetus [3]) quibus neque in ullis carminibus ulla ratio cum Achille intercessit, neque ullus locus videtur fuisse in eis carminum *κύκλοισ.* quibus ille celebraretur, nemo ab ullo poeta socius factus est belli Troiani si discedis ab Eumelo et Leonteo ac Polypoete. Hos vero nulla est causa cur ab ullo ante Homerum ad id bellum arcessitos esse censeas, ne veri simile quidem esse supra vidimus eos laudatos fuisse Thessalorum carminibus. Ceteros ab Homero ex his carminibus citatos esse consentaneum est.

---

1) p. 306 sq.
2) p. 308.
3) Vide supra p. 15.

Digitized by Google

Poetarum autem patriam quorum carmina in superioribus persecuti sumus quae fuerit si quis rogat, responsum in expedito esse videtur. Nam non tantum eos qui primi vel bellum Troianum cantaverint vel expeditiones Graecorum Lesbum inque vicinum Asiae continentem ductas, sed etiam qui harum expeditionum quem haberent fortissimum ducem Achillem, cum comitibus hostibusque in illius belli societatem adsciverint, non in Europa sed in Asia extitisse ipsa fert ratio, sponte enim factum esse ut cum antiquissima carmina de illo bello condita vulgarentur, in Aeolide prima eorum materies misceretur cum materie carminum quibus celebraretur Achilles. Drerup („Homer" p. 114 sqq.) iam antiquissimis de bello Troiano carminibus unice Achillem laudatum esse ratus — nullam enim rationem habet vir clarissimus carminum quae Aiacem solum ducem Graecorum haberent — neque haec distinguens a carminibus quibus agerentur expeditiones Lesbum cett. emissas, auctores in Thessalia vixisse censet. Sed ut cetera mittam quibus ne verbo quidem iam opus est, ecquis non videt utrum verius sit in patria antiqua cantata esse quae procul ab ea gesta essent ab iis qui novam patriam quaererent, an ab horum posteris qui habitarent ipsa loca ubi gesta proponerentur?

(*Continuabuntur*).

HOR. EPL. I, 11, 1.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos?

Quos ad illustrandum adi. *nota* attulerunt locos viri docti, aut nihil ad nostrum locum faciunt, aut liquido demonstrant... adiectivum illud hic ferri nullo modo posse. Lenissima emendatione repone *lauta*, quae aptissima est laus insulae omnibus affluenti bonis.

J. J. H.

Digitized by Google

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 250.)

QUOMODO ADOLESCENS POETAS AUDIRE DEBEAT.

Immo vero *q. a. poetas legere d.* Recte enim Wyttenbachius docet utrumque significare verbum ἀκούειν, nec minus recte me literis admonuit Naberus sermoni Graeco deesse verbum quod plane respondeat latino verbo *legendi*; ἀναγιγνώσκειν enim esse „clara voce recitare". Quamquam interdum tamen (raro fortasse) is quoque dicitur ἀναγιγνώσκειν qui tantummodo mente oculisque scripta contemplatur silens; sic Philippus aulicum Aethiopem in rheda sedentem rogat: ἆρα γιγνώσκεις ἃ ἀναγιγνώσκεις; Utut est, hic certe ἀκούειν est *legere* et nihil aliud.

Quomodo sunt legendi poeta? Nostrae aetatis aliquis respondeat: „ita ut eos *intelligas*, quid sibi velint perspicias, unde materiem suam sumpserint aliaque ex eo genere". Non ita Plutarcho visum. Nam quicunque eius Moralia ita disposuit ut nunc habemus, interdum eum vocabulis tantummodo adhaesisse et vanam speciem esse secutum nusquam magis quam hic apparet. Iunxit enim inter se libros: de puerorum educatione, de adolescente poetas „audiente", de recta ratione audiendi. De hoc postea videbimus; sed priores illi revera toto coelo, ut aiunt, inter se distant. Illic vidimus adolescentulum periodos suas et sentiolas anxie limantem, ut satis mirari non possis unquam eius meditatiunculam Chaeronensi esse adscriptam doctori; at hic, si usquam alibi,

Digitized by Google

ipsum habemus Plutarchum, qui cetera omnia negligit et nihili facit, hoc unum quaerit quo modo res, de qua agitur, ad *mores* hominum *emendandos* adhiberi possit. Sic natus est libellus, quem non solum doctus aliquis philologus indignabundus abiiciat e manibus, sed etiam is qui decantatum illud „artem artis, scientiam scientiae causa esse colendam" tamquam summae sapientiae decretum in ore habere solet. Nam licet noster acuminis habeat satis ut artificis esse perspiciat *bene imitari* non *imitari bonum*, sponte illud missum facit ut e quovis poetae loco utile aliquod trahat praeceptum. Cui enim, ut hoc unum afferam, in mentem venire possit, notum illum in tertio Iliadis libro locum de Paridis et Helenae colloquio documento esse neminem nisi ignavum uxorem suam interdiu amplexari? Cui nisi qui hoc semper et ubique sibi habet propositum ut meliores reddat legentes audientesque? Quamquam ne severiores quidem et doctiores inter veteres philosophi semper ab hoc consilio abhorruisse videntur. Sic, id quod et alibi apud Plutarchum legimus, non avaritia sed prudentia ductum, Agamemnonem militiae dedisse vacationem homini pecunioso, a quo equum bellatorem accepisset, pluris enim in proelio esse equum strenuum quam mollem et delicatum virum, hic *Aristotele* auctore refertur (32 F), et fortasse etiam illud quod continuo sequitur de Achille non obtemperante matri ἐφ' ἡδονὰς παρακαλούσῃ. Sed Aristoteles, ut opinor, raro tantummodo eiusmodi rationem est secutus, at noster „mentium medicus" totum Homerum suo inservire proposito cogit. Et respuit quidem Stoicas illas allegorias, quae proprie sic dicuntur, quibus „fabula ad physicam rationem redigitur" (Wytt.), sed quas ipse adhibet interpretationes non minus sunt violentae. Quid quod (p. 33 C seq.) palam monet ut ne interpolare quidem textum vereamur, dummodo locus aliquis ita moribus nocere desinat. Et in hoc quidem praecepto gravissimos habet auctores, Stoicum alterum, alterum Cynicum, sed etiamsi nullos habuisset, vita magistra idem eum docuisset. Quid enim, Plutarcho iudice, prae virtute doctrina atque ipsa veritas?

Esto, unus hic libellus minus sexaginta paginarum totum nobis Plutarchum ponit ante oculos. Hoc non tam facile statuas utrum *audituris* an *lecturis* sit compositus. Sed illud putaverim. Quamquam enim pleraque Plutarchi scripta utrique rei apta

Digitized by Google

videri possunt, hoc tamen quaedam habet audientibus quam legentibus placitura magis. Neque hoc me movet quod nullo flosculo oratorio liber clauditur, quod nullam habet „peroratio-nem" (ut loquuntur Franco-Galli): saepe hoc non sine aliqua admiratione observas ipsos illos libros qui prae ceteris Plutarcheam produnt mentem indolemque semper sic subito abrumpi sic secum loqui auctor videtur: „haec iam sufficiunt, haec si homines curae meae commissi secuti erunt, bene habebit". Fortasse nonnumquam eundem librum ut et ab aliis legeretur et ab ipso in municipali contione pronuntiaretur composuit; satis bonum oratorem fuisse Plutarchum opinor ut ubi opus esset ex tempore clausulam aliquam rhetoricam posset addere. Sed hic certe *auditores* cogitavit. Auribus enim aptus est flosculus ille de Ulyssis comitibus Sirenas non audientibus, quia cera oppletas habebant aures et ipsum Ulyssem sine periculo eas audiente quia malo erat alligatus, quo corrector sic utitur ut ... „declamet" paene dixerim, nisi nefas videretur declamantem inducere Plutarchum (p. 15 D):

„utrum ergo iubeamus iuvenes aures dura illa et inexorabili Ithacensium cera opplere et sic sublato maximo Epicureorum velo omnem fugere et vitare poesin, an eos tamquam malo rectae alligatos rationi ad optima quaeque dirigamus?"

Et haec quidem cum leni quadam audis voluptate. Quis vero non ex animi sententia plaudat oratori, *sub finem* disputationis (35 F sqq.) gravissime simulque facundissime demonstranti tam profundum inter veram sapientiam et vulgares hominum opiniones hiare gurgitem ut qui subito ab his ad illam ducatur stuporis plenus et formidinis refugiat, necesse ergo esse ad hoc spectaculum parari animos, neque melius parari posse quam si iam in poetis legendis philosophica quodammodo uti ratione assueverint? Sed hic ipse Plutarchus nobis *audiendus* est: fieri non poterit quin sincera nos impleant admiratione verba eius, illa praesertim quibus hominum falsas de divitiis, de gloria, de labore, de virtute, de vita et morte exagitat sententias (36 E).

Sed iam ipsum percurramus libellum, videamusque lateatne hic illic vitium quod leni possimus sanare emendatione. Simul indicabimus locos quos emendandos aliorum relinquimus acumini.

14 F Aures ab oppugnantibus sunt defendendae voluptatibus.

Digitized by Google

Neque enim clausae urbem satis muniunt ceterae portae, si una recipiantur hostes

οὔτε νέον αἱ περὶ τὰς ἄλλας ἡδονὰς ἐγκράτειαι σῴζουσιν, ἂν γε δι' ἀκοῆς λάθῃ προέμενος αὐτόν.

Ut et sententiae et imaginis ratio constet, *τῇ* est legendum pro *γε*.

15 F Lepide prudens noster mentium medicus reprehendit Lycurgum qui vites exstirpaverit, cum potius aqua eodem fuisset adducenda qua vinum miscereter. „Sic nos" ait „ne totam exstirpemus poesin" sed

ὅπου μὲν ὑΦ' ἡδονῆς ἀκράτου πρὸς δόξαν αὐθάδως θρασυνόμενον ἐξυβρίζει καὶ ὑλομανεῖ τὸ μυθῶδες αὐτῆς

illud compescamus. Nihili est istud *πρὸς δόξαν*, quod et omittit interpres Didotianus. Legendum suspicor *παρὰ δόξαν*: praeter opinionem et saepe invito poeta nimis luxuriat carmen.

ib. Quemadmodum mandragoras prope vites consitus vinum lenius reddit

οὕτω τοὺς λόγους ἡ ποίησις ἐκ Φιλοσοφίας ἀναλαμβάνουσα μιγνυμένους πρὸς τὸ μυθῶδες

ad discendum suaviores facit. „*Desumens* doctrinam *eamque* fabulis *permiscens*" Didotianus ait, et certe hoc requiritur, sed Graece sic dicendum erat: *ἀναλαμβάνουσα καὶ μιγνῦσα*, atque ita Plutarchum scripsisse opinor.

16 F *Claudit* enumerationem rerum *consulto* a poetis fictarum, transitque ad ea quae *inviti* mentiuntur:

τοιαῦτα γὰρ ἐστιν ἃ πλάττουσιν ἑκόντες οἱ ποιηταί· πλείονα δ' ἃ μὴ πλάττοντες κτέ.

In hac formula claudendi et transeundi pro *τοιαῦτα γάρ ἐστι* legendum est: *τοιαῦτ' ἄρ' ἐστι.*

17 B *πάλιν αἱ περὶ τὰς νεκυίας τερατουργίαι ... οὐ πάνυ πολλοὺς διαλανθάνουσιν ὅτι τὸ μυθῶδες αὐτοῖς πολὺ ... ἐγκέκραται.*

Quibus, obsecro? Ipsis illis narrationibus fabulosis (*τερατουργίαις*). Lege ergo *αὐταῖς*.

17 F *ἔτι δὲ μᾶλλον ἐπιστήσομεν αὐτὸν* (sc. iuvenem lectorem) ipsius poesis natura describenda.

Locis, quibus Wyttenbachius huius verbi vim usumque illustrat, dissertissimus hic ex ipso hoc libello erat addendus (32 B): *ἐφιστάντα τοῖς οὕτω λεγομένοις.*

Digitized by Google

18 E Inter tragoediae praecepta prava sed apta loquentibus et hoc affert.

τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο
τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος ἔνθα κερδανεῖς.

Arena sine calce; sed scribe *κερδανεῖ*, iniusti habebis philosophiam aptissime enuntiatam: „sume iusti speciem sed revera imitare eum qui nihil, unde lucrum expectat, facere vereatur."

19 F Ineptae istae Stoicorum allegoriae

μοιχευομένην Φασὶν Ἀφροδίτην ὑπ' Ἄρεος μηνύειν ὅτι τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἀστέρι συνελθὼν ὁ τοῦ Ἄρεος μοιχικὰς ἀποτελεῖ γενέσεις.

Nunc locus quam maxime perspicuus: „Veneris Martisque adulterium *significat* e. q. s." Sat notus hic verbi μηνύειν usus (conferri potest 165 B τὴν δεισιδαιμονίαν μηνύει καὶ τοὔνομα δόξαν ἐμπαθῆ οὖσαν), sed sciolus in errorem inductus iis quae statim ad reliquam fabulam illustrandam adduntur: „sed Sol illud collustravit", addidit Ἥλιον post μηνύειν et sic omnia corrupit (v. Mnem. 1908, 395).

20 Citharistam apud Homerum Ulysses sic alloquitur:

ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον

καλῶς ὑφηγούμενος τὸ παρὰ τῶν Φρονίμων χρῆναι λαμβάνειν τοὺς μουσικοὺς τὰς ὑποθέσεις.

Quantocius hinc *τό* facessat.

20 C. Philosophi in docendo utuntur exemplis ex ipsa historia sumptis

οἱ δὲ ποιηταὶ ταῦτα ποιοῦσι πλάττοντες αὐτοὶ πράγματα καὶ μυθολογοῦντες.

Ecquid *ταὐτά*? Fingendo poetae *eodem* perveniunt.

ib. Poetae non magnum moribus afferunt periculum quoniam ipsi sibi contradicunt:

ὅπου μὲν οὖν αὐτοῖς τὸ τιθέναι σύνεγγυς ἐκφανεῖς ποιεῖ τὰς ἀντιλογίας δεῖ τῷ βέλτιονι συνηγορεῖν ... ὅσα δ' εἴρηται μὲν ἀτόπως εὐθὺς δ' οὐ λέλυται

ea refutare oportet iis quae alio loco in contrariam sententiam dicta sunt.

Ecquid perspicuum est hic *αὐτό* requiri? Ubi contradictiones *ea ipsa re* quod poeta illos versus inter se proximos fecit palam fiunt.

Illud „refutare iis quae alio loco in contrariam sententiam

Digitized by Google

dicta sunt" sic enuntiatur: *τοῖς ἀλλαχόθι πρὸς τοὐναντίον εἰρημένοις ἀνταναιρεῖν*. E praecedenti *ἐναντίον* male hic praepositio adhaesit. Lege *ἀναιρεῖν* delere, tollere.

22 F Saepe turpem versum meliorem potes reddere aliquo vocabulo in aliam sententiam detrahendo *ὡς οἱ γραμματικοὶ διδάσκουσιν, ἄλλο πρὸς ἄλλην δύναμιν λαμβάνοντες*.

Immo *ἄλλοτε*: *idem* vocabulum modo sic modo aliter accipiunt.

23 D Cum Homerus dicit „Iovis consilium fuit multos homines interire" *τὴν εἱμαρμένην* eo nomine significat: *οὐ γὰρ τὸν θεὸν ὁ ποιητὴς οἴεται κακὰ μηχανᾶσθαι τοῖς ἀνθρώποις ἀλλὰ τὴν τῶν πραγμάτων ἀνάγκην ὀρθῶς ὑποδείκνυσιν, ὅτι καὶ πόλεσιν καὶ στρατοπέδοις καὶ ἡγεμόσιν, ἂν μὲν σωφρονῶσιν, εὖ πράττειν πέπρωται κτἑ.*

Nisi *ὀρθῶς* esset additum, haec probarem: non Iovem sed necessitatem significat, quae hoc habet quod (*ὅτι*) e. q. s., ut *ἀνάγκην* et *ὅτι* quam artissimo inter se coniungantur vinculo. Nunc post *ἀνάγκην* virgula et coniunctio *καί* ponendae videntur.

24 B *οὕτω δὴ τὰ πολλὰ τῶν ἀτόπως περὶ τοῦ Διὸς λέγεσθαι δοκούντων ἐπανορθωτέον ... ὡς περὶ τῆς τύχης ἢ τῆς εἱμαρμένης λεγομένων, ἐν αἷς τὸ ἀσυλλόγιστον ἡμῖν τῆς αἰτίας σημαίνεται καὶ ὅλως οὐ καθ' ἡμᾶς.*

Unde editor illud *σημαίνεται*, quod neque apud Wyttenbachium neque in Didotiana legitur, habeat non apparet. Lubenter tamen supplementum illud recipio, dummodo simul pro *αἷς* legatur *οἷς* (in quibus locis, versibus). Iungenda autem verba sic: *σημαίνεται τὸ ἀσυλλόγιστον καὶ ὅλως οὐ καθ' ἡμᾶς*: significatur in illis versibus id quod ratione assequi non possumus et quod humanae prudentiae modum excedit.

24 D *ἐπεὶ γὰρ οὐ μόνον ἔμφρονας παρέχεται καὶ δικαίους καὶ ἀγαθοὺς ἐν πράξεσι καὶ λόγοις (ἡ ἀρετή), ἀλλὰ καὶ δόξας ἐπιεικῶς καὶ δυνάμεις περιποιεῖται, παρὰ τοῦτο ποιοῦνται καὶ τὴν εὐδοξίαν ἀρετὴν καὶ τὴν δύναμιν*, fructum eodem quo arborem nomine designantes.

Rectissime editor a Reiskio alterum *τὴν* recepit et post *δύναμιν* posuit virgulam. Sed de *ποιοῦνται* dubito, videturque solito in Plutarchi textu vitio e vicinis medii formis natum, cum verum sit *ποιοῦσι*.

Digitized by Google

24 E Fructus autem virtutis non ipsa virtus in iis versibus nomine ἀρετῆς designatur, ubi eam fortuna praebere dicitur. Quos audiens iuvenis ne putet ἐπὶ τῇ τύχῃ κεῖσθαι τὴν αὐτοῦ φρόνησιν αὔξειν ἢ κολούειν.

Hic φρόνησις ipsam virtutem significat, quae revera sapientia quaedam est. Sed non de illius, ut opinor, tantummodo hic virtute sermo, qui eum versum legit auditve, sed de universa omnium. Natum est ineptum istud αὐτοῦ ex $\overline{\text{ανου}}$ (i. e. ἀνθρώπου). v. Mnem. 1909, 201.

25 E Scire iuvenem oportet Homericos heroas non esse sapientes Stoicos, aut magnum capiet damnum omnia eorum facta admirans μὴ δυσχεραίνων δὲ μηδὲν μηδ' ἀκούων μηδ' ἀποδεχόμενος τοῦ ψέγοντος αὐτοὺς τοιαῦτα πράττοντας καὶ λέγοντας.

Facessat hinc μηδέ quod ante ἀκούων legitur: damnum capiet iuvenis qui nihil eorum *quae legit* improbat neque ei fidem habere vult qui prava heroum dicta factave reprehendit.

26 A Exemplis quibusdam ex Homero allatis prave dictorum factorumque sic pergit: μηδὲν οὖν ἐπαινεῖν ἐθιζέσθω τοιοῦτον ὁ νέος, μηδὲ προφάσεις λέγων μηδὲ παραγωγάς τινας εὑπρεπεῖς ἐπὶ πράγμασι φαύλοις μηχανώμενος πιθανὸς ἔστω καὶ πανοῦργος.

Nimis languidum istud λέγων, exspectes participium quod eandem fere vim habeat atque μηχανώμενος. Sed exstat et altera lectio λόγων, non commemorata ab editore, quam minime spernendam Wyttenbachius censet. Cui lubenter assentior, dummodo locum mutet. Legendum enim post εὑπρεπεῖς istud λόγων censeo. Tum belle inter se respondent λόγων et πράγμασι: ne quaerat iuvenis, cum male *facta* narrantur, speciosas *verborum* in aliam sententiam traductiones. Vox προφάσεις sola stare potest, sed παραγωγάς suum sibi λόγων tantum non flagitat.

26 B Non oportet in Homericis heroibus omnia probare et admirari tamquam si dii immortales essent ἀλλὰ θαρραλέως ἐθιζόμενον ἐπιφωνεῖν μηδὲν ἧττον τοῦ „ὀρθῶς" καὶ „πρεπόντως" τὸ „οὐκ ὀρθῶς" καὶ „οὐ προσηκόντως".

Non concoquo istud ἐθιζόμενον sed aut delendum aut ἀλλ' ἐθίζεσθαι θαρραλέως ἐπιφωνεῖν κτἑ. censeo. Nihil praesidii lectioni traditae est in 28 C ἂν μὴ πρὸς ἕκαστον αὐτῶν εἰθισμένοι λέγωμεν. Recte enim ibi participium *perfecti* habet.

Digitized by Google

26 E Phoenix se in eo fuisse ut suum ipse patrem occideret narrat. *ὁ μὲν οὖν Ἀρίσταρχος ἐξεῖλε ταῦτα τὰ ἔπη Φοβηθείς· ἔχει δὲ πρὸς τὸν καιρὸν ὀρθῶς.*

Verbum *Φοβηθείς* non intelligo; excidisse puto aliquod eius obiectum, cui deinde recte *καιρόν* opponatur.

27 C Si avaritia ductus Ulysses gaudet donis quae Penelopae proci dant, contemptu hominum dignus est, sin ita putat eos necopinato a se oppressum iri *λόγον ἔχει τὸ ἡδόμενον αὐτῷ καὶ θαρροῦν.*

Immo *αὐτοῦ*. Participia illa substantivorum vim habent, ut saepe apud Plutarchum.

28 F Solet Sophocles *ἀτόποις πράγμασι λόγους ἐπιγελῶντας ... πορίζειν.*

Vereor ut Wyttenbachius istud *ἐπιγελῶντας* bene a Reiskii defenderit dubitationibus afferendo ex 28 A *μηδὲν οὖν τούτων κομψὸν ἡγεῖσθαι καὶ πανοῦργον ὁ νέος ἐθιζέσθω*. Nam aptissime inter se iunguntur „lepidam aliquam rem putare" et „alicui rei arridere", sed *λόγοι πράγμασιν ἐπιγελῶντες* qui sint haud facile dicas. Reiskius coniecit *ἐπιεικεῖς*, quo nihil melius *τῷ ἀτόποις* opponitur.

30 F Dictum quoddam Ulyssis apud Homerum recte intellectum *ἐμπαθῆ ποιήσει πρὸς ἀρετὴν τὸν νέον· καὶ τῷ*

χαῖρε δ' Ἀθηναίῃ πεπνυμένῳ ἀνδρὶ δικαίῳ

τοιοῦτον ἐπιλογισμὸν δίδωσι (deum non forma vel divitiis sed tantummodo iustitia et sapientia delectari).

Immo *δώσει*. Sic simul apparet quod eius verbi sit subiectum.

21 E Ridicula Chrysippi interpretatio qua *εὐρύοπα* sit *τὸν δεινὸν ἐν τῷ διαλέγεσθαι καὶ διαβεβηκότα τῇ δυνάμει τοῦ λόγου* sic est accipienda ut philosophus illud *εὐρύ* dictum putet de eo qui *εὖ διαβὰς μένει ποσὶν ἀμφοτέροισι*!

En sapientiam quam summo iure prudens noster mentium medicus spernit ridetque.

33 C Cleanthes et Antisthenes apte *παραδιορθώσεις* adhibuerunt, *ὁ μὲν εὖ μάλα τοὺς Ἀθηναίους ἰδὼν θορυβήσαντας ἐν τῷ θεάτρῳ*

τί δ' αἰσχρὸν εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκεῖ;

παραβάλλων εὐθὺς

αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρόν, κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ.

Digitized by Google

Legentium nemo tam turpiter indoctus est ut docendus etiam sit hos *senarios* esse ex aliqua tragoedia; quid quod solum θορυβήσαντας iam plane supervacaneum reddit istud ἐν τῷ θεάτρῳ. Sed gravius hoc vitium quod versus citatus nullo vinculo praecedentibus adnectitur, quo fit ut *ipsi spectatores* videantur magno clamore rogasse τί δ' αἰσχρὸν κτέ. Vitium autem peperit vitium. Scripsit enim Plutarchus ἐπὶ τῷ quod cum nescio quo casu in ἐν τῷ esset corruptum, sciolus θεάτρῳ supplevit scilicet. Mnem. 1909, 201.

34 C Dictum vere sapiens etiam ad alia quae non nominantur transferri potest, ergo invenes assuefacere debemus τὴν κοινότητα συνορᾶν καὶ μεταφέρειν ὀξέως τὸ οἰκεῖον.

Immo πρὸς τὸ οἰκεῖον. Cito perspiciat iuvenis si quod dictum late pateat, ideoque illud *in proprium usum* convertat eoque morbum sanet quo laborat ipse.

34 F Contumelia est, non laus τὸ Δύσπαρι εἶδος ἄριστε, itemque „τὸ χρήμασιν ἄριστε" καὶ „παισὶν ἢ ὑποζυγίοις ἄριστε" καὶ νὴ Δία τὸ λέγειν ἐφεξῆς „ἄριστε".

Ain vero, contumeliane aliquem afficis si ei ἄριστε, ἄριστε, ἄριστε acclamas? In Mnem. 1909, 236 legendum esse demonstravi „τῷ λέγειν ἐφεξῆς ἄριστε" et tum quidem vehementer illa emendatione scilicet delectabar, neque nunc quin unice verum sit illud τῷ λ. ἑ. ἀ. dubito, sed non est emendatio. Sic enim iam Wyttenbachius edidit ex omnibus, ut opinor, quos notos habebat, codicibus: de varia enim lectione nihil tradit. Sed se verba illa, iam recte Xylandro aliisque versa, non intelligere aut fatetur aut simulat. Sunt tamen admodum perspicua: λέγειν ἐφεξῆς est „continua oratione uti", neque multum differt quod alibi (788 D) dicitur ἀπνευστὶ λέγειν. Iam quod additur νὴ Δία egregie rem illustrat: tum enim ponitur si praeter exspectationem alicui enumerationi denique et illud adiicitur quod primo aspectu longe alius videtur esse naturae. Sic nunc facundiae quaedam species rebus adnumeratur vilibus quales sunt pecunia, epulae, servi, iumenta. Memini me meam emendationem ostentare duobus amicis Graece perdoctis, sed alter se quid mihi vellem non intelligere clamabat, alter temeritatem meam urbane ridebat. Postea Wyttenbachii annotationibus diligenter excussis expertus sum bene a Francogallis moneri: „optime ridere si vis, rideas fac

Digitized by Google

ultimus". Sed simul tum magis quam antea sum expertus quam tenaciter plerique tueantur quidquid videatur traditum, etiamsi nusquam traditum sit.

35 E *καθάπερ γὰρ οἱ τὰ ἱμάτια μαστιγοῦντες οὐχ ἅπτονται τοῦ σώματος, οὕτως οἱ δυστυχίας τινὰς ἢ δυσγενείας ὀνειδίζοντες εἰς τὰ ἐκτὸς ἐντείνονται.*

Ultima Didotianus sic vertit: „exteriora verberant". Atque eo hic opus est, sed num Graece id sic dicitur, an, nescio quo casu, *ἐντείνονται* ex *ἐντείνουσι πληγάς* natum est?

36 B Si quid apud poetam legitur quod moribus utile videri possit, protrahendum est aliquod philosophi dictum quod eandem habeat vim et philosopho illi suus inventi reddendus honor. Multis eius rationis allatis exemplis sic Plutarchus pergit: *ἐπιρρητέον δὲ καὶ τῷ τοῦ Αἰσχύλου*

θάρσει· πόνου γὰρ ἀκρὸν οὐκ ἔχει χρόνον

ὅτι τοῦτ' ἐστὶ τὸ παρ' Ἐπικούρου θρυλούμενον ἀεὶ καὶ θαυμαζόμενον, ὡς „οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσιν, οἱ δὲ χρόνιοι μέγεθος οὐκ ἔχουσιν".

Satis insolite adhibita hic praepositio *παρά*, recte tamen. Haec enim est sententia: „quod, ab Epicuro profectum, semper nobis decantatur". Sed *τοῦ Αἰσχύλου* eximendum est. Quo argumento hoc dicam quaeris. Lege ergo quae continuo sequuntur:

ὧν τὸ μὲν εἴρηκεν ὁ Αἰσχύλος ἐναργῶς τὸ δὲ τῷ εἰρημένῳ παρακείμενόν ἐστι

concedes semel tantummodo, idque secunda sede, poetae nomen esse ponendum. Et est hic libellus, si quis alius Plutarchi, venuste et accurate scriptus. Vox *παρακείμενον* autem „simile, cognatum atque *consequens*" significat. Semel tantummodo apud Plutarchum eo sensu legitur.

36 C Citatur et hic locus Euripidis tamquam plenus sapientiae philosophicae:

τιμᾶν τὰν τέτασθε, πλούτῳ δ' ἀρετὰν κατεργάσασθαι δοκεῖτ', ἐν ἐσθλοῖς δὲ κάθησθ' ἄνολβοι

sic fere eduntur verba saepe tentata, quae neque ipse mihi in integrum posse restituere videor. Aliquid tamen lucis in hac caligine cerno. In initio mihi latere videtur

τί μάταν τέτασθε

hoc sensu: „quid frustra contenditis". Cf. Quom. quis 79 F:

Digitized by Google

τὸ προσέχειν καὶ τετάσθαι τὴν αἴσθησιν. Iam habemus versum satis dulcem:

τί μάταν τέτασθε πλούτῳ δ'

sequiturque alter huic similis aptamque praebens sententiam

ἀρετὰν κατεργάσεσθαι.

Clauditur autem stropha verbis

κάθησθ' ἄνολβοι

eodem metro quod notum praesertim ex Anacreonteo

μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις

(cf. Eur. Bacch. 525 sq. ἴθι, Διθύραμβ' ἐμὰν ἄρσενα τάνδε βᾶθι νηδύν, Ar. V. 299 μὰ Δι' εἰ κρέμαισθέ γ' ὑμεῖς). Quae inter κατεργάσεσθαι et κάθησθε etiam requiruntur *verba* non praesto, sed de eorum sententia (vos putatis, inter bonos) dubitari non potest. Denique apponere lubet lepidissimam Grotii versionem:

utcunque honorum lumine fulgidi,
speratis auri subdere copia
vos posse virtutem. Bonorum
iudicium miseros vocabit.

Melius tamen colorem pristinum servare videtur vernacula mea:

woudt gij 't met uw rijkdom winnen, arme zielen, van de deugd?
ach gij weet niet dat de vrome ..... medelijden met u heeft!

36 F Sic fere decurrit disputatio: domi puer de divitiis, honore, virtute, vita et morte insanas accepit opiniones a nutrice, a matre, quin etiam ab ipso patre; ad philosophum adductus prorsus contraria audiet; non ergo subito eo est adducendus ne plane perturbetur, quemadmodum neque eum qui diu sedit in densis tenebris statim in claram solis lucem protrahimus. Sic ne caecum nostrum puerum reddat philosophiae fulgor, prius eam adspicere debet οἷον ἐν νόθῳ Φωτὶ κεκραμένης μύθοις ἀληθείας αὐγὴν ἔχοντι. Quo iure hic poesis cum *adulterina* luce comparetur non video. Neque credo hoc voluisse Plutarchum. Quamvis enim magni faciat philosophiam, poesis ei non sordet; haec quoque, eo iudice, lucem afferre menti poterit, sed eam *lenem, mitigatamque*. Hoc habebis, si pro νόθῳ legeris νωθρῷ. Prorsus eodem modo in initio huius libelli ea voce usus est (15 A), ubi inter se opponit τὸ νωθρόν et τὸ σφοδρὸν καὶ δεδορκός.

Digitized by Google

DE RECTA RATIONE AUDIENDI.

Gr. *περὶ τοῦ ἀκούειν*. Hic certe *ἀκούειν* stricto sensu *audire* est. Cum *auditoribus* nobis res est, sedentibus in aliqua *contione*, cum *oratore* recitante quae auribus accipiantur. Atque hanc quidem orationem Plutarchus postea chartae mandavit unius hominis causa, Nicandri, sed coram haud parva, ut opinor, hominum multitudine eam habuit. Hoc unum quaeritur quorum hominum illa fuerit. Discipulorumne? Hoc dixeris quia tam saepe agitur de adolescentibus qui monentur quidem et ad virtutem ducuntur etiam, sed praecipue tamen iis ornantur instruunturque rebus, quae communi *philosophiae* comprehenduntur nomine. De *adolescentibus* audimus, acutis tardisque, de eorum studiis meditationibusque, de argumentis quae iis dantur tractanda, de quaestionibus quas ipsi proponunt, de rebus nominibusque iis ediscendis. Sed multa alia cognoscimus quae nobis in mentem vocent conventus hominum non minus magnos et ne minus quidem turbulentos quam illi sunt in quibus prodeunt scenici et saltatores. Multiplex adest auditorum genus quorum suos quisque habet affectus, virtutes, vitia. Inter illos etiam alii sedent oratores, fama eloquentiae nobiles, qui nihil magis metuunt quam ne sua obscuretur gloria a novo competitore, qui corporis motu nutuque capitis levissimo vel adhortantur dicentem incitantque vel plane deiiciunt mutumque reddunt. Unum tamen omnes inter se commune habent, et hoc prae ceteris consilio conveniunt, ut *mores* sui emendentur, ut ad veram sibi virtutem muniatur via. Quid quod ipse quoque orator id spectat. Certe spectavit Plutarchus noster, amabilis ille senex ab omni arrogantia alienus. Corrigi cupiunt, atque, ut pulchra illa utar metaphora, quae saepe de *contionibus sacris* adhibetur, *aedificari*. An non illud nobis consilium ante oculos ponunt pulcherrima illa verba quibus clauditur praeclarus ille locus de philosopho et sophista (p. 43 F): „sophista" sic fere ait „cum semel de suo desendit suggestu, nihil iam praestat ceteris mortalibus, at philosophi et seria et ioci, nutus quoque et risus contractaque frons, sed prae ceteris sermo eius solius cum solo magnos ferunt fructus iis qui ea sustinere et attente observare consueverunt"?

Digitized by Google

Duobus modis, ut opinor, ea quae dicta sunt inter se conciliare possumus. Aut Plutarchus hic, ut multis aliis locis, suos sibi *discipulos in schola* docet, sed quia argumentum tractat solito latius patens quodque communi vitae aliquid affert utilitatis, ad audiendum et alii multi confluxerunt, aut — et hoc mihi veri similius videtur — prodit ad variam multiplicemque hominum contionem, sed orator, semper et ubique de discipulis suis cogitans, multis utitur loquendi formulis, quibus suus *in schola philosophi* locus est.

Non enim, si quid video, *praeceptoris* sed mentium medici, morum emendatoris, pastoris denique de carissimo suo grege tam senum quam adolescentium solliciti sunt praeclara haec:

43 E „Si cuius animus malis perturbatur affectibus, non fugiendus ei est orator cum illos ipsos perstringit, immo vero tum vel maxime eum oportet praebere aurem, idque eo consilio ut, cum peroraverit ille, ipse ad eum accedat et de quibusdam interroget" [1]).

Ex ipsa vero eiusmodi pastoris vita sumpta haec, quae nobis et ipsum et gregem eius ponunt ante oculos:

47 A „Etiamsi iniusta reprehensio esse videatur, sustinendum est patienterque ferendum; cum autem ad finem erit perducta oratio, ad oratorem solum solus accedet auditor, purgabit se rogabitque ut vehementiam orationis, qua adversus se fuerit usus, conservet ad notandum vitium quo revera laborat." Non, ut opinor, hoc sibi ante omnia proponit orator noster ut *doceat* sed ut *moneat*, non *doctiores* sed *meliores* amicos suos a se vult dimittere. In quorum numero si forte assidentem videbit aliquem, quem certo cuidam mentis morbo indulgere suspicatur, in illum morbum haud leniter invehetur, et ne ipsum quidem aegrum suo appellare nomine aliove modo monstrare verebitur. Qui si suam salutem cordi habebit, non aegre feret, sed contione dimissa ultro appellabit oratorem et „gratias tibi, bone pastor" inquiet „ago quod me tanta cum libertate notaveris, sed, heus tu, si bene me novi, non isto quo putas morbo sed hoc laboro" (et morbum suum dicet) „in hunc primo quoque tempore ora-

1) Pro *καὶ .... προσιόντας αὐτοὺς καὶ προσανακρίνοντας* legendum esse: *ὡς καὶ ‹....›, π. αὐ. καὶ προσανακρινοῦντας*, demonstravi Mnem. 1909, 448.

Digitized by Google

tionem habeas velim quam vehementissimam, in primo me sedentem videbis ordine".

Et assidebit cum multis aliis ipso vultu habituque corporis demonstrantibus venisse se ut ab oratore accipiant id quod cuivis praestet doctrinae: emendationem morum aliasque res huic cognatas, adhortationem ad virtutem, malorum solatium, animum ad vitam atque ad mortem quoque erectum alacremque. Nonne praeclari inventi instar titulus ille fuit, quo praestantissimum suum libellum exornavit Lévèquius, *un médecin des ames*? [1])

Age iam ipsius διατριβῆς quasdam sententias accuratius consideremus, quibus pristinus reddi et possit et debeat nitor. Sic simul apparebit quam egregia illa sit: nihil inde citari potest quod non legentem oratoris impleat admiratione atque amore. Graecum autem illud nomen ideo hic posui ut simul annotarem duplici illud sensu a Plutarcho adhiberi: *a* „collegii" — brevitatis causa utor vocabulo illo Academico — de docta aliqua quaestione *b* „praedicationis" illis cognatae quae a divini verbi ministris haberi solent. Civium meorum causa totum libellum vernacule verti vol. I, 247 sqq.

37 E „Iam virilem, Nicandre, sumpsisti togam, non iam habes qui tibi *imperent*, ergo nunc *monentem* audi"

ἀναρχία μὲν γὰρ, ἣν ἔνιοι τῶν νέων ἐλευθερίαν ἀπαιδευσίᾳ νομίζουσι, χαλεπωτέρους ἐκείνων τῶν ἐν παισὶ διδασκάλων καὶ παιδαγωγῶν δεσπότας ἐφίστησι τὰς ἐπιθυμίας ὥσπερ ἐκ δεσμῶν λυθείσας.

Ain vero? *Cupidatesne* cum hominibus comparantur qui vinculis solvuntur! Quodnam hic est „tertium comparationis"? Sed perlege et nullo negotio invenies emendationem: *νόμιζε τὴν εἰς ἄνδρας ἐκ παίδων ἀγωγὴν οὐκ ἀρχῆς εἶναι τοῖς εὖ φρονοῦσιν ἀποβολήν, ἀλλὰ μεταβολὴν ἄρχοντος, ἀντὶ μισθωτοῦ τινος ἢ ἀργυρωνήτου θεῖον ἡγεμόνα τοῦ βίου λαμβάνουσι τὸν λόγον.* In vinculis esse et vinculis liberari, ducem habere vel non habere *hominum* est, et, quod clarius etiam veram prioris loci monstrat lectionem, in altero participia felici quodam casu eandem habent formam quae illic

1) Eorum causa, quibus non est facilis aditus ad antiqua Francogallici diarii volumina, libellum illum separatim edendum curavi hoc titulo: Caroli Lévèque libellum aureum de Plutarcho mentis medico denuo edendum curavit J. J. Hartman L. B. apud Sythoffium 1903.

Digitized by Google

requiritur. Lege enim λυθεῖσιν, aptissime procedentem et ad finem perductam habebis imaginem: hominibus scelestis e carcere dimissis triumviri nocturni custodes apponunt qui eos usquequaque observent et saepe exhibeant molestias; sic eos qui e patria sunt potestate dimissi sequuntur vexantque cupidates.

37 F οὐκ ἂν ἀηδῶς δ' οἶμαί σε προακοῦσαι περὶ τῆς ἀκουστικῆς αἰσθήσεως.

Structurae sententiae quam sententiae ipsi convenientius editor particulam δέ exemit. Hoc enim de auditus sensu corollarii instar *additur* rei de qua in praecedentibus ἀνακολούθως agitur: opinor te tamquam benevolum auditorem *ad philosophiam* accedere; *sed* prius te ut aequo accipias animo rogo quae de auditus sensu sum dicturus.

38 A τῇ δ' ἀρετῇ μία λαβὴ τὰ ὦτα τῶν νέων ἐστίν, ἂν ᾖ καθαρὰ καὶ ἄθρυπτα κολακείᾳ καὶ λόγοις ἄθικτα Φαύλοις ἀπ' ἀρχῆς φυλάττηται.

Rectissime Reiskius importunum istud ᾖ, quo elegantissima pessumdatur structura verborum, delevit.

38 B Puerorum magis quam athletarum aures tegendas esse docuit Xenocrates οὐκ ἀνηκοΐαν οὐδὲ κωφότητα προμνώμενος.

Facessat hinc res amatoria cum procis atque προμνηστρίαις, et προμηχανώμενος legatur. Mnem. 1908, 288.

ib. Βίας ὁ παλαιὸς Ἀμάσιδι, κελευσθεὶς τὸ χρηστότατον ὁμοῦ καὶ φαυλότατον ἐκπέμψαι κρέας τοῦ ἱερείου, τὴν γλῶτταν ἐξελὼν ἀπέπεμψε.

Frequentissimo in textu Plutarchi errore bis hic legitur praepositio, quae semel erat legenda. Simplex enim πέμψαι requiritur.

38 E ταῖς μὲν οὖν ὄρνισι τὰς ὑπηνεμίους λοχείας καὶ ὠδῖνας ἀτελῶν τινων καὶ ἀψύχων ὑπολειμμάτων ἀρχὰς λέγουσιν εἶναι.

Idem hic error recurrit, sed alium secum traxit et sic ex λεμμάτων nunc *natum* quidem aliquid est sed quod vitale non sit ὑπολειμμάτων Mnem. 1909, 321.

39 A Stulti adolescentes cum monentur repugnant aut φεύγοντες ἀπίασι πρὸς ἑτέρους λόγους [καὶ] φλαύρους.

Sententiam simul cum loci elegantia corrumpit particula quam inclusi.

39 B Spintharus Epaminondam laudans dicere solebat μήτε πλείονα γιγνώσκοντι μήτ' ἐλάττονα Φθεγγομένῳ ῥᾳδίως ἂν ἐντυχεῖν ἑτέρῳ.

Digitized by Google

Addidi particulam ἄν propter ῥᾳδίως quod non praeteriti sed futuri requirit notionem.

40 C Inter vitia oratoris nominatur etiam πτόησις μετὰ χαρᾶς ἀπειροκάλου πρὸς ἔπαινον.

Vocabula ipsa corrupta sunt, quod vel invitus fatetur Didotianus insana haec nobis exhibens „eruptio cum inepto gaudio ad laudem". Quid requiratur video: „ineptum et importunum laudis studium", qua id obtineamus emendatione non video.

40 D ῥᾷστον γάρ ἐστι τῶν ὄντων τὸ μέμφεσθαι τὸν πλησίον, ἀχρήστως τε καὶ κενῶς γιγνόμενον, nisi quae vituperas ipsa vitare studebis.

Lege δέ (*sed* nullam ea res afferet utilitatem nisi e. q. s.).

40 E Utile est orationi, quam audivimus, nostram opponere, si possimus corrigere quae parum placuerunt, ὅταν γενόμενοι καθ' αὑτοὺς .... ἐπιχειρῶμεν εἰς ταὐτὸ καὶ προάγωμεν αὐτοὺς τὰ μὲν ὡσπερ ἀνακλῆροῦν, τὰ δ' ἐπανορθοῦσθαι, τὰ δ' ἑτέρως φράζειν, τὰ δ' ὅλως, ἐξ ὑπαρχῆς εἰσφέρειν πειρώμενοι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν.

Hic primum moneo ἐπιχειρεῖν εἰς fere esse: disserere, disputare, orationem *de* aliquo habere argumento. Saepius illud apud Plutarchum recurrit et est omnino liberior quidam apud eum praepositionis εἰς usus ubi de disputationibus et dissertationibus agitur cf. 40 A εἰρηκότας εἰς τὸ αὐτό 16 F τοῦτο χαριέντως Ὅμηρος εἰς τὴν νεκυίαν εἶπεν. Sed πειρώμενοι est delendum; ab προάγωμεν ἑαυτούς quatuor illi infinitivi pendent.

40 F ὅταν οὖν ἐν τῷ διαλέγεσθαι πρὸς τὴν τοιαύτην ὑπόθεσιν μὴ πολὺ φαινώμεθα τῶν εἰρηκότων διαφέροντες.

Immo vero πρὸς τὴν αὐτήν. Hoc enim illud est ἐκ παραβολῆς ut *de eodem* argumento, de quo alium audivisti dicentem, orationem habeas.

42 A κηφήνων βοτανὴν σοφιστιώντων. Ex aliqua comoedia sumptus hic hendecasyllabus videtur. Mnem. 1909, 445.

43 B εὖ μάλα δὲ χρὴ πρὸς τὴν τοῦ λέγοντος ἐμπειρίαν ἢ φυσικὴν δύναμιν ἡρμοσμένον ἐν οἷς αὐτὸς ἑαυτοῦ κράτιστός ἐστι, ποιεῖσθαι τὰς ἐρωτήσεις.

Immo vero ἡρμοσμένας quemadmodum et e sequentibus apparet: „non oportet ei, qui philosophiae morali potissimum dedit operam, quaestiones proponere physicas e. q. s.". Sed quaestiones illas πρός τί ἡρμοσμένας εἶναι oportet? πρὸς τὴν τοῦ λέγοντος

Digitized by Google

ἐμπειρίαν ἢ δύναμιν. Rectissime sic duae inter se opponuntur facultates: ea quam quis exercitatione sibi comparavit et ea quam a natura accepit. Sed non additum oportuit Φυσικήν: nudum substantivum δύναμιν multo rectius elegantiusque idem significat.

44 A Notatur lentus auditor

μήτ' ὀφρῦν κατὰ σχῆμα κινῶν

insana haec in integrum restitnit Lobeckius egregia emendatione μ. ὀφρύος κατάστημα κ. Sequitur:

μήτε φωνὴν εὐγνώμονος μάρτυρα φιλησοῖας προϊέμενος.

In his quoque latet versus.

44 B Prave quidam Pythagorae dictum quoddam acceperunt: ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἐκ φιλοσοφίας ἔφησεν αὐτῷ περιγεγονέναι τὸ μηδὲν θαυμάζειν· οὗτοι δὲ τὸ μηδὲν ἐπαινεῖν μηδὲ τιμᾶν, ἐν τῷ καταφρονεῖν τιθέμενοι καὶ τὸ σεμνὸν καὶ ὑπεροψίᾳ διώκοντες.

Editor τὸ σεμνὸν καί, qua coniectura nihil proficimus, corrupta enim sic quoque manet sententia, cuius verbum finitum e praecedentibus peti nequit. Ecquid: ἐν τῷ καταφρονεῖν τιθέμενοι τὸ σεμνὸν καὶ ὑπεροψίᾳ, διώκουσι, illi nihil admirandi laudandive facultatem consectantur, in contemptione et superbia dignitatem sitam rati? An praeterea etiam καὶ ὑπεροψίᾳ delendum? Satis languide id additur.

44 C Importunus auditor est qui in laudando modum tenere nescit

κατὰ ῥῆμα καὶ συλλαβὴν ἐφιστάμενος καὶ κεκραγώς.

Verum, de more, Emperius vidit: ἐξιστάμενος. Nimius iste laudator identidem *exsultat* clamatque.

45 B Etiam optimi poetae oratoresque sua sibi habent vitia, sat multa tamen profecto restant quae ex animi sententia admirari et laudare possis. Sic et auditori semper facultas est aliquo certe modo benevolentiam suam erga eum qui verba facit significandi:

ἐνίοις γὰρ ἐξαρκεῖ, κἂν μὴ διὰ φωνῆς ἐπιμαρτυρῶμεν, ὄμματος πραότητα καὶ γαλήνην προσώπου καὶ διάθεσιν εὐμενῆ καὶ ἄλυπον ἐμπαρασχεῖν.

Nonne ἐνιότε legendum?

45 C Nam quemadmodum semper et ubique quod pulchrum est e multis elementis constat recte et eleganter dispositis,

Digitized by Google

turpe tamen statim fit quidvis cui desit unum vel inepte addatur

ὥσπερ ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀκροάσεως οὐ μόνον βαρύτης ἐπισκυνίου

sed multa alia malum efficiunt auditorem.

Tum demum recte hic locus decurret, si οὕτως legimus pro ὥσπερ.

46 D Duri est hominis et impudentis admonitiones vituperationesque audire

μὴ συνεσταλμένον μηδ' ἱδρῶτος καὶ ἰλίγγου μεστόν, αἰσχύνῃ φλεγόμενον τὴν ψυχήν, ἀλλ' ἄτρεπτον κτέ.

Recte H. μηδ' ante αἰσχύνῃ inseruit.

47 B Cum philosophia difficilia quaedam et insueta habeat

ἐν τοῖς πρώτοις ὀνόμασι καὶ πράγμασι, οὐ δεῖ φοβηθέντα τὰς ἀρχὰς ψοφοδεῶς καὶ ἀτόλμως ἐγκαταλιπεῖν.

Eximatur hinc καὶ πράγμασι: de iis enim paulo post agetur ita ut τὰ πράγματα opponantur τοῖς ὀνόμασι, argumenta philosophiae terminis technicis quibus illa utitur.

48 B Pravi illi discipuli ὥσπερ οἱ δειλοὶ καὶ γλίσχροι σκύλακες τὰ δέρματα δάκνοντες οἴκοι καὶ τὰ τίλματα τίλλοντες τῶν θηρίων αὐτῶν οὐχ ἅπτονται.

Immo vero λίχνοι cum Wyttenbachio.

48 C Malus discipulus οἷον ἔρευθος ἕλκει καὶ γάνωμα τὴν δόξαν ἀπὸ τῶν λόγων, τὸν δ' ἐντὸς εὐρῶτα τῆς ψυχῆς καὶ ζόφον οὐκ ἐκτεθέρμαγκεν.

Opponuntur inter se nitor externus et sordes reconditae. Hae autem non, ut opinor, sunt *calefaciendae*, sed *removendae*. Recte ergo Emperius pro ἐκτεθέρμαγκιν coniecit ἐκτεθεράπευκεν. Tutius ambulabit qui Emperios duces sequitur quam qui iis diffidit.

48 D Denique operam demus ut simul discamus ab aliis et ipsi inveniamus; sic obtinebimus μὴ σοφιστικὴν ἕξιν μηδ' ἱστορικὴν ἀλλ' ἐνδιάθετον καὶ φιλόσοφον.

Nullus hic locus historicae arti, quae profecto non pars est sophisticae sed optimo iure ei *opponi* potest. Sed lege ἐξωτερικήν, pulcherrimum habebis chiasmum:

σοφιστικὴν καὶ ἐξωτερικήν

ἐνδιάθετον καὶ φιλόσοφον

optime inter se opponuntur sophista et philosophus, sed non minus diserte id quod *externum* et id quod ipsi *impositum* est pectori.

Digitized by Google

SPICILEGIUM CRITICUM AD FLORI EPITOMAS.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

L. Annaei Flori Epitomae Libri II
edidit Otto Rossbach, Lipsiae 1896.

Quicumque Flori Epitomas in editione Teubneriana recentissima accurate perlegerit, Rossbachium codicum mss. singulorum pretio diligentissime ponderato perspectoque historiarum contextum caute ac prudenter constituisse grato animo agnoscet, sed idem vehementer dolebit, criticorum nostratium curas minime spernendas, quas in Mnemosynes voluminibus evulgarunt, editorem Germanum omnino latuisse. J. J. Cornelissen in Vol. VI (1878) p. 312 et in Vol. XII (1884) p. 233—245 et J. C. G. Boot in Vol. XVIII (1890) p. 360 multa protulerunt, quae si cognovisset editor in usum suum convertere haud dubie dignatus esset. Hoc insuper in Rossbachii opera vitupero, quod cum librorum capitumque divisionem suam introduxerit — vetustiorem uncinis inclusam adiecerit, paragraphorum numeros non mutavit, sed intra unius capitis spatium novam paragraphorum seriem subinde instituit. Unde fit ut e. g. numeris II. 16. 1 èt initium capitis, quod Bellum Perusinum inscriptum est, significetur èt capitis, cui Triumviratus titulus est. Ita saepius numerum paginae addere opus erit, si ad locum aliquem legentes vocare volueris. Neque Dukeri editionem locupletissimam, quae Salmasii, Freinshemii, Graevii, aliorum animadversionibus munita anno 1722 Lugduni Batavorum emissa est, quamvis Rossbachio nimirum bene notam, futuro Flori editori

Digitized by Google

neglegere iam licebit, quippe quae in commentario permultas coniecturas acutissimas contineat dignissimasque ut in apparatu critico locum suum obtineant, nonnullas etiam emendationes certissimas, quas novus editor iure ac merito recipiat. Nempe in Flori opere perlustrando nemo non identidem haeret in locis, qui etiamnunc manum emendatricem flagitant; e quibus sane multi ita corrupti sunt ut ne principes quidem illi critici auctoris manum restituere potuerint, sed multi etiam, de quibus sanandis sedulo attentoque Historiarum lectori non sit desperandum. Quae cum ita sint, meas qualescumque observationes excutere decrevi, sperans fore ut nonnullae iudicibus idoneis haud prorsus improbabiles videantur.

Prooem. 7 *hic iam ipsa iuventas imperii et quaedam quasi robusta maturitas.*

Scribendum esse *haec iam* Graevius recte monuit, cuius argumenta cum in Dukeri libro exposita sint hic non repetam.

ibid. 8 *a Caesare Augusto in saeculum nostrum haut multo minus anni ducenti, quibus inertia Caesarum quasi consenuit atque decoxit, nisi quod sub Traiano principe movit lacertos et praeter spem omnium senectus imperii quasi reddita iuventute revirescit.*

Verborum *consenuit, decoxit, movit* subiectum intellegendum esse: *populus Rom.* quivis Floriani scribendi generis aliquantulum peritus statim videt; verbi autem *revirescit* subiectum idem esse opinor atque verba *senectus imperii* a nescio quo inserta esse, qui cum in § 5 *infantia* — § 6 *adulescentia* — § 7 *iuventas* suis nominibus dicerentur, hoc loco nomen *senectus* imperii abesse non debere putarit. At fugit eum, verbo *consenuit* (sc. populus Rom.) rem satis iam significatam esse.

I. 1. 9 i. f. *ita ex variis quasi elementis congregavit corpus unum, populumque R. ipse fecit rex. erat unius aetatis populus virorum. itaque matrimonia a finitimis petita quia non impetrabantur, manu capta sunt.*

Ita Rossbachius recensuit e Iordanis codice Pollingensi Rehdig. — codices optimi ad unum omnes praebent *Res.* Veram lectionem esse arbitror: *populumque R. ipse fecit, sed erat unius aetatis populus virorum* neque ad ultimum illud auxilium con-

Digitized by Google

fugiendum iam esse, quod in apparatu critico editor proposuit, voc. *res* uncinis includendi, cum praesertim unde irrepserit quove consilio sit additum nusquam pateat.

I. 1. 11 *spolia insuper opima de rege Acrone Feretrio Iovi manibus suis rex reportavit.*

Tam propter miram sermonis abundantiam quam propter casum dativi suspicio me tenet, verba *Feretrio Iovi* insiticia esse, cf. I. 6. 9: spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium reportata, I. 20. 5: Marcellus tertia post Romulum patrem Feretrio Iovi opima suspendit.

At fiducia maiore putidum emblema tollendum esse aio quod est I. 1. 3 pag. 9 *ille ancilia atque Palladium, secreta quaedam imperii pignora, Ianumque geminum — virginibus colendum dedit.*

Quasi vero Romani homines, quaenam ancilia atque Palladium essent, docendi fuerint! Nonne ipsum pronomen *quaedam* interpretamenti originem satis superque arguit? Alia non minus insulsa Cornelissen indicavit Mnemos. Vol. XII p. 245.

I. 4. 7 *sic quidem viri, sed ne qui sexus a laude cessaret, ecce et virginum virtus. una ex opsidibus regi datis elapsa custodiam, Cloelia, per patrium flumen equitabat.*

Inter libros, qui varie exhibent: *quid sexus — quis sexus — qui sexus — sexus alter,* codex Nazarianus lectionem genuinam nobis servavit, id quod Salmasius iam monuit sed frustra; at tamen certo certius mihi est, Florum scripsisse: *sed ne quid sexus a laude cessaret.* Quod cum ille commendaret, optimos quosdam auctores *sexum* absolute pro muliebri sexu dixisse affirmavit, sed pro argumento unum hoc attulit: „inde in vetustissimis glossis *sexus γυναικεία Φύσις* exponitur". Deinde Graevius postquam Salmasio respondit, id plurimum — non unius glossarii auctoritate firmandum fuisse, ipse N. Heinsii coniecturam *sed ne quid is sexus* suadet, quam Heinsium ipsum in libro suo delevisse itaque postea improbasse Dukerus auctor est. Hic autem editor *quis* de duobus recte dici contendit atque exemplo e Phaedri fabulis petito confirmat.

E lectionibus traditis cum ceterae satis perspicuae sint,

Digitized by Google

scriptura Nazariani *quid* hoc proprium habet ac peculiare, quod scriba aliquis, si in exemplari suo sive *quis* sive *qui* sive *sexus alter* exaratum invenisset, lectionem istam omnibus numeris claram perspicuamque haud temere in deteriorem vel certe obscuriorem immutasse putandus est. Quomodo igitur eius scripturae origo explicari potest?

Id quod Salmasius de vocis *sexus* notione asseverat, D. Heinsius repetiit in Drakenborchii editione Siliana (ad Punic. III. 114): „*sexus* de femina tantum antiquorum more", et e glossario vetere ms. Servii Graeco-Latino promit: *sexus σχῆμα γυναικεῖον*. Ergo e glossario iterum neque ille 'antiquorum illum morem' exemplis auctoritatis maioris stabilivit!

Documento a Graevio postulata denique iam afferre liceat. Inspicias, quaeso, Stat. Ach. I. 355: tu frange regendo indocilem sexuque tene, Theb. V. 105: firmate animos et pellite sexum! 397: rediit in pectora sexus, IX. 609: sexum indignata, XII. 178: sexuque inmane relicto tractat opus, 529: ipsae autem nondum trepidae sexumve fatentur. Praeterea evolvas Sil. It. XIII. 830:

Illa est, quae Thybrim, quae fregit Lydia bella,
Nondum passa marem, qualis optabat habere
Quondam Roma viros, contemptrix Cloelia sexus,

ubi moneo, ne quis forte verbis *nondum passa marem* in eum errorem abducatur ut poëtam dicere voluisse credat, Cloeliam sexum virilem despexisse! Verba idem exprimunt quod Statiana *sexum indignata*: mulier quamvis esset, sexum suum infitiari, tamquam virum se praestare studebat. Quoniam igitur manifestum iam est, voc. *sexus* absolute pro sexu muliebri usurpatum esse, nonne Nazariano tandem aliquando fides habenda est, qui eam lectionem nobis servavit quae librariorum iudicio vel somnolentiae imputari nequeat, sed cuius origo ex eo tantum explicari possit quod vera est?

Ceterum pro verbo *equitabat* Florum scripsisse puto: *equo natabat*, quae vocabula in unum coaluisse videntur.

Locos velim mecum consideres, quibus alii rem eam enarraverunt.

Liv. II. 13. 6 (Cloelia) dux agminis virginum inter tela hostium Tiberim tranavit, ibid. 11 pace redintegrata Romani novam in femina virtutem novo genere honoris, statua equestri,

Digitized by Google

donavere; in summa sacra via fuit posita virgo insidens equo. Deinde Plin. N. H. XXXIV. 6. 7 de statua illa equesti agit, quam alii Cloeliae, alii Valeriae fuisse Publicolae consulis filiae tradant „eamque solam refugisse Tiberimque transnatavisse" cet.

Si quis forte miratur, virginem equestri statua donatam esse, Plutarchum in Vita Poblicolae c. 19 inspiciat: *ἔνιοι δέ φασι μίαν αὐτῶν, ὄνομα Κλοιλίαν, ἵππῳ διεξελάσαι τὸν πόρον ἐγκελευσμένην τῆς ἄλλαις νεούσαις καὶ παρθαρρύνουσαν*, qui deinde narrat, Porsennam eam equo magnifico donasse sive quod illa sola equo flumen tranasset sive quo virtutem eius remuneraret.

Quod apud Florum nunc legitur, Cloeliam per patrium flumen equitasse, id ita tantum fieri potuit si Tiberis eo loco aut vadosus fuisset aut glacie constrictus, cf. I. 39. 5: Minucius toto vastavit Hebro, multis quidem amissis, dum per perfidum glacie flumen equitatur. Neutrum vero usu venit, sed utique sive equo seu suis ipsius viribus in alteram ripam enatavit. Cf. etiam II. 13. 59: (Caesar) inde depulsus in maria mira felicitate ad proximam classem enatavit.

I. 5. 9 *Coriolos quoque — pro pudor — victos adeo gloriae fuisse, ut captum oppidum Gnaeus Marcius Coriolanus quasi Numantiam aut Africam nomini indueret.*

Nomen *Coriolanus* librarii potius quam auctoris videri Gruterus ante me monuit.

I. 7. 17 (Gallos) *Camillus adeo cecidit ut omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret. agere gratias diis immortalibus ipso tantae cladis nomine libet. pastorum casas ignis ille et flamma paupertatem Romuli abscondit. incendium illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac deorum domicilio civitas non deleta nec obruta, sed expiata potius et lustrata videretur?*

Verba *pastorum — abscondit* in marginem releganda sunt, unde in textum irrepserunt ubi nunc orationis cursum moleste interrumpunt ac conturbant.

I. 13. 17 *omnium vulnera in pectore, quidam hostibus suis morte sua conmortui, omnium in manibus ensis, et relictae in voltibus minae, et in ipsa morte ira vivebat.*

Digitized by Google

Puerilem istam dicendi rationem e codicis Bambergensis et Iordanis librorum consensu editor recepit, at sanae lectionis vestigia libri alteri, Nazarianus et Vossianus, praebere videntur, in quibus haec leguntur: *quidam hostibus suis inmortui.* Suspicor enim olim scriptum fuisse: *quidam hostibus suis morte mutua inmortui.* Cf. I. 4. 8: donec Arruntem filium regis manu sua Brutus occidit superque ipsum mutuo volnere expiravit, II. 13. 12: ergo cum mutuis viribus in suum quisque decus niterentur, II. 13. 13: quia mutuo metu tenebantur.

I. 17. 4 de Camillo: *sed hic melior in capta urbe consenuit et mox supplices de hoste Gallo vindicavit.*

In codice Bamb. post *melior* exaratum est *vis,* quod ex *Veis* ortum esse Seebodius putabat; Mommsen *sed hic humilior Veis* — Baehrens *sed hic melior civis* coniecerunt. Quidni reponimus id quod in promptu est: *sed hic melior vir in capta urbe consenuit?*

I. 18. 7 *ut non arte factae, sed quodam munere deorum conversae in naves atque mutatae arbores viderentur.*

Ordine verborum *in naves* et *atque* inverso maluerim: *sed quodam munere deorum conversae atque in naves mutatae arbores viderentur.*

I. 18. 32 *magna clades, sed non sine aliqua principis populi dignitate interceptam tempestate victoriam et triumphum perisse naufragio.*

Verba haec omni sensu carere, nisi pro *dignitate* scribatur *indignitate,* Cornelissenii opinio est, at vero dignitas illa qualis fuerit verba quae continuo sequuntur: *et tamen — populus R. et sic triumphavit* quamvis tecte indicant. Alia tamen corruptela locum laborare censeo, videlicet verbum *accepta* ante *interceptam* excidisse, cuius pristinae lectionis vestigium etiamnunc agnosco in codicis Naz. scriptura: *intercepta.*

I. 19. 2 *quippe iam Ligures, iam Insubres Galli, nec non et Illyrii lacessebant, sitae sub Alpibus id est sub ipsis Italiae faucibus gentes,* cet.

Digitized by Google

Verba *nec non et Illyrii* expungenda sunt, quandoquidem hoc loco duas tantum gentes Florus significavit, nam neque ad Illyrios, de quibus demum I. 21. 1 agere instituit, ea quae sequentibus paragraphis exponuntur pertinent, et in § 3 haec leguntur: *nec aliter utraque gente quam quasi cote quadam populus Romanus ferrum suae virtutis acuebat.*

I. 20. 1 *Gallis Insubribus et his accolis Alpium animi ferarum, corpora plus quam humana erant, sed — experimento deprehensum est — quippe sicut primus impetus eis maior quam virorum est, ita sequens minor quam feminarum, Alpina corpora umenti caelo educata habent quiddam simile nivibus suis.*

Difficultates, quas hic locus interpretibus exhibuit (cf. longissima Dukeri annotatio), omnes sublatas iam esse videbis, si voc. *quippe* ante *sicut* inducendum, reponendum vero ante nomen *Alpina* mihi credideris.

I. 22. 7 *tergiversantibus Poenis dux legationis 'quae' inquit 'mora est?* [*Fabius*] *'in hoc ego sinu bellum pacemque porto; utrum eligitis?'*

Graevio auctore editor nomen, quod codex unus post *legationis* positum exhibet, inclusit, sed an servandum sit nescio verum traiectum post vocabulum *Poenis*.

I. 22. 14 *imminentem temerario duci cladem praedixerant insidentia signis examina et aquilae prodire nolentes et commissam aciem secutus ingens terrae tremor; nisi illum horrorem soli equitum virorumque discursus et mota vehementius arma fecerunt.*

Suspicio mihi orta est, postremam periodum, cuius verba iam Salmasio et Graevio parum Latina ac prava visa sunt, non ipsi auctori deberi, sed a lectore incredulo olim ascriptam esse.

I. 22. 16 *callidus imperator in patentibus campis observato loci ingenio, quod et sol ibi acerrimus et plurimus pulvis et eurus ab oriente semper quasi ad constitutum ita instruxit aciem, ut Romanis adversus haec omnia obversis secundum caelum tenens vento pulvere sole pugnaret.*

Digitized by Google

Rossbachio si Cornelissenii coniectanea innotuissent, quin hunc locum melius constituisset quam nunc est equidem vix dubito. Ille enim callidam observationem, qua Eurum semper ab oriente flare Hannibal senserit, iure deridens pro istis stultitiis probabiliter emendavit: *eurus oboriens semper.* Postrema quoque verba tetigit proponens: *ut Romanis ad haec omnia obversis ipse secundum* e. q. s. E quibus illud *ipse* mihi quoque in mentem venerat, quod excidisse in libris ceteris — in scriptura codicis Naz. *quasi* quamvis forma corrupta superesse persuasum habeo.

I. 22. 51 *Nero in ultimo Italiae angulo submovebat Hannibalem, Livius in diversissimam partem, id est in ipsas nascentis Italiae fauces signa converterat.*

Corrigendum puto: *renascentis.* Cf. I. 22. 27: prima redeuntis et, ut ita dixerim, revivescentis imperii spes Fabius fuit.

I. 24. 10 *talem ergo regem iam luxuria sua debellatum — populus R. — coegit ab insula fugere.*

Emendandum erit: *debilitatum*, cum postea demum (vide § 14 infra) populo Romano „debellari regem placet". Cf. I. 27. 4: sic illa genuina feritas eorum Asiatica amoenitate mollita est, II. 5. 3 i. f.: senatus exilio Metelli, damnatione Rutili debilitatus, omne decus maiestatis amiserat.

I. 27. 6 *sed alligati miraculo quidam fuere, cum catenas morsibus et ore temptassent, cum offocandas invicem fauces praebuissent.*

Abundantia ista frigidissima, quae est in verbis *morsibus et ore,* neque II. 27. 17 cernitur: *quippe cum catenas morsibus temptarent, feritatem suam ipsi puniebant,* neque hoc loco ferenda videtur; forsitan auctor scripserit: *morsibus et robore,* cf. I. 38. 13: ipsa soli caelique clementia robur elanguit (Cimbrorum sc.).

I. 31. 8 *comploratum igitur publice statim et pari voce clamatum est 'ad arma' seditque sententia quoquo modo rebellandum.*

Corrigas, quaeso, *statimque pari voce,* cuius verae lectionis vestigium remansit in codice uno, ubi *statum.* legitur. Cf. I. 40. 11.

Digitized by Google

I. 31. 10 *in armorum officinas aurum et argentum pro aere ferroque conflatum est, in tormentorum vincula crinis suos matronae contulerunt.*

Legendum: *in armorum officinis.* Si accusandi casum scriptor posuisset, eum non *conflatum,* sed *conlatum* scripturum fuisse putarem, quod quamquam sequens verbum *contulerunt* apud Florum quidem non vetat, mutatio a me proposita utpote lenissima probabilior visa est atque ita sane a Dukero recensitum esse video.

I. 33. 14 *summus vir astu et audacia, si processisset, Olyndicus, qui hastam argenteam quatiens quasi caelo missam vaticinanti similis omnium in se mentes converterat.*

In libris mss. optimis scriptum est: *audaciae* et *solondicus,* sed editoribus plerisque verisimile est, virum significari qui in Livii Lib. 43 Epitome (Rossbachius perperam Lib. 53 dicit) *Olonicus* nuncupatur. Nescio tamen an sit legendum: *summus vir astu et audacia et, si processisset, Solon Celticus,* cl. § 15 infra: et, si fortuna cessisset, Hispaniae Romulus (de Viriato).

I. 34. 5 *Hostilium deinde Mancinum. hunc quoque adsiduis caedibus subegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam sustineret.*

Mommsen hunc locum, quo verba *Hostilium deinde Mancinum* quasi in aëre pendent, eo in integrum restituere conatus est, quod post *Mancinum* verbum *adorti* inseruit; nihil vero addendum, sed unam voculam delendam esse existimo ut plana omnia reddantur ac perspicua. Credo enim, *hunc* ex ultimarum litterarum nominis *Mancinum* dittographia natum esse atque uno tenore olim scriptum fuisse: *Hostilium deinde Mancinum quoque a. c. subegerunt.* Praeterea pro *caedibus* lectionem veram ac genuinam esse suspicor: *cladibus.*

I. 34. 10 *quippe adsiduis et iniustis et servilibus maxime operibus adtriti ferre plenius vallum — iubebantur.*

Quousque tandem hic locus coniecturis sollicitandus est? Pro *iniustis* olim *insuetis* substituere voluerunt, deinde Mommsen *invisis* — Rossbachius *inusitatis* commendarunt. At, hercle, lo-

Digitized by Google

cus in Dukeri editione cl. Verg. Georg. III. 346 optime explicatur: „ut *iustum* dicitur pro eo cui modus inest, ita *iniustum* pro immodico et nimio". Ergo denique iam coniecturis hic abstinendum erit.

I. 34. 1 (p. 83) *Hactenus populus R. pulcher egregius pius sanctus atque magnificus, reliqua saeculi ut grandia aeque, ita vel magis turbida et foeda crescentibus cum ipsa magnitudine imperii vitiis.*

Immo potius: *ita vero magis turbida* e. q. s.

I. 36. 9 *haec altera contra regem causa belli fuit. igitur sequens ultio mandatur Albino.*

N. Heinsius maluit: *praesens ultio*; praestare videtur: *frequens ultio.*

I. 36. 10 (Metellus) *qui callidissime hostem nunc precibus nunc minis, iam simulata iam vera fuga eludentem artibus suis adgressus est.*

Certam et evidentem Freinshemii emendationem *callidissimum* editor ne commemoravit quidem. Cf. I. 36. 2 ubi de eodem Iugurtha haec dicuntur: quippe rex callidissimus populum Romanum armis invictum opibus adgressus est, et I. 36. 17, ubi idem appellatur 'fraudulentissimus regum'. Similiter I. 22. 12 Poeni 'callidissimi hostes' audiunt, I 22. 16 Hannibal 'callidus imperator', denique I. 40. 18 Mithridates 'rex callidus'.

I. 38. 13 *ad hoc panis usu carnisque coctae et dulcedine vini mitigatos Marius in tempore adgressus est. † venere illi quam et in barbaris multa vestigia. diem pugnae a nostro imperatore petierunt,* cet.

Salmasius, Halmius, Iahnius, Sauppius, ipse Rossbachius qualia proposuerint ut probam et sinceram lectionem revocarent hic non repetam, quandoquidem verba hucusque male intellecta itaque male temptata esse persuasissimum mihi habeo. Barbarorum robora in Venetia, mollissima Italiae regione, ipsa soli caelique clementia elanguisse legimus, Marium autem eos aggressum esse, cum praeterea usu panis et carnis coctae et dul-

Digitized by Google

cedine vini mitigati ac molliti essent. Quid iam in istis blandimentis, quibus vires animi corporisque apud Cimbros enervatae dicuntur, deesse sciolo alicui videri potuit? Scilicet amores, Veneris commercium, nam Ceres et Bacchus aderant — iam Veneri frigere non licuit. Itaque mihi quidem constat, verba illa *venere illi quam et in barbaris multa vestigia* additamentum esse, quo magistellus nescioquis illam vitiorum seriem, imperfectam sibi visam, complere conatus sit; formam autem eius olim fortasse fuisse: et venere illa, quam et in barbaris (sc. fuisse) multa vestigia (sc. sunt). Eliminanda igitur, non emendanda verba ea censeo ubi nunc leguntur, nam hoc quoque tu, lector, scito, in codice Bamb. verba *est — vestigia*, in cod. Voss. *venere — vestigia* non reperiri!

I. 38. 20 *quippe eodem die quo gesta res est visi pro aede Pollucis et Castoris iuvenes laureatas praetori litteras dare, frequensque in spectaculo rumor victoriae Cimbricae. ** 'feliciter!' dixit.*

Spretis Gruteri, Freinshemii, Dukeri sententiis editor Iahnium secutus lacunam statuit, quam voce *subclamans* Halmius explendam putavit. Aliter tamen loco consulendum est; scripsit Florus: *visi pro aede Pollucis et Castoris iuvenes laureatas praetori litteras dare, frequensque in spectaculo rumor 'feliciter!' dixit* atque magnopere miror, neminem ante me perspexisse, verba *victoriae Cimbricae* ab auctoris manu proficisci minime potuisse, quae siquis ascripsit ad verba *laureatas litteras* illustranda loco alieno in textum recepta sunt, siquis addidit ut voc. *rumor* explicaret, locum non intellexit. Florus enim hoc voluit: casu factum est, ut uno eodemque tempore èt iuvenes praetori litteras laureatas dare viderentur èt in theatro acclamatio 'feliciter!' sonaret populi nescio cui applaudentis. Ita demum sequentia quoque lucida ac bene observata videbis, quae sunt (§ 21): quippe velut elata montibus suis Roma spectaculo belli interesset, uno eodemque momento, cum in acie Cimbri succumberent, populus in urbe plaudebat.

I. 42. 3 (M. Antonius) *dedit itaque poenas vecordiae. nam plerasque naves intercepere hostes captivaque corpora religantes velis*

Digitized by Google

ac funibus suspendere ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigaverunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroque populatus intra castella et urbes redegit.

Nomen *Cretes*, quod post *hostes* abundat, ad verbum *redegit* desideratur, de loco suo migravit et reponendum est post *populatus*.

I. 44. 2 (Cyprum) *insulam veteribus divitiis abundantem et ob hoc Veneri sacram Ptolomaeus regebat.*

Corrigendum esse *ad hoc* Freinshemius pridem monuit, sed frustra. Apud Florum *ad hoc* pro: insuper, praeterea frequens est, cf. I. 38. 13, I. 45. 25, II. 13. 40, II. 13. 91, II. 21. 5 et 6 (i. f.).

I. 45. 6 *Aquitani, callidum genus, in speluncas se recipiebant: iussit includi; Morini dilabebantur in silvas: iussit incendi. nemo tantum feroces dixerit Gallos: fraudibus agunt. Indutiomarus Treveros, Ambiorix concitavit Eburones.*

Emblema manifestum in marginem ablega, ubi olim homuncio, veritus ut verba *nemo tantum feroces dixerit Gallos* satis perspicua essent, ascripsit *fraudibus agunt* h. e. quippe qui ceteroquin fraudibus ac dolis uti soleant.

I. 45. 17 *plena erant tumultu hostico litora, et trepidantia ad conspectum rei novae carpenta volitabant. itaque trepidatio pro victoria fuit.*

Praetulerim: *istaque*, cf. II. 9. 25: quattuor milia deditorum inermium civium in villa publica interfici iussit: isti tot in pace non plures sunt?

I. 45. 26 *ipse ille rex, maximum victoriae decus, supplex cum in castra venisset, ecum et phaleras et sua arma ante Caesaris genua proiecit. 'habe' inquit. 'fortem virum, vir fortissime, vicisti'.*

Virum sane fortem, verum magis etiam propter corporis vires vere Milonianas mirandum, qui equum suum ante Caesaris genua proiecerit! At cum praesertim e quattuor codicibus insignissimis unus . *cum* exhibeat, unus *ecum et* omiserit, Gruteri propositum *secum*, quod ipse quoque conieceram, haud indignum

Digitized by Google

videtur quod saltem ab editore in apparatu critico commemoretur, neque scio an etiam dignum quod pro lectione ineptissima in textum recipiatur.

II. 6. 12 *fusae Rutili copiae, fusae Caepionis. nam ipse Iulius Caesar exercitu amisso cum in urbem cruentus referretur miserabili funere, media urbe per viam defecit.*

Ita post innumerabilia fere criticorum conamina Rossbachius Titzii emendatione *defecit* recepta locum constituit e codicum mss. scriptura *mediam urbem per viam fecit.* Quodsi insuper virgulam, quae post *funere* nunc est, induxisset atque ante *miserabili* collocasset, nihil iam difficultatis nobis esset relictum, nempe verba *miserabili funere* ad sequentia pertinere nemo non vel primo aspectu sibi persuadebit. In Dukeri editione verba, quamquam recte distincta sunt, cum Titzii emendatio nondum prolata esset, ipsa male sunt comparata; edidit enim Dukerus: *referretur, miserabili funere mediam etiam Urbem perviam fecit* atque laudantur coniecturae Lipsii *permadefecit* et Graevii *per mediam etiam urbem viam fecit.*

II. 6. 13 *sed magna populi R. fortuna et semper in malis maior totis denuo viribus consurrexit.*

Conicio: *denique* cl. II. 8. 12: tandem enim totis imperii viribus contra myrmillonem consurgunt. Vocabulum etiam occurrit II. 30. 27 et 28.

II. 7. 7 *quin illud quoque ultimum dedecus belli, capta sunt castra praetorum — nec nominare ipsos pudebit — castra Manli Lentuli, Pisonis Hypsaei.*

Indigne spreta est N. Heinsii et Graevii sententia, voc. *castra* posteriore loco repetitum delendum esse.

II. 7. 10 (Athenio) *ipse veste purpurea argenteoque baculo et regium in morem fronte redimita non minorem quam ille fanaticus prior conflavit exercitum, acriusque multo, quasi et illum vindicaret, vicos oppida castella diripiens in servos infestius quam in dominos quasi in transfugas saeviebat.*

Verbis traditis transpositis editor ista recensuit, ipse quidem

Digitized by Google

parum sibi confidens, quia infra rogat: an *in dominos milior, in servos infestius*? Praebent enim e codicibus optimis Bamb. et Iord. *in dominos quam in servos infestius*, Naz. vero et Voss. *in dominos in servos infestius*, quorum hos locum a librario neglegenti mutilatum servasse nullo instituto medendi conamine arbitror — illos iam prae se ferre corruptae lectionis emendandae vestigium scilicet inserto vocabulo *quam*. Post *dominos* enim propter litterarum similitudinem omissum esse suspicor voc. *minus*, quo reducto probam et genuinam lectionem ita revocabo:

in dominos minus, in servos infestius quasi in transfugas saeviebat.

II. 8. 10 *inde iam consulares quoque adgressus in Appennino Lentuli exercitum percecidit, apud Mutinam Gai Cassi castra delevit.*

Post voc. *quoque* excidisse credo: *exercitus* propter idem vocabulum in versu sequenti repetitum.

II. 9. 8 *tum ex consulto senatus adversariis hostibus iudicatis in praesentem tribunum aliosque diversae factionis iure saevitum est; Marium servilis fuga exemit, immo fortuna alteri bello reservavit.*

Nisi Florum nostrum Sullanum facere malueris, mecum rescribas: *iure belli saevitum est*. Vocabulum facile omitti potuit propterea quod mox recurrit. Formula *iure belli* legitur II. 9. 28, 11. 2, 33. 52.

II. 9. 25 *donec admonente Fufidio vivere aliquos debere, ut essent quibus imperarent, proposita est ingens illa tabula, et ex ipso equestris ordinis flore ac senatu duo milia electi qui mori iuberentur: novi generis edictum.*

Importunum additamentum resecandum puto, quod est *novi generis edictum*.

II. 10. 2 (Sertorius) *malis suis maria terrasque permiscuit; et iam Africae, iam Balearibus insulis fortunam expertus usque in Oceanum Fortunatasque insulas penetravit consiliis, tandem Hispaniam armavit.*

Voc. *consiliis*, quod in codd. Naz. et Voss. non legitur, eo loco quo in ceteris libris exaratum est, equidem non explico,

Digitized by Google

ad *malis suis* aegre desidero. Verisimile videtur, id in archetypo post *suis* prius omissum atque in margine a scriba additum cum esset, postea ab aliis neglectum — ab aliis in textum non suo loco receptum esse.

II. 12. 6 *tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum, sed patriciis innocentius.*

Immo *parricidis innocentius* h. e. innocentius tamen quam ipsi coniurati, quos nomine eo Florus perpetuo denotat, cf. II. 12. 11: in carcere parricidae strangulantur, II. 17. 1: illo ipso parricidio perdiderunt.

II. 12. 8 *Lentulus destinatum familiae suae Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans ad praestitutum a Catilina diem urbe tota viros faces tela disponit.*

Nisi apud Florum haec verba legerentur, pro *sibi vaticinans* quin emendandum esset *sibi vindicans* non dubitarem, nunc verbum qualecumque intactum relinquere tutius est.

II. 13. 85 *congestis cadaveribus agger effectus est, quae pilis tragulisque confixa inter se tenebantur.*

In libris Naz. et Voss. est: *pilis iaculisque* itaque Dukerus recensuit, e Bambergensis vero scriptura corrupta *plaustri stragulisque* multi coniecturas confinxerunt, quae cum de vocabulo illo restituendo inter se differant (*phalaricis — balistis — lanceis*), ad unam omnes voc. *tragulisque* tuentur. At teli, cui tragulae nomen erat, natura ipsa vetabat ne rebus configendis inserviret, siquidem ea vera sunt quae de telo in Mnemos. Vol. XXXVIII (1910) p. 225—233 exposui. Quapropter lectio codicum Naz. et Voss. unice vera mihi quidem videtur.

II. 15. 2 *quippe cum intra octavum decimum annum tenerum et obnoxium et opportunum iniuriae iuvenem videret, ipse plenae ex commilitio Caesaris dignitatis lacerare furtis hereditatem, ipsum insectari probris*, cet.

Siquid hic mutandum esset, Graevius invitis libris *opportunum iniuriae* deleturus fuisset, verum nihil denique mutandum censuit. Hauptius verba *et obnoxium* induxit, Rossbachius autem

Digitized by Google

verba *et opportunum* suspecta ducit. Mihi potius *tenerum et obnoxium* glossa esse videtur, quorum verborum illud ad verba *intra octavum decimum annum* — hoc ad verba *opportunum iniuriae* illustranda fuerit ascriptum, glossam autem antea suprascriptam post per errorem in verborum contextum irrepsisse.

II. 16. 2 *semper alias Antonii pessumum ingenium Fulvia tum gladio cincta virilis militiae uxor agitabat.*

Extrema illa *virilis militiae uxor* nil esse nisi verba et ineptias èt alii olim viderunt èt Cornelissen denuo monuit. At neque huius coniectura *virilis militiae ductor* neque aliorum proposita hucusque satis probabilia visa sunt, e quibus Anna Fabri *virilis audaciae* coniecit, Baehrens voc. *militiae* delendum putavit, Rossbachius *virilem militiam* [*uxor*] ad paginae calcem proposuit. Equidem scriptum esse credo:

Fulvia tum gladio cincta cuncta virilis militiae uxor agitabat.

II. 16. 1 (p. 157) *Cum solus etiam gravis paci, gravis rei publicae esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit. quid contra duos consules, duos exercitus?*

Locum sanare multi varie conati sunt, ceterum Graevius nomen *Caesar* excidisse recte monuit, quod ille post voc. *exercitus* — ego vero post *accessit* inserendum esse opinor: similitudinem, quae inter litterarum ductus nominis atque verbi partis posterioris intercedit, causam esse puto qua illud omissum sit.

II. 18. 2 (Sextus Pompeius) *o quam diversus a patre! ille Cilicas extincxerat, hic se piratica tuebatur. Puteolos Formias Vulturnum, totam denique Campaniam — populatus est.*

In codicibus mss. ante nomen *Puteolos* scriptum est: *per*, quod Bezzenbergero duce editor omisit, ortum esse credens ex *p. n.* (= proprium nomen), quae litterae alibi quoque nominibus propriis suprascriptae inveniuntur. At profecto exempla quae affert (nomina *Olyndicus, Viriatus, Indutiomarus*) utpote peregrina et legentibus permultis ignota non ea sunt quae pro argumento citari liceat; quemquam ad *Puteolos*, nomen Latinum et lippis ac tonsoribus notissimum, litteras illas monitorias umquam ascripsisse haud facile crediderim. Nonne scripsisse putandus est

Digitized by Google

noster: *pro! Puteolos — populatus est?* Interiectio saepissime apud Florum occurrit, cf. I 36. 9; II. 9. 2; 11; 13. 14.

II. 18. 4 *quantum id, sed breve gaudium fuit, cum in Baiani litoris mole de reditu eius et bonorum restitutione convenit.*

Tolle iners et fatuum additamentum *sed breve*, quod etiam cum compositione verborum pugnat.

II. 18. 9 *non alia post Xerxen miserabilior fuga. quippe modo trecentarum quinquaginta navium dominus cum sex septemve fugiebat extincto praetoriae navis lumine, anulis in mare abiectis, pavens atque respectans, et tamen non timens nisi ne periret.*

Haerent interpretes in vocabulo *anulis*, pro quo Cornelissen obtulit *armis*. Corruptela manifesta est, sed displicet medela. Pompeius fugam suam quam maxime celare studet, quod ut efficiat navigat extinctis luminibus atque sublatis nimirum omnibus navigii armamentis, quae cum alta ac conspicua sint procul cerni possint, qua de causa Florum scripsisse mihi persuasum est: *antemnis in mare abiectis.*

II. 20. 3 *et hic statim quasi victor sequebatur, cum subito nec magna hostium manus ex inproviso et iam in fessos via sub vespere velut nimbus erupit.*

Lege: *subita nec magna hostium manus*, cl. § 9 infra: et utriusque caeli subita mutatio pro pestilentia fuit, II. 13. 59: (Caesar) in paeninsulam Pharon subitus evasit.

II. 20. 10 *sic vix tertia parte de sedecim legionibus reliqua, cum argentum eius passim dolabris concideretur et subinde inter moras mortem a gladiatore suo flagitasset egregius imperator, tandem perfugit in Syriam.*

Immo hercle *cum agmen eius passim dolabris concideretur.* Agmen apud Florum saepius pro exercitu positum est, cf. I. 40. 29, II. 9. 6, II. 13. 62.

Digitized by Google

DE INVECTIVIS

QUAE TAMQUAM

SALLUSTII ET CICERONIS

TRADITAE SUNT.

SCRIPSIT

ALPHONSUS KURFESS.

Invectivas, quae Sallustii et Ciceronis nominibus feruntur, Sebastianus Corradus [1]) primus ut subditicias reiecit. nam in utraque oratiuncula sententiarum ineptias consimiles nec Sallustio nec Cicerone dignas inveniri contendit, unde eluceat eas ab uno eodemque rhetore compositas esse. Corradi sententiam omnes, qui postea has invectivas ediderunt, usque ad Henricum Iordan [2]) secuti sunt [3]).

Sed nuper simul tres viri docti hanc quaestionem denuo tractaverunt. Reitzenstenius [4]) docuit Sallustii personati in M. Tullium invectivam anno a. Chr. n. quinquagesimo quarto scriptam esse; nam usque ad hunc tantum annum Ciceronis vitam auc-

1) Quaestura sive Egnatius. Venetiis 1537.

2) C. Sallusti Crispi Catilina, Iugurtha, historiarum reliquiae codicibus servatae. accedunt rhetorum opuscula Sallustiana. Henricus Iordan tertium recoguovit. Berolini 1887.

3) Conferatur etiam H. Iordan, Die Invectiven des Sallust und Cicero, Hermes XI (1876) p. 305, — et Fr. Vogel, Acta seminarii philologici Erlangensis (ed. I. Mueller et Ed. Woelfflin), vol. I (1878) p. 325 'De Pseudosallustii in Tullium et invicem invectivis'.

4) Hermes 33 (1898) p. 87 'Pseudosallusts Invektive gegen Cicero'.

Digitized by Google

torem respexisse. deinde Eduardus Schwartz [1]) longius progressus invectivam L. Calpurnio Pisoni, Caesaris socero, attribuit. Piso ille anno quinquagesimo octavo Ciceronis exilium perpetraverat et ipse post consulatum Macedoniam acceperat. sed Cicero, qui in urbem reversus in Pisonem furere non desiit, anno quinquagesimo quinto de Pisone ex Macedonia revocando ad senatum rettulit. deinde Piso in senatu acerrimam in Ciceronem orationem habuit. cui Cicero respondit et orationem Pisonianam vulgavit. contra hanc orationem a Pisone scriptam esse invectivam Sallustii nomini addictam Eduardus Schwartz opinatur [2]).

Wirzius [3]) denique censet invectivam Caesare, Cicerone, Sallustio iam mortuis scriptam et sub nomine Sallustii editam esse [4]), neque vero ex schola, sed ex vita publica [5]) ortam esse [6]).

---

1) ibid. p. 101 sq.

2) Pisonem in Ciceronem invectivam scripsisse apparet ex Cic. ep. ad Quint. III, 1, 11: alterum est de Calventii Marii (i e. Pisonis) oratione: quod scribis, miror tibi placere me ad eam rescribere, praesertim cum illam nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero, meam in illum pueri omnes tamquam dictata perdiscant.

3) 'Sallustius in Ciceronem', ein klassisches Stück Anticicero (Festgaben zu Ehren M. Büdingers, Innsbruck 1898, p. 91).

4) Tale quid Augusti aetate factum esse nos docet Asconius Pedianus (p. 93, 24 Clark): huic orationi Ciceronis (i. e. in toga candida) et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant invecti in novitatem eius. feruntur quoque orationes nomine illorum editae non ab ipsis scriptae, sed ab obtrectatoribus: quos nescio an satius sit ignorare.

5) Wirz p. 110: Dass ein politisches Pamphlet vorliegt, schliesse ich aus dem warmen, von wahrer Leidenschaft durchdrungenen Ton, der aus dem Ganzen spricht und im Verlaufe immer erregter wird, der weit entfernt ist von gemachter und erkünstelter Entrüstung.

6) Post hos tres viros doctos G. Peiser dissertatiunculis illis mirum in modum plane neglectis in programmate Poseniano anni 1903 'de invectivis, quae Sallustii et Ciceronis nominibus feruntur', scripsit. etiam hic miratus est Pseudosallustium finxisse non multo post causam Vatinii hanc orationem esse habitam, cum in posteriore invectiva multa inveniantur, quae post annum a. Chr. n. quinquagesimum quartum acciderint. scribit enim p. 10 et q. s.: 'Quae discrepantiae adhuc vix adnotatae (?) mihi primum suspicionem moverant a diversis grammaticis diversis temporibus invectivas esse compositas. sed hanc opinionem reiciendam esse ex uno eodemque invectivarum genere dicendi supra collegimus, neque ob ea, quae attuli, inter se repugnantia ut recipiatur necesse est. id unum affirmare ausim, falli, qui censeant ab rhetore ipsa collecta esse convicia, quae profert. cur enim omnia, quae post a. 700 Ciceroni acciderunt, omisisset, Sallustii autem totam vitam amplexus esset? discrepantiam in ipsa fontium, ex quibus hausit, indole positam esse credo. quales fuerint, iam cognosci potest. usus est noster ad priorem invectivam componendam sive epistula sive oratione non multo post a. 700 ad infamiam Ciceronis edita, qua potissimum

Digitized by Google

Inter viros doctos alii hanc tam sagacem Schwartzii opinionem comprobaverunt, veluti B. Maurenbrecher [1]), Eduardus Meyer, Eduardus Norden [2]), alii gravissime impugnaverunt, veluti Fridericus Schoell [3]) et Thadaeus Zielinski [4]).

Via, qua Reitzensteinius [5]) et Eduardus Schwartz [6]) progrediuntur, impeditior esse mihi videtur quam ut ad certum finem pervenire possimus. nam invectivam a Pisone scriptam et sub ipsius nomine editam, deinde excerptam ita, ut ψόγος tantum servaretur, ἀπολογία autem periret, tum sine nomine in antiquariorum bibliothecis repertam et Sallustii nomini adscriptam esse, idque ut post Caesaris, Ciceronis, Pisonis, Sallustii mortem, ita ante Quintiliani aetatem, quippe qui hanc invectivam sub nomine Sallustii citet [7]), factum esse, quis crediderit? itaque Fridericus Schoell [8]) de hac invectiva recte sic iudicat: 'Nur um 'persönliche Bemerkungen' [9]), nicht um eine wirkliche Debatte handelt es sich in diesem angeblichen Auszug aus einer höchst unparlamentarischen parlamentarischen Verhandlung des Senats aus der Zeit Ciceros und Sallusts'. eodem redit id, quod Zielinski [10]) ad verba 'ubi querar? quos implorem? (inv. I, 1)' adnotat; dicit enim auctorem hanc 'expeditionem' Ciceronianam vel tralaticiam perverse adhibuisse, cum eam ex iudiciali genere dicendi in orationem in senatu habitam transtulerit.

Deinde maximo impedimento est, quod Sallustius personatus, id quod Zielinski [11]) primum opponit, domum Ciceronis deletam

---

inconstantia eius notabatur, ad posteriorem vita Sallustii post mortem eius conscripta.' cf. etiam May, Bursians Jahresberichte CXXXIV (1907) p. 184.

1) Berl. philol. Wochenschrift 1899, col. 298.

2) Gercke-Norden, Einleitung in die Altertumswissenschaft I, 548.

3) Zu Pseudo-Sallusts Invectiva. Mus. Rhen. 57 (1902) p. 159 e. q. s.

4) Die Cicerokarikatur im Altertum. Cicero im Wandel der Jahrhunderte² (1908) p. 347 e. q. s.

5) l. c. p. 93.

6) l. c. p. 103.

7) Inst. IV 1, 68 et IX 3, 89.

8) l. c. p. 163.

9) Cf. inv. in Cic. I, 1: respondebo tibi, ut si quam male dicendo voluptatem cepisti, eam male audiendo amittas.

10) l. c. p. 349.

11) l c. p. 348.

Digitized by Google

esse ignorat [1]), cum Cicero in Pisonem propterea vehementissime invectus sit. cf. in Pis. 26: *an tum eras consul, cum in Palatio mea domus ardebat non casu aliquo, sed ignibus iniectis instigante te? ... at tu illo ipso tempore apud socrum tuam prope a meis aedibus ... sedebas non exstinctor, sed auctor incendii et ardentis faces furiis Clodianis paene ipse consul ministrabas.* — Piso igitur, si invectivam scripsisset, aut domum Ciceronis silentio praeterire aut a crimine illo se defendere debuit.

Tum contra Schwartzium hoc proferri posse puto, quod celeberrimus ille Ciceronis ex carmine de consulatu versus 'cedant arma togae, concedat laurea laudi', de quo Cicero sui defendendi causa in oratione Pisoniana multa verba [2]) fecerat, in invectiva repetitur. Pisonem Ciceronis oratione pervulgata in responso hunc versiculum iterum protulisse vix quisqam crediderit. sed hoc tenendum est: auctor invectivae non ipsa Ciceronis verba attulit, sed versum paululum immutavit: 'concedat laurea *linguae*' [3]). cui non in mentem veniat Cic. de or. II 64, 247, ubi Cicero C. Iulium Caesarem Strabonem de ridiculo cum alia tum haec dicentem facit: 'saepe etiam versus facete interponitur, vel ut est vel paululum immutatus aut aliqua pars versus'? itaque non dubito dicere hoc ad artem rhetorum pertinere, qui Ciceronis de oratore libros sine dubio in scholis tractaverunt.

Hoc sane Schwartzio concedendum est invectivae multos locos orationi Pisonianae consimiles inesse. liceat mihi unum proponere: inv. I 2 'istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiae iactura [4]) perdidicisti'. Ciceronem a. M. Pisone

1) Inv. II, 2: domum ipsam tuam vi et rapinis funestam tibi ac tuis comparasti, videlicet, ut nos commonefacias, quam conversa res sit, cum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quae P. Crassi, viri clarissimi, fuit.

2) In Pis. 72—75.

3) 'linguae' non solum codicibus traditur, sed etiam apud Quintilianum (inst. X 1, 24) extat, qui Sallustii quidem nomen non affert, sed verba ipsa ex invectiva, non ex Ciceronis carmine, ut manifestum est, depromit: 'in carminibus utinam (sc. Cicero) pepercisset, quae non desierunt carpere maligni: 'cedant arma togae, concedat laurea linguae' et 'o fortunatam natam me consule Romam' et 'Iovem illum, a quo in concilium deorum advocatur' et 'Minervam, quae artes eum edocuit' — quae sibi ille secutus quaedam Graecorum exempla permiserat.'

4) 'iacturam' errore librarii in Iordani editione tertia (p. 155, 17) in textum irrepsisse videtur; nam in editione altera recte legimus 'iactura'.

Digitized by Google

eruditum esse auctor cognoscere poterat ex Cic. Brut. 310: 'commentabar declamitans .... saepe cum M. Pisone'. cf. etiam Asconius (Clark p. 15, 14): 'Pupius Piso eisdem temporibus, quibus Cicero, sed tanto aetate maior, ut adulescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret.' sed unde infamia illa? Zielinski [1]) putat his verbis inesse malitiam Graecam. contra equidem censeo hoc ad Pisonianam ipsam redire, ubi de Graeco quodam philosopho Epicureo, qui cum Calpurnio Pisone vixit, hoc legimus (§ 68): *dedit se (sc. Piso) in consuetudinem (sc. cuiusdam Graeci) sic, ut prorsus una viveret nec fere umquam ab eo discederet .... audistis profecto dici philosophos Epicureos omnis res, quae sint homini expetendae, voluptate metiri ... sed tamen lubricum genus orationis adulescenti non acriter intellegenti est saepe praeceps ....* (§ 70 exeunte) *rogatus, invitatus, coactus ita multa ad istum de ipso quoque scripsit, ut omnis [hominis] [2]) libidines, [omnia stupra] [2]), omnia cenarum conviviorumque genera, adulteria denique eius delicatissimis versibus expresserit.*

Praeterea exempli causa duos locos affero: inv. III, 5 *crudelissimam proscriptionem eam [3]) perpessa est, cum tu perturbata re publica metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuae cogebas* et III, 6: *neque licet oblivisci servitutis tuae.* cum his locis conferas in Pis. 14 *interrogatus, quid sentires de consulatu meo .... respondes .... crudelitatem tibi non placere;* ibid. 17 *tu es ille, cui crudelitas displicet;* ibid. 15 *caedem illi civium, vos servitutem expetistis. hic vos etiam credeliores; huic enim populo ita fuerat ante vos consules libertas insita, ut ei mori potius quam servire praestaret.* — Ut ex his locis perspicuum est auctorem invectivae a Pisoniana pendere, ita a similitudine veri alienum est Pisonem eam composuisse. nam angusti ingenii esset idem, quod quis alteri crimini dedit, respondere. sed

---

1) l. c. p. 353.

2) Seclusit C. F. W. Mueller.

3) 'eam' veteres libri praeter H^3, qui cum libris noviciis 'civium' tradit, quam coniecturam esse manifestum est. Wirzius conicit 'omnium', et Eduardus Schwartz (l. c. p. 105) ipse quoque 'eam' depravatum esse censet. contra ego arbitror hoc pronomen optime dici. 'eam' enuntiatum temporale, quod sequitur, indicat. si enim pro coniunctione 'cum' pronomen relativum 'in qua' legeremus, quod auctor etiam scribere potuit, nemo offenderet.

Digitized by Google

eum, qui invectivam scripsit, antea celeberrimam antiquitatis invectivam perlegisse quid mirum?

Quibus argumentis ductus Pisonem auctorem invectivae esse nego. eo accedit, quod oratiuncula permultis flosculis Ciceronianis exornatur, ut infra demonstrabo.

Quid? quod Martinus Schanz [1]) fieri posse, ut Sallustius ipse invectivam scripserit, ex locis Sallustianis conclusit [2]). loci, quibus auctor Sallustium imitatur, sunt hi:

Ps. Sall. in Cic.	*Sall.*
I, 1 graviter et iniquo animo maledicta tua paterer.	Iug. 31, 21 aequo animo paterer [3]).
ibid. neque modum neque modestiam ullam animadverto.	Cat. 11, 4 neque modum neque modestiam victores habere. ibid. 38, 4 neque illis modestia neque modus contentionis erat [4]).
ibid. se ipse ac fortunas suas venales habeat.	Cat. 10, 4 omnia venalia habere [5]).
ibid. insitus huic urbi civis.	Cat. 31, 7 inquilinus civis urbis Romae [6]).
I, 2 quod alicui collibuisset.	Cat. 51, 9 quae victoribus collibuissent [7]).
II, 3 civitatis incommodum in gloriam suam ponit.	Or. Lep. 19 facta in gloria numerat [8]).
II, 4 de eo tibi compertum erat.	Cat. 14, 7 quod cuiquam id compertum foret. ib. 22, 3 no-

1) Geschichte der römischen Litteratur³. München 1909. I, 2. p. 181 et 184. contra vide E. Hauler, Wiener Eranos, Wien 1909, p. 223 adn.

2) Sermonem a Sallustii libris alienum nihil habere offensionis docuit Wirz (l. c. p. 111).

3) Cf. etiam Cic. Phil. XII, 9 omnes aequo animo belli patitur iniurias. ep. ad fam. XV 17, 2 hoc tu pro tua sapientia feres aequo animo.

4) Cic. Phil. II, 10 si meam cum in omni vita tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis.

5) Cic. Verr. III, 144 quae ipse semper habuit venalia. Phil. II, 6 cum domi tuae turpissimo mercatu essent venalia.

6) Cic. Sest. 72 alter ... in Celatinos Atilios insitus ... nomen suum de tabula sustulit.

7) Hoc verbum Cicero translate (de re Veneria) non adhibet; praeterea in perfecto utitur forma 'collibitum est' (de nat. deor. I, 108; ep. ad fam. 15, 16, 2).

8) Cic. Mur. 21 quam (sc. dignitatem) ego ... pari atque eadem in laude ponam.

Digitized by Google

	bis ea res .... parum comperta est [1]).
III, 5 omnia indicia, omnes leges in tua libidine erant.	Iug. 31, 20 leges iura iudicia penes paucos erant. or. Lep. 13 leges iudicia .... penes unum.
III, 5 omnium nostrum vitae necisque potestatem ad te unum revocaveras.	Iug. 14, 23 cuius vitae necisque potestas ex opibus pendet [2]).
III, 6 atque parum quod impune fecisti.	Iug. 31, 22 parum est impune male fecisse. ibid. 31, 9 talia facinora impune suscepisse parum habuere [3]).
IV, 7 ancillaris.	Or. Lep. 22 an quibus praelatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis? [4])

Sed multo maior est numerus eorum locorum, ubi Sallustius personatus Ciceronem imitari videtur. nonnulli loci ita gemelli sunt, ut eum a Cicerone pendere verisimile sit.

Invectiva incipit his verbis: 'graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem iudicio magis quam morbo animi petulantia [5]) ista uti' [6]). legenti haec cui non in mentem veniat illud Ciceronis: 'quousque tandem abutere, Ca-

1) Cic. Sull. 86 nihil de hoc consul comperi. Cat. I, 10 haec ego omnia ... comperi. ep. ad Att. I 14, 5 me tantum comperisse omnia criminabatur.

2) Cic. dom. 77 ut vitae necisque potestatem haberet.

3) Cic. Ligar. 35 sed parum est me hoc meminisse. Sest. 32 parumne est, Piso, ut omittam Gabinium? div. in Caec. 36 si id parum est, ego maius id commemorando facere non possum.

4) Cic. de or. I 55, 236 istam iuris scientiam tamquam ancillulam pedisequamque adiunxisti cf. etiam Titin. com. 73 dotibus deleniti ultro etiam uxoribus ancillantur. Acc. trag. 442 quam invita ancillans, dicto oboediens viri. Ambr. exam. 6, 9, 57 ministerium suum exhibent, parent ut principi, ancillantur ut domino. cf. A. Funck, Arch. f. lat. Lex. und Gram. IV (1887) p. 75 sq. — quod verbum 'ancillari' et apud scenicos antiquos et apud Ambrosium legimus, non apud optimos scriptores, inde fortasse concludere poteris auctorem invectivae hoc verbum ex sermone vulgari sumpsisse. similiter res se habere mihi videtur de praepositione 'absque' (inv. II, 3 = sine), quae et apud Plautum et apud ecclesiasticos invenitur.

5) Hoc vocabulo Cicero in invectivis saepe utitur: Pis. 31 abiecti hominis ac semivivi furorem petulantiamque fregistis; Catil. II 25 ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; Phil. III, 28 quid est in Antonio praeter petulantiam?

6) Cf. etiam Cic in Pis. 44 non ferrem omnino moleste, si ita accidisset.

Digitized by Google

tilina, patientia nostra?' atque profecto Quintilianus in inst. orat. IV 1, 68, ubi quaeritur, utrum in prooemio figura ἀποστροφὴ adhibenda sit necne, hos locos iuxta affert: 'Quid? non Sallustius derecto ad Ciceronem, in quem ipsum dicebat, usus est principio et quidem protinus: 'graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli?' sicut Cicero fecerat in Catilinam: 'quousque tandem abutere?'

Praeter locos supra citatos haec collegi exempla:

Ps. Sall.	*Cic.*
I, 1 ubi querar? quos implorem, patres conscripti? ... apud populum Romanum? ... an apud vos, patres conscripti?	Flacc. 4 quem appellem? quem obtester? quem implorem? senatumne? ... an equites Romanos ... populum Romanum? — Verr. V, 126 quo confugient socii? ... ad populum ...? — Mur. 88 quo se miser vertet ...? domumne ...? an ad matrem? [1])
ibid. diripi rem publicam atque audacissimo cuique esse praedae [2]).	De or. III 1, 3 deploravit enim (sc. Crassus) casum atque orbitatem senatus, cuius ordinis a consule, qui quasi parens bonus aut tutor fidelis esse deberet, tamquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis. — Verr. III, 85 etiamne haec tam parva civitas ... praedae tibi et quaestui fuit?
ibid. quorum auctoritas turpissimo cuique et sceleratissimo ludibrio est.	Verr. V, 100 ludibrio esse urbis gloriam, populi Romani nomen ... piratico myoparoni. — Phil.

1) Cf. Reitzenstein l. c. p. 95; Zielinski l. c. p. 349. — de origine huius loci, qui ad praenobilem illam C. Gracchi orationem (Cic. de or. III 56, 214) 'quo me miser conferam? quo vertam?' redit, vide E. Norden, Die antike Kunstprosa I² (1909), add. ad p. 171. — cf. etiam inv. in Sall. I, 1 quo me praevertam, p. c.? unde initium sumam? Ps. Quint. decl. III, 5 (p. 54, 3 Lehnert): ad quem confugiam? cui querar?

2) Perfidiae codd. cf. Eussner, Jen. Lit.-Zeitg. (1876) 48 p. 641 et Wirz, Zeitschrift für das Gymnasialwesen XXXI (1877) p. 270.

Digitized by Google

ibid. ubiubi [1]) M. Tullius, leges iudicia [2]) rem publicam defendit [3]).

II, 9 quam (sc. audaciam) neque auctoritas huius ordinis ... neque leges ullae possent coërcere.

Phil. VIII, 8 nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia sedesque populi Romani, aras, focos, sepulcra maiorum, *nos leges, iudicia* libertatem, coniuges, liberos, patriam, *defendimus*. — Sest. 98: haec membra, quae tuenda principibus et vel capitis periculo defendenda sunt: religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos maiorum, iudicia, iurisdictio, fides, provinciae, socii, imperii laus, res militaris, aerarium.

I, 2 nihil flagitiosum corpori tuo putares.

Catil. I, 13 quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore afuit? — Pis. 11 qui nihil sibi umquam facere nec pati turpe esse duxit.

II, 2 uxor sacrilega ac periuriis delibuta.

Phil. XII 26 hic ... numquam profecto a me sacrilegas manus atque impias abstinebit. — Flacc. 26 omnia corrupta in periurio reperientur.

---

1) Reitzenstein (l. c. p. 95) scribit: 'ludibrio est, ubi M. Tullius leges ... defendit' et putat relativum 'ubi' voce 'in hoc ordine' demonstrative continuari. sed hoc fieri nequit propter concinnitatem. nam enuntiato 'an apud populum Romanum? qui ... venales habeat' optime respondet 'an apud vos, p. c.? quorum auctoribus ... ludibrio est'. eo accedit, quod in invectiva Caleni in Ciceronem apud Cassium Dionem (XLVI, 20, 2) locum consimilem legimus: καίτοι πολλὰ μὲν περὶ τῶν νόμων, πολλὰ δὲ καὶ περὶ τῶν δικαστηρίων ἀεὶ καὶ παντα χοῦ (ubiubi!) θρυλῶν.

2) Sic legendum esse, non 'audacia' (= audacter), quod Iordanus probat, praeter locos supra allatos inde apparet, quod ablativus neque cum praepositione 'cum' neque cum adiectivo coniunctus a linguae Latinae usu abhorret.

3) Cf. Sen. suas. VI 26, 14 (ex carmine Corneli Severi): ille (sc. Cicero) senatus vindex, ille fori, legum vitaeque togaeque.

Digitized by Google

ibid. filia, matris paelex, tibi iucundior atque obsequentior quam parenti par est.

Cluent. 199 atque etiam nomina necessitudinum, non solum naturae nomen et iura mutavit: uxor generi, noverca fili, filiae paelex. — orator 30, 108 ab hac indole iam illa matura: uxor generi, noverca fili, filiae paelex [1]). — Verr. I, 122 mihi ... mea filia maxime cordi est ...; quid enim natura nobis incundius, quid carius esse voluit? [2])

ibid. domum ipsam tuam vi et rapinis funestam tibi ac tuis comparasti.

Pis. 38 nondum commemoro rapinas. ibid. 57 quae te nisi praedae ac rapinarum cupiditas tam caeca rapiebat. Catil. I, 24 aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus confido perniciosam ac funestam futuram.

II, 3 in concilio deorum immortalium fuisse, inde missum huic urbi civibusque custodem.

Dom. 141 di immortales suorum templorum custodem ac praesidem sceleratissime pulsum cum viderent. — Phil. III, 34 di immortales nobis haec praesidia dederunt.

ibid. absque carnificis nomine.

Rab. perd. 10 me in consulatu meo carnificem de foro sustulisse. — Pis. 11 haec sunt, o carnifex, in gremio sepulta consulatus tui. — Dom. 21 quem carnificem civium ... quem crudelitatis auctorem fuisse dixerat.

II, 4 opulentiam istam ex sanguine et miseriis civium parasti.

Leg. agr. II, 102 illis honores, potestates, divitiae ex tumultu atque ex dissensionibus civium comparari solent. — Verr. V, 118

1) Reitzenstein l. c. p. 96.
2) Zielinski l. c. e. 349.

Digitized by Google

III, 4 homo novus Arpinas [1]).

cui ex omni gemitu doloreque certa merces comparabatur. — Sull. 90 cuius ex miseriis ... fructum caperes.

Leg. agr. II, 3 neque me tantum modo consulem, quod est ipsum per se amplissimum, sed ita fecistis, quo modo pauci nobiles in hac civitate consules facti sunt, novus ante me nemo. — Planc. 20 at in quemcumque Arpinatem incideris, etiam si nolis, erit tamen tibi fortuna etiam de nobis aliquid, sed certe de C. Mario audiendum.

ibid. rem publicam caram habet.

Phil. XIII, 7 quod hoc animo in rem publicam est, quae mihi vita mea semper fuit carior. — Phil. II, 2 me nec reipublicae nec amicis umquam defuisse.

III, 5 fidus nemini ... mercennarius patronus [2]), cuius nulla pars corporis a turpitudine vana, manus rapacissimae, gula immensa, pedes fugaces; quae honeste nominari non possunt, inhonestissima [3]).

Cael. 78 (Sex. Clodium) hominem sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum. — Pis. 66 nam quod vobis iste tantum modo improbus, crudelis, olim furunculus, nunc vero

1) Cf. Iuv. VIII, 237 hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae municipalis eques.

2) Cf. Cic in Pis. 49 praebuit se mercennarium comitem regi Alexandrino. Phil. II, 84 quae potest esse turpitudinis tantae defensio? cupis audire, ut videam, ubi rhetoris sit tanta merces Pis. 30 quorum mens fuerit oppressa praemio, lingua adstricta mercede.

3) Eadem fere legimus in Sallustii personati epistola ad Caesarem senem (9. 2), ubi de L. Domitio, viro nobilissimo, dicitur: 'quoius nullum membrum a flagitio aut facinore vacat, lingua vana, manus cruentae, pedes fugaces: quae honeste nominari nequeunt, inhonestissima'. vix dici posse puto alterum auctorem ab altero pendere. veri simillimum mihi videtur esse utrumque ad locum communem redire. cf R. Pöhlmann, Zur Geschichte der antiken Publicistik. Sitzgsb. d. k. B. Ak. d. Wiss. (philos.-philol.-hist. Klasse). München 1904. p. 27.

Digitized by Google

ibid. atque is cum eiusmodi sit, tamen audet dicere.

ibid. sublata lege Porcia, erepta libertate omnium nostrum vita necisque potestatem ad te unum revocaveras.

III, 6 aures nostras odio tuo onerabis [1]).

ibid. molestissimis verbis insectabere.

ibid. quasi vero togatus et non armatus ea, quae gloriaris, confeceris.

ibid. inter te Sullamque dictatorem praeter nomen imperii quicquam interfuerit.

etiam rapax, quod sordidus, quod contumax, quod superbus, quod perfidiosus, quod impudens, quod audax esse videatur, nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil protervius, nihil nequius. — Phil. II, 19 sed iam stupra et flagitia omittam, sunt quaedam, quae honeste non possum dicere.

Pis. 23 te fuisse Romae consulem dicere audebis? ibid. 41 ausus est — quid enim ille non audeat?

Sest. 89 legibus sublatis. — Phil. I, 19 hac lege sublata. — Pis. 90 mitto ereptam libertatem. — Dom. 77 ut vitae necisque potestatem haberet.

Phil. II, 99 omnibus eum contumeliis onerasti.

Sest. 110 quem fortem ... civem non petulantissime est insectatus.

Pis. 6 mihi togato senatus ... templa patefecit. — Catil. III, 23 togati me uno togato duce et imperatore vicistis.

Pis. 15 quid enim interfuit inter Catilinam et eum, cui tu senatus auctoritatem ... provinciae praemio vendidisti. ibid. 16 nihil inter vos et Catilinam interfuisse. — Phil. X, 15 quasi vero quicquam intersit inter A. Hirtii ... et hunc exercitum M. Bruti.

1) Cf. Hor. sat. I 10, 10 verbis lassas onerantibus aures.

Digitized by Google

IV, 7 sed quid ego plura de tua insolentia commemorem?	Div. Caec. 17 de quo quid ego plura commemorem? imp. Pomp. 32 sed quid ego longinqua commemoro? Mil. 18 sed quid ego illa commemoro?
ibid. Italia exulem humeris suis reportavit.	p. red. in sen. 39 me ... Italia cuncta paene suis umeris reportavit.
ibid. quem tandem locum in hac civitate obtines?	Phil. II, 71 quem locum apud ipsum Caesarem ... obtinuisti?
ibid. quos tyrannos appellabas, eorum potentiae faves.	Pis. 23 vos consules ... qui tyranni nominabuntur. Vat. 23 tu, qui nos, qui de communi salute consentimus, tyrannos vocas. — Leg. agr. II, 32 formam adhuc habetis ... et speciem ipsam tyrannorum.
ibid. qui tibi ante optimates videbantur, eosdem dementes ac furiosos vocas.	Ep. ad fam. I 9, 17 idque ... declarant ii, qui tum nostro illo statu optimates nominabantur.

Quae cum ita sint, quis invectivam ut genuinam defensurus est? sed optime convenit ad rhetorum scholas, ubi Ciceronis orationes accurate tractabantur et Ciceronis persona haud raro in declamationibus adhibebatur [1]). cf. Sen. suas. VI et VII, controv. VII, 2. praeterea Fortunatianus [2]) titulum controversiae memoriae prodidit: 'reus est M. Tullius, quod in consulatu suo supplicium de indemnatis civibus sumpserit' [3]).

Nunc omnia congruunt. rhetor ille haud ita inepte annum 54 sibi proposuit. nam Sallustius anno 86 natus anno 54 Romae vel anno 55 extra Romam quaesturam [4]) gerere potuit,

---

1) Cf. Zielinski 'Cicero in der Rhetorenschule', l. c. 1. 344.

2) Ed. Halm p. 84.

3) Cf. Martianus Capella V 483: a nota vel etymologia, ut Graeci dicunt, sumimus argumentum sic 'si consul est, qui consulit rei publicae, quid aliud Tullius fecit, cum adfecit supplicio coniuratos?'

4) De Sallustii quaestura nihil certi constat, sed anno 52 tribunus plebis erat, quo munere Romani post quaesturam fungi solebant.

Digitized by Google

per quam in senatum venit. eo accedit, quod Sallustium anno 52, cum tribunus plebis erat, contra Ciceronem dixisse Asconius testatur (Clark p. 37, 18): 'inter primos et Qu. Pompeius et C. Sallustius et T. Munatius Plancus tribuni plebis inimicissimas contiones de Milone habebant, invidiosas [1]) etiam de Cicerone, quod Milonem tanto studio defenderet'. rhetor igitur finxit Ciceronem anno 54 acerrime in Sallustium in senatu invectum esse, eique Sallustium respondisse. cum de criminibus in eum factis ei nihil compertum esset, Sallustium tantum modo maledicentem, non defendentem facere potuit. sed utcumque res se habet, ex bonis fontibus ille hausit.

Sed fortasse longius procedere possumus. rhetores 'bene de Ciceronis animo iudicavisse' (Sen. suas. VI, 12) constat 'excepto Asinio Pollione, qui infestissimus famae Ciceronis permansit' (ibid. VI, 14) [2]). itaque ausim suspicari Sallustii personati invectivam in Asinii Pollionis schola ortam esse [3]). sed de hac re nil certum.

Altera invectiva est opus angusti et pusilli rhetoris posterioris aetatis, fortasse hominis Romam e provincia advecti urbanique sermonis ignari, ut Iordanus vult. excellit sententiarum ineptiis, sermone impuro [4]), ridicula quadam exilitate, nonnullis erroribus puerilibus. rhetor ille auctorem prioris invectivae tamquam simia imitatur. eadem convicia, quae in priore invectiva Ciceroni facta sunt, in altera ad Sallustium transferuntur. occurrit etiam mira quaedam similitudo cum verborum et locutionum tum totarum sententiarum. exempla [5]) sunt haec:

---

1) Sic Manutius, 'invidiam' liber.

2) Sen. suas. 6, 27: Sextilius Ena ... recitaturus in domo Messalae Corvini Pollionem Asinium advocaverat et in principio hunc versum non sine assensu recitavit: 'deflendus Cicero est Latiaeque silentia linguae'. Pollio Asinius non aequo animo tulit et ait: 'Messala, tu, quid tibi liberum sit in domo tua, videris; ego istum auditurus non sum, cui mutus videor', atque ita consurrexit.

3) Sen. suas. 6, 14: et is (sc. Asinius Pollio) etiam occasionem scholasticis alterius suasoriae dedit; solent enim scholastici declamitare: 'deliberat Cicero, an salutem promittente Antonio orationes suas comburat.'

4) Cf. I, 2 in hunc minime mentitum esse videatur. I, 3 ex moribus suis spectare debetis. II, 6 credo quod. V, 15 timens, ne facinora eius clam vos essent ... confessus est. III, 9 re familiari quae mihi multo minor est quam habere dignus sum.

5) Iordan, Herm. XI, 322; Vogel l. c. p. 327; Peiser l. c. p. 7.

Digitized by Google

Inv. in Cic.	*Inv. in Sall.*
I, 1 petulantia. IV, 7 petulantissimis verbis.	III, 9 petulanter. V, 13 petulans. VIII, 12 petulantissime.
I, 1 morbo animi petulantia ista uti.	VIII, 22 morbo procacitatis isto uti.
I, 1 ubi querar? quos implorem, patres conscripti?	I, 1 quo me praevertam, patres conscripti, unde initium sumam?
I, 1 se ipse ac fortunas suas venales habeat.	V, 14 domum paternam venalem habuit. VI, 17 nihil in eo non venale habuerit.
I, 2 quod alicui collibuisset.	V, 13 quae alteri facere collibuisset. VI, 17 quod ipsi facere collibuisset.
I, 2 itaque minime mirandum est, quod.	III, 8 sed minime mirum est, si. IV, 11 neque hercules mirum est, si. ibid. itaque non est mirum, si.
II, 2 et III, 4 verum ut opinor. II, 3 sed ut opinor.	VIII, 21 verum, ut opinor.
II, 2 splendor domesticus tibi animos tollit. II, 3 illa te magis extollunt.	VIII, 20 at hercules egregia facta maiorum tuorum te extollunt.
II, 2 filia matris paelex.	VIII, 21 sed tu omnium cubiculorum paelex.
II, 3 quasi vero non fuerit. III, 6 quasi vero non confeceris.	II, 4 quasi vero tu sis.
II, 4 quae si tibi falsa obicio, redde orationem ... qua ex pecunia domum paraveris.	VII, 14 quod si quippiam eorum falsum est, his palam refelle, unde ... possessiones paraveris.
II, 4 cui dubium potest esse.	V, 14 cuiquam dubium potest esse.
III 5, homo levissimus. ibid. levissime senator. IV, 7 levissime transfuga.	III, 7 homo levissime.
III, 5 gula immensa.	V, 13 immensae gulae.

Digitized by Google

III, 5 quae honeste nominari non possunt.	VIII, 22 si qua ego honeste effari possum.
III, 6 atque parum, quod impune fecisti, verum etiam commemorando exprobras.	VI, 15 noli nobis languorem et soporem nimium exprobrare.
III, 6 egeris, oro te, Cicero, perfeceris quidlibet, satis est	VI, 15 vixeris, ut libet, Sallusti, egeris, quae volueris, satis sit ....
IV, 7 sed quid ego plura de tua insolentia commemorem?	III, 8 sed quid ego de te plura querar?
IV, 7 ancillaris.	VI, 11 ancillatus sum.

Quam inops verborum et sententiarum scriptor huius invectivae fuerit, non solum verbis e priore invectiva transscriptis demonstratur, sed etiam inde colligi potest, quod in eadem invectiva verba repetuntur: procacitas (I, 1; I, 3; VIII, 12; procax V, 13), dabo operam (I, 2; I, 3), rudimentum (I, 2; III, 8), culpare (III, 7; IV, 12 bis), ut vitium obicere (III, 8; IV, 12); hercules (IV, 11; V, 14; VIII, 20). conferatur etiam V, 14: 'neque pudet eum a me quaerere, quis in P. Crassi domo habitet' cum VII, 20: 'neque piguit quaerere, cur ego P. Crassi domum emissem' et V, 15 'confessus est vobis audientibus adulterium' cum VI, 16 'quem non puduerit palam vobis audientibus adulterium confiteri'.

Quod ad rem ipsam attinet, auctor huius invectivae annum a. Chr. n. quinquagesimum quartum transgressus totam Sallustii vitam tractavit: commemorat (V, 15—VII, 20) eum bis quaestorem factum, e senatu motum, praetura functum esse, provinciam Numidiam administravisse, inde reversum repetundarum accusatum esse, sed mirum in modum tribunatum eius, quem anno a. Chr. n. quinquagesimo secundo gessit, silentio praeterit.

Quibus ex argumentis satis apparet utramque invectivam non ab uno eodemque compositam esse. adde, quod in Cic. I, 'maledicta tua ... respondebo tibi' et in Sall. I, 1 'huic conviciatori respondero ... qui initium introduxit' legimus. quae unum eundemque scripsisse, ut Peiser vult, quis crediderit?

Quid igitur mirum, quod huius invectivae apud Quintilianum nusquam mentio fit? ne testimonium quidem exstat, quo liquido

Digitized by Google

demonstretur veteres hanc orationem omnino notam habuisse, nedum quisquam eam pro genuina habuerit. afferri solet testimonium Diomedis (p. 387, 6 Keil): *'de cuius (i. e. verbi comedendi) perfecto ambigitur apud veteres, comestus an comesus et comesurus. sed Didius* [1]) *ait de Sallustio 'comesto patrimonio' Valgius* [2]) *de translatione 'comesa patina', similiter et Varro (de r. r.* I, 2, 11), *et ita melius quasi adessa et ambesa, ut Vergilius* (Aen. III 257) *'ambesas ... mensas'*. verba 'comesto patrimonio' ad inv. VII, 20 *'patrimonio non comeso, sed devorato'* spectare dicuntur, quod mihi quidem valde dubium videtur esse. nam formam 'comestus' Ciceronem pro Cluent. 173 'celerius potuit comestum quam epotum in venas atque in omnes partes corporis permanare' adhibuisse testatur Priscianus [3]). cur igitur Diomedem testimonium non ex Cicerone ipso, sed ex Cicerone personato sumpsisse putabimus? Didium illum, quisquis est — nomen enim mutandum non esse puto —, hanc invectivam conscripsisse et Ciceroni supposuisse minime credo. recte monet Iordanus [4]) veterum grammaticorum non esse in libris spuriis commemorandis nomen ipsius falsarii, etiamsi novissent, afferre. itaque Diomedis verba non ad hanc invectivam pertinere et cum codicibus 'comeso' legendum esse arbitror.

1) Sic libri, 'Didymus' edd. vet., 'Epidius' G. Linker (De Sall. Cr. histor. prooem. 1850. Add. ad p. 26 adn. lin. 3), 'sit, et Tullius' Iordanus, 'Pedianus' Wirz l. c. p. 100.

2) 'vulgius' codd.

3) Inst. X, 28 et 30, p. 520, 2 et 523, 1 (Keil).

4) l. c. p. 312.

AD CICERONIS VERR. L. III § 118.

Quo id iure atque adeo quo id more fecisti?

Sic scripsit Cicero breviter eleganterque. Annotavit aliquis *vel potius*, quo recte istud *atque adeo* explicatur. Sed misere locum corrupit qui illud *potius* in textu posuit inter *id* et *more*.

J. J. H.

Digitized by Google

DE PROPOSITIONE VICESIMA SEPTIMA LIBRI ARCHIMEDIS DE LINEIS SPIRALIBUS.

SCRIPSIT

J. A. VOLLGRAFF.

Inter philologos qui antiquis mathematicis operam dant, nullus certe magis excellit quam J. L. Heiberg Hauniensis. Merito dicit E. Hoppe [1]) ei imprimis deberi quod iam docti sibi persuasum habeant mathematicam disciplinam Archimedis ad tantam perfectionem pervenisse ut eius opera comparari possint cum optimis scriptis mathematicis saeculi septimi decimi vel duodevicesimi, quin etiam hanc scientiam recentiorem ex illis scriptis antiquis tamquam e fonte provenire.

Mathematicos tamen, nostrates saltem, qui opera Euclidis, Archimedis, Apollonii legant, paucos esse credo. Neque id mi-

1) E. Hoppe. „Mathematik und Astronomie im klassischen Altertum" 1911, p. 1—4: „Wenn in den letzten Jahren durch Heibergs bewundernswerte Bemühungen der Nachweis erbracht ist, dass die griechische Mathematik auf der Höhe ihrer Entwicklung bereits zu Anschauungen gelangt war, die wir sonst erst bei Leibniz finden und wenn man den Nachweis erbringen kann dass diese infinitesimalen Betrachtungen nicht nur etwa das Geheimnis des Entdeckers, Archimedes, geblieben sind, sondern auch den direkt von ihm abhängigen Mathematikern und Physikern zugänglich geworden sind, so ist der Zusammenhang zwischen der mathematischen Methode griechischen Forschens und der abendländischen vom Ausgange des Mittelalters bis zu Beginn des 18. Jahrhunderts, wo die neue Mathematik auf dem von Archimedes, Leibniz und Newton eroberten Boden ihre Entwicklung begann, evident ... Kopernikus, Kepler, Galilei und Newton knüpfen zum Teil dort direkt an, wo den Griechen der Faden der Entwicklung durch die rauhe Hand römischer Legionäre zerrissen war. Kopernikus an Aristarch, Galilei in mehreren seiner Entdeckungen an Heron, Leibniz an Archimedes anzuschliessen, bedarf keiner künstlichen Konstruktionen".

Digitized by Google

rum est. Vix enim quisquam nisi qui calculum differentialem et integralem didicit sicut nunc in Academiis nostris traduntur, satis capere potest quam longe methodi ingeniosae puta Archimedis a methodis hodiernis superentur; unde fit ut multa problemata ab antiquis mathematicis summa sagacitate soluta hodie ab admodum iuvenibus facillime solvi possint. Superfluum sane studium antiquorum cuique videri debet cuius unice interest problemata optimis methodis solvere. Nemo tamen negabit studium historiae scientiae ut partis historiae universalis magni esse momenti et eos philologos laudandos esse qui novis curandis editionibus mathematicis huius saeculi occasionem praebeant legendi opera antiqua quam optime emendata notisque illustrata.

Liber Archimedis de Lineis Spiralibus (περὶ ἑλίκων) vocatur a Cantore [1]) omnium quae extant operum Archimedis de geometria plana mirabilissimum. Hunc librum in editione Heibergii [2]) perlegenti propositio vicesima septima mihi falsa visa est. Consului deinde editiones antiquiores. Apparet alios auctores isti propositioni sensum tribuisse quem habere non possit, alios difficultatem non animadvertisse. Quaestio autem haec est.

Spiralis Archimedea linea est descripta a puncto aequabiliter se movente a termino manente in linea quadam recta quae in plano circa eum terminum aequabiliter circumagitur. Positio initialis huius lineae rectae sit O D (fig. 1). Propositione vicesima quarta demonstrat Archimedes spatium S_1 comprehensum spirali prima circumactione descripta et parte O A lineae O D tertiam partem esse circuli cuius radius O A. Propositione vicesima quinta spatium comprehensum spirali secunda circumactione descripta et linea secunda earum quae in principio circumactionis sunt (i. e. linea A B), ad circulum secundum (i. e. circulum cuius radius O B) eam habere rationem



Fig. 1

1) M. Cantor „Vorlesungen über Geschichte der Mathematik" I, 1907, p. 306: „Die merkwürdigste uns erhaltene Schrift des Archimedes über einen Gegenstand der ebenen Geometrie ist das Buch von den Schneckenlinien".

2) J. L. Heiberg „Archimedis opera omnia" II, 1881.

Digitized by Google

quam 7 ad 12. Incertum videri potest utrum Archimedes dicere voluerit spatium $S_1 + S_2$ ad circulum cuius radius OB sese habere ut 7 ad 12, an solius spatii S_2 superficiem hac aequatione determinari [1]); sed *demonstratio* auctoris omne dubium tollit: de solo spatio S_2 loquitur et propositio sic intellecta, ut et Heiberg eam interpretatur, recte se habet [2]). Bonum etiam in corollario huius propositionis praeceptum datur calculandi spatium S_n comprehensum spirali qualibet circumactione descripta et linea eodem numero numerata; haec enim regula [3]) docet

$$S_n = 4\,a^2\,\pi^3\left(n^2 - n + \frac{1}{3}\right).$$

---

1) Verba Archimedis sunt: *Τὸ περιλαφθὲν χωρίον ὑπό τε τᾶς ἑλικος τᾶς ἐν τᾷ δευτέρᾳ περιφορᾷ γεγραμμένας καὶ τᾶς εὐθείας τᾶς δευτέρας τᾶν ἐν τᾷ ἀρχᾷ τᾶς περιφορᾶς ποτὶ τὸν δεύτερον κύκλον τοῦτον ἔχει τὸν λόγον, ὃν ἔχει τὰ ζ′ ποτὶ τὰ ιβ′.*

2) 

Fig. 2.

Spatio comprehenso spirali secunda circumactione descripta hic intellegi solum spatium S_2 e figura ad demonstrationem pertinente clarissime apparet: spatio de quo agitur circumscribitur figura e sectoribus circuli composita, quorum legimus maximum esse ΘAK, minimum autem ΘOΔ (fig. 2).

Aequatio spiralis Archimedeae est $r = a\,\phi$, ubi r designat radium vectorem, i.e. distantiam puncti cuiuslibet spiralis a puncto O (fig. 1), a magnitudinem constantem et ϕ angulum circumactionis rectae mobilis ad radium illum pertinentem. Spatia S_1, S_2 ... (fig. 1) calculari possunt hoc modo.

$$S_1 = {}^1/_3 \int_0^{2\pi} r^2\,d\phi = \frac{4\,a^2\,\pi^3}{3};$$

$S_1 + S_2 = {}^1/_3 \int_0^{4\pi} r^2\,d\phi = \frac{32\,a^2\,\pi^3}{3}$; itaque $S_2 = \frac{28\,a^2\,\pi^3}{3} = \frac{7}{12}\,(16\,a^2\,\pi^3)$,

ubi $16\,a^2\,\pi^3$ superficies est circuli cuius radius $OB = 4\,a\,\pi$.

$$S_1 + S_2 + \ldots + S_n = {}^1/_3 \int_0^{2n\pi} r^2\,d\phi = \frac{4\,n^3\,a^2\,\pi^3}{3}.$$

Sequitur $S_1 : S_1 + S_2 : S_1 + S_2 + S_3 \ldots : S_1 + S_2 + \ldots + S_n = 1 : 8 : 27 \ldots : n^3$,

et $S_1 : S_2 : S_3 : S_4 \ldots : S_n = 1 : 7 : 19 : 37 \ldots : (3\,n^2 - 3\,n + 1)$.

3) Secundum regulam Archimedis

$$S_n : \pi\,(2\,n\,a\,\pi)^2 = 2\,n\,a\,\pi \,.\, 2\,(n-1)\,a\,\pi + \frac{1}{3}\,(2\,a\,\pi)^2 : (2\,n\,a\,\pi)^2.$$

Itaque $$S_n = \frac{4\,a^2\,\pi^3}{3}\,(3\,n^2 - 3\,n + 1),$$

et $S_1 : S_2 : S_3 : S_4 \ldots : S_n = 1 : 7 : 19 : 37 \ldots : (3\,n^2 - 3\,n + 1)$, ut modo invenimus.

Digitized by Google

Propositionem vicesimam sextam hic considerari non opus est.

Tunc vero sequitur propositio vicesima septima his verbis expressa:

Τῶν χωρίων τῶν περιεχομένων ὑπό τε τᾶν ἑλίκων καὶ τᾶν εὐθειᾶν τᾶν ἐν τᾷ περιφορᾷ τὸ μὲν τρίτον τοῦ δευτέρου διπλάσιόν ἐστι, τὸ δὲ τέταρτον τριπλάσιον, τὸ δὲ πέμπτον τετραπλάσιον, καὶ ἀεὶ τὸ ἑπόμενον κατὰ τοὺς ἐξῆς ἀριθμοὺς πολλαπλάσιον τοῦ δευτέρου χωρίου, τὸ δὲ πρῶτον χωρίον ἕκτον μέρος ἐστὶ τοῦ δευτέρου.

Spatiorum comprehensorum spiralibus et lineis quae in circumactione sunt, tertium duplo maius est secundo, quartum vero triplo maius, quintum autem quadruplo maius, et semper deinceps insequens spatium totius multiplex erit quam spatium secundum, quoties indicant numeri ordine sequentes, primum autem spatium sexta pars est secundi (Heiberg).

Secundum Heibergium — et aliter interpretari vix possumus [1]) — Archimedes significat esse

$$S_1 : S_2 : S_3 : S_4 \ldots : S_n = \frac{1}{6} : 1 : 2 : 3 \ldots : (n-1)$$

sive $$S_1 : S_2 : S_3 : S_4 \ldots : S_n = 1 : 6 : 12 : 18 \ldots : 6(n-1),$$

quod falsum esse e propositionibus praecedentibus apparet.

Quaerendum est ipsine Archimedi hic error imputandus sit.

---

1) In editione latina Fr. Maurolici („Admiranda Archimedis Syracusani monumenta omnia mathematica quae extant" 1685) loco propositionum et demonstrationum Archimedis reperiuntur ipsius editoris propositiones et demonstrationes. Eius propositio vicesima septima (p. 221) est: „Spatiorum sub peripheriis spiralibus et rectis a revolutionum numero denominatis contentorum, primum quidem, quod circa initium spirae, est sexta pars secundi; secundum autem dimidium tertii; tertia vero pars quarti; quarta demum pars quinti; et sic deinceps secundum numeros crescentes". Sed demonstrat, quod verum est, primum spatium (S_1) sextam partem esse *differentiae* ($S_2 - S_1$); *differentiam* ($S_3 - S_1$) dimidium *differentiae* ($S_3 - S_2$); *differentiam* ($S_4 - S_1$) $= \frac{3}{2}$ *differentiae* ($S_4 - S_3$); *differentiam* ($S_5 - S_1$) $= \frac{4}{3}$ *differentiae* ($S_5 - S_4$). Eius verba sunt e. g. „Quo fit ut spirarum secundae, tertiae, quartae et quintae differentiae, *hoc est spatia sub spiralibus rectisque eorundem numerorum* sint ad invicem sicut <numeri 12, 18, 24>".

Si quid video „spatia sub peripheriis spiralibus et rectis a revolutionum numero denominatis contenta" vel „spatia comprehensa spiralibus et lineis quae in circumactione sunt" differentiae ($S_2 - S_1$), ($S_3 - S_2$), ($S_4 - S_3$) ... rationabiliter appellari non possunt. Praeterea *demonstratio* Archimedea docet propositionem vicesimam septimam sensum quem Maurolicus ei tribuit, non habere.

Digitized by Google

Iam diximus dubium non esse quin propositio vicesima quinta recte se habeat, ipsam tamen propositionem, nisi ad demonstrationem attendas, ambiguam esse; idem valet de corollario quod demonstratione caret: verbis *χωρίον ὑπό τε τᾶς ἕλικος τᾶς ἐν ὁποιᾳοῦν περιφορᾷ γεγραμμένας καὶ τᾶς εὐθείας τᾶς κατὰ τὸν αὐτὸν ἀριθμὸν ταῖς περιφοραῖς λεγομένας* significatur spatium S_n, credere tamen possis intellegi spatium $S_1 + S_2 + \ldots + S_n$. In demonstratione propositionis vicesimae septimae falsus iste sensus et propositioni vicesimae quintae et eius corollario tribuitur [1]): e falsa propositione

$$S_1 + S_2 + S_3 + \ldots + S_n = \frac{4\,a^2\,\pi^3}{3}\,(3\,n^2 - 3\,n + 1)$$

facile derivatur altera falsa propositio

$$S_1 : S_2 : S_3 : S_4 \ldots : S_n = 1 : 6 : 12 : 18 \ldots : 6\,(n - 1).$$

Vix credibile est ipsum Archimedem suam propositionem vicesimam quintam postea male interpretatum esse. At si hunc errorem ei tribuere nolumus, propositionem vicesimam septimam et demonstrationem eius spurias esse affirmare necesse est.

Loquitur Archimedes de spatiis S_n et in praefatione libri de Spiralibus. Ibi dicit:

Φαμὶ τοῦ χωρίου τοῦ ἐν τᾷ δευτέρᾳ περιφορᾷ ποτιλαφθέντος ὑπὸ τᾶς ἕλικος τὸ μὲν ἐν τᾷ τρίτᾳ ποτιλαφθὲν διπλάσιον ἐσσεῖσθαι, τὸ δὲ ἐν τᾷ τετάρτᾳ τριπλάσιον, τὸ δὲ ἐν τᾷ πέμπτᾳ τετραπλάσιον ... τὸ δὲ ἐν τᾷ πρώτᾳ περιφορᾷ ποτιλαφθὲν [2]) *χωρίον ἕκτον μέρος εἶμεν τοῦ ἐν τᾷ δευτέρᾳ περιφορᾷ ποτιλαφθέντος χωρίου.*

dico, spatio in secunda circumvolutione a spirali adiecto duplo maius fore spatium in tertia adiectum, triplo autem maius spatium in quarta adiectum, quadruplo autem spatium in quinta adiectum ... spatium vero in prima circumvolutione comprehensum [2]) sextam partem esse spatii in secunda adiecti (Heiberg).

1) Cum auctore propositionis vicesimae septimae eiusque demonstrationis ante Heibergium — vide eius notas ad p. 127, 129, 131 — erraverunt Commandinus („Archimedis opera nonnulla latina", 1558, p. 17), Rivaltus („Archimedis opera quae extant" 1615, p. 397), Sturm („Des unvergleichlichen Archimedis Kunstbücher", 1670, p. 423), Barrowius („Archimedis opera" 1675, p. 65—67), Torelli („Archimedis quae supersunt omnia", 1792, p. 251), Peyrard („Oeuvres d'Archimède traduites littéralement", 1807, p. 269), Nizze („Archimedes' vorhandene Werke übersetzt und erklärt", 1824, p. 148).

2) Rectissime Heiberg annotat: puto scribendum esse *περιλαφθέν* (comprehensum).

Digitized by Google

His verbis expressa propositio bonam interpretationem admittit. Spatium *adiectum* (ποτιλαφθέν) in tertia circumvolutione significare potest *differentiam* ($S_3 - S_2$); hic igitur videtur proponi vera propositio

$$S_1 : (S_2 - S_1) : (S_3 - S_2) \ldots : (S_n - S_{n-1}) = \frac{1}{6} : 1 : 2 \ldots : (n - 1).$$

Credendum igitur est Archimedis propositionem vicesimam septimam intercidisse et in locum eius a mathematico qui sensum propositionis in praefatione enunciatae non intellexerit, alteram propositionem falsam interpolatam esse.

AD CICERONIS VERRINARUM L. II § 86 ET 89.

86 Oppidum Himeram Carthaginienses quondam ceperant, quod fuerat imprimis Siciliae clarum et ornatum. Scipio .... Siculis omnibus Carthagine capta quae potuit restituenda curavit. Himera deleta quos civis belli calamitas reliquos fecerat, ii se Thermis conlocarant in isdem agri finibus neque longe ab oppido antiquo, *et* se patrum fortunas et dignitatem recuperare arbitrabantur cum illa maiorum ornamenta in eorum oppido collocabantur.

Misere languet istud *et*, neque praestat altera lectio *ii*, immo propter proxime praecedens *ii* minus etiam ferenda. Pristinus praeclaro loco restituetur nitor, si *ibi* legetur et ante eam vocem semicolon ponetur.

89 Iratum Sthenio, priori hospiti, Verrem statim Sthenii inimici ad se invitant ut magis eum inflammarent. Sequuntur haec:

Hi autem erant [inimici] Agathinus, homo nobilis et Dorotheus, qui habebat in matrimonio Callidamam, Agathini eius filiam; de qua iste audierat, itaque ad generum [Agathini] migrare maluit.

Viden duobus insulsissimis additamentis dehonestatam lepidissimam narrationem?

J. J. H.

Digitized by Google

AD TIMAEI GLOSSARIUM.

SCRIPSIT

I. E. KALITSUNAKIS.

In Timaei ad Platonem glossario non multa emendanda restant post curas Ruhnkenii, Bastii, qui codicem denuo exploravit, G. Hermanni. Sed tamen nonnulli loci etiamnunc valde sunt corrupti. Et quoniam glossarium in uno codice Parisino traditum est, non possumus varios codices inter se comparando manum auctoris efficere.

Nunc de quodam glossemate disputare in animo est. Glossema est in v. *ἀμόθεν γέ πόθεν*, i. e. *undecumque, ab aliqua parte, unde volueris*: „*ἀπό τινος μέρους ὁπόθεν θέλεις*" (Hesych.). Cuius vocabuli interpretatio in glossario haec est: „*ἀπό τινος μέρους ἰσημέρου*". In codice quidem traditum est *ἄποθέν γε ποθεν*, sed omnes consentiunt id non manui Timaei sed bibliographi scioli deberi; cf. Plat. Gorg. 492*d*: „*τὰς μὲν ἐπιθυμίας φῂς οὐ κολαστέον, ... ἐῶντα δὲ αὐτὰς ὡς μεγίστας πλήρωσιν αὐτοῖς ἀμόθεν γέ ποθεν ἑτοιμάζειν*" vel Leg. VII, 798*b*: „*μηχανὴν δὴ δεῖ τὸν νομοθέτην ἐννοεῖν ἀμόθεν γέ ποθεν, ὅντινα τρόπον τοῦτ' ἔσται τῇ πόλει*". Ineptam autem vocem *ἰσημέρου* Kusterus Ruhnkenius Hermannus ut supervacaneam delebant, Abreschius (Dilucid. Thucyd. auctar. p. 372) in *ἰσημοίρου* vel potius in *ἰσημεροῦς* mutabat, Toup denique, ut omnium virorum doctorum opiniones commemorem, *ἀπό τινος μέρους ἑτέρου* scribendum

Digitized by Google

putabat (v. Emend. in Suid. IV, 411) [1]). Res mihi facilior videtur. Auctorem nostrum Homerum satis cognitum habuisse ex aliis locis Glossarii apparet. Exempli gratia in v. τιμαλφέστατον fertur: „τιμὴν πολλὴν εὑρίσκον· τὸ γὰρ ἄλφειν εὑρίσκειν ἐστίν, ἐξ οὗ καὶ Ὅμηρος ἀλφεσιβοίας καλεῖ τὰς εὑρισκούσας κόρας εἰς τιμὴν βόας". Cf. etiam ὁμηρίδαι, ἤτρον, etc. Praeter Homerum autem et, ut exspectes, Platonem nullius alius auctoris tam frequenter in glossario mentio fit. Nostro quoque loco Timaeus Homeri versum (Od. α 10) „τῶν ἀμόθεν γε θεά, θύγατερ Διός, εἰπὲ καὶ ἡμῖν" citare volebat et simpliciter καὶ Ὅμηρος scripsit: K, OMHP, non ICHMΘP, quod toto coelo diversum est. Rara vox ἀμόθεν nonnisi hoc loco apud Homerum tradita est.

Haec iam scripta erant cum apud Photium in nova parte Lexici, quam quinto abhinc anno edidit Reitzenstein, haec inveni (p. 93), quae emendationem meam valde, ut opinor, firmant, omnes enim scimus Photium ex Timaei glossario hausisse: ἀμόθεν· ἀπό τινος μέρους, ὁπόθεν θέλεις· τῶν ἀμόθεν γε θεά, θύγατερ Διός, εἰπέ· δηλοῖ δὲ καὶ τὸ μοναχὸς καὶ καθ' ἕνα τινὰ τρόπον. Quis iam dubitet quin in voce corrupta ἰσημέρου nomen *Homeri* lateat?

---

1) Vox ἰσήμερος vel ἰσημέρινος quid sit apparet apud Theophr. de causis plantar IV, 11, 4: ἄτοπον δὲ καὶ ὑπεναντίον τὸ συμβαῖνον εἰ βαρεῖς οἱ ὀλιγοχρόνιοι (scil. πυροὶ) καθάπερ οἱ περὶ Αἶνόν φασι τοὺς ἰσημερίνους.

AD CICERONIS VERR. L. III § 112.

Ea est enim ratio *decumanorum* ut sine plurimis litteris confici non possit.

Absurde dictum. Lege *decumarum*.

Paulo post: ager *efficit* cum octavo.

Immo *effert* secundum constantem usum. Cf. paulo post (§ 113): „cum ager cum decumo *extulisset*".

J. J. H.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex Vol. XXXVIII pag.* 257).

CIII.

DE HEREDITATIS POSSESSORE.

Moribus apud Gallos receptum videtur, ut, quod ex lege habet rei mobilis possessor (*Cod. civ.* art. 2279), idem hereditatis possessori in re hereditaria competat, licet soli sit. Itaque rectissime, licet heres non sit, ex hereditate alienare poterit [1]), quod lege Austriaca (*B. G.-B.* § 823 sq.) tribuitur adiudicatario, id est, quem iudex in possessione hereditatis constituerit. Simile ius an apud Romanos umquam obtinuerit, quaeri potest, si quidem auctore Paulo [2]) hereditatis possessor fiduciario heredi rectissime comparatur, proinde illi hereditarias actiones *post evictam hereditatem*, ut huic post restitutam, denegandas esse significat.

---

1) Negat id quidem Troplong, *Comment. des priv. et hypoth.* no. 468, verum audiatur Besson, *Livres fonciers* (1891) p. 129: „*la cour de cassation et les cours d'appel ont jugé par une longue suite d'arrêts, que les aliénations .... émanées de l'héritier apparent .... au profit d'un tiers de bonne foi, doivent être respectées par l'héritier véritable. Cette interprétation, renouvelée des anciens parlements de Normandie, de Paris et de Toulouse est constante dans la pratique*" (cf. praeterea Brunetti, *Archivio giur.* 55 (1895) p. 116—120; de Berardinis, ibid. 73 (1904) p. 250—253).

2) L. 22 D. 13. 5.

Digitized by Google

Hereditatis autem possessor [1]), quo iure intendit hereditarias actiones, eodem corpora alienat, *e(sse)t enim absurdum ei, cui alienatio interdic(a)tur, permitti actiones exercere* [2]). Videtur autem intelligere Paulus non quemlibet hereditatis possessorem, sed *qui petitori satisded(er)it* pro praede litis et vindiciarum; talis enim possessor ex rescripto divi Pii, quod servavit nobis Callistratus [3]), *interim domini loco hab(e)tur* [4]), itaque nanciscitur actiones [5]) vel servat sibi, si ex alia causa [6]) eas habuit, donec iudicetur heredem eum non esse [7]); proinde, quia recte alienat [8]), tutus erit emptor, qui ab eo emerit, exceptione rei venditae et traditae, sive post defensionem emerit sive ante, nunc autem hereditatis possessor paratus sit ita defendere hereditatem, acsi res petitione hereditatis contineretur [9]). Similiter hereditatis possessori, postquam defendere coeperit, recte solvitur [10]), antea qui solverint, non liberantur, nisi ea pecunia ad petitorem pervenerit [11]). Hereditatis enim possessor ante non est domini loco, quam defendere coeperit, itaque ante satisdationem tradendo nihil

---

1) De herede fiduciario cf. l. 3 § 3, l. 26 (25) § 2, l. 72 (70) § 1 D. 36. 1; l. 104 D. 46 3, et ad l. 26 (25) § 2 cit. Schulting. Nam l. 89 § 7 D. 31 quo pertineat, docebit Windscheid (1891) § 648[14].

2) L. 7 § 2 D. 28. 8.

3) L. 15 § 2 D. 48. 18.

4) Rescribit Pius de hereditatis possessore. Idem observatum cupit Callistratus, vel certe Tribonianus, in singularum rerum iudicio.

5) Steph. sch. 3, 5, 7 ad Bas. 42. 1. 25, qui non ubique addit: *temporales*. Quod omnino requirit Wetzell, *Vindicationsproz.* p. 28/9 propter l. 49 D. 5. 3, quasi ad possessorem, qui caverit, pertineat ea.

6) Velut ex edicto Carboniano, de quo fuit caput harum observ. LXXIV.

7) L. 4 (i. f.) D. 37. 10. Debet cavisse (l. 5 § 1 D. eod.) vel certe *nunc paratus (esse) cavere* (l. 6 § 6 D. eod.).

8) Steph. sch. 1 ad Bas. 42. 1. 41. Possessorem satisdedisse fingit *βουλόμενο(ν) ἐκποιῆσαί τινα τῶν κερεδιταρίων πραγμάτων.*

9) L. 25 § 17 (a voce *quid tamen*) D. 5. 3. Exceptio, quam *ex (sua) persona* emptor habet, esse non potest praeiudicii exceptio, hanc enim haberet ex persona auctoris. Quod vidit Faber (in Rationalibus). Sed est intelligenda, quam in textu nuncupavimus, exceptio. Quae tunc quoque competet (§ 17 cit), quum pretium, quod possessori solutum est, petitor exegerit. Nam videbitur ipsius voluntate res venisse.

10) L 26 § 11 D. 12. 6 (expunxi: *vel bonorum*. Similiter l. 95 § 8 D. 46. 3 cancellandum est: *bonorum*). — Ex diverso pactum possessoris petitori *neque nocere neque prodesse plerique putant* (l. 17 § 6 D. 2. 14).

11) L. 25 § 17 (a voce *nam et si*) D. 5. 3; l. 31 § 5 D. 5. 3; l. 34 § 9 D. 46. 3; cf. l. 61 D. 46. 3 (Windsch. (1891) § 342 not. 40).

Digitized by Google

praestat praeter usucapiendi causam [1]), actiones nullas habet eo excepto, quod possessor, si velit actiones intendere, audietur, quum sit periculum, ne *inter moras* [2]) intercidant [3]). Quod praedoni aeque praestabitur [4]), quocirca non debet turbare, quod scribit Ulpianus [5]): praedoni imputandum, quod *non exegit ... si exigere potuit.* Turbavit tamen Graecos propter Triboniani fraudem; ergo adnotat Stephanus [6]) vel ex novo vel ex veteri iure rem explicari posse. Ex novo, ut locutus videatur Ulpianus de eo, quod sine iudice exigi potuerit [7]), ex vetere, ut locutus videatur de eo, qui sine re acceperit bonorum possessionem, quasi huic competierint hereditariae actiones. Sed fallit, quia bonorum possessio, quamdiu hereditas evinci potest, nihil praestat praeter interdictum, quo non possunt conveniri debitores [8]) et, qua debitor conveniri potest is tantum, *qu(i) se dicat heredem* [9]), hereditatis petitionem [10]); actiones autem hereditarias bonorum sine re possessor non exercet [11]), nam heres quoque, quamdiu

---

1) L. 17 pr. D. 4. 6; l. 25 § 17 D. 5. 3. — Provocarem etiam ad l. 16 § 8 D. 5. 3, nisi Triboniano restituenda essent: *sed his casibus — vindicare.*

2) *Quoniam nonnullas moras exercitio iudicii habet* (l. 15 pr. (ia. l. 1 § 9) D. 36. 3; cf. Francke, *Commentar* etc. (1864) p. 29). Eaedem *mora(e)* intelliguntur l. 28 pr. D. 26. 7.

3) L. 49 D. 5. 3

4) L. 49 (i. f.) cit. (D. 5. 3) vv. *quid si nihil iuris habere se sciat?* Idcirco legis huius initio olim damnavimus *bonae fidei* (Mnemos. 27 (1899) p. 280).

5) L. 25 § 2 D. 5. 3. Cf. l. 25 § 17 eod.; l. 34 § 9 D. 46. 3. Contraria est l. 31 § 4 D. 5. 3, nisi ibi quoque *liberari et* debetur Triboniano.

6) sch. 5 ad Bas. 42. 1. 25.

7) Ex diverso Anonymus Ulpianum loqui censet *περὶ σκρίπτου νομίως τοῦ καὶ δυναμένου ἀπαιτεῖν* (sch. 9 ad Bas. 42. 1. 31), quod rursus intelligi potest aut de herede scripto, adversus quem movebitur inofficiosi actio, qui sine dubio actiones habet, aut de eo, qui ex edicto Hadriani mittitur (cf. Francke, *Commentar* etc. (1864) p. 277—280).

8) L. 2 D. 43. 2. 9) L. 42 D. 5. 3.

10) Hoc propterea concedamus necesse est, quia *in hoc iudicio* exceptionis vires *ex persona .... eius qui opponit aestima(n)tur* (l. 11 § 2 D. 37. 11). Ergo proficiet exceptio heredi, non proficiet extraneo, licet heredem se dicat.

11) Omni bonorum possessori dari hereditarias actiones, putant Fabricius, *Urspr. und Entw. der* bon. poss. (1837) p. 41; Vangerow II (1854) § 398 *Anm.* (p. 12); Wetzell, *Vindicationsprozess* (1845) p. 27²; Leist, *Serie* etc. I p. 359—366 (laudat l. 25 § 2 D. 5. 3 et scholion Stephani); II p. 302 (laudat, quod sinceri habet nihil, l. 23 pr. D. 28. 5); Girard, *Manuel* (1911) p. 910/1. Quin immo putat Leist, *Serie* etc. I p. 101/2, 109, fictitias actiones propter sine re bonorum possessorem introductas esse.

Digitized by Google

dari potest cum re bonorum possessio, quidquid petit defuncti nomine, exceptione repellitur [1]). Quocirca etiam Paulus in Sententiis [2]) videtur fallere, quum scribat ab herede sub condicione instituto idcirco cavendum substituto, *ne petita bonorum possessione res hereditarias deminuat*, quasi vero petita bonorum possessione nec satisdato ius deminuendi nanciscatur. Ex diverso nihil est quod miremur, cur censeat Gaius [3]) eum, qui sub ea condicione heres scriptus sit, *quam praetor remittit*, et hereditatem restituere iussus, cogendum, *ut ... petat bonorum possessionem secundum tabulas, ut ita nactus actiones transferat eas ex senatusconsulto*; erit enim hic remissa condicione is bonorum possessor, cui hereditas evinci non possit, sive iure facto testamento heres institutus est sive ideo non iure facto, *quod familia non venierit aut nuncupationis verba testator locutus non sit* [4]). Itaque possessor hereditatis, antequam rem defendat, nec habet actiones nec potest alienare praeterquam ex sola causa fideicommissi. Nam certum est ex Trebelliano senatusconsulto a possessore hereditatis ante litem transferri actiones et durare translatas, licet evincatur hereditas [5]). Multo magis igitur singulas res fideicommissas ad fideicommissarium transferet, idque causae est, cur Iuliano [6]) visum sit, *si quis ex causa fideicommissi restituerit hereditatem vel singulas res praestiterit, peti ab eo hereditatem posse, quia habe(re)t condictionem* [7]). Habet autem condictionem, quia alienavit, etiamsi res mancipi propter fideicommissum non mancipata sed tradita est [8]), quia vel sic *in bonis* [9]) esse coepit legatarii, quod sufficere vidimus (cap. LIX) ad condictionem. Alioquin propter nudam possessionem Iulianus non daret condictionem [10]).

---

1) L. 25 D. 38. 2 (Leist, *Serie* etc. II p. 26); l. 15 D. 37. 4 (Leist, *Serie* etc. II p. 24, qui putat falso hanc exceptionem praeterito dari iure praeteriti. Datur enim (l. 25 cit.) cuilibet debitori).

2) V 9 § 1. Cf. l. 8 pr. D. 46. 5; l. 12 D. 2. 8; Wetzell, *Vindicationsproz.* p. 35/9; Lenel, *das* edictum § 281 (passim); Cuiac. Obs. IX 5 (i. f.).

3) L. 65 (63) § 9, § 10 D. 36. 1.

4) Gai. II § 149*a*.

5) L. 65 (63) § 2 D. 36. 1. Cf. l. 57 (55) § 5 eod.

6) L. 16 § 7 D. 5. 3.

7) Reliqua eius paragraphi, ni fallor, spuria sunt.

8) Cf. l. 3 D. 7. 6.

9) L. 65 (63) pr. D. 36. 1.

10) L. 33 D. 12. 6.

Digitized by Google

Labefactatur autem ius, quod hactenus exposuimus rescripto quodam divi Pii, quod servavit Ulpianus l. 5 pr. D. 5. 3: *prohibendum possessorem hereditatis, de qua controversia erit, antequam lis incho*[ar]*etur, aliquid ex ea distrahere.* Diximus enim, antequam defendat, possessorem hereditatis distrahere [1]) nondum posse. Prohiberi porro quid attinet eum, cui ius non est alienandi? Nam praetor, ubi vetat alienare, heredem vetat [2]) eumve, qui domini loco habeatur [3]); possessor autem, antequam defendat, domini loco non est. Sed potest quis hereditatem possidere et heres esse, potuit igitur divus Pius hoc statuere: prohibendum possessorem, licet re vera heres sit, alienare, antequam defendere coeperit, quod forsitan non expediat — ideo non expedit, quia petitoris nihil interest, nisi hoc modo potentiorem adversarium nanciscitur [4]), quam in rem alio modo prospectum est [5]) — sed absurdum non est [6]). Sane uno casu etiam expedit heredem possidentem ab alienatione prohiberi, donec satisdet, id est, si possideat is, cui possit evinci inofficiosi actione hereditas, huius enim interim est hereditas [7]), sicut eius adversus quem peti potest contra tabulas liberti bonorum possessio [8]). An igitur de hoc possessore rescripsit divus Pius? Facile crederem, nisi magis esset [9]), ut de hoc possessore fuerit edictum praetoris, quod interpretatus est Ulpianus libro XIV, suppresserunt autem Compilatores [10]), licet vestigia maneant l. 5 pr. D. 5. 3 (*deminutionem se concessurum praetor edixit* etc.). Nam, quod putat

---

1) Proprietatem transferendo.

2) L. 26 D. 18. 1; l. 7 pr. D. 28. 8; l. 7 § 5 D. 41. 4; l. 31 § 4 D. 42. 5.

3) L. 17 § 2 D. 44. 4 (ia. l. 5 § 1 D. 5. 3).

4) L. 3 D. 44. 6.

5) L. 1 pr. D. 4. 7 (cf. *Ztschr. der Sav.-St.* XXX p. 454).

6) Alio modo solvunt nodum Stephanus (sch. 1 ad Bas. 42. 1. 5) et Cuiacius, dum ita disputant, quasi non *prohibendum* alienare, sed alienare *non posse* hereditatis alienae possessorem divus Pius rescripserit. Est in eam sententiam scripta Graeca versio (Bas. 42. 1. 5: *μετὰ ἀμφισβήτησιν οὔτε πρὸ τῆς προκατάρξεως ὁ νομεὺς ἐκποιεῖν δύναται, εἰ μὴ ὑπὲρ ὕλης τῆς κληρονομίας δίδωσιν ἱκανά*). Sed eratne opus in eiusmodi quaestione rescripto?

7) L. 32, l. 33 pr. D. 5. 3.

8) L. 32 cit. (D. 5. 3). Hunc quidem prohiberi nihil attinet, quia petere sufficit adversus eum bonorum possessionem.

9) Ratio reddetur infra.

10) Lenel, *das* edictum (1907) p. 133/4.

Digitized by Google

Lenel: principale edictum [1]) pertinuisse ad eum possessorem, cui relinquatur possessio ob id, quod ne petitor quidem satisdet [2]), id refellitur, quia talis possessor domini loco non est, proinde nullus metus, ne alienet [3]). Itaque in hunc ferme modum edixerat [4]) praetor: (*eum, cum quo de inofficioso testamento agetur, nisi iusta causa esse videbitur, bona interea deminuere vetabo*). Ad clausulam „nisi iusta causa esse videbitur" exstat commentarius: *causa cognita .... deminutionem se concessurum praetor edixit*, et quae sequuntur [5]). De principali edicto Ulpianum adnotasse reor: praetorem de eo edixisse, quocum de inofficioso agendum esset, quod is interim dominus esset; ceteros hereditatium possessores aut non esse dominos, aut, si sint, ab alienatione prohiberi rescripto divi Pii. Qua ratione supervacaneum edictum praetoris rescripto principis factum est et intelligitur, cur edictum suppresserint, retinuerint rescriptum Compilatores. Quod adsecuti sumus statuendo non pertinere rescriptum ad eum heredem solum, quocum de inofficioso agendum esset, quam sententiam potius probaremus, nisi in causa esset edictum, quo fuerit oportet constitutio plenior. Aptaverunt autem Compilatores edicti clausulam de concedenda ex causa deminutione divi Pii rescripto; proinde hoc modo distinguenda est interpolatio [6]) l. 5 pr. cit.: *divus Pius rescripsit prohibendum possessorem hereditatis, de qua controversia erit, antequam lis incho*[ar]*etur, aliquid ex ea distrahere* [nisi maluerit pro omni quantitate hereditatis vel rerum eius restitutione satisdare]. *Causa autem cognita* [etsi non talis data

---

1) Quo praetor prohibebat.

2) Paul. I 11 § 1; cf. l. 6 § 6 D. 37. 10.

3) Scribit quidem Lenel, *das* edictum (1907) p. 184 lin. 15: „*der cautionslose Besitz des Beklagten* (*brachte Gefahr*) *mit sich*". Sed demonstrandum erat, ex alienatione damnum actori propositum esse.

4) Similiter C. Caesar olim *decreto* prohibuit auctionem, quam proscripserat M. Antonius heres ex testamento L. Rubrii, quocum de inofficioso acturus fratris erat filius (Cic. Philipp. II 16 § 41 sq., 29 § 73 sq.).

5) Quibuscum cf. l. 53 D. 5. 3 (Pal. Paul. 1819).

6) Rudorff, *Ztschr. f. gesch. Rechtsw.* IX (1838) p. 41: „*Offenbar sind die Worte*: nisi maluerit — satisdare, *dem alten Juristen fremd*". Adstipulati sunt Gradenwitz, *Interpolationen* (1887) p. 67-70; Lenel, *das* edictum (1907) p. 132/3 (et in Palingenesia). Sed delet Gradenwitz praeterea: *etsi non talis — solita cautio*; ex diverso pro his rescribit Lenel: *etsi pro praede litis et vindiciarum satis datum sit.* Salvum cupit uterque: *etiam post litem coeptam.*

Digitized by Google

sit satisdatio, sed solita cautio [1]), etiam post litem coeptam] *deminutionem se concessurum praetor edixit*, et quae sequuntur. Non praetor edixit *etiam post litem coeptam* deminutionem se concessurum, qui respicere non potuit ad rescriptum divi Pii [2]), sed addiderunt *etiam post litem coeptam* Compilatores, ex abundanti licet, quia ne alienetur interdictum post litem coeptam iam non obtinet [3]), nisi forte cogitaverunt non divi Pii, sed ipsius Iustiniani interdictum c. ult. C. 8. 36 (37), qua vetatur hereditatis possessor *lite pendente vel actiones vel res quas possidet ad alium quemdam trans(ferre)*; licet enim ea constitutione non palam nominetur hereditatis possessor, tamen hic prae ceteris intelligendus est, quia quodammodo solus [4]) tamquam *iuris possessor* in rem actione tenetur ut *actiones ... restitu(at)*, eas quidem quas possessionis occasione nactus sit [5]). Scio sane c. ult. C. 8. 36 (37) iam ab Accursio [6]) sic explicari, quasi tollat actionum translationem petitori, corporum translationem

---

1) *Solita cautio* intelligitur alibi (l. 40 § 2 D. 3. 3) quidem iudicatum solvi satisdatio, sed hic, quia oppouitur (*pro*) *restitutione* cautio, *solita* necessario intelligenda est, *quod* (*in*) *iudicio permaneat usque ad terminum litis* (§ 2 Inst. IV 11). Atque ita vertit Stephanus sch. 1 ad Bas. 42. 1. 5 (ἡ συνήθης τοῦτεστιν ἡ περὶ προσεδρίας), vertendum esse perspexit Rudorff (l.l. p. 40-42), cui temere obloquitur Wetzell, *Vindicationsprozess* p. 28⁴ et item Francke, *Commentar* etc. p. 27¹⁵, quorum alter superioris interpolationis rationem non habet, alter omnino interpolatum negat. Sed non perspexit Rudorff, e sua interpretatione quid sequatur. Sequitur autem, interpolata esse: *etsi non talis — solita cautio.*

2) Nec Stephanum ea res magnopere movit (sch. 1 ad Bas. 42. 1. 5: καὶ μετὰ προκάταρξιν ἐν ἰδίκτῳ φθάσας εἶπεν ὁ πραίτωρ κτλ) nec Rudorffium (l.l. p. 40: „das ... *Rescript von Pius ... stellt ... die Regel auf* etc. *Der Prätor aber verspricht*" (Steph.: φθάσας εἶπεν = hatte versprochen) „*von dieser*" (= dieser zukünftigen) „*Strenge insofern abgehen zu wollen, als* etc."). Ottonem Lenel adeo rei absurditas commovit, ut illa omnia (*causa autem cognita — litem coeptam*) rescripto palam includeret (*das* edictum (1907) p. 183 lin. 1-4), praetori statim (lin 8/9) redditurus („*ohne Zweifel hies es in dem Edict*: si iusta causa esse videbitur"). Ex diverso Gradenwitz (*Interpol.* p. 69) non praetorem edixisse de eo quod *etiam post litem coeptam* concessurus esset, sed Ulpianum docet significare, quid ex edicto suo praetor *etiam post litem coeptam* concessurus sit. Quod refellere non est opus.

3) Id causae fuit Franckio, *Commentar* etc. p. 20/1, verba *causa autem cognita* rescripto applicandi. Quo nihil proficitur.

4) Cf quidem l. 17 § 1 D. 6. 1.

5) L. 16 § 4, § 5, § 7, l. 17, l. 18 pr., l. 20 § 17, l. 30, l. 35, l. 40 § 2 D. 5. 3. — Cf. l. 8 § 16 D. 5. 2; l. 2 § 1—l. 4 D. 12. 6; l. 22 D. 13. 5.

6) Ex recentioribus cf. Francke, *Commentar* etc. p. 47/8.

Digitized by Google

possessori, sed praestat sic interpretari, quemadmodum nos fecimus, quia hoc modo èt suppletur quod deest l. 5 pr. D. 5. 3, èt fines reguntur inter nostram constitutionem et c. 2 eod., ut altera tollat petitori [1]) altera possessori alienandi potestatem, èt paretur ipsi constitutionis auctori, qui, quum fieri permisisset illic *division(em) rerum hereditariarum*, docet alia constitutione [2]), iam tunc permisisse se, *ut, si lite de re litigiosa* [3]) *pendente pulsatum contigerit ab hac luce recedere*, heredibus eius *liceat divisionem rerum facere*, proinde significat ad solum *pulsatum* pristinam pertinere constitutionem. Coercet autem constitutio eum hereditatis possessorem, qui re vera heres est; nam qui non est, postquam iure Iustiniano exigi desiit *propter litis aestimationem* satisdatio [4]), domini loco nunquam habetur, proinde ipso iure alienare non potest. Sed quaeri video, quid iuris, si quis contra interdictum tamen alienaverit? Palam est nullius momenti esse traditionem, itaque nec dominia ex ea causa transferri [5]), nec in usucapionem succedi [6]), si quis scieus emerit, salva nihilominus emtori pretii condictione, quum sit *a (venditoris) parte irrita facta venditio* [7]). Sane ex c. ult. C. 8. 36, licet quis ignorans emerit, *vitio litigiosi contractus subiace(bit)*, itaque omnibus modis [8]) compelletur emptor *rem redhibere* venditori [9]), condictio autem, si sciens emit, caduca fit. Ex diverso venditor fisco debet pretium, id est, quanti vendiderit, poenae nomine, aut si donaverit, quanti res est; debet prae-

---

1) Hoc non est in c. 1 C. Th. 4. 5, unde c. 2 cit. translata est. Itaque illam Interpres de possessore intelligit.

2) Nov. 112 c. 1.

3) *De re litigiosa* abundat.

4) § 2 Inst. IV 11.

5) L 26 D. 18. 1.

6) L. 7 § 5 D. 41. 4; l. 12 D. 41. 3. — Cf. l. 2 § 17 D. 41. 4.

7) L. 52 D. 18. 1. — Ergo senatusconsulto Hosidiano, quo iubetur emptor duplum pretium aerario inferre, quia a venditore condicit pretium, effectu res redit eo, *ut emptor et venditor singuli pretium ... praestent* (l. 48 D. 39. 2).

8) Expectandum quidem plerique censent (cf. Windscheid (1891) § 125 not. 6), donec actor litis principalis cum emptore agat (vv. *„auf Verlangen des Klägers"*), scilicet, quia parere nolunt (cf. ibid. not. 5 atque Voet, Comment. ad Pand. XLIV 6 § 1) Imperatori *omnibus instrumentis quae super hoc constituuntur* deroganti *nullam vim* exinde *obten(turis)*.

9) Cf. Windscheid (1879) § 125[a].

Digitized by Google

terea [1]) emptori, quem deceperit, tertiam pretii partem, praeter ipsum pretium quod condicitur. Quas puto subsistere poenas, etiamsi non heres vendiderit, Hosidiani senatusconsulti exemplo [2]), ut *factum notetur* [3]), quemadmodum in maritorum matrimoniis. Excipitur autem ab interdicto dos, et ante nuptias donatio et hereditatis divisio et legatorum solutio. Quibus addenda est ex debiti causa solutio [4]).

CIV.

AD EDICTUM DE INOFFICIOSO.

Rubrica est *de inofficioso testamento*, et quidem post rubricam *de iudiciis* ante rubricam *de hereditatis petitione* èt in Codice Theodosiano èt in Novo Codice èt in Digestis; deest eadem in Ottonis nostri edicto [5]). Scilicet nescit, quid praetori de inofficiosi actione edicendum fuerit, nisi forte de summa sponsionis edixerit propter legem Crepereiam. Videamus igitur nos, an praetori nihil de inofficioso testamento edicendum fuerit edictumve. Sed in primis, quod superiore capite (CIII) demonstravisse mihi videor, sanxerat, eum, cum quo de inofficioso agendum esset, ab alienatione sese prohibiturum. Δεύτερον, bonorum possessionem se daturum *litis ordinandae gratia* [6]), si cognatus de inofficioso agere vellet. Neque enim verum est, quod scribit Lenel, sufficere ordinariam [7]) possessionem, etiamsi maxime secundum tabulas vel contra tabulas petita sit, nec

---

1) Quaerit Accursius, utrum emptori et fisco simul poenam debeat, et utrum triens emptoris fisco imputandus sit. Quod placet Voetio, Comment. ad Pand. XLIV 6 § 2.

2) L. 52 (i. f.) D. 18. 1.

3) L. 13 § 4 D. 3. 2.

4) c. 12 § 1*a* C. 3. 31.

5) Cf. *das* edictum (1907) p. 137/8. Ipsum verbum *de inofficioso* retinent Chabrun, *Essai sur la* querela (1906) p. 29 ima; Jobbé-Duval, *Mélanges Gérardin* (1907) p. 362, rubricam non audent.

6) Eo pertinent l. 6 § 2, l. 7, l. 8 pr. D. 5. 2; c. 2 C. 3. 28.

7) Cf. § 7 (6) Inst. III 9.

Digitized by Google

umquam ordinariae obstare possessioni, quod alia petita sit [1]). Quae sententia sane est mirifica, quum nominatim doceat Ulpianus [2]), ita demum posse competere intestati bonorum possessionem, *si neque secundum tabulas neque contra tabulas bonorum possessio agnita sit* [3]). Magis dici posset, tunc hoc obtinere, quum prior possessio iure data sit; alioquin, si ipsa non competierit, posteriorem nequaquam excludi, nisi prior petitor Carboniano decreto se defendat [4]); sic in proposita specie priorem possessionem ideo non obstare, quia docebit actor non valere tabulas quasi a demente factas. Pro qua sententia etiam facit, quod potest adiri hereditas ab intestato, quam adiit heres scriptus, ne tum quidem rescisso testamento sola spe rescindendi [5]). Nihilominus verior videtur contraria sententia, inprimis, quia bonorum possessio ordinaria numquam ut appellaretur *litis ordinandae gratia* [6]) futurum fuisset; deinde quia pertinere ea non videtur ad edictum successorium, nam transire constat actore mortuo ius petendae eius ad ipsius heredem, modo coeperit accusare [7]), quocirca non dubito, quin ipsi perpetuo [8]) competat. Quam si post omissam ordinariam acceperit heresve eius, possessionem per interdictum ad se non transferet, licet heredes scripti aeque omiserint [9]). Τρίτον *de praescriptionibus*: post quinquennium [10]) ad sacramentum se non admissurum praeterquam ex magna et iusta causa, sed ne eum quidem qui legatum accepisset, quive litem deseruisset. Has enim praescriptiones ex iurisdictione proficisci, sane est verisimile, nisi praescriptio adversus eum, qui legatum accepisset, communis est [11]). Τέταρτον de huius litis

1) Ita disputat in edicto (1907) p. XIV adversus clarissimum Jobbé-Duval, quem verum vidisse reor.

2) L. 1 § 2 D. 38. 6.

3) Itaque fit iure singulari, quod scribit Ulpianus l. 1 § 1 D. 38. 14: *numquam bonorum possessio(nem), quae ex alia parte edicti agnita (si)t, impedi(re)* dandam legibus *bonorum possessionem.*

4) L. 12 D. 37. 10; l. 42 § 2 D. 38. 2.

5) L. 7 D. 5. 2.

6) L. 8 pr. D. 5. 2.

7) L. 6 § 2 D. 5. 2.

8) Salva quinquennii praescriptione.

9) Ad eiusmodi speciem refero c. 2 C. 3. 28. Cf. l. 20 D. 5. 2.

10) Nihil expresserat de quinquennii initio (c. 36 § 2 C. 3. 28).

11) Dictum est capite harum observ. XCVI.

Digitized by Google

praeparatione [1]): ut sibi libellus daretur, adversario ad se denuntiaretur [2]), quemadmodum aliquando Masinissae senatus imperavit: *ut de iis, de quibus Carthaginienses quer(ere)ntur, legatos quam primum ad senatum mitt(eret) denunti(are)tque Carthaginiensibus, ut ad disceptandum veni(re)nt* [3]). Paulo aliter agebatur in potioris nominatione, ubi requiruntur quidem libelli et denuntiatio, sed libelli tunc demum, *cum denuntiaveri(s) et non venerit* [4]). Rursus in excusando sese a tutela adversario denuntiasse sufficit [5]), potest postea per libellos de plano offerendos titulum excusationis datus tutor expromere sed etiam πρὸ βήματος ἢ ἄλλως ἐπὶ ὑπομνημάτων [6]). Quodsi sint feriae, non denuntiabit et dabit libellos *contestatorios* [7]). A ceteris muneribus qui appellat, solemnitate impleta (ποιήσας τὰ ἐπὶ τῇ ἐκκλήτῳ δέοντα) vacationis tiiulum ἐπὶ ὑπομνημάτων deponere, tunc deinde a suo iudice iuberi potest adversario denuntiare [8]). Ceterum fieri potest, ut de bonorum possessione, de praescriptionibus, de praeparatione litis nihil nominatim edicto comprehensum fuerit, sed parum refert, quia ius honorarium, ut civile, non tantum scripto constat sed etiam *instituto* [9]), id est, consuetudine. Itaque, sive ea, quae dixi, verbis etiam conclusa omnia fuerint, sive instituto pro parte servata, ad iurisdictionem omnibus modis pertinuisse videri debent.

(*Continuabuntur*).

---

1) L 6 § 2, l. 7, l. 15 § 1 D. 5. 2.

2) L. 7 D. 5. 2. — Aliter hunc locum interpretatur Kipp, *die Litisdenuntiation* (1887) p. 167-170. Adnotaverat Dernburg, *die* bonorum emtio (1850) § 5[a]: „*es ist ... durchaus nichts Auffallendes, dass Denuntiation als Präparation des ordentlichen Prozesses erwähnt wird* fr. 7 D. de inoff. test."

3) Liv. XLII c. 24.

4) Vat. 167*a*.

5) Vat. 156.

6) L. 13 § 10 27. 1. Quidni obstet l. 25 eod, dicet Rudorff, *Recht der Vormundschaft* II (1833) § 103 (p. 200/1).

7) Vat. 156 (i. f.) Cf. l. 38 D. 27. 1 (*quinquaginta dierum spatium ... ad contestandas excusationum causas pertinet*).

8) Hoc didicimus ex novo Pap. Oxyrrh. 1204 lin. 8-10.

9) Cf. Cic., Accus. IV 17 § 41; 42 § 102 (i. f.).

Digitized by Google

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 346.)

QUOMODO ADULATOR AB AMICO INTERNOSCATUR.

Si usquam, hic certe operam dedit ut libellus suus locupletem haberet patronum: dedicatus est Antiocho Philopappo, viro haud dubie praediviti. Qui regnum quidem nunc habet nullum, provinciam enim iam Vespasianus Commagenen fecerat (Suet. 8), sed non legimus ei ab imperatore patrias esse ademptas opes, quod si factum esset non reticuisset Suetonius, qui tam accurate describere soleat quaecunque ille egregius quidem sed paulo avarior imperator fecit ad arcam suam implendam. Et ingentes illas fuisse iure suspicamur: apud eundem enim illum Suetonium legimus a Caligula (c. 16) Antiochum Commagenes regem non restitutum solum in regnum, sed ei etiam totum suum redditum patrimonium, quod non minus decem milionum Belgicorum fuerit florenorum. Huius nepos noster Antiochus, Plutarchi amicus et patronus, fuisse videtur, et in promptu est suspicari eum ideo mirum istud Philopappi sumpsisse cognomen ut gratum testaretur animum adversus virum qui illas a Caligula acceptas opes bene administravisset sibique, auctas fortasse etiam, reliquisset. Nepos ergo ille avi amantissimus nunc privatus vivit ubi libet, sed prae ceteris ei Athenae placuisse videntur, ubi etiamnunc superest monumentum sepulcrale, quamquam pristino spoliatum splendore, honores commemorans ab eo imperante

Digitized by Google

Traiano gestos. Testimonio ergo illud quodammodo est ab ostentatione quadam gloriae eum omnino non fuisse alienum; sed haec ei maxima fuisse videtur gloria, potentem haberi patronum artium disciplinarumque. Neque hercle ut illam obtineret impensis pepercit. Legimus enim (Probl. Conv. I, 10 initio) Serapionem, Plutarchi amicum, opiparas parasse epulas propter victoriam Athenis reportatam in agone scenico; et iure paravit, insignis enim illa fuerat: omnes phylae Atticae (12 tunc erant) de more inter se certabant, suos quaeque habebat poetas cantoresque eosque exornabat. Quae res permagna stare solebat pecunia. Sed tunc Philopappus totam rem susceperat eaque functus erat splendide magnificeque. „Atque" Plutarchi haec verba sunt quibus tamquam vivum ante oculos nobis hominem ponit „accumbebat nobiscum Philopappus ipse, nostrasque de rebus priscis audiebat narrationes atque etiam ipse suas addidit, non *philanthropia* solum ductus sed et discendi amore". Novimus antiquam illam philanthropiam, quae in conviviis et in sermonibus inter pocula habitis cernebatur. Philanthropus is erat qui talium conviviorum ferebat sumptus; quodsi praeterea etiam mentium afferebat nutrimenta, tum insignem inter philanthropos obtinebat locum. Num quisquam excogitari potest magis idoneus libelli patronus, iamiam in vitae lucem emittendi, quam „exsul rex" ille; num ullus ei honor esse potuit optatior quam in prima eius pagina suas legere laudes? Noli tamen propter honorem illum opulento regi habitum in turpis adulationis vocare crimen Plutarchum: quamvis et libro et eius scriptori gratus regis profuerit animus, ipsi regi liber ille multo prodesse poterat magis, dummodo legere et praecepta, quae ibi dabantur, fideliter observare vellet. Admonere enim liber eum poterat illius periculi, cui maxime obnoxii sunt viri quales fuit Philopappus: ne spolientur ab amicis simulatis. Hoc, si bene Plutarchum meum novi, primarium eius fuit consilium, quo librum suum Philopappo dedicavit; indignabundus quotidie regem illum, laudis tam appetentem, benignum illum bonarum artium patronum, a callidis oppugnari videbat adulatoribus, verborum artificibus, sophistis denique, qui se amicos esse simulabant eius, cuius regali frui cupiebant munificentia.

Sed licet dedicatus uni fuerit viro liber, scriptus est eo ser-

Digitized by Google

mone quo qui in multiplici sunt hominum recitandi contione. Minime incredibile mihi videtur maiorem certe eius partem a nostro mentium medico adhibitam ad Chaeronensem suum gregem docendum, quique praeterea verae virtutis sapientiaeque cupidi eodem essent conventuri. Non nego paulo esse longiorem, sed habet suas sibi virtutes quibus publicae fit recitationi aptissimus. Quam maxime „popularis" est et abundat facetissimis ornamentis. Annon lepidissimus ille est flosculus oratorius quo παρρησία comparatur cum ... hasta Peliae, quam vibrare solus Achilles poterat: „sic" ait „vera dicendi libertate tantummodo vir fortis gravisque potest uti"? Et nonne hic locus eius praesertim ferit animum qui *auribus* eum accipit: „deos pleraque sua beneficia clam praebere opinor, quia ipsa eorum natura fert ut bene faciendo delectentur"?

Et narratiunculis abundat liber utilissimis, neque nimis decantatis. Duas tantummodo tribus hic indico verbis: de Arcesilao ita pauperi amico subveniente ut gratias agere non posset ille; de Lacyda, Arcesilai discipulo, amico clam in iudicio certam afferente salutem. Sed unam addo, qua cum Plutarcho ad ipsum redeo libri patronum: „equitare, hoc unum est" ait Carneades, „quod bene discunt divitum filii; in schola iis blanditur magister, in palaestra se ab iis vinci patitur adversarius; sed equus simulare nescit et deiicit imperitum equitem."

Atque omnium exemplorum narrationumque hoc Carneadis dictum in clarissima est positum luce. Nonne nunc videmus non tam sui commodi causa Plutarchum Philopappo hunc obtulisse librum quam ut illi ipsi quam maxime prodesset? An non illi regi nostro maximum afferunt periculum adulatores qui *ingenium* eius, quamvis tenue illud sit, extollunt? Audite modo quae Carneadis illi sententiae praemittuntur: „sunt homines qui Stoicos ferre non possint clamantes sapientem solum esse divitem, pulchrum, nobilem, regem; sed adulatores ipsis Stoicis sunt importuni magis: homini opulento dant nomen oratoris et poetae, si cupit etiam pictoris vel tibicinis; velocem eum vocant et robustum; luctantes cum eo sponte decidunt, in cursus certamine de industria retardant impetum. Sic in certamine cum Alexandro egit Criso Himeraeus, sed aegre tulit rex."

Nunc, ut opinor, ipse rex, de suo detrusus solio, nobis stat

Digitized by Google

ante oculos; iam regno caret, mox, nisi providebit, etiam divitias suas amittet; famelici enim eum undique cingunt sophistae auro eius inhiantes.

Iam videamus possimusne hic illic laboranti libello ferre opem, vel inde protrahere aliquid quod postea in usum nostrum convertamus.

48 F Nostri amor ille, quo laboramus omnes, *τῷ κόλακι πολλὴν μεταξὺ τῆς Φιλίας εὐρυχωρίαν δίδωσι.*

Illud *μεταξὺ τῆς Φιλίας* sic vertit Wyttenbachius: „in media amicitia in quam se induere possit". Multis verbis utitur vir praestantissimus ad rem illustrandam; mallem unum locum indicasset ubi simili modo *μεταξύ* positum est, quod sua natura *duos* requirit genitivos particula *καὶ* iunctos; nisi vis excipere Arist. Ach. 433 et paucos alios locos ubi altera pars facile e contextu efficitur. Quod hic quoque fieri opinor. Falsum enim duco Wyttenbachianum illud „in media amicitia", et sic locum accipio: ab hac parte est adulator, ab illa amicitia (i. e. homo cuius amicitiam ille appetit); inter utrumque iacet sui amor ille omnibus hominibus communis; satis magnum illud spatium est ut ibi vires suas colligere seque ad impetum faciendum parare adulator possit.

49 E Amicus, tamquam nummus, sit probatus antequam tibi opus eo est: *οὐ γὰρ δεῖ βλαβέντας αἰσθέσθαι ἀλλ' ὅπως μὴ βλαβῶμεν ἐμπειρίαν λαβεῖν καὶ κατανόησιν τοῦ κόλακος.*

Et hiatus vitabitur et sententiae consuletur si istud *αἰσθέσθαι* deleverimus: adulatoris experimentum nobis est faciendum non damno accepto sed ne damnum accipiamus. Mnem. 1909, 229.

Alioqui *ταὐτὸ πεισόμεθα τοῖς αἰσθανομένοις τῷ προγεγεῦσθαι τῶν θανασίμων Φαρμάκων εἰς τὴν κρίσιν ἀπολλύντες ἑαυτοὺς καὶ διαΦθείροντες.*

Ipsa praepositio *προ* legentem poterat monere absurda haec: si *antea* gustando est factum periculum, nemo letale ebibet poculum. Quid sit legendum docebit *passivum προγεγεῦσθαι*, nempe *τῷ μὴ προγεγεῦσθαι*, i. e. quia non ante est gustatum. Qui venenum pro medicamento sibi dari suspicatur, id prius gustandum cani dabit, vel, si dominus est inhumanus, vili mancipio. Id *si factum non est* ipse dominus in se periculum faciet, sed tum letale illud esse sentiet.

Digitized by Google

50 C Primum scriptor nobis depingit adulandi artifices, qui verae amicitiae specie fallere homines callent; tum iis opponit τοὺς αὐτοληκύθους τούτους λεγομένους καὶ τραπεζέας καὶ μετὰ τὸ κατὰ χειρὸς ὕδωρ ἀκουομένους.

Ultima vox nata est ex ἀκούοντας eique adscripta annotatio λεγομένους, quae alio aberravit. Ipse Plutarchus sic scripsit: non mirabimur saepe amicitiae praeripere palmam adulationem ἂν τὸν ἀληθινὸν κόλακα καὶ μετὰ δεινότητος καὶ τέχνης ἁπτόμενον τοῦ πράγματος διώκωμεν, ἀλλὰ μή, καθάπερ οἱ πολλοί, τοὺς αὐτοληκύθους τούτους καὶ τραπεζέας καὶ μετὰ τὸ κατὰ χειρὸς ὕδωρ ἀκούοντας μόνους [ὡς τις εἶπε] κόλακας νομίζωμεν. Addendum enim est μόνους. Plutarchi discipulus artifices illos deprehendere poterit; vulgus *tantummodo* illos adulatores putabit qui lepide dicuntur *mensarii* et *cenae appositae comites*. Mnem. 1909, 229.

50 F Hoc vel praecipuum habet malum adulatio quod ἀναπίμπλησι καὶ τὴν ἀληθινὴν φιλίαν ἀπιστίας συνεμπίπτουσαν αὐτῇ πολλάκις.

Ain vero: sincera amicitia *simul* cum adulatione *irrepit*? Nihil enim aliud esse συνεμπίπτειν potest. Sed lege συνεκπίπτουσαν, egregiam habebis sententiam: homo ab adulatore deceptus facile eo adducitur ut et verum amicum foras eiiciat. Vide quod mox sequitur (51 A): μή πως ἢ τῷ κακῷ τὸ χρησιμὸν συνεκβάλωμεν et quae illud illustrat imaginem: ideo difficile est a tritico secernere grana agrestia quae eandem habent formam, quia si vannum adhibemus aut οὐ διεκπίπτει τῶν στενοτέρων πόρων ἢ συνεκπίπτει διὰ τῶν ἀραίων. Mnem. 1907, 385.

51 B „Idem velle atque idem nolle, ea demum vera est amicitia" confidentius dicitur quam verius. Certe non sic Plutarcho visum; huic multo rectius illud videtur esse τὸ μάλιστα φιλίας ἀρχὴν παρέχον. Ita est: studiorum consortium primam *praebet* notitiam, unde dis iuvantibus amicitia nasci potest. Sed corrupit sententiam librarius, qui sequentibus: „ea res πρῶτον εἰς ταὐτὸ συνάγει καὶ συνίστησι" deceptus hic quoque συνέχον dedit. Mnem. 1909, 299.

51 E Citatis versibus quibus notum istud „senex sene, iuvenis iuvene, aeger aegro lubentissime utitur" illustratur sic pergit: εἰδὼς οὖν ὁ κόλαξ ὅτι τὸ χαίρειν τοῖς ὁμοίοις καὶ τὸ χρῆσθαι καὶ ἀγαπᾶν ἔμφυτόν ἐστι hac via accedere solet.

Digitized by Google

Vides quam ingrate, immo quam vitiose hic subiecta cumulentur: *τὸ χαίρειν καὶ τὸ χρῆσθαι καὶ ἀγαπᾶν*. Cur duo eorum articulum habent, tertium non habet? Et cui insitum est triplex illud? Frustra dativum quaeris. Parietis rimam fidelia obtegit interpres Didotianus sic vertens: „ergo adulator sciens a natura insitum esse ut consimilibus gaude*amus*, u*tamur*, eaque amplec*tamur*". Nos labentem fulcire malumus, quod non magnae molis est. Pro *τό* legamus *τῷ*, ut hoc dicat Plutarchus: „rerum similium studio insitum est *τὸ χρῆσθαι καὶ ἀγαπᾶν* i. e. ipsa natura fert ut iis qui iisdem rebus quibus nos delectantur utamur eosque amplectamur". Sic simul illum quem quaerimus dativum habemus et cur ultimus infinitivus articulo careat intelligemus.

52 B Simius eo quod hominem imitatur capitur *ὁ δὲ κόλαξ αὐτὸς ἑτέρους ἐπάγεται καὶ παλεύει, μιμούμενος οὐχ ὁμοίως ἅπαντας κτέ.*

Virgula, quae nunc post *παλεύει* legitur, post *μιμούμενος* ponendo iustam obtinebis oppositionem: simius imitando capitur: adulator imitando allicit capitque alios. Mnem. 1909, 229.

52 D Postquam narravit quomodo alios ceperint mores Siculi praesente Platone, alios cum abiisset ille, sic pergit: *μαρτυρεῖ δὲ καὶ τὰ τῶν μεγάλων ἔργα κολάκων καὶ τὰ τῶν δημαγωγῶν ὧν ὁ μέγιστος Ἀλκιβιάδης* qui Athenis liberrime vivebat, Spartae gravitatem affectabat.

Viros, qui magnam in republica habent potestatem, *magnos adulatores* vocare lepidissimum est salsissimumque, dicti acumen eosdem *demagogos* appellando tollere vix est sani hominis. Si tamen nil nisi *καὶ δημαγωγῶν* adderetur, utcunque possemus ferre, at istud *καὶ τὰ τῶν δημαγωγῶν* nimis redolet sciolum. Delevit H., sed „mihi sana videntur" annotat editor. Tuam vicem doleo, vir praestantissime!

53 A *τοιοῦτος γὰρ οἷος, εἰ ψέγοις τινὰ τῶν Φίλων πρὸς αὐτόν, εἰπεῖν „βραδέως πεφώρακας τὸν ἄνθρωπον· ἐμοὶ μὲν γὰρ οὐδὲ πρότερον ἤρεσκεν". ἂν δ' αὖ πάλιν ἐπαινῇς μεταβαλόμενος, νὴ Δία Φήσει συνήδεσθαι καὶ χάριν ἔχειν ὑπὲρ τοῦ ἀνθρώπου καὶ πιστεύειν".*

Aut ego caecutio, aut omnes illi infinitivi ab *οἷος* pendere debent, qua de re Theophrastum cito testem locupletissimum. Ergo delendum est *Φήσει* et post *ἤρεσκεν virgula* ponenda. Sed nondum locus persanatus est: adulatoris est si quem amicorum

Digitized by Google

tuorum reprehendis, dicere: haud miror, mihi enim semper iste homo displicuit; quodsi mutato animo eundem laudas, *ecce subito* (hanc vim istud *νὴ Δία* habet; indignabundus et admirans id Plutarchus addit) tibi gratulatur, pro illo amico (cui nuper maledixit) gratias tibi agit, denique .... quid? Fidem habet? Cui, obsecro? Amico illi? At hoc non est huius loci. An tibi? Hoc etiam absurdius. Requiritur aliquid quod eiusdem sit naturae atque *συνήδεσθαι* et *χάριν ἔχειν* sed ita ab illis differat ut gradatio nascatur quaedam. Hoc habebimus si *πίστιν διδόναι* vel, ut etiam ante semicolon hiatus vitetur, *διδόναι πίστιν* legemus. Nunc venustissimus evasit locus: de amico aliquo praesente adulatore quereris: „haud miror" ille ait „semper mihi fuit iste suspectus". Postea laudas eundem: ecce „gratulor tibi" clamat „qui cum illo redieris in gratiam, gratias tibi pro eo ago, fidemque meam obligo nunquam fore ut te poeniteat".

53 B Hoc genere adulationis pertractato sic ad aliud transit: *εἷς μὲν οὖν τῶν ἐλέγχων τρόπος τοιοῦτός ἐστιν· ἑτέραν δὲ δεῖ ταῖς ὁμοιώσεσι τοιαύτην παραφυλάττειν διαφοράν* (inter amicum et adulatorem).

Immo *ἐν ταῖς ὁμοιώσεσι*. An tantus tenuit hiatus Plutarchum metus ut vitiose scribere mallet et non intelligi? Conferantur verba quibus totum hoc caput clauditur:

ἐν μὲν οὖν ταῖς ἐξομοιώσεσι τοιαῦταί τινες εἰσιν αἱ τοῦ κόλακος διαφοραὶ πρὸς τὸν φίλον.

54 F Tamquam exempla pravitatis afferuntur *οἱ Διονυσίου κόλακες ἀμβλυωποῦντες ἐμπίπτοντες ἀλλήλοις καὶ τὰς παροψίδας ἐν τῷ δειπνεῖν καταβάλλοντες.*

Hic quoque perdidi operam .... et me perdidisse gaudeo. Nam nunc certo scio recte me (Mnem. 1909, 229) coniecisse *ἀμβλυωποῦντος* quod et apud Wyttenbachium (in textu et in annotationibus) et in Didotiana legitur.

54 B Postquam *versulum* depinxit adulatorem, qui in *omnibus* rebus imitatur eum cuius frui cupit benignitate, haec etiam addit Plutarchus:

οὕτως ἄπειρος ἦν κόλακος ὁ νομίζων τὰ ἰαμβεῖα ταυτὶ τῷ καρκίνῳ μᾶλλον ἢ τῷ κόλακι προσήκειν

γαστὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῇ βλέπων
ὀφθαλμός, ἕρπον τοῖς ὀδοῦσι θηρίον

Digitized by Google

παρασίτου γὰρ ὁ τοιοῦτος εἰκονισμός ἐστι
τῶν περὶ τάγηνον καὶ μετ' ἄριστον φίλων
ὡς Εὔπολίς φησιν.

Corrupta verba, sed vel sic Plutarchi apparet ratiocinatio: „errant qui versus illos de cancro ad *adulatorem* designandum adhibent; confundunt enim inter se *adulatorem* et *parasitum*, quorum hic solas epulas captat, ille multo magis est varius et multiplex". Quis autem *error* in verbis Graecis, quae citavi, refellitur? Nullus ut opinor, nam ét qui hos versus attulit dicitur *adulatorem* totum esse ventrem negasse et negat Plutarchus, qui non in adulatorem sed in parasitum et eos, „qui" (secundum Eupolim) „sunt amici prandii et sartaginis" illam quadrare cum cancro contendit comparationem. Sed erravit qui dixit iambos illos τῷ κόλακι μᾶλλον ἢ τῷ καρκίνῳ προσήκειν, atque sic legendum. Nam sic eum refutat Plutarchus: „non in *adulatorem* (adulandi artificem) sed in edacem *parasitum*, hominem, utpote stultum stolidumque, multo minus metuendum versus isti conveniunt". Quae cum ego, re diu pensitata, primus mihi exputasse viderer.... sic et a Wyttenbachio et in Didotiana legi vidi. Nunc ergo tota mea disputatio antiquam lectionem haud inepte, ut opinor, defendit.

54 D Sic versutus ille Regem captat: εὐφυής εἰμι ποιητὴς καὶ στίχον οὐ φαυλότατον γράφω, at tu praeclarus es vates.

L. οὐ τὸν Φ. γ. ut hoc habeas: „versus mei satis sunt boni, tuos vero caelestes appello".

55 B Medicus modo dulcibus iucundisque utitur medicamentis modo asperis et amaris οὔτ' ἐνταῦθα τὸ ἡδὺς οὔτ' ἐκεῖ τὸ ἡδὺ ποιούμενος τέλος, ἀλλ' ἐφ' ἓν δι' ἀμφοτέρων [ἐπὶ τὸ συμφέρον] ἄγων τὸν θεραπευόμενον.

Ecquid dubitari potest quin inclusa e margine in textum irrepserint? Quid quod ne accuratam quidem loci continent explicationem. Utrumque medicamentorum genus aegrotantem *ducit ad sanitatem*, sed τὸ συμφέρον secum *affert*. Cf. quod statim sequitur ἄγει πρὸς τὸ καλόν.

ib. Sic et amicus ἔστι μὲν ὅτε σὺν ἐπαίνῳ καὶ χάριτι μεγαλύνων καὶ εὐφραίνων ἄγει πρὸς τὸ καλόν, at alio tempore eodem ducit vituperando.

Adverbium ἀεί, quod post μεγαλύνων legebatur, H. delevit.

Digitized by Google

Rectissime, ut opinor: manifestum hic tenemus exemplum annotationis, *eiusque pravae*, quae in *alienam* textus sedem aberravit. Adscriptum enim istud *ἀεί* fuit ad *ἔστιν ὅτε*.

55 D *ὥσπερ ἁρμονικὸς ὁ Φίλος [τῇ πρὸς τὸ καλὸν καὶ συμφέρον μεταβολῇ] τὰ μὲν ἐνδιδοὺς ἃ δ' ἐπιτείνων πολλάκις μὲν ἡδὺς ἀεὶ δ' ὠφέλιμός ἐστιν.*

Et imaginem et disputandi rationem perturbant inclusa; annotatio est eiusdem qui modo *ἐπὶ τὸ συμφέρον* adscripsit. Praeterea videndum annon *τὰ μὲν ... τὰ δέ* sit legendum.

ib. *δεῖ τὸ εὐφραῖνον καὶ χαριζόμενον ἡγεῖσθαι φιλικόν, ἂν καὶ λυπεῖν ποτε δύνηται καὶ ἀντιτείνειν, τὴν δὲ συνεχῆ ταῖς ἡδοναῖς καὶ τὸ πρὸς χάριν ἔχουσαν ἄκρατον ἀεὶ καὶ ἄδηκτον ὁμιλίαν ὑπονοεῖν.*

Male haec cohaerent; sincera existat syntaxis si *οὖσαν* post *ἡδοναῖς* inseras, sed sic pessumdetur sententiae structura quam Plutarchus voluit et metuo ut dativus ille recte habeat. Bene procedent omnia si *συνεχεῖς τὰς ἡδονάς* legeris, ut omnes illi accusativi *συνεχεῖς τὰς ἡδονάς, τὸ ἄκρατον* et *ἄδηκτον* ab *ἔχουσαν* pendeant.

55 E *τοῖς μὲν οὖν ταύροις τὸν οἶστρον ἐνδύεσθαι παρὰ τὸ οὖς λέγουσι καὶ τοῖς κυσὶ τὸν κρότωνα· τῶν δὲ φιλοτίμων ὁ κόλαξ τὰ ὦτα κατέχων ... δυσαπότριπτός ἐστιν.*

Quid hic legendum sit nescio, popularem enim istam zoologiam non magis quam veram didici unquam. Sed pro certo mihi constat pro *οὖς* aliud quid requiri. Semper enim et ubique Plutarchus eiusmodi comparationes adhibet ut sibi transitum pariat ad *diversi* aliquid. Sed hic eadem sunt omnia aut tantum non omnia: asilus *iuxta aurem* tauri se insinuat, at adulator *aures* occupat. Non solet sic scribere Plutarchus. Conferatur quod mox sequitur (5C A): *ὅσοι μὲν οὖν ἢ πρᾶξιν ἢ λόγον ... εὐχερῶς ἐπαινοῦσι — εἰς τὸ παρόν εἰσιν οὗτοι ... βλαβεροὶ μόνον· ὅσοι δὲ πρὸς τὸ ἦθος ἐξικνοῦνται κτἑ.*

56 B Ii ergo adulatores qui in hominis mentem ipsam penetrant similes sunt servorum qui „segetem defrudant" *σπέρμα γὰρ τῶν πράξεων οὖσαν τὴν διάθεσιν καὶ τὸ ἦθος διαστρέφουσι.*

Egregia haec: „corrumpunt mentem quae quodammodo actionum seges est". Sed corrupit sententiam sciolus qui post *ἦθος* alteram comparationem inseruit *ἀρχὴν καὶ πηγὴν τοῦ βίου*, qua et ipsa verborum structura pessumdatur.

Digitized by Google

56 E Parum abfuit quin Romanorum *rempublicam* — aliquo enim modo efficiendum ut ilam in locum inepti illius ἤθη quod traditum est introducamus, nam de *populis* et *civitatibus* perditis hic sermo esse debet; cf. quod praecedit ἐπέτριψε Σικελιώτας et Αἴγυπτον ἀπώλεσε — perderet ἔπαινος τὰς Ἀντωνίου τρυφὰς καὶ ἀκολασίας καὶ πανηγυρισμοὺς ἱλαρὰ παίγματα (egregie sic H. pro πράγματα) καὶ Φιλάνθρωπα χρωμένης ἀφθόνως αὐτῷ δυνάμεως καὶ τύχης ὑποκριζόμενος.

Recte me αὐτῇ emendasse (Mnem. 1909, 229) sciet qui Wyttenbachium viderit traditam lectionem explicantem, simulque cognoverit iam Mezeriacum idem suasisse; sed in longa Wyttenbachii annotatione illius latet emendatio: „ioci sunt" (dixerat adulator) „ista potentiae libere utentis *se ipsa*" i. e. suis facultatibus.

57 A Nihil remittit in laudando adulator cum εὐπαρύφου τινὸς ἢ ἀγροίκου λάβηται Φορίνην παχεῖαν Φέροντος.

Lepide hic iunguntur purpuratus et rusticus pelle indutus; hi enim inter homines stolidissimi esse solent. Qui in mentem venire potuerit Wyttenbachio hic Φορίνην de cute hominis adhiberi, ut rusticus ille dicatur esse παχυδέρματος ut elephas, non intelligo. De *vestimento* hic agi verbum Φέρειν liquido demonstrat.

57 E ἂν δ' ᾖ τις οἰόμενος πολὺν ἔχειν νοῦν καὶ βουλόμενος αὐστηρὸς εἶναι καὶ αὐθέκαστος ὑπὸ δή τινος ὀρθότητος ἀεὶ προβάλληται τὸ

Τυδείδη, μήτ' ἄρ με μάλ' αἶνεε μήτε τι νείκει.

cautius accedit adulator.

Quorsum istud ᾖ vertam nescio: totam sententiae structuram turbat. Quodsi deleamus iure roget aliquis unde natum sit. Ecquid ἂν δὲ δή τις legamus, huc retracto δή, quo in sequentibus lubenter caremus?

58 A Aulici qui se Mithridati urendos secandosque praebebant re non verbis ei adulabantur: μαρτυρεῖσθαι γὰρ ἐμπειρίαν ἐδόκει πιστευόμενος ὑπ' αὐτῶν.

Sententiam hinc utcunque extundo aptam: „quod sibi fides ab iis haberetur peritiae ei videbatur testimonium!" Sed structurae nusquam alibi visae adstupes. Annotasset, ut opinor Wyttenbachius, alios locos, ubi μαρτυροῦμαί τι est: „testimonium mihi alicuius rei datur", si in promptu habuisset.

Digitized by Google

ib. Adulatorem, identidem de variis rebus consulentem atque sic tecte tuam laudantem sapientiam, redarguere oportet *ἐπίτηδες ἀτόπους ἐκτάττοντα συμβουλίας.*

Recte Hirschigius *πλάττοντα* coniecit. Nec minus recte Reiskius in sequentibus: *„πρὸς μηδὲν γὰρ ἀντιλέγων ἀλλὰ πᾶσι συνεπινεύων καὶ δεχόμενος πάντα* deprehendetur adulator" pro *δεχόμενος* dedit *ἀποδεχόμενος*, *probans*, quod recte coniungitur cum eo quod est *annuens*, et oppositum habet *ἀντιλέγων.*

59 B Reprehenditur Bionis dictum hoc:

εἰ τὸν ἀγρὸν ἔμελλεν ἐγκωμιάζων εὔφορον ποιεῖν καὶ εὔκαρπον, εἶτ' οὐκ ἂν ἁμαρτάνειν ἐδόκει τοῦτο μὴ ποιῶν μᾶλλον ἢ σκάπτων καὶ πράγματα ἔχων; οὐ τοίνυν οὐδ' ἄνθρωπος ἄτοπος ἂν ἐπαινῶν εἴη, εἰ τοῖς ἐπαινουμένοις ὠφέλιμός ἐστι καὶ πάμφορος.

Aliquam partem veritatis vidit editor *ὁ ἐπαινῶν* coniiciens, sed inepte nunc quoque *agricola* et *homo* inter se opponuntur. Potestne ulla esse dubitatio quin recte Dobraeus *ἀνθρώπους* emendaverit, ut *homines* opponantur *agro*? Sed nondum persanatus locus et alia adhibenda medela quam quae ab editore proponitur. Omnia in *primam personam* sunt transferenda et praeterea supplenda lacuna. Integrum Bionis dictum fuit:

εἰ τὸν ἀγρὸν ἔμελλον ἐγκωμιάζων εὔφορον ποιεῖν καὶ εὔκαρπον, εἶτ' οὐκ ἂν ἁμαρτάνειν ἐδόκουν τοῦτο μὴ ποιῶν μᾶλλον ἢ σκάπτων καὶ πράγματα ἔχων; οὐ τοίνυν οὐδ' ἀνθρώπους ἄτοπος ἂν ἐπαινῶν εἶην εἰ τοῖς ἐπαινοῦσιν ὁ ἐπαινούμενος ὠφέλιμός ἐστι καὶ πάμφορος.

Salsa hercle verba et faceta, iustoque severior adversus Bionem fuit Plutarchus, nam Bio quoque contemnit eos qui adulatoribus praebent aurem et adulatores ipsos odit. Sed *leniter*, ut solet, et *urbane* utrosque perstringit dum alteros (adulatores) laudare videtur qui facultate lucri faciendi oblata tam prudenter utantur. Nonne vel ex uno hoc loco apparet, id quod antea dixi, nullam unquam Bionis paginam ab Horatio lectam qui nobis *sal nigrum* eius venditet? Sed non placet eiusmodi *εἰρωνεία* Chaeronensi mentium medico; non ridet ille cum homines admonet periculi quotidie imminentis et quod tam pulchra specie absconditur et celatur. Et fortasse ne perspexit quidem Borysthenitae mentem putavitque eum *ex animi sententia* adulatoris commendare artem ut neque turpem et utilissimam ad arcem implendam.

Digitized by Google

ib. Quidam adulatores ceteris omnibus callidiores, omni missa scurrilitate, *εἰς ὀφρῦν αἴρουσιν ἤδη τὸ πρᾶγμα.*

Mire dictum hoc, sed sensus utcunque perlucet quoniam sequitur *καὶ κολακεύουσιν ἐσκυθρωπακότες.* Sed sanum esse *αἴρουσιν* non possum credere; requiritur fere: ad supercilium rem revocant, i. e. a supercilio petunt opem.

60 A Adulator regis sui magna vitia negligit sed parvis adhaeret; sic Ptolemaeo docti famam affectanti *περὶ γλώσσης καὶ στιχιδίου μαχόμενοι καὶ ἱστορίας μέχρι μέσων νυκτῶν ἀπέτεινον.*

Quo sensu hic *ἱστορίας* dictum? Potestne illa unquam rebus vilibus adnumerari? Suspicor hic latere participium quod recte cum *μαχόμενοι* iungatur. Fortasse ipsum *ἱστοροῦντες* illud est quod quaerimus: per totam noctem cum rege *disputabant* de aliquo versiculo vocabulove docteque in talia inquirebant.

Sed eiusdem regis crudelitates non reprehendebant *τυμπανίζοντος καὶ τελοῦντος.* Acute Gatakerus *στρεβλοῦντος*, nec dubium quin eiusmodi aliquid Plutarchus scripserit.

60 B *ἔτι δὲ τούτων ἕτεροι πανουργότεροι καὶ πρὸς ἡδονὴν χρῶνται τῷ παρρησιάζεσθαι.*

Ut bene decurrat sententia, *καί* deleatur.

60 D Libere loquentis speciem affectans adulator quidam Tiberii nimios labores nimiasque pro patria curas reprehendebat scilicet. Tum Cassius Severus:

αὕτη τοίνυν ἡ παρρησία τὸν ἄνθρωπον ἀποκτενεῖ.

Sauppius *οὐκ ἀποκτενεῖ.* Talia non sunt, ut opinor, in calce paginae commemoranda sed quantocius in ipsum textum recipienda. Ipsum enim Plutarchum legere cupimus.

60 E Ex eo genere etiam est *ὁ τὸν εὐήθη καὶ βλᾶκα καὶ ἀβέλτερον ὡς δεινόν τινα καὶ πανοῦργον καὶ φυλάττεσθαι καὶ δεδιέναι προσποιούμενος.*

Paenultimum istud *καὶ* utique delendum: aut enim sententiae pessumdat structuram aut plane inutilem nobis praebet duplicis *καί* emphasin.

60 F Tales adulatores cum vident homines cum fratribus litigantes, despicientes parentes suos *ἢ πρὸς γυναῖκας ὑπεροπτικῶς ἔχοντας* eos non vituperant.

Recte Wyttenbachius *ὑπόπτως* coniecit (non, ut tradit editor, *ὑπερόπτως*). Non *superbus* sed *suspicax* maritus hic requiritur.

Digitized by Google

62 A Si quem poenitet quod pecuniam se mutuam daturum vel largiturum promiserit neque tamen aperte fidem fallere audet τῇ χείρονι ῥοπῇ προστιθεὶς ἑαυτὸν ὁ κόλαξ ἐπέρρωσε τὴν εἰς τὸ βαλλάντιον γνώμην.

Vocabula quae sunt ῥοπή et γνώμη mutare inter se locum iussi Mnem. 1909, 229. Non fuerat opus, idem enim iam Wyttenbachius suaserat.

62 B Quodsi non nosmet ipsos nostra fallunt mala, non fugiet nos adulator: ἔστι γὰρ συνηγορῶν ἀεὶ τούτοις τοῖς πάθεσι.

Inaudita structura, cuius non facile aliud apud Plutarchum invenies exemplum. Hic eum πάρεστι scripsisse opinor.

Additur: καὶ περὶ τὰς τούτων ἐκβάσεις παρρησιαζόμενος.

Non, quemadmodum refert editor, ἐντάσεις hic Wyttenbachius coniecit sed ἐνστάσεις, et recte coniecit dummodo simul πρὸς pro περὶ legas: adest adulator vitiis nostris opem ferens eorumque cohibitiones *impudenter dissuadens* (nam hoc fere est παρρησιάζεσθαι πρός τι).

62 Amicorum nemo γίγνεται συνεργός, εἰ μὴ γεγένηται σύμβουλος πρότερον, ἀλλ' ὅταν δοκιμάσῃ καὶ συγκαταστήσῃ τὴν πρᾶξιν εἰς τὸ πρέπον ἢ τὸ συμφέρον.

Hic καὶ συγκαταστήσῃ est *apodosis*, sed quia nullus *medio* locus, corrigatur συγκαταστήσει. Amicus cum consilium tuum probaverit, etiam te adiuvabit in re ad felicem honestumve perducenda exitum. Quid vero adulator? Etiamsi eum rogaveris sententiam, sine ulla dubitatione te incitabit ad id quod te velle facere suspicatur.

63 D Verus amicus in ope ferenda nulla utitur ostentatione sed ὥσπερ ἰατρὸς λαθὼν ἐθεράπευσε, καὶ φίλος ὠφέλησεν ἐντυχὼν ἢ διαλυσάμενος.

Istud διαλυσάμενος Didotianus vertit „creditoribus dissolvens". Quo iure nescio, sed illud non esse huius loci certo scio. Quid autem recte cum ἐντυχών coniungitur? Ut opinor καταλυσάμενος. Amicus opem fert amico cui forte obviam venit vel ad quem in itinere devertit. Mnem. 1909, 309.

64 A Adulatoris simile est ζωγράφημα περίεργον ἀναιδέσι φαρμάκοις καὶ κεκλασμέναις στολίσι καὶ ῥυτίσι καὶ γωνίαις ἐναργείας φαντασίαν ἐπαγόμενον.

De multis aliis hic dubito, sed non dubito quin Wyttenbachii

Digitized by Google

coniectura μορφαῖς pro φαρμάκοις utique commemoranda fuerit.

Etenim solet adulator tam multa narrare de molestiis quas tua causa in aliqua re sit perpessus ὥστ' εἰπεῖν „οὐκ ἄξια ταῦτ' ἐκείνων". Nonne perspicua haec: „tanti non erat res mea", sive „nollem mea causa tantum suscepisses negotii" vel quaecunque sunt ex hoc genere? Non videtur sic locum accipere editor; omittit enim signa quibus significatur non scriptoris sed alicuius, quem loquentem inducit ille, ea verba esse, sed quo modo accipiat frustra quaero.

64 E Simius ad nullam rem utilis est, ὕβριν οὖν φέρει καὶ βωμολοχίαν καὶ παιδιᾶς ἀνέχεται.

Sanusne genitivus ille? Nullum aliud apud Plutarchum inveni exemplum. In indice Wyttenbachiano citatur praeterea I, 417 B, ubi nihil ex eo genere legitur.

ib. Adulator stat paratus ad opem ferendam ἐν ταῖς ὑπὸ μάλης πράξεσιν.

Ludicrum hoc exemplum exquisitae locutionis quam haud intellectam ad suam exornandam orationem adhibuit Plutarchus. Raro in eum quadrat graculi Aesopei exemplum. Conferri fere potest De Tuenda sanitate c. 6 (p. 124 E): „Socrates cavere iubet a cibo qui non esurientes ad edendum, a potu qui non sitientes ad bibendum pellicit, non hercle ut prorsus iis abstineamus sed ut tantummodo ubi opus est iis utamur, utilitatem praeponentes suavitati ὥσπερ οἱ τὰ θεωρικὰ ποιοῦντες ἐν ταῖς πόλεσι στρατιωτικά". Quam suaviter risisset Demosthenes si *legem* a se latam in *praeceptum* reipublicae gerendae converti vidisset!

65 B ἐλαφρὸς καὶ ἐπίκτητος καὶ ἀπατηλός.

Ad adulatorem describendum vocabulis hic utitur scriptor quibus aurum adulterinum significatur. Egregie ἐπίτηκτος reposuit primus Wyttenbachius, non Iacobsius, ut refert editor.

65 C κρυφίου δὲ λόγου κνήσαντος ἕλκος, κἂν μὴ παντελῶς εὐθὺς ἐξεργάσηται, (adulator) τὸ τοῦ Μηδίου φυλάττει μεμνημένος.

Certe non meliorem locum reddidit editor simplex verbum pro composito ἐξεργάσηται reponens. Nam hoc tamen utcunque intelligo: „etiamsi non plane id quod voluit *perfecerit* statim". Quamquam aegre hic obiectum aliquod desidero.

ib. ἦν δ' ὁ Μήδιος τοῦ περὶ τὸν Ἀλέξανδρον χοροῦ τῶν κολάκων

Digitized by Google

οἷον ἔξαρχος καὶ σοφιστὴς κορυφαῖος ἐπὶ τοὺς ἀρίστους συντεταγμένος.

Ducis esse συντάττειν, exercitus συντάττεσθαι et συντετάχθαι putabam. Lege ergo συντεταγμένων. Plane aberravit a loci sententia Didotianus sic vertens: „fuit is Medius chori adulatorum qui Alexandrum cingebat veluti princeps et sophistarum summus *praestantissimis impositus*". Immo vero instructus erat ille adulatorum exercitus *in optimos* i. e. ut optimum quemque impugnarent potissimum. Praestat autem — neque id propter hiatum solum: ab ἐκέλευεν incipit sententia sequens — συντεταγμένων, non συντεταγμένου. Missam enim scriptor *chori* facit imaginem et transit ad *exercitum* (συντάττειν ἐπί).

65 E Enumeratis adulatoribus quibus se Alexander tradidit, haec addit:

οὕτω μεγάλην ἔχει τὸ πρὸς χάριν δύναμιν, καὶ μεγίστην ὡς ἔοικεν ἐν τοῖς μεγίστοις εἶναι δοκοῦσι· τὸ γὰρ οἴεσθαι τὰ κάλλιστα μετὰ τοῦ βούλεσθαι πίστιν ἅμα τῷ κόλακι καὶ θάρσος δίδωσι.

Ipsa nocte obscuriora mihi haec sunt; unum hoc video in errorem nos induci ab interprete Didotiano qui ἐν τοῖς μεγίστοις εἶναι δοκοῦσι sic vertit: „*apud eos* qui maximi putantur". Sic praepositione παρά opus foret, nam nunc hoc habemus: „*in rebus* quae maximae (maximi momenti) putantur".

65 E Quo quisque locus magis est editus eo difficiliorem habet aditum hostibus:

τὸ δ' ἐν ψυχῇ νοῦν οὐκ ἐχούσῃ δι' εὐτυχίαν ὕψος ... μάλιστα βάσιμόν ἐστι.

Post εὐτυχίαν etiam traditum est ἢ δι' εὐφυΐαν, sed hoc una litura Wyttenbachius delevit et sic sanum sensum restituit. Possis etiam οὐ δι' εὐφυΐαν: „locus editus, quo stultus aliquis pervenit felici aliquo casu non felici indole (τὸ δι' εὐτυχίαν οὐ δι' εὐφυΐαν ὕψος)".

65 F Primum omnium ex animo nostro τὴν φιλαυτίαν evellamus:

αὕτη γὰρ ἡμᾶς προκολακεύουσα μαλακωτέρους ποιεῖ τοῖς θυραίοις κόλαξιν ὡς ἑτοίμους ὄντας.

Nimis tria illa vocabula languent frigentque quam ut hic ullo modo ferri possint, neque quidquam proficimus lectione, quam cod. F in margine habet ὡς τινας ὄντας, vel ea quam

Digitized by Google

Wyttenbachius suadere videtur *ὥς τι ὄντας*. Tale enim aliquid non est huius loci. Una litura delenda censeo; nata videntur ex annotatione *καὶ ἑτοιμοτέρους* ad *μαλακωτέρους* adscripta.

ib. Alexander duabus potissimum in rebus erat *ἀγεννέστερος καὶ παθητικώτερος αὐτοῦ*.

Restitue solemnem formulam *αὐτὸς αὐτοῦ*, Plutarcho non ignotam; omisso *αὐτός* absurdi nascitur aliquid.

66 A Cum vitia nostra erroresque reputaverimus, nosmet ipsos deprehendemus *οὐκ ἐπαινοῦντος φίλου καὶ κατευλογοῦντος δεομένους, ἀλλ' ἐλέγχοντος καὶ παρρησιαζομένου καὶ ψέγοντος ἡμᾶς ἰδίᾳ κακῶς πράττοντας*.

Rem acu Wyttenbachius tetigit pro *ἰδίᾳ* coniciens *νὴ Δία* et optime quam in enumerationibus haberet vim exclamatio illa ultimo adiecta membro (de qua re ipsi egimus ad p. 34 F) exposuit. Sed totam loci venustatem non perspexit vir praestantissimus. Etenim *κακῶς πράττοντας* vertit *male affectos, vitiis laborantes*. Est enim, et sic illud *νὴ Δία* duplex quodammodo accipit pondus, „nos quorum mala est conditio, sors misera, sive (ut magis etiam perspicue rem declarem) *qui pauperes simus*". Et quae sit illa paupertas egregie docemur iis quae continuo sequuntur: *ὀλίγοι μὲν γὰρ ἐκ πολλῶν εἰσιν οἱ παρρησιάζεσθαι μᾶλλον ἢ χαρίζεσθαι τοῖς φίλοις τολμῶντες*. Licet opulentus sibi aliquis videatur, quem multi sibi expetunt, revera pauper est, nam multos quidem habet adulatores, paucissimos amicos.

66 D Absurdissimum est in amicum tuum, ne blandiri ei videaris, acerbe invehi

ὥσπερ ἀπελεύθερον ἐν κωμῳδίᾳ τὴν κατηγορίαν ἰσηγορίας ἀπόλαυσιν ἡγούμενον.

„Huiusmodi liberti maledicam personam in veterum comoediis non videre nos meminimus" Wyttenbachius ait, neque post Wyttenbachium inventum opinor fragmentum quod talem eam exhiberet. Tamen fuisse eam frequentissimam in nova Comoedia res ipsa clamat. Quae enim in fabula privatam privatorum vitam depingente aptior ad risus movendos figura quam libertini qui, laetus se iam eadem qua ingenuos dicendi uti libertate, ita se nova illa *voluptate satiet* ut in obvios invehatur *maledictis*. Nam non puto hominis illiterati esse *accusatoris* grave onus in se suscipere.

Digitized by Google

Utique ergo pro *κατηγορίαν* cum Mezeriaco *κακηγορίαν* legendum.

66 F *ὁ Ἀγαμέμνων τὸν Ἀχιλλέα παρρησιάζεσθαι δοκοῦντα μετρίως οὐχ ὑπέμεινε*

quia ipsius Achillis causa agitur.

In *praesenti* tempore hic sunt ponenda omnia. Vide modo contrarium quod sequitur exemplum:

τοῦ δὲ Ὀδυσσέως καθαπτομένου πικρῶς ... εἴκει καὶ καρτερεῖ

quia scit eum communi causae prospicere. [Ubi admodum insolite *tamquam synonyma* inter se iunguntur vocabula quorum natura potius ut inter se *opponantur* ferre videtur: *cedere* et *perseverare*. Sed forte eiusmodi hic locus est ut recte fiat illud: cedit Ulyssi Agamemnon eiusque maledicta aequo fert animo.]. Legendum ergo *ὑπομένει*.

67 B Si quis vero in amico reprehendendo quas ipse ab eo iniurias accepit reticet negligitque

ἄλλας δέ τινας αὐτοῦ πλημμελείας ἐλέγχων καὶ δάκνων ἐφ' ἑτέροις καὶ μὴ φειδόμενος, ἄμαχος ὁ τόνος τῆς παρρησίας οὗτός ἐστι καὶ τῇ γλυκύτητι τοῦ νουθετοῦντος ἐπιτείνων τὸ πικρὸν καὶ αὐστηρὸν τῆς νουθεσίας.

Duplici vitio haec laborant. Primum nemo mortalium unquam quid sit *δάκνειν ἐπί τινι* intelliget. Sed ante *ἐλέγχων* pone verba *ἐφ' ἑτέροις*, primum legitimam habebis structuram: „alia quaedam eius *in alios* peccata", deinde pulcherimam gradationem: „arguens, mordaciter reprehendens, nihil remittens". Tum ratio est reddenda *cur* eiusmodi loquendi libertas sit inexpugnabilis. Habebis hoc si *καί*, quod inter *ἐστι* et *τῇ γλυκύτητι* legitur, deleveris. En pulcherrimus evasit locus: „inexpugnabilis ea est simplicitas, *utpote quae* censoris suavitate (qui suas iniurias negligat) reprehensionis acerbitatem augeat intendatque".

67 F Urbanitate in reprehendendo opus est, *θρασύτης δὲ καὶ βδελυρία καὶ ὕβρις προσοῦσα πάνυ διαφθείρει καὶ ἀπόλλυσι.*

Quasi vero aliquis *modice* possit *perdere* et *pessumdare*! Praeterea nunc obiecto carent verba illa, neque e praecedentibus elicere ullum potes. Satisne ergo certum est Reiskium recte *πάντα* reposuisse?

68 B Timagenes Caesaris excidit amicitia semper et ubique, ubi minime opus esset, *αἰτίαν φιλίας ὥσπερ σόφισμα λοιδορίας προφερόμενος.*

Digitized by Google

Nihili est tam *αἰτίαν φιλίας* quam *σόφισμα λοιδορίας*. Sed genitivos illos locum inter se mutare iube, egregii aliquid obtinebis: quavis ille maledicendi utebatur occasione tamquam si sic amicitiam novo quodam condiret artificio. Mnem. 1909, 309.

68 D Nihil est absurdius quam in hilari convivio graves movere de rebus gravibus quaestiones:

εὐδίᾳ γὰρ ἐπάγει νέφος ὁ κινῶν ἐν παιδιᾷ καὶ φιλοφροσύνῃ λόγον ὀφρῦν ἀνασπῶντα καὶ συνιστάντα τὸ πρόσωπον, ὥσπερ ἀντιτατττόμενον τῷ Λυαίῳ θεῷ καὶ „λύοντι τὸ τῶν δυσφόρων σκύνιον μεριμνᾶν" κατὰ Πίνδαρον.

Qui sic in convivio agit, *ipse* ut opinor, se Baccho opponit. Lege ergo *ἀντιτατττόμενος* et, ut omnia bene cohaereant, *τῷ* pro ultimo *καί*. Mnem. 1909, 340.

ib. Sic disputationem suam de hoc argumento claudit scriptor:

καὶ ὅλως οὐκ ἔστι γενναῖον οὐδὲ θαρραλέον ἀλλ' ἄνανδρον ἐν τῷ νήφειν ἀπαρρησιάστου τὸ παρρησιάζεσθαι παρὰ τράπεζαν.

Genitivi illius ratio haudquaquam constat et omnino claudicat sententia. Sed lege *ἀπαρρησίαστον ὄντα*, egregie procedent omnia: „inter pocula libertate loquendi uti, cum sobrius non audes aperire mentem, turpe est et ignaviae documentum". Mnem. 1909, 340.

68 F *δεῖ μάλιστα παρρησιαζομένων φίλων τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τὸ ἄγαν ὑφιέντων τοῦ φρονήματος.*

Cur non sit huius loci *ὑφιέναι τοῦ φρονήματος* et quando recte illud dicatur exemplis quam maxime idoneis docet Wyttenbachius, cuius emendationem *ἀφαιρούντων* utique recipiendam censeo.

69 F Vehementi oratione est utendum cum opus est *ἀπροσεξίαν ἀνασχεῖν ἀνόητον*.

Nonne *κατασχεῖν* legendum est? Eiusmodi supinam negligentiam vi *continere* oportet et reprehensionis vinculo constringere. Sequentis vocabuli prima syllaba, ut saepe in Plutarchi textu, vitium peperit.

70 D Sincerus amicus et hoc argumento adversus peccantem utetur amicum: „propter inimicos pone vitia tua, quod si feceris, illi neque *στόμα διᾶραι* contra te poterunt, neque quidquam *προσειπεῖν*".

Digitized by Google

Absurde hic *salutandi* infertur vocabulum, quod in editoris quoque residebit coniectura προσεπειπεῖν, qua nihil proficimus. Unice verum est Reiskii προφέρειν.

70 F Socrates quendam vehementer ἐπὶ ταῖς τραπέζαις vituperabat.

Quid illud est? An: in foro, ubi sunt *mensae argentariorum*? Aptum illud huic loco sit, nam sequitur monuisse eum Platonem ut ἰδίᾳ potius id faceret. Sed exemplum in promptu non est.

71 D. Aristomenes Ptolemaei magister parum urbane discipulum excitavit legatis praesentibus obdormiscentem. Tum adulatores regis:

εἰ τοσαῦτα κοπιῶν καὶ ἀγρυπνῶν κατηνέχθης ἰδίᾳ σε νουθετεῖν ὀφείλομεν, οὐκ ἐναντίον ἀνθρώπων τοσούτων προσφέρειν τὰς χεῖρας.

Ad id solum quod *illo fiebat tempore* dictum illud adulatorum pertinet, quod vel maxime ex κατηνέχθης (obdormivisti) apparet. Lege ergo ὤφειλεν. Mnem. 1909, 272.

ib. Ἀριστοφάνης δὲ καὶ τὸν Κλέωνα τοῦτ' ἐγκαλεῖν φησιν ὅτι ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγει καὶ παροξύνει τοὺς Ἀθηναίους.

Plane absurdus foret Cleon, si vitio dedisset Aristophani, non quod rempublicam Atheniensium in hospitum adduxisset contemptionem, sed quod Athenienses irritasset. Sed hoc dicit Aristophanes: „Vitio mihi dat Cleon quod praesentibus hospitibus maledixerim reipublicae, et sic Athenienses in me irritat". Rectissime ergo Wyttenbachius παροξύνειν, quam emendationem ne commemorat quidem editor.

71 E Quod Corinthios de se dicentes facit Thucydides ὡς ἄξιοί εἰσιν ἑτέροις ἐπενεγκεῖν ψόγον, οὐ κακῶς εἰρημένον, ἔδει παρεῖναι τοῖς παρρησιαζομένοις.

Non, ut opinor, ea re carent omnes qui libertate loquendi utuntur; sed quicunque alium vituperat hoc habere debet. Lege ergo δεῖ.

71 E Exemplo allato mordacis in Megarenses dicti: οἱ λόγοι ὑμῶν πόλεως δέονται, sic noster pergit: „παρρησία δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἤθους ἴσως δεῖται, sed maxime eius qui alium castigat".

Quis hic *dubitationi* locus sit non video; certissimum enim illud est *bonis moribus* esse oportere eum qui libere quae sentiat

Digitized by Google

velit proloqui. Sed neque nudo ἦθος *boni* mores indicantur. Suspicor ergo istud ἴσως in vocabuli quale est χρηστοῦ irrepsisse sedem.

72 B Inutilem suam ipse reddit admonitionem qui omni labe purus videri tentat. ὅθεν οὐχ ἁπλῶς ὁ Φοίνιξ ἐνέβαλε τὰ περὶ αὐτὸν ἀτυχήματα.

Aptissimam praebent interpretes sententiam sic vertentes: „haud abs re" et „haud temere" et „non sine causa", sed simul sic aptissimum praebent argumentum coniecturae meae ἄλλως pro ἁπλῶς quam proposui Mnem. 1909, 340.

73 A Qui in omnibus rebus, etiam levissimis, adversus amicum non lenem se benevolumque amicum sed tristem severumque praebuit magistrum ἀμβλὺς ἐν τοῖς μεγίστοις νουθετῶν ἔσται καὶ ἄπρακτος, ὥσπερ ἰατρὸς δριμὺ Φάρμακον ἢ πικρὸν ἀναγκαῖον δὲ καὶ πολυτελὲς εἰς πολλὰ καὶ μικρὰ καὶ οὐκ ἀναγκαῖα διελὼν τῇ παρρησίᾳ κατακεχρημένος.

Ad διελών Wyttenbachius annotat abesse illud posse et abesse in multis mss. Sed sic ipsa perturbatur disiiciturque syntaxis. Alia vero mihi non abesse *posse* sed *debere* videntur: τῇ παρρησίᾳ κατακεχρημένος: „in gravissimis rebus omni carebit successu talis monitor, ut medicus qui medicamentum in multas partes divisit (ita ut omnem vim amitteret)". Est illud medicamentum vel acerbum vel amarum, sed est necessarium et magno constat (ita ut parce eo sit utendum doleamusque si frustra pereat). Poteratne ulla excogitari metaphora elegantior aptiorque ad depingendam parrhesiam, simulque perspicua magis? Quid ergo eam corrumpamus inutilem addendo interpretationem?

73 B Continuo sic pergit:

αὐτὸς μὲν οὖν σφόδρα φυλάξεται τὸ συνεχὲς καὶ Φιλαίτιον.

Si vero alium viderit levissima quaeque severe castigantem, hac utetur occasione ad graviora notanda.

Quod ad sententiam pertinet rectissime (ut fere semper) Reiskius τὸ συνεχὲς τοῦ Φιλαιτίου proposuit. Lenius tamen sit τὸ συνεχὲς Φιλαίτιον. An id non est Graecum et συνεχῶς legendum?

Atque sic ineptum illum censorem alloquitur: „quid hic de amici ludis iocisque, in quibus aut nihil aut non multum mali est, loquimur?"

Digitized by Google

ἀποπεμψάσθω τὴν ἑταίραν ἢ παυσάσθω κυβεύων, καὶ τἄλλα θαυμαστὸς ἡμῖν ἄνθρωπός ἐστιν.

Editoris est, ut equidem opinor, non in calce paginae annotare H. quendam hic *ἔσται* coniecisse, sed emendationem eius, ut egregiam certamque, cum grati animi testificatione in textum recipere.

73 E *οὔτ' ἀρνουμένους δεῖ πικρῶς ἐξελέγχειν οὔτε κωλύειν ἀπολογουμένους, ἀλλὰ καὶ προφάσεις εὐσχήμονας ἀμωσγέπως συνεκπορίζειν καὶ τῆς χείρονος αἰτίας ἀφισταμένους αὐτοὺς ἐνδιδόναι μετριωτέραν.*

Praeclarum hoc humanissimumque praeceptum prorsus pessumdat editor in textum recipienda Hauptii coniectura *ἀφισταμένοις*, qua nihil excogitari potest falsius. Quam sincerum esset *ἀφισταμένους* docuit Wyttenbachius annotando: „referendum ad reprehendentes non ad reprehensos" et deinde illud *ἀφίστασθαι* vertendo: „desistere a". Paulo tamen accuratius fortasse fuerit: „missam facere". Nam humanus ille censor missam faciet causam peccati turpiorem et ex honestiore illud causa natum finget. Sic Hector fecit cum Paridem fingeret non ignavia sed ira motum e proelio recessisse.

74 A Lenioribus vocabulis in castigando est utendum, non suo sunt nomine vitia appellanda:

τοιοῦτον γὰρ ἡ θεραπευτικὴ παρρησία ζητεῖ τρόπον, ἡ δὲ πρακτικὴ τὸν ἐναντίον.

Nunquam vidi duas res ineptius inter se oppositas quam *τὸ θεραπευτικόν* et *τὸ πρακτικόν*. Quasi vero non nunc quoque *θεραπεία* dicatur ea disciplina qua tota medici *πρᾶξις* nitatur. Prorsus idem ergo est *θεραπευτικόν* esse et *πρακτικόν*. Sed quae *παρρησία* recte illi opponitur quae *θεραπεύει*, id est quae hoc sibi habet propositum ut curet, levet, tollat morbum? Ut opinor ea quae Demeae Terentiani instar: *clamat* saepe „Micio

cur perdis adolescentem nobis, cur amat
cur potat, cur tu his rebus sumptum suggeris?"

Demea enim conviciis onerare filium vult, de sanando eo ne cogitat quidem. Missum ergo faciamus editoris *ἐπακτική*, quod quid sibi velit non video, et lenissima emendatione *κρακτική* legamus. Mnem. 1910, 50.

Ib. Inde ad aliud boni et sinceri monitoris transit artificium.

Digitized by Google

„Saepe deficientes" ait „incitare debemus turpi causa cur deficiant fingenda; dummodo sint veri honoris amantes sic certe excitabuntur e somno suo". Sic agere nos oportet *ὅταν .... ἢ μέλλοντας ἁμαρτάνειν ἐκκροῦσαι δεήσῃ ἢ πρὸς ὁρμήν τινα βίαιον ἱσταμένους ἐξ ἐναντίας φερομένην ἢ πρὸς τὰ καλὰ μαλακῶς καὶ ἀπροθύμως ἔχοντας ἐντεῖναι καὶ παρορμῆσαι βελήσωμεν.*

Nonne haec recte inter se opponuntur? Alii a peccato sunt repellendi, alii, qui haesitant pavitantve, incitandi. Quid ergo sibi vult editor *ἤ* (ante *πρὸς ὁρμήν*) delendo? An ne hiatus existat, sensu cassa Plutarcho obtrudamus? De *ἱσταμένους* dubitari potest. Requiritur enim aliquid quod homines significet adversus molestias metu ignaviaque subsistentes neque progredi audentes; et *ἵστασθαι πρός τι* contrarium potius significat. Vide exempla disertissima apud Wyttenbachium. Ecquid *ὑφισταμένους*?

Sic apud Sophoclem Ulysses Achillem incitans eum *οὔ φησιν ὀργίζεσθαι διὰ τὸ δεῖπνον ἀλλ'*

„ἤδη" φησί „τὰ Τροίας εἰσορῶν ἐδώλια
δέδοικας".

Nollem hic Wyttenbachius cogitasset de reponendis vocabulis quibus *nomen fabulae* indicaretur. Nam utique nobis opus est *causa* aliqua quae recte apteque *turpi metus causae* opponatur, quae versui citato inest. Qualem autem illam esse oportet? Ut opinor, levem aliquam et ludicram. Perquam ergo mihi verisimile videtur id quod reicit Wyttenbachius: „nisi ergo" ait „ut in Satyrico dramate, hoc ridiculi causa finxit poeta, pro celebrata illa irae causa propter raptam Briseidem frustrationem coenae aut similem iocularem causam substituens; nisi, inquam, hoc fecerit poeta, de quo statuere non possumus, haud inepta sit suspicio, haec verba a Plutarcho ita *ἐν τῷ Δείπνῳ* nomini *Σοφοκλεῖ* subiecta, vel a quodam librario profecta fuisse".

Non *inepta* certe; talia in Wyttenbachii suspiciones non cadunt vocabula! Sed minime utilis. Quidni enim hoc fingamus? Et, ut iam dixi, deleta *causae alicuius* significatione totus locus sensu cassus fit.

74 C „Oportet aut, si quis salvus esse vult", Diogenes ait „amicos habeat bonos aut inimicos vehementes: illi enim docent, hi arguunt". In deliciis Plutarcho hoc dictum fuisse videtur, quod modo Diogeni assignat modo Antistheni, modo sic refert

Digitized by Google

ut unus amicus et unus inimicus commendetur, modo ut plures. Insigne hoc exemplum — quandoquidem de re hic agitur quam prae ceteris ei cordi fuisse apparet — quam parvi semper et ubique Plutarchus fecerit doctam *ἀκρίβειαν*. Sed hoc *ἐν παρέργῳ*. Philosophi Cynici dicto haec adiicit ipse:

βέλτιον δὲ τὰς ἁμαρτίας φυλάττεσθαι τοῖς συμβουλεύουσι πειθόμενον ἢ μετανοεῖν ἁμαρτάνοντα διὰ τοὺς κακῶς λέγοντας.

„Seram" dicere poenitentiam cuiusvis est, tam docti quam indocti. Neque Plutarcho aliter visum unquam crediderim. Sed nunc a communi omnium opinione recedit qui poenitentia aliquem affici faciat *dum peccat*; recedit? Immo invitissimus abstrahitur. Nam in Didotiana et apud Wyttenbachium recte *ἁμαρτόντα* legitur, apud novum editorem *ἁμαρτάνοντα*. Illud ergo quantocius in integrum restituamus! Quid enim certius quam sic a Plutarcho illustrari Cynici dictum: „sed praestat non peccare bene monentibus obtemperantem, quam postquam peccaveris poenitentia affici, non solum sera sed ne vera quidem, quandoquidem non te pudet peccasse sed tantummodo reprehensionem metuis".

Operarii errorem, ut opinor, deprehendimus in iis quae statim adduntur:

καὶ διὰ τοῦτο δεῖ καὶ περὶ τὴν παρρησίαν φιλοτεχνεῖν, ὅσῳ μέγιστόν ἐστι καὶ κράτιστον ἐν φιλίᾳ φάρμακον, εὐστοχίας τε καιροῦ μάλιστα καὶ κράσεως μέτρον ἐχούσης ἀεὶ δεομένην.

Praeclara profecto sententia! „Oportet dicendi libertatem tamquam artem subtilissimam artificiose tractare; nam quo efficacius illud est medicamentum, eo accuratius opera danda est ut suo adhibeatur tempore et suam sibi habeat temperationem". Sed sensu cassa fit lectione *δεομένη* quam novus editor praebet.

QUOMODO QUIS SUOS IN VIRTUTE SENTIAT PROFECTUS.

En doctam docti diatriben! Nimirum scripsit eam philosophus philosopho, senex seni, Sossio Senecioni, qui consul fuit et aliis annis et 107. Ergo et paulo impeditior difficiliorque oratio,

Digitized by Google

praesertim in septem capitibus primis. Operam enim dat scriptor ut quam maxime idonea refutet disputatione philosophos illos quos, quamvis multa cum iis habeat communia, prorsus ferre non possit, Stoicos. Accusat eos quod totam philosophiam πολλῶν ἀτοπιῶν ἐμπεπλήκασι. Sic enim legendum ut et 1089 D, ubi Epicurei inducuntur suarum ipsi αἰσθόμενοι ἀτοπιῶν. Nam quod traditum est ἀποριῶν, eas neque Plutarchus neque quisquam antiquorum philosophorum metuit unquam. Immo quo plures ἀπορίαι eo plures λύσεις, eoque maior laus.

Atque omnes illae Stoicorum *ineptiae* inde nascuntur quod proverbium illud ceteroquin prudens verumque:

lapides ad amussim dirige, haud amussim ad hos

ad philosophiam transferunt ideoque non, quemadmodum oportebat, e rebus quas observant normam quandam efficiunt, sed res ipsas distrahunt torquentque ut normae respondeant, quam excogitarunt ipsi [1]).

Longe ab isto rigore Stoico lenis noster placidusque mentium medicus afuit semper. Sed nusquam magis quam hic mite suum et amabile prodit ingenium. In hoc enim libello legitur sententiola illa, qua nulla in omnibus illis voluminibus invenitur aptior ad legentium animos deleniendos permulcendosque. An non amemus philosophum qui sic disputavit (p. 85 D): „tum vel maxime aliquis se in virtute profecisse intelligit, cum subito ei in mentem venit sic secum loqui: quam vellem pater me meus talem videre potuisset"?

Profecto nunc tota illa gens Chaeronensis nobis stat ante oculos, progenies illa Lampria, omnium quotquot fuerunt senum lepidissimo, digna.

Sed omnino, quemadmodum iam dicebam, est docta docti diatribe et viro docto scripta est. Desunt flosculi illi oratorii, quibus capiuntur *auditores*; non abundant narratiunculae. Et quae proponuntur — duae illae sunt: de Diogene quem mures ad sanam mentem redegerint (77 E) et de Stilpone ipsum deum feliciter

---

1) Paulo verbosius hic initium capitis 2 ἀλλ' ὀρθῶς μὲν ... ἐμπεπλήκασι τὴν φιλοσοφίαν retuli, quia periculum est ne prave accipiatur. Bene ab interprete Didotiano intellectum affirmare non ausim. Sic decurrit illud: „recte *quidem* habet proverbium, *sed* Stoici ita agentes philosophiam impleverunt ineptiis". In deliciis Plutarcho haec transitionis figura.

Digitized by Google

vituperante (83 D) lepidissimae quidem sunt sed minime decantatae. Sed — et sic ad haec usque tempora salvus evasit libellus — patronum nactus est potentem opulentumque, qui laetus honore quo affectus esset a claro philosopho, neque ipsum, ut opinor, scriptorem sine honore dimiserit, et a servis suis literatis multa libelli describi exemplaria iusserit, quo factum est ut in multorum perveniret doctorum manus. Nunc nos operam demus ut paulo saltem „emendatior" prodire possit „editio".

75 C „Quid" sic fere ratiocinandi facit initium noster „discere prodest si non sentis stultitiam tuam imminui, quid curari si non levaris morti pondere?" Tum haec exempla sic in suum usum convertit:

ἀλλ' ὥσπερ ἐν τούτοις οὐ προκόπτουσιν, ἂν προκόπτοντες ἀνέσει τοῦ βαρύνοντος οἷον ἐπὶ ζυγοῦ πρὸς τοὐναντίον ἀναφερόμενοι μὴ γιγνώσκωσι τὴν μεταβολήν, οὕτως ἐν τῷ φιλοσοφεῖν κτἑ.

Impeditior, ut saepe in hisce paginis, structura; sic enim decurrit sententia: *ἂν μὴ γιγνώσκωσι τὴν μεταβολήν, ἀνέσει ... ἀναφερόμενοι.* Sed non, ut opinor, ita se verbis suis ipse impedivit Plutarchus ut se sibimet ipsi obloqui non sentiret. Quid enim absurdius cogitari potest quam hoc: „hi vel illi homines *non proficiunt*, si *proficientes* non sentiunt mutationem"? Quantocius illud *προκόπτοντες* expunge. Quam sit inepta lectio tradita documento sunt interpretis Didotiani verba: „sed ut in his rebus *profectus nullus* est, nisi *inter proficiendum* ... mutatio sentiatur". Sed et in Graecis ipsa vicinia verborum *οὐ προκόπτουσιν* et *προκόπτοντες* manifesto prodit falsarium.

75 D Sapiens ille Stoicus

ἀκαρῆ χρόνου a summa pravitate ad summam pervenit virtutem.

Sic, et *ἀκαρεί*, est in codicibus. Editor Graecus *ἀκαρές* dedit. Nonne lenior meliorque foret emendatio *ἐν ἀκαρεῖ*? Novimus omnes Aristophanem illud:

γυμνὸς θύραζ' ἐξέπεσον ἐν ἀκαρεῖ χρόνου.

Idem ille *ἧς οὐδ' ἐν χρόνῳ πολλῷ μέρος ἀφεῖλε κακίας ἅμα πᾶσαν ἐξαίφνης ἐκπέφευγε.* De *ἀφεῖλε* dubito. Ad sensum recte vertit Didotianus: „cuius vitiositatis partem ... *abiecerit*". Sed num *ἀφεῖλε* illud significare potest? Nonne *ἀφεῖκε* legendum? Nam et perfecto hic opus esse videtur.

Digitized by Google

Sed non dubito quin iusto exilius sit *μέρος*. Non pars, sed *parva* pars hic requiritur. Habebimus hanc et eleganter quidem enuntiatam, si post *πολλῷ* restituerimus *πολλοστόν*: „magno temporis spatio ne minimam quidem partem".

76 A „Maxima vero Stoicorum *ἀτοπία* ea est quae, uno illo perfecto sapiente excepto, omnes homines in una *collocat* pravitate". (Quo iure hic medium *τιθεμένης* legatur non video; exspectem *τιθείσης*). Hanc ergo *ἀτοπίαν* sic describit:

ὑφ' ἧς αἴνιγμα γέγονεν ἡ λεγομένη προκοπή, μικρὸν ἀπολείπουσα ἀφροσύνης ἐσχάτης.

Si recte haec intelligo, *vocabulo* quidem, quod est *προκοπή*, utuntur Stoici sed hoc sensu ut *subitus* eo indicetur *transitus* a summa pravitate ad ipsam virtutem. Sed dubito, augeturque dubitatio duro hiatu *ἀπολείπουσα ἀφροσύνης*.

76 B Plutarcho auctore *sensim* emendatur homo

τοῦ λόγου διαφωτίζοντος ἀτρέμα τὴν ψυχήν.

Fortiter et *firmiter* potius *ἀτρέμα* significat quam, quo hic opus est, *sensim* leniterque. Lege ergo *ἠρέμα*.

76 D *αἱ δ' ἀνωμαλίαι καὶ ἀμβλύτητες τῶν φιλοσοφούντων οὐ μόνας ποιοῦσιν ἐποχὰς ὥσπερ ἐν ὁδῷ τῆς προκοπῆς, ἀλλὰ καὶ ἀναλύσεις.*

„Non solum ... sed etiam". Si hoc Plutarchus voluisset, haud dubie *οὐ μόνον* scripsisset. Sed non voluit, verum id quod acutissime vidit Wyttenbachius: *οὐ μονὰς ποιοῦσιν οὐδ' ἐποχάς*.

76 E *ἂν οὖν ... συνίδῃς σεαυτὸν ἡμέρας τε καὶ νύκτωρ ἀεὶ τῇ κακίᾳ διαμεμαχημένον.*

Si Reiskii est, ut refert editor, istud *συνίδῃς*, hic, quod raro acutissimo accidit viro, locum sanum corrupit. Rectissime enim codices *συνειδῇς* praebent. *Conscientiam* hic significari opus est.

Sic locus continuatur:

ἢ μὴ πολλάκις γε τὴν φρουρὰν ἀνεικότα μηδὲ συνεχῶς παρ' αὐτῆς οἱονεὶ κήρυκας ἡδονάς τινας ἢ ῥᾳστώνας ἢ ἀσχολίας ἐπὶ σπονδαῖς προσδεδεγμένον

bono tibi animo pergere licet.

Primum hic ab Emperio recipiendum *συχνῶς* est: „non saepe vel frequenter". Hoc requiritur; nam qui *perpetuo* relabitur ad pravitatem, is nihil proficit. Sed et alia opus est emendatione ut imaginis constet ratio: qui in virtute remittit, intervallum

Digitized by Google

quoddam fieri patitur per quod voluptates ad ipsum accedant (sic vel maxime sentis, lector, quam necessaria sit Emperii emendatio modo commemorata: etenim si *perpetuum* illud fit intervallum, ad virtutem reditur *nunquam*); illud intervallum comparatur cum induciis, *per quas* hostis praecones (hostis autem vitium est, eius praecones sunt voluptates) admittuntur. Iam *sunt* induciae, non *de* induciis agitur. Lege ergo ἐν σπονδαῖς.

Tum haec opponit scriptor modo dictis:

οὐ μὴν ἀλλὰ κἂν ᾖ διαλείμματα γιγνόμενα τοῦ φιλοσοφεῖν, τὰ δ' ὕστερα τῶν πρότερον ἑδραιότερα καὶ μακρότερα

hoc quoque signum est sensim a te expelli pravitatem.

Manifestum huius loci vitium sic abscondit interpres Didotianus: „quin etiam si feceris aliquas philosophandi intercapedines, ita tamen ut posteriora *tua studia* prioribus constantiora fuerint ac prolixiora". Quo facto sanum quidem sensum praebet, sed sumit aliquid a scriptore quod non offert ille. Ubinam enim istud *tua studia* legitur? Nusquam ut opinor; sed ut nunc se locus habet, comparativos istos ἑδραιότερα et μακρότερα ad ὕστερα διαλείμματα referre cogimur, ita ut contrarium obtineamus eius quo opus est. Miros enim *profectus* facit iste qui semper *longiora* admittit intervalla virtutis. Neque alio modo sanari locus potest quam hac transpositione: τὰ δὲ πρότερα τῶν ὑστέρων.

77 B τῷ δ' εὖτε πτερὰ γίγνετο

ei nimirum qui nunc opponitur illis qui deficiunt quoniam nullos sentiunt profectus.

Cur autem illi alae crescunt? δι' ὠφέλειαν φερομένῳ καὶ διακόπτοντι τὰς προφάσεις quia profectum sentiens fortis fit et impletur spe. Sed quid est δι' ὠφέλειαν φέρεσθαι? Nihil, ut opinor. Editor ne commemorat quidem Wyttenbachii emendationem, quae in textum fuerat recipienda δι' ἀσφάλειαν. Hoc opus est: illi homines firmo incedunt pede et in cursu suo, sive volatum dicere mavis, non remittunt.

ib. Quemadmodum incipientis amoris indicium est τὸ δάκνεσθαι καὶ ἀλγεῖν ἀποσπώμενον (ab eo quod amat), οὕτως ἄγονται μὲν ὑπὸ φιλοσοφίας πολλοὶ καὶ σφόδρα γε φιλοτίμως ἀντιλαμβάνεσθαι τοῦ μανθάνειν δοκοῦσιν, ἂν δ' ἀπέλθωσιν ὑπὸ πραγμάτων ἄλλων καὶ ἀσχολιῶν non graviter ferunt; contra qui vere amat philosophiam e. q. s.

Digitized by Google

Quidni e praecedentibus repetamus verbum et *ἀποσπασθῶσιν* legamus? Nam neque *ἀπιέναι* fit ab invito et *ἀπέλθωσιν ὑπὸ πραγμάτων* absurdum est.

Vere ergo qui amat philosophiam quamdiu philosophatur lenis est placidusque, *ὅταν δὲ ἀποσπασθῇ* (iure hic quoque illud verbum legitur) *θεῷ φλεγόμενον καὶ ἀδημονοῦντα καὶ δυσκολαίνοντα πᾶσι πράγμασι καὶ ἀσχολίαις, λήθῃ δὲ φίλων ὥσπερ ἄλογος ἐλαύνεται πόθῳ τῷ πρὸς φιλοσοφίαν.*

Egregius hic locus, qualem eum exhibent editiones Wyttenbachiana et Didotiana; praeclara vero ultima: „amicorum suorum *immemor* tamquam insanus solo philosophiae desiderio propellitur". Quid ergo sibi velit editor pro *λήθῃ* nobis *μνήμῃ* obtrudens mysterii mihi instar est.

ib. Oportet *πείνῃ τινι καὶ δίψῃ πάθος ὅμοιον ἐν τοῖς ἀποσπασμοῖς πάσχοντας ἔχεσθαι τοῦ προκόπτοντος ἀληθῶς* sive nuptiae sive divitiae alio vocant.

Immo vero *τοὺς προκόπτοντας ἀληθῶς*, ut ad *ἔχεσθαι* mente suppleatur *τῆς φιλοσοφίας*. Nam *τὸ προκόπτον ἀληθῶς* nihil est.

77 D Antiquissimum profectus signum praebet Hesiodus, (*τὸ*) *μηκέτι προσάντη καὶ ὄρθιον ἄγαν ἀλλὰ ῥᾳδίαν καὶ λείαν καὶ δι' εὐπετείας εἶναι τὴν ὁδόν, οἷον ἐκλειαινομένην τῇ ἀσκήσει καὶ φῶς ἐν τῷ φιλοσοφεῖν καὶ λαμπρότητα ποιοῦσαν ἐξ ἀπορίας καὶ πλάνης καὶ μεταμελειῶν.*

Rectene *ὁδὸς φῶς ποιεῖν* dicitur? Quid tamen leni mutatione pro *ποιοῦσαν* legi possit non invenio.

77 F Ceteris omnibus Atheniensibus feriarum tempore genio indulgentibus, Diogenes in suo angulo solus iacens

ἐνέπιπτεν εἰς λογισμοὺς τρέποντας αὐτὸν οὐκ ἀτρέμα καὶ θραύοντας.

Non, ut opinor, illae cogitationes eum *vertebant*, nihili enim istud, sed animum eius *torquebant* vulnerabantque. Lege ergo *στρέφοντας* (Mnem. 1910, 126). Et videndum annon hic quoque *ἠρέμα* requiratur: *οὐκ ἠρέμα*, non leniter, recte cum torquendi vulnerandique vobis iungitur.

78 A *οὐ μόνον ἐξ αὐτῶν τὰ κατασείοντα καὶ στρέφοντα πρὸς τοὐναντίον ὑπ' ἀσθενείας ἐπιτείνεται τοῖς φιλοσοφοῦσιν.*

Pro *ἐπιτείνεται*, cui nullus hic locus — absurde enim illud *ὑπ' ἀσθενείας* fieri dicitur — editor recepit Iunii coniecturam *ἐπι-*

Digitized by Google

γίγνεται. Malim ἐγγίγνεται: ex ipsis oritur, *in ipsis* nascitur.

78 B Etiam a recta via abducunt φίλων συμβουλαὶ μετὰ σπουδῆς καὶ διαφόρων ἀντιλήψεις ἐν γέλωτι καὶ παιδιᾷ γιγνόμεναι.

De διαφόρων dubito. Significanturne sic *aliter sentientes*? Nusquam alibi hoc sensu mihi vox lecta illa. An forte ἀδιαφόρων legendum, ut sit: „eorum qui nihili faciunt philosophiam, qui nullo eius amore tanguntur"? Non possum quidem locum afferre ubi ἀδιάφορος genere masculino vel feminino legatur, sed Stoicorum ἀδιαφορία πρός τι satis *homines* quoque ἀδιαφόρους tutatur. Neque minus bonum praebet sensum lectio nostra, si ἀδιαφόρων accipimus tamquam *neutrius generis* genitivum pluralem; nam etiam *res mediae*, quae sunt fere quotidiani labores vulgaresque occupationes, saepe nos retinent (ἀντιλαμβάνονται) a philosophia, idque cum risu iocoque. Neque incredibile Plutarchum, licet Stoicos hic impugnet, tamen illud ab iis sumere vocabulum. Denique: quod traditum est διαφόρων aptum sensum non praebet, et καὶ διαφόρων in κἀδιαφόρων mutare certe lenissima est emendatio. Quapropter nolui silentio premere quod in mentem venerat.

79 A Plerique adolescentes ab iis philosophiae partibus faciunt initium unde nihil emolumenti capiunt, donec tandem aliquando κατάστασιν ὑγιεινὴν ἡ κρίσις λαβοῦσα τοῖς ἤθος ἐμποιοῦσι καὶ μέγεθος ἄρξηται συμφέρεσθαι.

In Graeca editione omissum est ὑγιεινήν, errore, ut opinor, nam carere eo prorsus non possumus. Ultimum quod citavi verbum significat: *versari in aliqua re*.

79 B ὁ Σοφοκλῆς ἔλεγε τὸν Αἰσχύλου διαπεπαιχὼς ὄγκον εἶτα τὸ πικρὸν καὶ κατάτεχνον τῆς αὐτοῦ κατασκευῆς τρίτον ἤδη τὸ τῆς λέξεως μεταβάλλειν εἶδος ὅπερ ἠθικώτατόν ἐστι καὶ βέλτιστον.

Pro διαπεπαιχώς Herwerdenus διαπεπαικώς, recte, si „excutiendi" vim illud verbum recipit. Sed et aliis vitiis hic laborat locus. Primum πικρόν (acerbum, haud maturum) Aeschyli *incultum rudemque* notat apparatum, ergo cum κατάτεχνον, quod *nimis artificiosum* significat, haudquaquam iungi potest. Sed hoc quidem nullo negotio emendatur: solito enim in Plutarchi textu vitio natum est e vocabuli κατασκευῆς vicinia et κἄτεχνον resti tuendum. Deinde post κατασκευῆς excidit aliquod participium perfectum verbi quod *excolere* significet. Ipsum verbum non praesto, sed iam additum fingamus id quo hic opus est (ἐκτε-

Digitized by Google

θεραπευκώς vel eiusmodi aliquid). Videamus de reliquis. Dubium non est quin μεταβάλλειν significet: „mutando assumere", ut hoc dicat Sophocles: „excusso fastu Aeschyli, excultoque eius apparatu nimis rudi, tertium assumo sermonis genus quod personarum moribus depingendis maxime est accommodatum". Egregie haec procedunt omnia. Sed additur etiam καὶ βέλτιστον quo quid faciam nescio. Nimis languidum illud, immo sensu cassum, esse constat et requiri aliquod adiectivi ἠθικώτατον synonymum. Haud opus videtur cum Bernhardyo μεταλαβεῖν legere pro μεταβάλλειν, nam hoc quoque verbum illud „mutando assumere", quo hic opus est, significare potest, et quidni Sophoclem narrantem faciamus de re quam, non *perfecerit*, sed cum maxime *faciat* atque adeo *facere incipiat*?

79 F Maxime proficiunt homines non solum, ut ait Thucydides, μετὰ κινδύνων ποιούμενοι τὰς μελέτας, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἡδονὰς καὶ πρὸς ἔριδας καὶ περὶ κρίσεις καὶ συνηγορίας καὶ ἀρχὰς οἷον ἀπόδειξιν αὐτοῖς τῶν δογμάτων διδόντες.

Varietas ista praepositionum quid sibi velit non video. Deleto περί locus fit elegantior magisque perspicuus.

80 A ὡς τούς γε μανθάνοντας ἔτι καὶ πραγματευομένους καὶ σκοποῦντας ὃ λαβόντες ἐκ Φιλοσοφίας εὐθὺς εἰς ἀγορὰν ἢ νέων διατριβὴν ἢ βασιλικὸν συμπόσιον ἐκκυκλήσουσι non oportet *philosophos* dicere, quemadmodum neque medicos appellamus qui medicamenta venditant.

Sermo est de iis qui, *dum discunt* etiam, iam deliberant quomodo doctrinam illam in usum suum, immo in lucrum et delectationem, possint convertere. Tum eos hic habebis descriptos si καί, quod post ἔτι legitur, deleveris. Raro scioli intactum reliquerunt locum ubi participium participio esset „subordinatum".

80 B Nosmet ipsos observemus εἰ χρώμεθα τῷ λόγῳ πρὸς ἑαυτοὺς μὲν χρηστικῶς πρὸς ἑτέρους δὲ μὴ δόξης εἰκαίας ἕνεκα, μηδ' ἐκ φιλοτιμίας, ἀλλὰ μᾶλλον ἀκοῦσαί τι καὶ διδάξαι βουλόμενοι.

Is revera sapientiam sibi parare studet qui audire (et discere) mavult *quam* docere alios. Lege ergo ἀκοῦσαί τι ἢ διδάξαι. Vitium natum e proxime sequentibus, ubi salsissime litigiosi disceptatores cum pugilibus comparantur, utpote τῷ πατάξαι καὶ καταβαλεῖν μᾶλλον ἢ τῷ μαθεῖν τι καὶ διδάξαι χαίροντες, ubi καί rectissime habet: qui revera philosophantur in dispu-

Digitized by Google

tationibus dant operam ut doceant adversarium et ab eo discant, sed imitatatores isti de nulla alia re quam de victoria reportanda cogitant.

80 D Tum nostros in dicendo sentimus profectus cum non, orationem ad populum habentes, dum vocabulum quaerimus, ipsam rem nobis elabi sinimus, *οἷα περὶ Δημοσθένους λέγουσι καὶ Ἀλκιβιάδου.* Is enim (Alcibiades) saepe explosus est quia vocabulum quaerens haerebat. Opponitur Homerus qui sua fretus facultate *τὸν πρῶτον οὐ διηνέχθη τῶν στίχων ἐξενεγκὼν ἄμετρον.* Hic *οὐ διηνέχθη* equidem latine verterim: *non curavit* (= *οὐ διήνεγκεν αὐτῷ* cf. Dem. Phil. 3 § 8: *Φάσκειν δ' εἰρήνην ἄγειν, εἰ βούλεσθε, ὥσπερ ἐκεῖνος, οὐ διαΦέρομαι* i. e. per me licet pacem hoc agere dicatis, non intercedo). Sed haud dubie post narrationem de Alcibiade (ergo post vocem *ἐξέπιπτεν*) *lacunae* fuerat ponendum signum. Iure enim Wyttenbachius observat excidisse id quod de Demosthene tradidit Plutarchus.

81 A *ἔστιν οὖν τοῦ προκόπτοντος*, quidquid recte et ordine fecit secum servare; *οὗτος γὰρ αὐτὸς εὐδοκιμῶν παρ' αὐτῷ μὴ καταΦρονῶν ἀλλὰ χαίρων κἀγαπῶν ὡς ἱκανὸς ὢν μάρτυς ἅμα καὶ θεατὴς τῶν καλῶν*, documentum dat bene fundatae et confirmatae sapientiae.

Locum pulcherrime structum disturbavit editor *οὕτω* pro *οὗτος* legendo.

81 F *τῶν νοίνυν δεομένων ἰατρείας οἱ μὲν ὀδόντα πονοῦντες ἢ δάκτυλον αὐτόθεν βαδίζουσι παρὰ τοὺς θεραπεύοντας, οἱ δὲ πυρεττοντες οἴκαδε καλοῦσι καὶ δέονται βοηθεῖν*, sed qui mentis laborant morbo ne admittunt quidem ad se medicos.

Aut veram lectionem *αὐτοί* hic servavit Basilius, quem citat Wyttenbachius, aut *αὐτόθεν* significat *sponte*, ut utrique, tam qui ad medicum eunt quam qui eum arcessunt *sponte* agere dicantur.

82 A Certum est proficientis signum *τὸ τὴν μοχθηρίαν ἀποκαλύπτειν.*

Sic recte ét Wyttenbachius ét Didotiana legunt. Absurdum nobis compositum *διακαλύπτειν* novus praebet editor.

82 B *ἄχρι δ' οὗ τις ἐπιδεικνύμενος ῥύπον ἢ κηλῖδα χιτῶνος ἢ διερρωγὸς ὑπόδημα καλλωπίζεται πρὸς τοὺς ἐκτός*, vel etiam de sua iocatur statura, *sed* mentis vitia abscondere studet, enm nihil profecisse apparet.

Digitized by Google

Ut recte hic res inter se *opponantur* et omnino ut totius sententiae constet ratio, utique post ἐπιδεικνύμενος inserenda est particula μέν, quae haplographia excidit.

82 C Oportet quidem et *famam* vitare malam:

ὁ δὲ τὴν οὐσίαν μᾶλλον τῆς μοχθηρίας ἢ τὴν ἀδοξίαν δυσχεραίνων οὐ φεύγει τὸ κακῶς ἀκοῦσαι καὶ εἰπεῖν ἐπὶ τῷ βέλτιον γενέσθαι.

Verbo *maledicendi* hic nullus locus; sed non opus est delendis vocabulis καὶ εἰπεῖν admittere hiatum; persanatur enim morbus *addendo* ἑαυτόν post εἰπεῖν. Hoc opus esse proxime praecedentia docent ubi primum esse dicitur τὸ ἑαυτὸν ἀλγύνειν ἁμαρτάνοντα (l. ἁμαρτόντα) καὶ κακίζειν, secundum semet vituperandum praebere aliis.

ib. Nulla re magis commendatur Plutarchi philosophia quam suavissimis illis narratiunculis quibus praecepta sua condit. Habent illae non solum ad rem de qua agitur illustrandam permultum utilitatis sed etiam propriam quandam et peculiarem venustatem. Quapropter qui amabilem illum mentium medicum bene cognitum habere cupit, is inter legendum semper sedulo observet quo ille iocorum et facetiarum genere maxime sit delectatus. Velut ea, ad quam iam pervenimus, revera est πλουταρχειοτάτη. Neque usquam alibi invenitur illa nisi in *Vitis X oratorum* p. 847 E, qui liber est e pseudo-Plutarcheis illis, qui non scripti quidem sunt a Plutarcho sed tamen illum praecipuum habent auctorem. Sed inepte mutilata illa est, et sic etiamnunc circumfertur, licet dudum sit inventa medicina, qua sola sanari possit. Prae tradita lectione spernitur ille et prae doctis remediis in quibus boni nihil est. Considebat adolescens quidam *in caupona* (ἐν καπηλείῳ); qui cum accedentem cerneret Diogenem, magistrum suum, confugit „in cauponam" (sic enim legitur εἰς τὸ καπηλεῖον). Conspexerat tamen eum philosophus et: „heus tu" clamabat „sic efficis ut magis etiam *in caupona* sis". Sensit librorum vitium editor Graecus, sed quam ille proponit emendationem εἰς τὸ καπηλεῖον ἔσω, ea non minus balbutientem nobis Plutarchum exhibet quam Wyttenbachianum illud εἴσω τοῦ καπηλείου. An sic narrasse lepidissimum praeceptorem Chaeronensem putemus: νεανίσκον ὀφθέντα μὲν ἐν καπηλείῳ καταφυγόντα δ' εἰς τὸ καπηλεῖον ἔσω, vel ὀφθέντα μὲν ἐν καπηλείῳ, καταφυγόντα δ' εἴσω τοῦ καπηλείου, vel denique ὀφθέντα μὲν

Digitized by Google

πρὸς καπηλείῳ καταφυγόντα δ' εἰς τὸ καπηλεῖον, quod eidem Wyttenbachio in mentem venit? Quem non, Graece haud nescium, ipse ille secundi membri *articulus*, quo prius caret, monere potest nullum aliud illic ferri *posse* substantivum quam quo *pars* cauponae significetur, atque illa quidem sine qua ne cogitari quidem caupona possit, denique eiusmodi substantivum quo ad eam partem notandam quivis uti soleat? Quae autem pars illa est? Opinor, *cella vinaria*. Quae cum semper et ubique sit *subterranea*, quid aptius loco nostro quam ὀφθέντα μὲν ἐν καπηλείῳ καταφυγόντα δ' εἰς τὸ κατάγειον, quod felicissimo acumine invenit Reiskius? Et quae potuit laboranti loco lenior adhiberi medicina? Sed Wyttenbachius quo quaeque erat Reiskii certior emendatio eo illam spernere solebat pertinacius.

„Mentium medicum" primus mortalium Plutarchum appellavit Lévèquius praeclaro illo libello, quem ante 8 annos seorsum edendum curavi [1]). Et egregie quidem in Chaeronensem nostrum convenit nomen illud, sed ipse eum alio tamen ornare nomine soleo, quod, nisi me fallit animus, magis in eum convenit. Quotiescunque enim in narratiunculam qualis haec est incido, ex eo genere quod prae ceteris in deliciis fuisse Plutarcho certa mihi stat sententia, intelligere mihi videor qua ratione ille gregem suae curae commissum abducere a vitio, adducere ad virtutem sit solitus. Et ante oculos meos exsurgunt egregii illi viri, quos puer vidi, amavi, suspexi, bonos fidosque plebis rusticanae pastores, et prae ceteris pater ipse meus. Stabat „pastoria domus" ad aggerem maris saepe tumultuantis arcentem impetus, et nulla ei vicina magis erat quam unica pagi caupona, illa quoque distans inde trecentos fere passus. Satis sobrii erant agricolae, quibus pater praeerat, modo unus eorum Baccho iusto magis erat deditus. Nunquam tamen ille in locum sibi praecipue dilectum veniebat quin ad fenestram consideret unde ad „pastoriam" liber esset prospectus, ita inter fenestram poculumque posito pileo, ut si forte pater intraret cum aedium magistra — quae eadem erat ludimagistri uxor — collocuturus, illud oculis eius posset subtrahere.

---

1) *Caroli Lévèquii* libellum aureum de Plutarcho mentis medico denuo edendum curavit J. J. H. L. B. apud Sythoffium a. 1903.

Digitized by Google

Memini me quondam solito maiores ibidem videre turbas solitoque maiores audire clamores cachinnosque. Anxie, tamquam si vitae instaret periculum, clamantem audiebamus seniorem quendam, e pagi patribus, fracti vitrei strepitus in cauponae fiebat vestibulo, carpentum avolabat, flagellum huc illuc agitabat magister. Quid enim factum erat? Ad mercatum rusticus ille gravis et venerandus erat profectus sed in via substiterat ad sitim pellendam. Vix poculum manibus tenebat cum retro flectens oculos ex aedibus exeuntem patrem meum conspicit et „domina, domina, accipe" clamat „pastor venit". Sed de industria non audit domina, ludibrio habere hominem cupit. Qui de ebibendo poculo ne cogitans quidem illud quanta vi potest in ipsum abiicit vestibulum et caballum suum, mirantem, opinor, et ipsum, voce et flagris admonet ut nunc saltem currat, repere solitus. Quid deinde sit factum quaeris. Sat scio hominem domum reversum eodem a patre meo derisum modo quo discipulum suum derisit Diogenes ille Plutarcheus.

82 E *καὶ μὴν τά γε Βίαντος καὶ Πύρρωνος οὐ προκοπῆς ἄν τις ἀλλὰ μείζονος ἕξεως σημεῖα θεῖτο καὶ τελειοτέρας.*

Qui sit status et quae condicio mentis *maior* nescio, neque quaero. Nam video corruptum esse istud *μείζονος* utpote quod certe cum *τελειοτέρας* nullo modo iungi possit. Secunda sede mentio fit status *perfectioris*, quid priore legi potest? Ut opinor aliquod adiectivum quod idem significet sed lenius, ita ut fieri possit *gradatio* ad ipsum illud *perfectioris*. Illud „maioris" non est, sed est quid? Nondum *perfectus* aliquis est, sed tamen iam . . . *melior* quam ut satis sit eum *profecisse* dicere. Lege ergo *ἀλλ' ἀμείνονος* pro *ἀλλὰ μείζονος*.

83 A Etiam somnia mentem hominis produnt: *τοῦτο δὲ καὶ Πλάτων συνιδὼν πρότερος ἐξεμόρφωσε καὶ διετύπωσε τῇς Φύσει τυραννικῆς ψυχῆς τὸ φανταστικὸν καὶ ἄλογον οἷα κατὰ τοὺς ὕπνους δρᾷ.*

Non cohaerent haec. Sed quid fecit Plato? Tyrannicae mentis adumbravit imaginem *iis rebus usus* quas tyrannus in somno perpetrat. Lege ergo *οἷς* pro *οἷα*. (Mnem. 1908, 215).

83 D Lepidissimo lepidissime narrato Stilponis somnio sic pergit: si tam placida sunt somnia *ταῦτα τῆς προκοπῆς ἀπαυγασμούς τινας εἶναι λέγουσι.*

Digitized by Google

Qui hoc dicunt? Nulli in praecedentibus sunt commemorati ad quos illud λέγουσι ullo referri modo possit. Ipse Plutarchus hanc summam ex allatis conficit exemplis. Dubiumne ergo esse potest quin recte λέγομεν pro λέγουσι coniecerit Reiskius?

83 E Citato Platonis de somniis tyranni loco, allatoque Stilponis cum Neptuno colloquio sic fere noster hanc partem disputationis concludit: „aio ergo (οὖν) quorum tam sunt placida somnia quam fuit illud Stilponis, eos fecisse progressum qui quodammodo ex ipsis somniis resplendescat (τῆς προκοπῆς ἀπαυγασμούς τινας εἶναι), at qui nocte diris perturbatur spectaculis sic dat documentum se nondum propriam sibi fecisse virtutem sed formari etiam opinionibus et legibus, quibus per noctem solutus rursus in pristinum statum relabatur". Sed praeterea haec adduntur:

ταῦτα μὲν οὖν συνεπισκόπει καὶ αὐτός, εἴτε προκοπῆς ἐστιν εἴτε τινὸς ἕξεως ἤδη βεβαιότητα καὶ κράτος ἐχούσης ἐπὶ τοῖς λόγοις ἀσάλευτον

et tum denique ad alia transit (ἐπεὶ δέ).

Fuit cum putarem hic non Plutarchum loqui sed a lectore eum interpellari qui non *profectus* ista esse signa contendat sed mentis iam paene perfectae, utpote quae ad firmitatem pervenerit. Sed fortasse semet ipsum Plutarchus sic corrigit: „immo vero, ipse considera annon sint mentis haec maius aliquid quam est progressus consecutae". Atque ad maius illud describendum utitur imagine navis, quae in mediis fluctibus manet inconcussa (ἀσάλευτον). Apta profecto imago et nunc quoque usitatissima. Sed unum hic verbum non concoquo λόγοις. Quae est enim illa mentis condicio quae ἐπὶ τοῖς λόγοις inconcussum habet robur? Praepositio ἐπί documento est cum imagine nobis rem esse: quemadmodum solida navis ἐπὶ τοῖς κύμασι inconcussa manet, sic mens sapientis manet inconcussa ἐπὶ τοῖς κύμασι τοῦ βίου vel τῶν ἔργων vel aliud quid in eandem sententiam. Suspicor ergo λόγοις irrepsisse in vocabuli ἔργοις vel alicuius huic cognati locum, vel pro τοῖς λόγοις legendum esse ταῖς πράξεσιν. Cf. 84 B τοὺς λέγους μὴ λόγους ἐᾶν ἀλλὰ πράξεις ποιεῖν et 85 A βαδίζοντας ἐπὶ πράξεις τινας.

84 C „Non iudicio contentos nos esse oportet sed ad opus illud transferre". Hanc sententiam sic illustrat: „ceteri omnes admirabantur tantummodo Miltiadis virtutem":

Digitized by Google

Θεμιστοκλῆς δ' εἰπὼν ὡς οὐκ ἐᾷ καθεύδειν αὐτὸν ἀλλ' ἐκ τῶν ὕπνων ἀνίστησι τὸ Μιλτιάδου τρόπαιον, οὐκ ἐπαινῶν μόνον οὐδὲ θαυμάζων καταφανὴς ἦν εὐθὺς ἀλλὰ καὶ ζηλῶν καὶ μιμούμενος.

Non sunt profecto obscura haec et tamen semper ego hic haerebam. Sed cur haesissem antiquioribus demum inspectis editionibus intellexi, in quibus inde a *τρόπαιον* sic sunt disposita verba: *οὐκ ἐπαινῶν μόνον, οὐδὲ θαυμάζων, ἀλλὰ καὶ ζηλῶν καὶ μιμούμενος εὐθὺς ἦν καταφανής.* Quae cur conturbaverit editor Graecus scire pervelim. Hunc enim sibi locum adverbium *εὐθύς* flagitat ubi simul cum *ζηλῶν καὶ μιμούμενος* et cum *καταφανὴς ἦν* iungi possit: „*statim* documentum dedit se imitari velle" et: „iam tum, cum haec dicebat, imitari quodammodo incipiebat".

85 C Alexander nihil optabat magis quam ut in vitam rediret Homerus, qui suas res gestas cantaret: *νέῳ δ' ἀνδρὶ βελτιουμένῳ τὸ ἦθος οὐδενὸς ἔρως ἐμφύεται μᾶλλον ἢ καλοῖς καγαθοῖς ἀνδράσιν ἐγκαλλωπίσασθαι.*

Insere *τοῦ* post *ἤ*. Est enim *οὐδενὸς μᾶλλον ἢ τοῦ ἐγκ.*

85 E Qui unquam se divites futuros desperant nihili faciunt parvas impensas, *μηδὲν οἰόμενοι ποιήσειν μέγα τὸ μικρῷ τινι προστιθέμενον.*

Optimo iure Reiskius *τὸ μακρὸν μικρῷ*, licet spernat id quoque Wyttenbachius. Nemo enim tam insanit ut credat rem parvam *nunquam* fieri magnam etiamsi addas ei quam maximam.

De sequentibus repetam hic quae scripsi Mnem. 1908, 216:

„Sed quo quisque propius accessit ad opulentiam eo fit parcior. Sic qui sibi ne minimorum quidem peccatorum veniam dat

δῆλός ἐστιν ἤδη τι καθαρὸν κτώμενος ἑαυτῷ καὶ οὐδ' ὁπωσοῦν ἀξιῶν ῥυπαίνεσθαι.

Lege *ἐν ἑαυτῷ*, deinde observa quam inepte nunc bis idem dicatur et quam sit contorta structura. Utrique simul malo medeberis et venustissimam Plutarcho reddes sententiam *ἀξιοῦν* legendo: *καθαρόν τι καὶ οὐκ ἀξιοῦν ῥυπαίνεσθαι*, puri aliquid et quod pollui dedignetur".

Quae nunc quoque vera videntur.

Opponit deinde modo citatis haec scriptor:

τὸ δὲ μηδὲν εἶεσθαι καταισχύνειν μέγα μηδ' ἔχειν εὐχερεῖς ποιεῖ καὶ ὀλιγώρους πρὸς τὰ μικρά.

Sic Wyttenbachius qui *καταισχύνειν* bene interpretatur *dede-*

Digitized by Google

corare et sic Didotiana. Quid suo κατ' αἰσχύνην velit editor Graecus prorsus me latet. Verba μηδ' ἔχειν Reiskius in μηδὲ δεινόν mutavit; coniectura tanto critico indigna. Lenissima emendatione sic locus in integrum restituatur:

τὸ δὲ μηδὲν οἴεσθαι καταισχύνειν ἔχειν μέγα εὐχερεῖς ποιεῖ καὶ ὀλιγώρους πρὸς τὰ μικρά. „Nihil se magni habere putare quod dedecorare possint hoc est quod homines adversus parva reddit negligentes" sive: „qui nihil se magni habere putant quod dedecorare possint, ii adversus parva fiunt negligentes". Hiatus post μέγα minime durus videtur.

DE CAPIENDA EX INIMICIS UTILITATE.

Huius libelli originem indagare opus non est; ipse scriptor declarat (p. 85 D) se quae nuper *ex tempore* dixerit, *tantum non* (id hic et saepe alibi Plutarchus verbis ὁμοῦ τι significat) iisdem verbis chartae mandare omissis, quantum fieri possit, iis quae et in *Praeceptis reipublicae gerendae* dixerit, „quoniam" ait „video te illum libellum frequenter habere prae manibus".

Ubique ergo libello patronum et editorem quaesivit, et invenit quam maxime idoneum. Dedicati enim sunt Cornelio Pulchro, viro tam illustri ut, nisi nota eius esset omnibus comitas, vix quisquam ad eum accedere sit ausurus. Sed prius utramque *ex tempore* habuit orationem, et hanc quidem, ut equidem censeo, ad gregem suum Chaeronensem, non ad solos discipulos. Plena enim est praeceptorum ad vitam bene instituendam utilissimorum. Et noster quidem libellus etiamnunc multa eaque certissima orationis *ex tempore* habitae servat vestigia. Identidem semet ipsum interpellat orator formulis quales hae sunt: τί δὲ τοῦτ' ἔστι; (p. 87 B) τοῦτ' οὖν ὠφέλιμόν ἐστι; (87 D) ἔτι τοίνυν πρόσλαβε (88 B), et omnino vide elocutionem capitis quarti in priore parte. Nemo sic loquitur nisi qui *ex tempore* loquitur. Neque usquam saepius locos sibi dilectos promit mentium medicus quam hoc septendecim paginarum libello:

Digitized by Google

p. 88 F altercationem Alcmeonis cum Adrasto.

p. 89 B sapiens dictum: „aut fido opus est amico aut acri adversario".

p. 90 A Platonis dictum: *τυφλοῦται τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον.*

p. 92 E Solonis versus: *ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα κτέ.* Hos enim flosculos semper prae ceteris habuit in deliciis Plutarchus. Denique, quod saepe observamus in omnibus eius libris, etiam iis qui maxime orationis habitae prae se ferunt speciem, non splendida aliqua „peroratione" finem facit orator, sed subito, cum sat bene moniti ei videntur auditores, dicere desinit.

Iam ut ad singulos veniamus locos, de hisce habeo quae in medium proferre velim:

86 D Olim homines cum feris bellum gerebant hoc uno consilio ut se ab iis defenderent; postea eorum opera uti iisque vesci didicerunt (ita ut pleraeque iam aut domitae sint aut interemptae). Sed sic novum nascitur periculum:

μὴ τῶν θηρίων ἐπιλιπόντων τῷ ἀνθρώπῳ θηριώδης ὁ βίος αὐτοῦ γένηται καὶ ἀνήμερος.

Sententia lepidissima, quae tamen corrumpitur languidissimo isto *αὐτοῦ*. Legendum puto *αὖθις*, denuo, qualis primorum fuit hominum. Nata corruptela est e voce *βίος* non intellecta. Est enim „collectiva" illa significatque „homines hoc tempore viventes", quemadmodum egregie docet Hemsterhusius ad Lucianum. Simili sensu Latine „vita" dicitur. Luculentissimum praebet exemplum notissimus Phaedri versiculus:

duplex libelli dos est: quod risum movet
et quod prudenti *vitam* consilio monet.

87 A Ignis male utenti nocet, sed prodest bene utenti:

σκόπει δὴ καὶ τὸν ἐχθρόν, εἰ βλαβερὸς ὢν τἄλλα καὶ δυσμεταχείριστος, ἀμωσγέπως ἀφὴν ἐνδίδωσιν αὐτοῦ καὶ χρῆσιν οἰκείαν.

Egregia haec et venuste enuntiata. Sed corrupit omnia qui adiecit *καὶ ὠφέλιμός ἐστι*. Neminemdum vidisse annotationem hanc esse scioli est quod mireris.

87 B *πρῶτον μὲν οὖν δοκεῖ μοι τῆς ἔχθρας τὸ βλαβερώτατον ὠφελιμώτατον ἂν γένεσθαι τοῖς προσέχουσι.*

Nonne post *βλαβερώτατον* excidit *ἄλλως* vel eiusmodi aliquid? Mihi certe absurdissimum hoc videtur: *quod maxime nocet* utilissimum fit recte utentibus.

Digitized by Google

88 D Oratorem *audis* et in hisce:

ἐνδύου τῇ ψυχῇ, περισκόπει τὰ σαθρά, μή τίς σοί ποθεν ὑποφθέγγηται κακία τὸ τοῦ τραγῳδοῦ

ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Ubi recte observavit H. molestam esse vocem *κακία*. Non *vitium* aliquod haec exclamans fingitur sed aliquis *ex auditoribus*. Praeterea videndum annon *τραγῳδοῦ* ex male suppleto *τραγ.* natum sit et legendum *τραγικοῦ*. Poetae tragici, non actoris versus est. En bellum senarium Phaedrianum!

88 F *Λέων ὁ Βυζάντιος ὑπὸ κυρτοῦ λοιδορηθεὶς εἰς τὴν τῶν ὀμμάτων ἀσθένειαν „ἀνθρώπινον" ἔφη „πάθος ὀνειδίζεις, ἐπὶ τοῦ νώτου φέρων τὴν νέμεσιν".*

Frustra mecum multos quaerere opinor istud *ἀνθρώπινον* quid sibi velit. Sed quodcunque hic adiectivum legeris, locum corruperis. *Nudo* substantivo *νέμεσιν nudum πάθος* opponatur. Legendum est: *„ἄνθρωπε, τί μοι" ἔφη κτέ.*

90 A Si quid tibi obiicitur quod verum non sit, non oportet contemnere illud *ἀλλὰ σκοπεῖν τί τῶν ὑπὸ σοῦ λεγομένων ἢ πραττομένων ἢ σπουδαζομένων ἢ συνόντων ὁμοιότητα τῇ διαβολῇ παρέσχηκε, καὶ τοῦτο διευλαβεῖσθαι καὶ φεύγειν.*

Illud *συνόντων* Didotianus vertit *sodalium tuorum*, neque quidquam aliud ex eo vocabulo extundi potest. Apparet ergo non esse huius loci. Fuit cum putarem *σοι προσόντων* esse legendum, sed supervacuum hoc languidumque. Una litura nunc istud *ἢ συνόντων* delere malim.

90 C Lingua compesci non potest *ἂν μή τις ἀσκήσει καὶ μελέτῃ καὶ φιλοπονίᾳ τὰ κάκιστα τῶν παθῶν, οἷόν ἐστιν ἡ ὀργή, κατεργάσηται.*

Immo *ὧν*. Iracundia pessimorum affectuum unus est.

Sic pergit: dicere aliquid, cuius postea poeniteat *ἐπιγίγνεται δι' ἀσθένειαν θυμοῦ, δι' ἀκρατῆ γνώμην, διαίτῃ θρασείᾳ.*

Post duplex illud *διά* cum accusativo male in tertio membro dativus infertur, neque *victui* hic locus. Non sufficit ergo Reiskii *δι' ἀγωγὴν θρασεῖαν*, nam de *ἀγωγή* idem dici potest quod de *δίαιτα*. Quid sit legendum non invenio.

90 E Non male quidem uxoris intemperiem ferebat Socrates, hanc adhibens meditationem ad aliorum perferendas iniurias; *πολὺ δὲ βέλτιον ἐχθρῶν καὶ ἀλλοτρίων ἐγγυμνασάμενον βδελυρίαις*

Digitized by Google

καὶ ὀργαῖς καὶ σκώμμασι καὶ λοιδορίαις ἐθίσαι τὸν θυμὸν ἡσυχίαν ἄγειν μηδ' ἀσχάλλειν ἐν τῷ λοιδορεῖσθαι.

Ultima vocabula ex male suppleta lacuna nata esse mihi constat. Quae est enim ista ratiocinatio: „Socrates sua uxore utebatur cuius iniuriis alienorum perferre iniurias disceret; haud male, sed multo praestat alienorum iniurias perferre ut assuescas aequo animo *ferre contumelias*"? Quis non videt hic requiri aut ἐν τοῖς φίλοις aut ἐν ταῖς φίλων λοιδορίαις? Haud mala Socratis erat ratio, sed contraria multo praestat.

ib. Initio capitis IX nunc sic disputatur: „mansuetudinis facilius dare documenta potes *in inimicitiis* (ταῖς ἔχθραις), animi vero magnitudinis *in amicitiis* (ταῖς φιλίαις). Nam bene facere amico non tam pulchrum est quam turpe est non facere cum ei opus illa re est. Sed de inimico vel poenam sumendi facultatem omittere laudi habetur, si vero etiam beneficiis eum afficis, iustam omnium hominum moves admirationem". Res ergo eo redit ut facile in inimico ostendere possis animi magnitudinem siquidem eam iam ostendis non sumenda poena, in amico vix ullo modo possis, siquidem, cum turpissimum existimetur non bene facere amico, cui auxilio opus est, nemo te laudabit quod ei bene feceris, ipsa enim res te facere loquitur. Et verissimum illud; ut paucis verbis dicam: nulla est animi magnitudo *adversus amicum*, sed est tantummodo *adversus inimicum*. Ipse illorum vocabulorum quae sunt *animi magnitudo* usus certus et constans illud docet. Nonne ergo luce est clarius vocabula ἔχθραις et φιλίαις locum inter se mutare debere? In inimicitiis locus est magnitudini animi, in amicitiis tantummodo mansuetudini.

Sed iure *admirantur* omnes et alios qui beneficia praestant inimicis et τὸν ... παισὶν ἐχθροῦ καὶ οἰκείοις πραγμάτων ἐν χρείᾳ γενομένοις σπουδήν τινα καὶ προθυμίαν ἐνδειξάμενον.

Trygaeus ille Aristophaneus fuit οὐ συκοφάντης οὐδ' ἐραστὴς πραγμάτων. Alii amant negotia (i. e. lites et iudicia), sed hominem cui *opus* iis *fuerit* nemo vidit unquam. Repone id, quo saepissime opus est mortalibus, et in quo ipsum illud *opem ferre* suum sibi habet locum certum legitimumque: χρημάτων (Mnem. 1908, 210).

91 A Praecepti: οὐδ' ἐπαίνου φειστέον οὐδὲ τιμῆς περὶ ἀνδρὸς ἐχθροῦ δικαίως εὐδοκιμήσαντος hoc affert argumentum:

Digitized by Google

ἔπαινόν τε γὰρ Φέρει μείζονα τοῖς ἐπαινοῦσι, καὶ πίστιν ἔχει πάλιν ἐγκαλῶν ὡς οὐ τὸν ἄνδρα μισῶν ἀλλὰ τὴν πρᾶξιν ἀποδοκιμάζων.

Haec quoque sententiola negligentius structa, in qua prius verbum (*Φέρει*) subiectum habet τοῦτο (sc. τὸ ἐχθρὸν ἐπαινεῖν), secundum ὁ ἐπαινῶν, utrumque mente supplendum, orationis *ex tempore* habitae vestigia servat.

91 C Quemadmodum quae saepe in bello fiunt, necessaria sed prava, si in consuetudinem verterunt, non facile ex animo removentur, sic etiam inimicitia cum odio invidiam adducens in animo pravos relinquit affectus:

πρὸς δὲ τούτοις καὶ πανουργία καὶ ἀπάτη καὶ ἐπιβουλή, δοκοῦσα μὴ Φαῦλον εἶναι μηδ' ἄδικον πρὸς ἐχθρόν, ἂν ἐγγένηται, παραμένει δυσαπάλλακτος· εἶτα χρῶνται πρὸς τοὺς Φίλους αὐτοὺς ὑπὸ συνηθείας, ἂν μὴ Φυλάξωνται πρὸς τοὺς ἐχθρούς.

Sincerus fiet locus simulque venustus, si pro αὐτούς repositum erit αὐταῖς (sc. πανουργίᾳ, ἀπάτῃ, ἐπιβουλῇ).

ib. Pythagoras discipulos in brutis animalibus assuefaciens clementes esse ὀρνέων τε θηρευτὰς παρητεῖτο καὶ βόλους ὠνούμενος ἰχθύων ἐκέλευεν ἀΦιέναι.

Recipienda erat quam H. proposuit lectionem θήρας. Pythagoras *aucupia* proscripsit et fieri vetuit. Sed θηρευτὰς παραιτεῖσθαι nihili est.

92 B Repetam hic quae scripta sunt in Mnem. 1908, 341:

Bonus hortulanus rosis violisque porrum et caepe apponit, quae quidquid humus acre habeat et male olens ad se trahant. Sic amicis te leniorem et in eorum re secunda minus invidum faciet ὁ ἐχθρὸς ἀναλαμβάνων καὶ περιέπων τὸ κακόηθες καὶ βάσκανον.

Nullus hic locus verbo q. e. περιέπειν, sed quid requiratur totus clamat contextus: vitia illa inimicus non solum in se recipit sed etiam (nam sic demum prodest) *retinet*. Lege ergo περιστέλλων et confer *de Virtute et vitio* p. 100 C: ἵν' ὁ ἄνθρωπος ἀναδίδωσιν ἐξ ἑαυτοῦ θερμότητα ταύτην ἡ ἐσθὴς τῷ σώματι προσπεσοῦσα συνέχει καὶ περιστέλλει.

92 C Si quis putat *fortunam* solam esse causam cur suus inimicus in omnibus rebus felici utatur successu, invidia macerabitur, quae nihil ei proderit:

Digitized by Google

ὁ δὲ μὴ τυφλούμενος περὶ τὸ μισούμενον ἀλλὰ καὶ βίου καὶ ἤθους καὶ λόγων καὶ ἔργων γιγνόμενος θεατὴς δίκαιος τὰ πλεῖστα κατόψεται τῶν ζηλουμένων, ἐξ ἐπιμελείας καὶ προνοίας καὶ πράξεων χρηστῶν περιγιγνόμενα τοῖς κεκτημένοις.

In omnibus editionibus virgula ista post ζηλουμένων legitur, qua totus locus corrumpitur; deleta aptissima hac nascitur apodosis: „videbit maiorem partem earum quibus invidet rerum iis qui illas habent industria et sedulitate obtigisse" cui tum hoc fere additur: „et cum illis virtutibus in certamen descendens suum pulchri honestique excitabit amorem". Nunc demum egregia et praeclara omnia.

DE AMICORUM MULTITUDINE.

E quo genere librorum hunc esse dicam libellum nescio. Eandem prae se fert indolem quam qui praecedit „de capienda ex inimicis utilitate", sed neque ad patronum aliquem est missus neque ulla servat „actionis" (sic enim orationem in contione, iudicio simm. habitam appellamus) vestigia. Suspicari licet Plutarchum hoc quasi corollarium addidisse libro qui in simili versaretur argumento, qualis est ille *de adulatore et amico*.

De singulis locis haec annoto:

93 B Menonem, qui quid virtus esset rogatus, multa virtutum genera enumeraret, ludibrio Socrates habuit οὐ κακῶς τεκμαιρόμενος ὅτι μηδεμίαν εἰδὼς ἀρετὴν ἄνθρωπος πολλὰς ὠνόμαζεν.

Rectissime H. correxit ἄνθρωπος. Pondus enim sententiae sustinent verba μηδεμίαν εἰδὼς ἀρετήν, totaque sententia sic est vertenda: „haud male coniiciens *ideo* ab isto homine multas virtutes nominari *quia nullam sciret virtutem*" i. e. quia omnino quid esset virtus nesciret.

93 C ἐναντίον δὲ μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα εἰς φιλίας κτῆσιν ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις, ὥσπερ ἀκολάστων γυναικῶν τῷ πολλάκις καὶ πολλοῖς συμπλέκεσθαι τῶν πρώτων κρατεῖν μὴ δυναμένοις ἀμελουμένων καὶ ἀπορρεόντων.

Hic pro εἰς H. legit πρός, quod certe praestat, quamquam et

Digitized by Google

de ἐναντίον πρός dubito. Sed hoc mitto. Post ὥσπερ Madvigius inseruit ἔρως, quo facto ei δυναμένοις in δυνάμενος fuit mutandum. Habet haec coniectura, ut aliae multae, *probabilitatem* quandam *palaeographicam*, sed praeterea boni nihil. Sententiae enim primum est consulendum, deinde palaeographiae habenda ratio. Velut Madvigii coniectura nobis exhibetur ἔρως μὴ δυνάμενος κρατεῖν, quod nihili est. Utique δυναμένοις servandum, nam *ipsi homines* amicos retinent aut non retinent. Equidem locum corruptum censeo ab imperito homine qui nesciret saepe ὥσπερ secum habere *nominativum* etiam cum coniungatur cum genitivo, dativo, accusativo. Insigne huius structurae exemplum praebet *Cons. ad Ux.* 610 B: πολὺ γὰρ ἀμβλύνεται καὶ χαλᾶται τοῦ λυποῦντος, ὥσπερ ἐν εὐδίᾳ κῦμα τῇ γαλήνῃ τοῦ σώματος διαχεσμένου. Scripsit ergo me iudice hic Plutarchus: ἐναντίον δὲ μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα πρὸς (?) Φιλίας κτῆσιν ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις, ὥσπερ ἀκόλαστοι γυναῖκες τῷ πολλάκις καὶ πολλοῖς συμπλέκεσθαι τῶν πρώτων κρατεῖν μὴ δυναμένοις ἀμελουμένων καὶ ἀπορρεόντων. Cum multis aliis rebus hoc (nonnullis hominibus) quominus veram obtineant amicitiam obstat quod multos habere amicos student; nam quoniam, ut impudicae mulieres, cum multis rem habent, retinere non possunt quos primos nacti sunt amicos: negliguntur enim hi ideoque dilabuntur.

93 D Allatis suavissimis versiculis de Hypsipyles alumno modo hunc modo illum carpente florem sic pergit:

οὕτως ἕκαστον ἡμῶν διὰ τὸ φιλόκαινον καὶ ἀψίκορον ὁ πρόσφατος ἀεὶ καὶ ἀνθῶν ἐπάγεται καὶ μετατίθησι πολλὰς ὁμοῦ καὶ ἀτελεῖς ἀρχὰς πράττοντας φιλίας.

Aut nihili aut certe languidissimum est istud ἀρχὰς πράττειν φιλίας. Suspicor olim hunc locum disertum praebuisse exemplum eius rei qua in *usu metaphorarum* Graeci Latinique scriptores poetaeque omnes a recentioribus discrepant: imaginis partem quandam retinent etiam cum de ipsa re loquuntur propter quam imago adhibetur. Sic hic πλέκοντας scripsisse Plutarchum tantum non certum est. Certe sic habemus aliquid quod venustissimum sit et optimae Graecitatis.

93 E τὸ ἄλλον αὐτὸν ἡγεῖσθαι τὸν φίλον καὶ προσαγορεύειν ἑταῖρον ἕτερον οὐδέν ἐστιν ἢ μέτρῳ φιλίας τῇ δυάδι χρωμένων.

Praeclara est Wyttenbachii emendatio inter duo illa vocabula

Digitized by Google

simillima inserentis ὡς. Verum sic Plutarchum restituimus, cui nihil magis in deliciis quam Platonica illa et Stoica etymologice demonstrandi ratio. Sed spernit eam editor Graecus et ne commemorat quidem; pro ea nobis suum ἑτέρων οὐδενός commendat. Sibi habeat!

94 A Longior hic mihi locus est exscribendus:

τὸν δὲ Φίλον ἡμεῖς „μοῦνον" μὲν οὐκ ἀξιοῦμεν εἶναι, μετ' ἄλλου δὲ τηλύγετός τις καὶ ὀψίγονος ἔστω, τὸν θρυλούμενον ἐκεῖνον χρόνῳ τῶν ἁλῶν συγκατεδηδοκὼς μέδιμνον, οὐχ ὥσπερ νῦν πολλοὶ Φίλοι λεγόμενοι συμπιόντες ἅπαξ ἢ συσφαιρίσαντες ἢ συγκυβεύσαντες ἢ συγκαταλύσαντες, ἐκ πανδοκείου καὶ παλαίστρας καὶ ἀγορᾶς Φιλίαν συλλέγουσιν.

Istud μετ' ἄλλου editoris Graeci esse videtur, nam ét Wyttenbachiana ét Didotiana μετ' ἄλλων praebent, neque ullam variam lectionem commemorant. Et sic utique legendum: μετ' ἄλλων enim est: „*cum aliis rebus* (hoc habeat ut sit sero natus)." In loco modo citato ἐναντίον μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα πρὸς Φιλίας κτῆσιν ἡ πολυφιλίας ὄρεξις, verba μετὰ πολλῶν ἄλλων significant: *inter multa alia* (hoc vel maxime obstat). Tum χρόνῳ in textum irrepsisse videtur e margine, ubi sciolus illud annotaverit ut significaret illo proverbio *temporis spatium* indicari. Nam ista τὸν θρυλούμενον ἐκεῖνον τῶν ἁλῶν συγκατεδηδοκὼς μέδιμνον tam plena sunt et perfecta ut addi nihil possit quin corrumpatur: (is sit amicus) qui secundum proverbium salis medimnum nobiscum comederit. Denique quantocius eiicienda verba Φίλοι λεγόμενοι quibus praeripitur scriptori id quod in fine demum sententiae dicere volebat: „non quemadmodum nunc multi postquam semel cum aliquo potarunt, pila luserunt aleave, aut ibidem deversati sunt, e caupona, palaestra, foro amicitias colligunt". (Φιλίαν an Φιλίας? Hoc melius cum *colligendi* verbo coniungitur).

94 C λιμέσι προβάλλουσιν ἕρκη καὶ χώματα.

Pro προβάλλουσιν H. coniecit περιβάλλουσιν, vix recte, ut opinor: non enim contra maris impetum portus moenibus cingimus, sed in ipsum mare extendimus *propugnacula*.

94 D „Debet esse amicitia ὀρθῶς καὶ βεβαίως ἐξετασθεῖσα· τῶν δ' ἀνεξετάστως παραρρυέντων ὥσπερ νομισμάτων ἀδοκίμων ἐλεγχομένων

gaudent carentes, vult carere qui tenet

ut ait poeta".

Digitized by Google

Falsi illi et adulterini amici non παραρρέουσι, quod est *defluunt* vel *decidunt*. Quae verba non sunt huius loci. Sed leni emendatione lege παρεισρέουσι, omnia bene decurrent et imaginis constabit ratio.

94 E δεῖ μὴ ῥᾳδίως προσδέχεσθαι μηδὲ κολλᾶσθαι τοῖς ἐντυγχάνουσι.

Novi Testamenti non Plutarchi est *simplex* κολλᾶσθαι hoc sensu positum. Hic requiritur προσκολλᾶσθαι quod haplographia quadam corruptum est.

ib. Ad oleam vitemque tendimus dimotis calcatisque quae nos morantur plantas:

οὕτως ἀεὶ μὴ τὸν εὐχερῶς περιπλεκόμενον ποιεῖσθαι συνήθη καλόν, ἀλλὰ κτέ.

Pro ἀεί egregie δεῖ reposuit Wyttenbachius; minus probo quod pro καλόν legit καὶ Φίλον. Nam postquam semel δεῖ in ἀεί abiit, ut tamen sententia nasceretur, sciolus istud καλόν inseruit, quod nunc una est delendum litura. Hiatum *ante virgulam* non moror.

Sequuntur haec: τοῖς ἀξίοις σπουδῆς καὶ ὠφελίμοις αὐτοὺς περιπλέκεσθαι δοκιμάζοντες.

Ecquid dubitari potest quin hic quoque de more recte correxerit Reiskius δοκιμάσαντας? Amplexamur et retinemus verum amicum *iam probatum* nobis.

94 F Nobilis pictor longam aetatem quae *futura* est multaque cogitat saecula; sic Φιλίαν δεῖ καὶ συνήθειαν σῴζειν παραλαβόντας ἐν πολλῷ κριθεῖσαν.

Non servamus amicitiam *postquam* longo tempore probata *est*, sed *ut* longo tempore *probetur*. Parum recte longioris vocabuli compendium expletum est; legendum enim κριθησομένην. Praeterea videndum annon χρόνῳ sit inserendum post πολλῷ.

95 B Ubi multae sunt amicitiae nulla facile coalescit vel firma fit: τοῦτο δὲ εὐθὺς ὑποβάλλει καὶ τὴν περὶ τὰς ὑπουργίας ἀνωμαλίαν καὶ δυσωπίαν.

Pro ultimo vocabulo δυσκολίαν legere voluit Emperius. Vereor ut locum recte intellexerit criticus egregius. Si unum (paucosve) habemus amicum, semper et ubique (ὁμαλῶς) ad opem ferendam sumus parati, neque ullus metus pudorve nobis in ea re obstat. Sed si multis amicis utimur, modo huic modo illi sine ulla

Digitized by Google

lege, sine ullo ordine opitulamur (haec est *ἀνωμαλία* illa), et inepto pudore impedimur: alii enim amico opem ferre veremur ne alius tangatur invidia (haec est illa *δυσωπία*).

De inepto illo pudore deinde sic disputat (95 D): *τὰς ἀμελείας καὶ ῥᾳθυμίας τῶν Φιλων πρᾴότερον Φέρουσι.*

Ante *Φέρουσι* excidisse *Φίλοι* opinor.

ὁ δὲ λέγων „οὐ παρέστην σοι δίκην ἔχοντι, παριστάμην γὰρ ἑτέρῳ Φίλῳ" non tollit reprehensionem sed addit *ζηλοτυπίαν.*

Pro *παριστάμην* equidem aliud exspectem verbum. Ingrata enim haec repetitio. Quanto elegantius quod sequitur: *πυρέττοντά σ' οὐκ εἶδον, τῷ δεῖνι γὰρ Φίλους ἐστιῶντι συνησχολούμην!* Negligitur amici necessitas propter *aliam* alius necessitatem.

95 E Quemadmodum Briareo, quoniam quinquaginta habebat ventres, centum manus nihilo utiliores erant quam nobis singulos habentibus ventres binae, *οὕτως ἐν τοῖς Φίλοις χρήσιμον καὶ τὸ λειτουργεῖν πολλοῖς ἔνεστι.*

Optime haec sic Halmius correxit: *οὕτως ἐν τῷ πολλοῖς Φίλοις χρῆσθαι καὶ τὸ λειτουργεῖν πολλοῖς ἔνεστι.* Sic saepe in Moralibus paulo audaciores sunt adhibendae emendationes, quae tamen haud parvam habent probabilitatem.

96 A Pythagorae praeceptum *μὴ πολλοῖς ἐμβάλλειν δεξιάν* sic explicatur: *μὴ πολλοὺς ποιεῖσθαι Φίλους μηδὲ πολύκοινον μηδὲ πάνδημον ἀσπάζεσθαι Φιλίαν καὶ πρὸς ἐναντίην ἡ μετὰ πολλῶν παθῶν εἰσιοῦσαν, ὧν τὸ μὲν συναγωνιᾶν καὶ συνάχθεσθαι καὶ συμπονεῖν καὶ συγκινδυνεύειν πάνυ δύσοιστον τοῖς ἐλευθέροις καὶ γενναίοις ἐστί.*

Locus, quem multi conclamatum dixerunt, sat leni emendatione restitui in integrum potest: pro *πρὸς ἐναντίην ἡ* legatur *προσέτι.* Tum pro *ὧν* reponatur *οἷς.* Denique *μέν* natum est e male intellecto *δέ* in eo quod continuo sequitur post verba citata: *τὸ δὲ τοῦ σοφοῦ Χίλωνος ἀληθές* („qui nullum habet inimicum nullum habet amicum"); non enim ea particula significat *opponi* aliquid praecedentibus, sed potius praecedentium afferri *argumentum*; pro illo ergo *μέν* legendum est *μή.* Sic aptissima haec nascitur sententia: *„praeterquam* quod ista multorum amicitia *communis* et *publica* (et iam ob eam solam causam improbanda) est, etiam multos variosque (multorum istorum amicorum) affectus secum trahit, quibus *non tangi* res est quam generosa et ingenua mens respuat".

Digitized by Google

96 D Sine aliqua similitudine non nascitur amicitia: *ὅπου γὰρ καὶ τὰ ἄψυχα τὰς μίξεις πρὸς τὰ ἀνόμοια ποιεῖται μετὰ βίας ἀναγκαζόμενα καὶ ὀκλάζει καὶ ἀγανακτεῖ φεύγοντα ἀπ' ἀλλήλων.*

Primum verum non est quod refert editor Graecus Wyttenbachium pro *ἄψυχα* coniecisse *ἄλογα*. Immo vero *ἄψυχα* defendit Wyttenbachius et satis inepte quidem, me iudice, defendit. Annotat enim: „*bruta* sic dici novum nec adhuc observatum; fortasse Stoicis aliquando usurpatum, certe licebat. Et Plutarchus in Crasso p, 544 A *ἄψυχα* opponit *ἀνθρώποις*, *servos* significans". In illo loco Plutarchus, sicut semper fecerunt omnes qui Graece scripserunt, inter se opponit *τὰ ἄψυχα* et *τὰ ἔμψυχα*, quae vita carent et quae vitam habent, et nunc quidem suo iure, quoniam de servis loquitur, hos *ἔμψυχα ὄργανα* dicit, sed poterat eodem nomine et equos, boves, canes, omnia denique *animalia* indicare. Ex tota ergo Wyttenbachii annotatione apparet neminem unquam bruta dixisse *ἄψυχα*. Nam quod de Stoicis commiscitur de nihilo fictum est. Neque quidquam fingi potuit quod minus esset verisimile. Stoicos enim novimus ipso illo *ἀλόγων* nomine usos esse ad duram inhumanamque defendendam sententiam: *prorsus* carere ratione bruta, ideoque *ἄλογα* dici; nihil ergo cum hominibus habere commune, igitur nihil non hominibus adversus ea licere.

In eiusmodi disputationem eos ad *bruta* significanda introduxisse nomen a vulgari usu recedens quis credat? Omnes semper homines, sed prae ceteris Stoici, *ἄψυχα* tantummodo ea nominarunt quae vita carerent; *brula*, quamvis ea contemnerent, non minus quam homines, *τοῖς ἐμψύχοις* adnumerarunt. Apparet ergo, cuiuscunque ea sit, veram et necessariam emendationem esse *ἄλογα*. Praeterea e textu removendae sunt annotationes *ἀναγκαζόμενα* (quod post *μετὰ βίας* moleste abundat) et *φεύγοντα ἀπ' ἀλλήλων* (quod locum prorsus pessumdat: etenim *ἀγανακτεῖ φεύγοντα ἀπ' ἀλλήλων* non potest aliter quam sic accipi: „moleste ferunt cum inter se aufugiunt"; atqui contrarium hic exspectamus. Iam remotis vitiis sordibusque locum sic correctum compara cum iis quae statim opponuntur:

τοῖς δὲ συγγενέσι καὶ οἰκείοις ὁμοπαθεῖ κεραννύμενα καὶ προσίεται τὴν κοινωνίαν λείως καὶ μετ' εὐμενείας

Digitized by Google

singula aptissime et elegantissime inter se respondere videbis. Fuit cum retinendum *ἀναγκαζόμενα* sed in locum ubi nunc *φεύγοντα ἀπ' ἀλλήλων* legitur traducendum putarem; hiatus metus me retinuit.

96 E Ars musica *δι' ἀντιφώνων ἔχει τὸ σύμφωνον .... τῆς δὲ φιλικῆς συμφωνίας ταύτης καὶ ἁρμονίας οὐδὲν ἀνόμοιον οὐδ' ἀνώμαλον οὐδὲ ἄνισον εἶναι δεῖ μέρος, ἀλλ' ἐξ ἁπάντων ὁμοίως ἐχόντων ὁμολογεῖν καὶ ὁμοβουλεῖν καὶ ὁμοδοξεῖν καὶ συνομοπαθεῖν.*

Satis dure hic mente supplendum est *δεῖ αὐτήν* ut infinitivorum constet ratio. Neque tamen apto loco addere vocabula illa possum, neque vellem si possem. Credo enim pro infinitivis illis indicativos (*ὁμολογεῖ, ὁμοβουλεῖ, ὁμοδοξεῖ, συνομοπαθεῖ*) esse legendos. Vide enim quam eleganter hi indicativi opponantur praecedenti *ἔχει*.

96 F *τοῦ πολύποδος αἱ μεταβολαὶ βάθος οὐκ ἔχουσιν, ἀλλὰ περὶ αὐτὴν γίγνονται τὴν ἐπιφάνειαν, στυφότητι καὶ μανότητι τὰς ἀπορροὰς τῶν πλησιαζόντων ἀναλαμβάνουσαν.*

Mire eadem res hic simul *στυφότητα* et *μανότητα* habere dicitur. An sic locus accipiendus ut *rara* dicatur polypodis superficies (pellis), *constricta* et *dura* rupes cui adhaeret? Haud negaverim id licere, additum tamen *αὖθις* (*καὶ αὖθις μανότητα*) malim.

97 A *Πρωτέως τινὸς οὐκ εὐτυχοῦς οὐδὲ πάνυ χρηστοῦ τὸ ἔργον, ἀλλ' ὑπὸ γοητείας ἑαυτὸν εἰς ἕτερον εἶδος ἐξ ἑτέρου μεταλλάττοντος ἐν ταὐτῷ πολλάκις.*

Ut nunc res se habet, frustra quaeris quodnam *ἔργον* hic significetur. Sed dele *ἀλλά* cum praecedente virgula, aptissimam hanc habebis sententiam: qui (quoniam multos habet amicos) nunc hanc nunc illam sumit speciem, Protei fungitur labore, sed improbus aliquis fit Proteus simulque miser.

DE FORTUNA.

Neque oratiuncula haec est, quam dimissa iam contione chartae mandaverit philosophus, neque epistola ad amicum literatum potentemque, qui eam, laetus suum ibi nomen in fronte legi,

Digitized by Google

in publicam esset editurus lucem suumque auctori habiturus honorem, sed docta de controversia saepe agitata diatribe, quam ipse Plutarchus divulgavit. Quo modo id fecerit scire pervelim. Si nostra vixissit aetate, paratum ad eam quaestionem haberemus responsum. Scriptam enim hanc diceremus disputatiunculam ut bibliothecae alicui insereretur, quam ad philosophiae studium promovendum quotannis vel quot mensibus colligendam Plutarchus curaret. Sed tales tunc collectiones, certis temporis intervallis in lucem prodeuntes, nullae fuisse videntur. Neque tamen dubium est quin aliquo modo ea quoque aetate communibus doctorum sit consultum commodis. Non fuerint Plutarchi tempore diaria philosophia, exstitisse tunc quoque aliquid cuius eadem esset natura idemque consilium sumere nobis licet. Sed quocunque modo se ea res habet, documento nobis hic libellus multique alii ex eodem genere — magnus enim eorum est numerus — esse possunt quanta inter aequales fama floruerit Plutarchus, qui quamvis exiguum libellum e Chaeronensi suo promere posset otio, haud dubitans quin suos sibi emptores lectoresque esset inventurus. Satis sincerus ille ad nos pervenit, paucis tamen locis etiamnunc manum exspectare emendatricem videtur.

98 B Fac dicere aliquem τύχῃ τὰ τῶν βλεπόντων πράγματα (non visus oculique), καὶ τύχῃ τὰ τῶν ἀκουόντων (non auditus auresque) καλὸν ἦν, ὡς ἔοικεν, εὐλαβεῖσθαι τὴν αἴσθησιν.

Cur hic editor Graecus ἦν, quod est in Wyttenbachiana Didotianaque, in δέ mutaverit, neque dicit neque apparet. Immo vero ipsa res illud unice verum esse clamat. Etenim post protasin qualis haec est: „si quis hoc vel illud diceret", quaenam legitima magis est apodosis quam haec: „oportebat, decebat (nos)"? Esto, illud ἦν utique retinemus. Num reliqua sana nunc sunt? Non opinor. Quid enim nos facere oportet tam absurda audientes? Num *cavere* sensus? Immo fortiter firmiterque eos *defendere*. In hanc sententiam illud εὐλαβεῖσθαι corrigendum est. Nam quod dat interpres: „quis non vereatur hoc modo sensibus detrahere?", satis quidem aptum huic loco est sed e verbis Graecis extorqueri nullo modo potest. Ipsum verbum non praesto, sed semel pro εὐλαβεῖσθαι reposito verbo quod *defendere* significet, optime sic fere pergitur: „atqui sensus sunt mentis instru-

Digitized by Google

menta, ergo etiam mens exstat: An „ironice" dictum totum illud καλὸν ἦν, ὡς ἔοικεν, εὐλαβεῖσθαι τὴν αἴσθησιν putemus ut hoc dicat Plutarchus: „praeclara, hercle, foret sapientia, tali argumento motum, dicere non audere ullos esse sensus"? Interpretis Didotiani ea fuisse sententia videtur. Sed omnino neque hic neque usquam toto libello quidquam acerbi habet scriptoris vox et, ni fallor, pro ὡς ἔοικεν requireretur οἶμαι praecedente γε vel, quod in deliciis est Plutarcho ἦπου (ante καλόν ponendum). Denique metuo ut ullo modo εὐλαβεῖσθαι significare quidquam possit aliud quam *cavere aliquam rem*, et apodosis illa „ironica" postularet *reiicere*.

98 F In omnibus rebus quae viribus vel velocitate corporis peraguntur brutorum sors melior quam nostra est; ἐμπειρίᾳ δὲ καὶ μνήμῃ καὶ σοφίᾳ καὶ τέχνῃ κατ' Ἀναξαγόραν σφῶν τ' αὐτῶν χρώμεθα καὶ βλίττομεν καὶ ἀμέλγομεν καὶ φέρομεν καὶ ἄγομεν συλλαμβάνοντες.

Quis dubitare potest quin Sauppius pro σφῶν reponens ἔργῳ ipsum illud dederit quod Plutarchus voluerit? Legi nunquam poterunt Moralia, si nullas nisi lenes in textum recipere emendationes audebimus.

99 B Postquam narrationem retulit de pictore qui spumam equi saepe frustra pingere conatus tandem spongiam in tabulam iratus iniecerit, quae forte ipsum illud effecerit quod ars non potuerit, sic pergit:

τοῦτ' ἔντεχνον τύχης μόνον ἱστορεῖται. κανόσι καὶ σταθμοῖς καὶ μέτροις καὶ ἀριθμοῖς πανταχοῦ χρῶνται.

Non cohaerent haec; sed ante κανόσι inserendum est τἄλλα δέ vel eiusmodi aliquid ut obtineamus id quod contextui convenienter dat interpres: „*cetera* artifices regulis, ponderibus, mensuris ac numeris ubique utuntur".

99 C Artes sunt humanae mentis fragmenta parva quaedam vitae usibus inspersa, ὥσπερ αἰνίττεται τὸ πῦρ ὑπὸ τοῦ Προμηθέως μερισθὲν ἄλλο ἄλλῃ διασπαρῆναι.

Semel tantummodo praeterea apud Plutarchum verbum αἰνίττεσθαι *passive* ponitur, sed in *perfecto* tempore, ut insoliti habeat nihil. Cic. 14 s. f. τούτων ... ᾐνιγμένων ὑπ' αὐτοῦ. Hic vero, ut existat illud quod recte interpres praebet: „quod ignis Promethei aenigma innuit hinc inde dispersus" deleto μερισθέν legendum est διασπαρέν.

Digitized by Google

99 C ἐπιτάσει μὲν καὶ ἀνέσει χορδῶν εὐβουλία τις ἔνεστιν ἣν μουσικὴν καλοῦσι, καὶ περὶ ἄρτυσιν ὄψων ἣν μαγειρικὴν ὀνομάζομεν.

Inserere hic quam mente supplere ἔστι τις ante περὶ ἄρτυσιν malim.

99 E Indignabundus rogat scriptor num quisquam ét aliis paratis vitae luxusque instrumentis ét κλίνας προσθέμενος πολυτελεῖς καὶ τραπέζας putet ea sibi felicitatem praestitura non accedente bona mente.

Quantocius reponatur προθέμενος quemadmodum habent Wyttenbachiana Didotianaque, cf. *de esu carnium* I in. νεκρῶν σωμάτων καὶ ἑώλων προθέμενος τραπέζας. Lenissimum zeugma κλίνας προθέμενος καὶ τραπέζας, sed κλίνας προσθέσθαι nihili est. Si praecederet τραπεζῶν mentio, probari π ρ ο σ θ ε ί ς κλίνας posset, non vero προθέμενος.

AD CICERONIS VERR. L. III § 3.

Crassum poenitere solebat quod Carbonem olim in iudicium vocavisset. Quantopere illud exemplum ceteros homines ab accusandi munere deterrere debeat sic Cicero demonstrat:

atque ille his praesidiis ingenii fortunaeque munitus tamen hac cura continebatur, quam sibi nondum confirmato consilio sed ineunte aetate susceperat, *quo* minus etiam *percipitur* eorum virtus et integritas qui ad hanc rem adolescentuli quam qui firmata aetate descendunt,

(quid si maturior Carbonem accusasset?).

Locum varie tentatum sic in integrum restituendum arbitror: pro *quo* legatur *qua*, pro *percipitur praecipitur* (cum excerptis Harleianis: ea praepositione opus esse totus disputationis nexus clamat). Denique totum istud *adolescentuli quam qui firmata iam aetate* expunge. Unde natum additamentum quaeris? Res est perspicua. Non intellexit sciolus *minus* fere idem esse quod *non* (ergoque *minus etiam* fere idem quod *nondum*) sed suum sibi *quam* requirere putavit. Ergo supplevit, ut sibi videbatur. Adverbii *minus* usum illum egregie illustrat de Div. I § 24: „at nonnumquam ea quae praedicta sunt minus eveniunt".

J. J. H.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3 1951 001 349 275 C

Digitized by Google